9

$400 vol. 10
E. 8.



R. P. D. F. JOANNIS
DA

SYLVEIRA

OLYSSIPONENSIS,


CARMELITÆ REGULARIS
OBSERVANTIÆ, SACRÆ THEOLOGIÆ
Primarij Lectoris Iubilati,

COMMENTARIA
IN

ACTA APOSTOLORVM;

CVM QVADAM APOLOGIA CARMELITANA.

Editio secunda cum Indicibus necessariis.




LVGDVNI,
Sumptib. ANISSONIORUM, JOANN. POSUEL
ET CLAUDII RIGAUD.

M. DC. LXXXVII.
CVM PRIVILEGIO REGIS.

ET CLAVDII FACVNDI

FACVNDI



ACTA APOSTOLORVM

IN

COMMENTARIA

OBSERVANTIAE SACRAE THEOLOGIAE

CANONICAE REGULARIS

OLIVETANA

DA

R. P. D. E. IOANNIS

AMPLISSIMO

SANCTISSIMÆ TRIADIS SACRARIO REGINÆ

ÆTERNÆ SAPIENTIÆ GENITRICI,

omniumque creaturarum Cœleſtium, ac terreſtrium illuminatrici, ac tutelari Patronæ.

CLAMAT Eccleſiaſtes: *Ad locum, unde exeunt flumina revertuntur*, per quæ flumina aptè D. Iſidorus intelligit Sacros Apoſtolos, qui ſua doctrina univerſam irrigarunt terram, ac fœcundarunt, quæ omnia à te Altiſſimo Divinitatis fonte ebiberunt, ut uberrimus Auctor eſt Carthuſian. & ait: *Tibi, ô Virgo tribuitur tota corona duodecim Apoſtolorum; quoniam meritis tuis fuerunt vocati, atque per tuam inſtructionem edocti.* Per te fuerunt vocati, ut etiam ait Laurentius à S. Richardo. *Tua prece, digni inventi ſunt, ut à filio tuo eligerentur Apoſtoli, ac totius Orbis terrarum conſtituerentur Principes.* Per te inſtructi, & illuminati ſunt in ſancta, & vera doctrina: *Tu es Magiſtra Apoſtolorum, Evangeliſtarum, Fidei, & Religionis Chriſtianæ*, ut proclamat Rupertus Turonenſis; *Per te eorum ſonus exivit in omnem terram, & fideles omnes ad ſanctum Baptiſma pervenerunt*, ut teſtatur noſter D. Cyrillus Alexandrinus: *Per te fortes facti ſunt in bello, & everterunt caſtra exterorum.* Vt ſcribit Tuus doctiſſimus Idiota. Per te fulgentiſſimo gloriæ diademate refulgent in Patria, ut D. Ephrem ait: *Aut Domina Sceptrum gloriæ tuis impetrans.* In tam præclariſſima, ac Illuſtriſſima Acta nunc prodit hoc noſtrum exiguum, ac tenue Commentarium tuis auſpiciis initiatum, nunc etiam ad Te revertitur tuam opem, protectionemque poſtulans; huc transfero id, quod dixit B. Albertus Magn. *O ſplendidiſſimum ſurgentis Auroræ lumen, depelle tenebras noctis, diſſipa caligines, deſtrue horrores nocturnos.* Exurge ô fulgentiſſimum divinæ Auroræ lumen, depelle tenebras ignorantiæ meæ, diſſipa caliginem meæ ruſticitatis, averte horrores inimicorum: *Tu es Domina mea, Dominatrix mea, Dominans mihi*, Advocata mea, Patrona mea, Auxiliatrix mea, ut jam dixi iterum dico, & centum millies dicam, ſi quid tam in hoc opere, quam in cæteris meis libris apte, & bene compoſitum invenitur tibi omnium datrici referatur; ſi quid verò ſylveſtre, rude, ac ruſticum reperiatur, mihi omnium minimæ Creaturæ Fr. Ioanni da Sylveira adſcribatur.

Eccl. 1. n. 7. Iſidor. apud Gloſſ. Gen. 1.

Carthuſ. lib. 4. de laudibus Mariæ 16. Richard. lib. 11.

Rupert. lib. 1. de gloria filii homin. D. Cyril. hom. 6. contra Neſt. Idiota cap. 7. D. Ephr. orat. de laudibus Mariæ. Albert. ſuper Miſſus.

D. Ildephon. de virginitate Mariæ.

CENSVRA R. ADMODVM P. Fr. GREGORII A IESV

Conimbricenſis Doctoris, Magiſtri Iubilati, ac ſtudiorum Regentis, olim Vlyſſiponenſis Prioris, ſemel atque iterum Definitoris primi, cauſarumque Fidei Qualificatoris in ſacro Inquiſitionis Senatu Luſitaniæ.

CEleberrimos inter hujus ſæculi Scriptores nunquam ſatis laudatus Sylveira noſter in lucem prodit denuo laudandus ſuis *in Apoſtolorum acta Commentariis*. Siſtere nequit calamus, cujus vita Scriptura eſt, otium interitus. Ejus indefeſſus ſcribendi labor, etſi ſemper ſpiritu & materia ad Dei gloriam verè Apoſtolicus, hinc maximè. Si enim teſte Cornelio fine argumenti in Apoſtolorum Acta, in D. Luca & per Lucam, qui Acta Apoſtolorum ſcripſit, completum eſt illud Pſalmi 18. *In omnem terram exivit ſonus eorum*; quænam eſt pars terræ Catholicæ, ubi cum magno profectu doctrinæ Evangelicæ & Apoſtolicæ ſcripta Sylveiræ non ſint ſonora? Clament Typographi editione multiplici librorum ejus: hoc jam complet denarium numerum, qui Vniverſitatis eſt ſignum; & jure hoc denarium decantari poteſt velut Vniverſitas, quæ teſte Pereira in ſua Republica litteraria diſp. 1. q. 1. idem valet atque Academia, ex qua Divini Verbi Præcones diſcipuli, exeunt Magiſtri Vniverſi.

Denarium etiam dicitur primus numerorum terminus & complementum, ultra quod non numeratur, niſi redeundo ad caput ſeu denarium, ut atteſtatur ipſe Sylveira tom 4. in Evangelia cap. 51. n. 10. Novum non plus ultra Lectoribus erit Sylveira denario ſuorum voluminum omnibus numeris completo & abſoluto; & ſi denarium eſt caput ad quod reditur, omnes redire debent ad capita ſuorum operum inclinantes capita pro debito reverenter, ut caput extollant doctrina tanti Magiſtri laureati. Cum illa, auxiliante Deo, poterunt etiam, quod plus intereſt, conformes fieri imagini Filij ſui; nam ſi numiſma quo erat depicta imago Cæſaris denarium vocabatur, opera Sylveiræ jam ſunt denarium, cujus literis Evangelicis & Apoſtolicis ut in pretioſiori numiſmate depicta eſt imago Dei.

Tria in hoc volumine continentur: explanatio textus, Apologia pro Carmeli Ordine, & Officium immaculatæ Conceptionis Deiparę. In primo tali facundia exaratæ ſunt literæ Geſtis Apoſtolicis, ut potiori jure ei adaptetur velut ſors, quod de Aratore, celebrante ligata oratione Acta Apoſtolica, dixit Venantius Fortunatus in Bibliotheca Sanctorum Patrum tom. 6. p. 2.

Sortis Apoſtolicæ quæ Geſta vocantur & Actus,
Facundo eloquio Vates ſulcavit Arator.

In ſecundo veritati & juri Religionis noſtræ ita modeſtè ac religioſè ſatisfacit ſine ullius offenſione, ut pro illo videatur loqui, quod locutus fuit Iacobus de Caſtro circa Deciſiones Sapientiſſimi Gamę D. Luſitani epigrammate ad Lectorem.

Non hic invenies mendaci condita luſu
Vlla, nec impuros, Lector amice, ſales.
Quin reſoluta feras non fuco iura ſuperni
Fulta, ſed eximia religione Dei.

In tertio pro coronide non ſatiatus Epiſtolis dedicatoriis omnium ſuorum operum Dei parenti, ejus immaculatæ Conceptionis Officium ponit clarioribus Sanctorum Patrum teſtimoniis mira arte, & ſtudio, majorique devotione, & cordis affectu compoſitum taliter ut inſcriptum de Ioanne Doctore ſubtili pro opinione pia, de noſtro Carmelitano Doctore Ioanne Sylveira pro tanto Officio inſcribi valeat.

Eſſe dedit puram Chriſtus: da Doctor haberi,
Et ſciri decus hoc debeat illa tibi.

Hoc meum votum, ut lucem videat Orbi lucem daturus liber iſte ad Carmelitarum decus, Dei, ejuſque Sanctiſſimæ Parentis honorem. Carmelo Vlyſſiponenſi 10. Octob. 1679.

Fr. GREGORIVS à IESV.

CENSVRA P. Fr. FRANCISCI A NATIVITATE, OLIM *Artium Lectoris, deinde nunc Theologiæ Veſperarii, ac in ea Præſentati.*

VNdecimo in univerſi Theatrum exit univerſi ſplendor, dum decimum ſuæ lucis radium emittit Sylveira noſter decimum in lucem proferens ſplendidum hoc ſyntagma, Commentarium ſcilicet in Acta Apoſtolorum; opus ædepol, in quo nihil ſilveſtre, ac inſubidum, ſed totum cœleſte, ac pergratum; nihil expunctioni ſubjectum, ſed compunctionis objectum; nihil ſpongiæ obnoxium, ſed admirationis illicium; nihil tandē faſtidij cauſam, ſed mulcedinis ac oblectamenti motivum, ſolus ille non inveniet, qui cæcultet, aut brupeſcat. Imo in illo omnia ita ad amuſſim cōpoſita, & (ut ita loquar) cothurnata, ita concinne appoſita & appoſite concinnata, ut omnis qui miretur, demiretur; qui aſpiciat, ſuſpiciat; & qui videat, invideat; nullum in eo eſt inſtans lectionis, quod non ſit electionis; nullum tempus legendi, quod non ſit etiam colligendi. Libros animæ eſſe liberos Clemens atteſtatur Alexandrinus, dum ait: *Filij quidem corporum; animæ autem liberi ſunt ſcriptæ*; decimus igitur eſt animæ hujus Auctoris liber liber iſte, qui ſi auctorem ſuum recognoſcit ut Patrem, novem alios auctoris libros ut liberos agnoſcit germanos; & ſi Iudas Machabæus inter reliquos vocatus decimus plus alijs ſui temporis univerſali plauſu conclamatur, æquū eſt etiam, ut hic decimus Tomus inter cæteros generali conclamatione applaudatur. Duos Cherubim conſtruxit Salomon in Oraculo decem cubitos altitudinis continentes; eſt Cherubim *plenitudo Scientiæ*. Qui igitur noſtri Auctoris Scientiæ altitudinem ſcire cupiat, decem cubitos, ſeu decem Tomos ſpeculetur, & in ipſis altitudinem cùm profunditate, ſcientiam cum plenitudine confitebitur. In hepate eſt vena quædam, quæ dividitur in decem, & ſi hepar (teſte Brechorio) humorem à ſtomacho receptum convertit in diverſos humores, (illud enim quod eſt calidum, & humidum efficitur ſanguis; quod eſt calidum & ſiccum, cholera; quod frigidum, & ſiccum melancholia; quod frigidum, & humidum phlegma) hujus myſtici Eccleſiæ corporis me hercle poteſt noſter hic Auctor vocitari, ab illo enim decem eloquentiæ venæ, id eſt decem tomi derivantur, ab illo Prædicatores ſcientiam hauriunt non in unum, ſed in multa verborum genera converſam; aliquando ſanguinem in dulcedine benignæ monitionis; aliquando choleram in fervore aſperæ reprehenſionis; aliquando melancholiam, in terrore triſtis comminationis; aliquando tandem plegma in fluore eloquentis collocutionis. Decem panes miſit Iſai per filium ſuum ad fratres ſuos, qui erant in exercitu, & in bello; quidnam aliud, quæſo, ſunt Divini Verbi præcones, quam fratres, qui vitia, debellantes cœleſti militiæ adſcribuntur? ad nos ergo mittit Sylveira noſter decem panes, quibus ſint fortes in bello, & pugnent cum antiquo Serpente. In Pſalterio decem chordarum Cantica Deo Regius Vates intonabat, ut laus ejus eſſet in Eccleſia Sanctorum; in Pſalterio decem chordarum Regalis hic Carmeli incola Cantica Deo intonuit, è quibus egregiæ quidem laudes, tam Sanctorum in panegyricis, quam ipſius Dei in moralibus decerpuntur. Tandem hi decem Tomi arguunt in ſuo Auctore decem illa Evangelij talenta; ſunt decem conchæ, quibus exhauriuntur aquæ ſapientiæ; ſunt decem menſæ, in quibus apponuntur ſpiritualia cibaria; & ſunt decem candelabra, tota aurea, tota lucida tota ſplendida, quæ in Sacræ Paginæ, ſeu potius Eccleſiæ Templo per novum hunc Salomonem poliuntur, conſtruuntur, incenduntur. Circa decimum meum nunc præſtolatur placitum; ſed quid dicam Sylveira? dicat Sylveira de ſe ipſo tom. 4. in Evang. c 51. q. 2. n. 10. *Denarius numerus eſt perfectus, & primus terminus numerorum; itaque ultra non proceditur numerando, niſi redeundo ad caput, ſeu denarium.* Si ergo in denario non plus ultra proceditur, quid de hoc denario dicam? Non plus ultra. Ita cenſeo in hoc Liſbonenſi Carmelo die 11. Octobris 1679.

Clem. Alex. init. lib. 1. ex hom. Machab. 2. cap. 5. n. 25.

3. Reg. cap. 6. n. 23.

Brechor. in ſeductor. moral.

1. Reg. cap. 17. n. 17.

Pſal. 32. n. 2.

Matth. 25. n. 28.

2. Paralip. c. 4. n. 6. 7. & 8.

Fr. FRANCISCUS à NATIVITATE

Facultas R. P. Provincialis Carmelitarum in Luſitania.

MAgiſter Fr. Thomas à Conceptione, in ſupremo Sanctæ Inquiſitionis Tribunali Qualificator, ac humilis Prior Provincialis Ordinis Beatiſſimæ Virginis Mariæ de Monte-Carmelo in his Portugalliæ Regnis ac Dominijs, &c. Ex commiſſione Reverendiſſimi Patris noſtri Mag. Fr. Æmilij Iacomeli totius noſtri Sacri Ordinis antiquæ Obſervantiæ Vicarij Generalis, Falcutatem præbeo admodum Reverendo P. noſtro, noſtrorumque omnium digniſſimo ac meritiſſimo Magiſtro Fr. Ioanni da Sylveira, ut Tomus ab ipſo non minus

minus indefeſſo calamo compoſitus, cui titulus eſt, *Commentaria in Acta Apoſtolorum*; typis mandari poſſit, utpote jam approbatus ac reviſus à Viris doctis noſtri Sacri Ordinis quorum judicio ac examini illum commiſimus, librumque & Authorem pro tot libris totque talentis digniſſimum judicarunt; Præbeo igitur facultatem & ſi neceſſe eſt, præcipio literatiſſimo noſtro Sylveira, digniſſimoque Authori, ut poſſit, imò ut faciat dare prælo librum iſtum opus uno verbo, ſuum. Dat. in hoc Conventu noſtro Vliſſip. die 10. Octobris 1679.

Fr. THOMAS à CONCEPTIONE
Provincialis

SVMMA PRIVILEGII
Regis Chriſtianiſſimi.

LVDOVICI XIV. Galliæ & Navarræ Regis auctoritate ſancitum eſt, ac patentibus literis cautum, ne quis in Regno ſuo, alijſque ditioni ſuæ ſubjectis intra proximos annos viginti à die primæ Editionis cujuſque Tomi abſolutæ inchoandos, excudenda, vendendaque quovis modo, & ratione curet *Commentaria in Acta Apoſtolorum.* R.P.D. Fr. IOANNIS DA SYLVEIRA, Vlyſſiponenſis Carmelitæ Regularis Obſervantiæ, præter LAVRENTIVM ANISSON Bibliopolam Lugdunenſem, aut illos quibus jpſe jus ſuum ceſſerit. Prohibitum inſuper eadem auctoritate Regia omnibus ſubditis eundem Librum extra Regni ſui limites typis edendum curare vel quemquam ubicumque fuerit ad id agendum impellere & excitare; citra prædicti Laurentii Aniſſon conſenſum idque ſub confiſcatione librorum, alijſque pœnis in originali diplomate expreſſis contra delinquentes. Datum S. German. in Laya die 14. Septembris 1662.

de mandato Regis,

Signatum MABOVL.

Deſijt prælum primæ Editionis prædicti Tomi die 24. Martij. 1681.

SERIES

SERIES CAPITVM QVÆSTIONVM hujus Libri in Acta Apoſtolorum.

CAPVT PRIMVM.

Aſcendens Chriſtus in Cœlum, & eligitur Mathias.

Quæst 1. Ur ſit Theophilus, & quare Evangeliſta, hic non optimum appellat, ſicut in exordio ſui Evangelij. pag.4

2 Quare Divus Lucas ſuum Evangelium non vocat Evangelium ſed ſermonem, ſeu verbum ibid.

3 Quomodo Divus Lucas dicat ſe ſermonem facere de omnibus, quæ cœpit Ieſus facere, & docere. Cum Ioannes dicat quod ſi per ſingula ſcriberentur, totum mundum libros capere non poſſe? 5

4 Quare Chriſtus Dominus per quadraginta dies apparet ſuis diſcipulis, & non per plures, nec pauciores? 7

5 Quare Chriſtus Dominus per quadraginta dies apparet ſuis diſcipulis; non vero per ipſoſmet dies, cum eis ſemper aſſiſtit, & perſeverat? ibid.

6 Qualis fuit hæc Chriſti Domini comeſtio? 8

7 Quare Chriſtus Dominus antequam aſcenderet in Cœlum comedit cum ſuis diſcipulis? 9

8 Quare potius Ieroſolyma, quam alius locus deſignatur à Chriſto Domino ad adventum Spiritus ſancti? 10

9 Quare Divinus Spiritus dicitur promiſſus à Patre, non vero ab ipſomet Chriſto Domino pag 11

10 Quare Chriſtus hic promittit ſuis Apoſtolis baptizandos eſſe ab Spiritu ſancto? ibid

11 Quare Chriſtus Dominus non dixit non eſt noſtrum, ſed non eſt veſtrum noſſe tempora? 12

12 Quare Chriſtus Dominus non reſpondet ad queſita Apoſtolorum, ſed tacitè eos reprehendit? pag.13

13 Quare Chriſtus Dominus non deſignat ſuos diſcipulos ſuorum operum teſtes, niſi poſt acceptam virtutem Spiritus ſancti? 14

14 Quare Chriſtus Dominus conſtituit ſuos diſcipulos teſtes ſuæ reſurrectionis, potius quam ſuæ paſſionis, ac mortis? 15

15 Qualiter facta fuerit admirabilis Chriſti Aſcenſio? ibid.

16 Quare Chriſtus aſcendit in Cœlum videntibus ſuis diſcipulis? 17

17 Quare Chriſtus Dominus aſcendens in Cœlum miniſterio nobis ntitur? ibid

18 Quare Chriſtus Dominus aſcendit in Cœlum per nubem cum venturus ſit ad judicandum in nubibus Cœli? 18

19 Quare duo Angeli hic apparentes dicuntur Viri, & non Angeli? 19

20 Quare Angeli hic in Aſcenſione apparentes dicuntur Viri, cum in reſurrectione exprimantur Angeli? 20

21 Quare iſti duo Viri non loquuntur cum ſanctiſſima Virgine Maria, ſed cum diſcipulis, quos Galilæos vocant? ibid.

22 Quare per modum increpationis dicitur Apoſtolis, quid hic ſtatis aſpicientes in Cœlum, cum laudabile ſit oculos habere defixos in Chriſtum? 21

23 Quare Sacri Apoſtoli tantum ſtabant aſpicientes, & nec unum verbum dicunt, nec loquuntur? 22

24 Quare ſacri Apoſtoli cum Chriſtus aſcenderet in Cœlum, nullum dant ſignum triſtitiæ ut fecit Eliſæus cum videret ſuum Mag. Eliam aſcendentem? 23

25 Quare Chriſtus Dominus aſcenderit benignus, & clemens, & venit ad judicium, ſeverus, & aſperus, dicitur quod ſic veniet quemadodum vidiſtis aſcendentem? ibid.

26 Quare duo Angeli venientes ad Apoſtolos brevi ſermone habito ſtatim volant recedunt? 24

27 Explicantur dies, locus Aſcenſionis & iter Sabbatti, ac Cœnaculum in quo manebant Apoſtoli. 25

28 Quare ſacri Apoſtoli cum mulieribus tanta inſtantia erant perſeverantes in oratione? pag.26

29 Quare Sanctiſſima Maria omnium principaliſſima perſona ſcribitur poſt Apoſtolos & mulieres? 27

30 Quare Divus Petrus cum eſſet caput Eccleſiæ ad electionem faciendam alios vocat, quos fratres dicit? 29

31 Quare Iudas ex ſuprema ſorte Apoſtolatus ſic ruit, ut à ſe ipſo, & non ab alio tortore ſuſpendatur? 30

32 Quare cum Iudas ſuſpenditur diffunduntur omnia viſcera ejus? ibid.

33 Quare Divus Petrus agens de pœna Iudæ, etiam Iudæorum pœnam commemorat? 32

34 Quare tam ſollicitus eſt Divus Petrus ut eligatur alius Apoſtolus? 33

35 Quare ad electionem Apoſtolatus non vocat Divus Petrus Viros Sanctos; & ſapientes; ſed cognitos, ac notos? 34

36 Quare Divus Petrus Apoſtolorum Coriphæus, qui ſermonem fecit de electione per ſe ſolum non eligit? 35

37. Quare ſi Apoſtoli & diſcipuli orantes ſtatuunt duos ad Apoſtolatum? cur ex ipſis duobus non eligunt unum? 36

38 Qualiter Apoſtoli intendebant quod Deus ex his duobus oſtenderet electum ad Apoſtolatum? pag.37

39 Quare dicitur quod Iudas abiit in locum ſuum? pag.38.

40 Quare ſacri Apoſtoli per ſortes eligunt, & quomodo ſors cecidit ſuper Mathiam? ibid.

41 Quare ſors cecidit ſuper Mathiam; & ipſe electus eſt in Apoſtolum ? 39

Caput II.

Spiritus ſanctus adveniens,& prædicat Petrus.

Quæſt.1. Quare Divinus Spiritus venit in die Pentecoſtes? P.41
2 Quare poſtquam Chriſtus Dominus aſcendit in Cœlum non ſtatim miſit Spiritum ſanctum, ſed poſt tranſactos decem dies ? 42
3 Quare divinus Spiritus venit cum tam vehementi, ac forti ſono ? 43
4 Quare cum divinus Spiritus multis,& variis figuris apparuiſſet,hic tamen mirabilius ſuper omnes ? 44
5 Quare divinus Spiritus venit in figura linguarum ſuper Apoſtolos? 45
6 Quare Spiritus deſcendit ſuper Apoſtolos linguis igneis ? 46
7 Quare de ſono dicitur quod repleverit totam domum, non ſic vero de igne ? 48
8 Quare facto vehementi ſonanti ſtrepitu fulgurantibus linguis igneis non timent Apoſtoli? ibidem
9 Quare divinus Spiritus deſcendens in igne venit clara die, & non potius nocte, ut magis reſplendeſceret ? 49
10 Quare linguæ igneæ apparent in capite, & non potius in ore ; vel alia corporis parte ? ibid.
11 Quare Spiritus veniens in linguis igneis ſedit ſuper capita Apoſtolorum ? 51
12 Quare hic tam alta, & ſublimia myſteria proponuntur, quæ hic per ſequentia notabilia explicantur ? 52
13 Quare Deus in ſuis Apoſtolis tot, & tantas linguas ordinavit ? 54
14 Quare Apoſtoli repleti Spiritus ſancto quid loquebantur ? ibid.
15 Quare iſti maligni dicunt Apoſtolos ebrios per contumeliam ; cum diverſo, & altiori ſenſu à divino Spiritu dicantur ebrii ? 57
16 Quare iſti improbi ſtantes audientes Apoſtolos magno miraculo in omnium linguis loqui dicunt ebrios ? 58
17 Quare Divus Petrus refutat calumniam Iudæorum, ac inimicorum ? 59
18 Quare Divus Petrus ad defenſionem Apoſtolorum tertiam diei horam eſſe proponit? 60
19 Quare D.Petrus contra hos maledictos; dico maledicos; aliquam rigidam pœnam non fulminat,ut fecit Eliſæus contra pueros illudentes, ſed modeſtè cum ratione reſpondet ? 61
20 Quare D Petrus ad confutandam calumniam iniquorum nunc poſt rationes Scripturam proponit ? 62
21 Quare poſt varias expoſitiones circa literam textus Ioëlis ultimam de judcio finali amplectitur ? 63
22 Quare D.Petrus in die tam feſtivo, ac ſolemni commemorat diem judicij univerſalis ?ibid.
23 Refutantur deliramenta Hæreticorum prævaricantium in præſentem textum. 65.
24 Quare D.Petrus per tam altiſſima media probat Chriſtum Dominum verum eſſe Meſſiam promiſſum in lege,verumq; eſſe filium Dei. ibid.
25 Quare Chriſtus dicitur reſurgens ſolutis doloribus inferni & quid per tales dolores Inferni intelligatur ? 66
26 Quare corpus,& caro Chriſti dicenda eſt ſancta, explicatur, quid ſit Sanctum ? 67
27 Quare tantus eſt Chriſtus in præſenti in referendis,ac recenſendis beneficiis à Deo Patre acceptis ? 68
28 Quare referens D.Petrus Davidis magnalia de ejus ſepulchro facit mentionem? 69
29 Quare D.Petrus,tam reverenter loquitur de Davide. 70
30 Quare Chriſtus D. dicitur Dei Patris dextera exaltatus in ſua paſſione ? 70
31 Quare Chriſtus D.dicitur dextera Dei exaltatus in ſua reſurrectione ? 72
32 Quare Chriſtus D. dicitur ſedere ad dexteram Dei ? ibid.
33 Quare D. Petrus non rigidè,ſed blandè, ac ſuaviter ſe habet cum circunſtantibus pro graviſſimo peccato mortis filij Dei? 74
34 Quare D.Petrus annuntiat die Iudæis gentium converſionem, quos maximè in odio habebant ? 74
35 Quare participatio corporis Chriſti dicitur concentio ? 76
36 Expenditur vivendi modus ſpiritualis in Eccleſia primitiva. 77
37 Quare in primitiva Eccleſia tanta erat obſervantia communis vitæ, de illius excellentia agitur ? 79
38 Quare in iſtis primitiva Eccleſiæ tanta erat perfectio ? 80

Caput III.

Sanatur Claudus, & Petrus demonſtrat Ieſum Chriſtum eſſe verum Meſſiam.

Quæſt.1. Quare ante miraculum Claudi deſcribitur oratio Petri, & Ioannis? 81
2 Expenditur hujus hominis ſumma calamitas, ac miſeria, 82
3 Quare ante orationem Petrus & Ioannes dant ſalutem Claudo ? 83
4 Quare primum miraculum, quod de D.Petro ſcribitur, ſanitas eſt hujus Claudi ? 84
5 Quare tam celeriter huic Claudo datur ſanitas perfecta ? ibid.
6 Quare cum ſolus Petrus loquatur, non ait Claudo reſpice in me, ſed reſpice in nos ? 85
7 Quare in hoc Claudo depingunt Sancti Patres malos Eccleſiæ Miniſtros ? 86
8 Quare Divus Petrus antequam Claudum à ſua miſeria ſublevaret teſtatur ſe aurum & argentum non habere? ibid.
9 Quare D.Petrus ait ſe non habere argentum, & aurum ; cum ad ejus pedes agrorum pretia quotidie à Chriſtianis afferebantur? 87
10 Quare cum D.Petrus dixiſſet Claudo reſpice in nos ſimul ipſum Petrum, & Ioannem, tamen ſolus Petrus operatur miraculum,& ait ſurge, & ambula ? 88
11 Quare primum miraculum, quod legitur factum ab Apoſtolis eſt ? ibid.
12 Expenditur ſumma D. Petri paupertas,illiuſque eximia charitas. 89
13 Quare poſtquam D. Petrus dixit Claudo ſurge & ambula,apprehenſa manu elevat eum? ibid.
14 Quare in hoc Claudo tanta Dei dona reſplenduerunt ? 90
15 Quare D Petrus in hac ſecunda concione majora mirabilia prædicat de Chriſto Domino, quam in prima ? 92
16 Quare D.Petrus negat ſua virtute aut poteſtate ſanaſſe

ſanaſſe Claudum, cum Chriſtus D. dederit ei poteſtatem ſanandi infirmos ? ibid.
17 Quare tantus eſt D. Petrus in præſenti in ſublimanda præſtantia virtute, ac efficacia fidei ? 94
18 Quare D. Petrus non ait quod iſte Claudus ſanatus ſit virtute potentia Ieſu, ſed exprimit in nomine Ieſu ? ibid.
19 Quare cum D. Petrus dicat quod Iudæi per ignorantiam occidiſſent Chriſtum, eos tamen ad pœnitentiam exhortatur ? 96
20 Quare dicitur quod Chriſtus ſit in Cœlo uſque in diem iudicij, cum ſæpè apparuerit in terris ? ibid.
21 Quare Moyſes prophetizavit de Chriſto eſſe Prophetam ſui ſimilem ? 97

Caput IV.

Apoſtoli recluduntur in Carcerem, & prædicant ſolùm in nomine Ieſu eſſe ſalutem.

Quæſt. 1. QVare Magiſtratus templi dabatur ? pag. 100.
2 Quare in prima concione convertit D. Petrus tria millia, in hac vero qunque millia ? 101
3 Quare Magiſtratus interrogat Apoſtolos de operato miraculo Claudi, cum valde notum eſſet fuiſſe factum in nomine Ieſu Nazarei ? 102
4 Quare Caiphas tam leniter, ac ſuaviter ſe oſtendit, modò cum Apoſtolis cum tam crudeliter, ac tyrannicè ſe habuiſſet cum Chriſto ſua paſſione ? 103
5 Quare D. Petrus tã profundè & altiſſimè reſpondet, eorum nequitiã arguens, & caſtigans ? 104
6 Quare Chriſtus D. dicitur lapis angularis in capite anguli ? 105
7 Quare tam aſſeveranter, ac firmiter ait D. Petrus, quod in ſolo ſanctiſ. nomine Ieſu ſit ſalus ? 106
8 Quare Petri, & Ioannis conſtantia in tanta admiratione erat coram tota Synagoga ? 107
9 Quare auditis Petro, & Ioanne magiſtratus Iſraëliticus tam perplexus, ac timidus eſt ? 108
10 Quare contra verba Apoſtolorum ſapientes Scribæ, Seniores, nec reſpondent nec dant aliquam rationem ? 109
11 Quare ſacri Apoſtoli coram toto pleno Concilio contentis eius mandatis, & minis conſtanter affirmant ab ipſis nomen Ieſu, & eius opera eſſe prædicanda ? 110
12 Quare ad verba Petri, & Ioannis Senatus Iudaïcus minas jactat ab illis ſe devictum manifeſtat, ac declarat ? 110
13 Quare ſacri Apoſtoli ipſoſmet adverſarios iudices appellant ? 111
14 Quare tanta fuit cæcitas, & malitia in Regibus, ac Principibus, ut contra Deum, ac Chriſtum inſurrexerint, ac ſtarent ? 112
15 Quare in his, quæ pertinent ad ſalutem generis, non ſolum Dei conſilium, ſed etiam eius manus decreverunt facere ? 112
16 Quare poſt orationem Apoſtolorum motus eſt locus in quo erant ? 113
17 Quare modo dicuntur Apoſtoli repleti Spiritu S. cum jam ipſo fuiſſent repleti in die Pentecoſtes ? 114
18 Quare in primitivis Chriſtianis tanta erat unitas, ut non in eis eſſet anima una, cor unum, & nullum aliquid ſibi proprium habebat ? 115
19 Quare primitivi Chriſtiani tam avidè paupertatem amplectebantur & terrena contemnebant ? 116
20 Quare primitivi Chriſtiani omnia ſua, non ad manus, ſed ad pedes Apoſtolorum ponebant ? 117
21 Quiſnam eſſet iſte Barnabas de quo hic fit mentio. ibid.

Caput V.

Ananias, & uxor ejus Saphira morte plectuntur à Petro, & Apoſtoli pro Chriſti nomine multa patientes gaudent.

Quæſt. 1. AN Ananias habuerit votum paupertatis, & quando illud emiſerit ? 119
2 Quare Ananias defraudavit de pretio agri ? 120
3 Quare D. Petrus arguit Ananiam de tentatione Satanæ, non vero de conſenſu ſuæ voluntatis, in quo extitit peccatum ? 121
4 Quare cum hoc peccatum Ananiæ fuiſſet occultum inter ipſum, & ſuam uxorem tamen notum, ac manifeſtum factum eſt ? ibid.
5 Quare mendacium Ananiæ dicitur ſpecialiter commiſſum contra Spiritum S. 122
6 A quo tam rigida mortis pœna Ananiæ inflicta eſt ? 123
7 Quare tam rigida mortis pœna Ananiæ punitur ? ibid.
8 Quare non leute, ac charitativè admonet D. Petrus Ananiam, ut Ioſue ſe habuit erga furti reum ? 124
9 An Ananias, & Saphira ſint in æternum damnati ? 125
10 Quare in ſpatio trium horarum nullus extitit, qui numeraret Saphiræ terribilem ſui mariti mortem ? 126
11 Quare Saphira mortua cecidit ad Petri pedes ? ib.
12 Quare D. Petrus umbra facit miracula ? 128
13 Quare D. Petrus umbra ſanat, magnum dat omnibus Prælatis documentum ? 129
14 Quare D. Petrus ſanat umbra quod à Chriſto D. non legitur factum ? ibid.
15 Quare tempore Chriſti Apoſtolorum tot, & tanti erant poſſeſſi à Dæmone ? 130
16 Quare Deus permittit ut Diabolus ingrediatur in humanum corpus ? ibid.
17 Quare Principes Sacerdotum replentur zelo non contra latrones, ac homicidas, ſed contra ſanctiſſimos Apoſtolos ? 131
18 Quare Diabolus non valet liberare ſuos veneficos à carcere, ut modo Angelus liberavit Apoſtolos ? 132
19 Quare ſacri Apoſtoli valde diluculo tendunt in templum ? 133
20 Quare Gamaliel tali modo loquitur in Concilio, & quiſnam eſſet ? 136
21 Quare Theodas tam cito periit, & quiſnã eſſet ? 137
22 Quare Iudas Galilæus, & ſui adhærentes graviter perierunt ? ibid.
23 Quare ſacri Apoſtoli flagellati in Concilio non ibant triſtes, & lugentes, ſed gaudentes ? 139
24 Quare Apoſtoli gaudent in pœnis, ac flagellis, Chriſtus filius Dei in illis triſtatur ? ibid.
25 Quare Apoſtoli pati, & flagellari pro Chriſto habent pro magna dignitate ? 140

Caput VI.

Eliguntur ſeptem Diaconi ad quotidianum miniſterium.

Quæſt. 1. QVare creſcente numero diſcipulorum exoritur murmur, & querela ? 141
2 Quare non de adoleſcentibus, ſeu uxoratis excitantur querelæ, ſed tantum de viduis ? 142
3 Quare ſacri Apoſtoli volunt ſe abſtinere à menſis, ac eorum miniſterio ? 143
4 Quare Apoſtoli proponunt viros plenos Spiritu S. &

& ſapientia; cum ſapientia ſit unum ex donis Spiritus S. 144
5 Quare Diaconi deputantur ad negotium viduarum Apoſtoli ſibi reſervant orationem, & prædicationem? ibid.
6 Explicantur qui, & quales fuerint iſti ſeptem Diaconi? 145
7 Quare ſacri Apoſtoli imponunt manus ſuper hos Diaconos? 147
8 Quare non dicitur quod Iudæi diſputantes cum Stephano erant ex Ieruſalem; ſed ex variis Orbis partibus, quæ hic explicantur? 148
9 Quare modo poſt electionem, & non antea dicitur D. Stephanus plenus fortitudine? ibidem
10 Quare tanta multitudo diverſarum nationum contra unum Stephanum ſtat? 149
11 Quare tanta ſapientum multitudo uni Stephano non poterat reſiſtere? ibid.
12 Quare numerus teſtium, qui ſurrexerunt contra D. Steph non exprimitur, nec declaratur? 151
13 Quare iſti dicuntur falſi teſtes cum multa vera dixiſſent? ibid.
14 Quare facies D. Stephani tanquam Angeli reſplendebat? 152
15 Quare fulgente facie Stephani iniquitas aſtantium in Concilio non reformatur, ac miteſcit? 153

Caput VII.

Divus Stephanus apparens tanquam Angelus, amplam facit prædicationem.

Quæſt. 1. Quare D. Stephanus loquens prius vocat fratres poſtea Patres cum è contrario videbatur dicendum? pag. 156
2 Quare D. Stephanus ſuos accuſatores, ac carnifices vocat fratres, ac Patres? ibid.
3 Quare cum Deus hic apparet Abrahamo dicitur Deus gloriæ? 157
4 Quare dicitur mandatum Abrahæ exire de terra ſua, cum hoc videatur executioni datum à Patre eius Thare? ibid.
5 Quare cum Abrahamus eſſet in Meſopotamia mandat ei Deus exire de terra ſua, ac cognatione ſua? 158
6 Quare dicuntur Hebræi per quadraginta annos fuiſſe in captivitate Ægypti? 159
7 Quare Deus mandavit Abrahamo circumciſionem in pueris, & in tali membro, & occulto, ac brevi carnisparticula? 160
8 Quare Deus Abrahamo, ac poſteris eius dedit circumciſionem? 161
9 Quare D. Stephanus tantus eſt in præſenti in referenda hiſtoria Abrahami Ioſeph, & aliorum? 162
10 Quare D. Stephanus facit hic tam amplam mentionem de Ioſeph? 163
11 Quare Ioſeph tanto tempore extitit in Ægypto abſque eo, quod mœrente Patre de ſe certiorem faceret? 164
12 Quare Rex Ægypti tam crudeliter, ac durè perſequebatur Hebræos? 166
13 Quare tot, & tantis calamitatibus opprimebantur Hebræi ab Ægyptiis? 167
14 Quare cum illi boni patres ſua providentia potuerint abſcondere puerum Aaron, ne periret in flumine, non valent abſcondere puerum Moyſem? 168
15 Quare filia Pharaonis Moyſem puerum vagientem adoptavit in filium? ibid.
16 Quare Moyſes occidit Ægyptum an in hoc facto peccaverit? 170
17 Quare Moyſes videns duos rixantes ſe intromittit ad illorum pacem? 171
18 Quare modo Moyſes de afflictione populi agit, & non antea? 172
19 Quare D. Stephanus tantum hic dilatatur in rebus ac laudibus Moyſis? 173
20 Quare D. Stephanus ait in præſenti quod Moyſes præ timore Pharaonis fugit cũ Apoſtolus dicat, quod ipſe non eſt veritus Regis potentiam? ibid.
21 Quare Deus apparet Moyſi in flamma ignis? 174
22 Quare rubus ardebat, & non comburebatur? ibid.
23 Quare Deus mandat Moyſi ſolvere calceamenta pedum ſuorum? 177
24 Quare D. Stephanus Luciferum appellat Remphan, ſtellam obſcuram, & tenebroſam? 180
25 Quare Divus Stephanus tam acriter invehitur in Iudæos, cum valde lenis extiterit in exordio prædicationis, ac fine ut pro eis etiam exoraret? 181
26 Quare dum Divus Stephanus præſentes Iudæos arguit, eorum nequiſſimos parentes commemorat? 182
27 Quare lex dicitur data per diſpoſitionem Angelorum? 183
27 Quare D. Stephanus nec attendit in ſe; nec in ſuos perſecutores, ſed ſolum in Cœlum? 184
29 Quare ait D. Stephanus, videos Cœlos apertos, cum alibi ſolum dicatur cœlum, & cœlum apertum? ibid.
30 Quare D. Stephanus de ſe teſtatur quod videris gloriam Dei, & quando vidit, & quomodo vidit dico? 185
31 Quare D. Stephanus ante certamen abſolutum, & mortem guſtatam gaudet ſupremo felicitatis præmio? 186
32 Quare D. Stephanus primo dicit Ieſum, & deinde ſecundo filium hominis? ibid.
33 Quare D. Stephanus vidit Ieſum non ſedentem; ſed ſtantem à dextris Dei? 187
34 Quare D. Stephanus ſuam viſionem non tacet, ſed publicat, & prædicat? 188
35 Quare miſeri Iudæi claudunt aures ſuas cum Stephanus loquitur? 189
36 Quare D. Stephanus tot, & tantis circumſtantiis reſplenduit in ſuo martyrio? ibid.
37 Quare D. Stephanus lapidatur à Iudæis? 190
38 Quare D. Stephanus pro ſe orans ſtat, pro inimicis genu flexo orat? 191
39 Quare D. Stephanus pro ſe primo orat, deinde pro inimicis, cum Chriſtus D. prius oraverit pro inimicis, deinde ſecundo pro ſe? 192
40 Quare D. Stephanus clamans voce magna rogat pro inimicis, & dat Spiritum? ibid.
41 Quare mors D. Stephani dicitur obdormitio? 193

Caput VIII.

Mortuo Stephano magna perſecutio in Eccleſia: Simon Magus graviter increpatur à Petro: Eunuchus Reginæ Candacis baptizatur.

Quæſt. 1. Quare mortuo Stephano tam dura, & crudelis perſecutio exorta eſt contra Eccleſiam? 195
2 Quare exorta perſecutione, tot, tantique fideles diſperſit? ibid.
3 Quare D. Stephanus lapidatus à Iudæis, valde honorificè ſepelitur? 196
4 Quare Viri pij, ac devoti S. Stephanum ſepelierunt, & cum planctu magno? 197

Quare Simon Magus tanta nequitia repletus extiterit, & quisnam esset ? 199
9 Quare Simon credit, & baptizatur cum hoc non ex corde haberet ? ibid.
7 Quare Philippus insinuavit Apostolis, ut in Samariam mitterent operarios, & missi sunt Petrus & Ioannes. 201
8 Quare Apostoli imponendo manus dabant Spiritum sanctum ; agitur de Sacramento Confirmationis. ibid.
9 Quare cum olim manus impositio esset signum condemnationis ad mortem; Apostoli imponentes manus dabant vitam ? 202
10 Quare Apostoli imponebant manus facientes signum crucis in fronte ? ibid.
11 Quare Simon commisit peccatum simoniæ, & quam grande illud crimen sit ? 203
12 Quare Simon cum videret Apostolos contemptores divitiarum audet offerre pecuniam pro emendis divinis donis ? 204
13 Quare D. Petrus tam rigidè ac acerrimè insurgit in Simonem, ac ejus pecuniam ? 205
14 Quare Ananias, & Saphira statim rigidè mortis sententia à D. Petro puniuntur, non sic Simon Magus cum gravius deliquisset ? 206
15 Quare Simon postulat ab Apostolis orationem, quam Rex Ninive non petivit à Iona Propheta ? 207
16 Quare Æthiops Eunuchus venit adorare in Ierusalem, & quisnam esset ? 209
17 Quare Eunuchus cum esset valde magnus tam avidè postulat à Philippo illustrari, ac doceri ? 210
18 Quare Christus D. dicitur sicut ovis ad occisionem, & quasi Agnus coram tondente ? ibid
19 Quare cum Propheta testatur, quod Christus D. de angustia judicij sublatus sit, statim adjungit generationem ejus esse inenarrabilem? pag. 211
20 Quare non visis miraculis nec portentis Eunuchus tam citò credidit, & tam firma fide suscepit baptismum ? 213
21 Explicatur quænam Civitates sint Azotus, & Cæsarea de quibus agitur in præsenti. ibid.
22 Quare tam citò Angelus rapuit Philippum à præsentia Eunuchi ? 214

Caput IX.

Admirabilis Pauli conversio.

Quæst. 1. Quare iste illustrissimus dictus est Saulus, & postea Paulus ? pag. 216
2 Quare Saulus à Summo Pontifice non postulat mandata, sed epistolas ? ibid.
3 Quare Paulum tam crudeliter sævientem Deus vocat ad lumen Ecclesiæ suæ ? 217
4 Quare Christus D. tot, & tanta interposuit ad conversionem Pauli ? ibid.
5 Quare hæc illustrissima Pauli conversio non contigit nec in via, nec in Damasco, sed in propinquo ad Civitatem ? 218
6 Quare lux de Cœlo circumfulsit Paulum in sua vocatione ? 219
7 Quare Saulus fulgente splendida luce cadit in terram ? 220
8 Quare cum Saulus adhuc esset peccator, Christus D. eum proprio nomine vocat ? 221
9 Quare non dixit Christus quid meos persequeris; sed me persequeris ? 222
10 Quare Christus Dominus non ait ego sum Deus vel filius Dei, sed Iesus tantum ? 223
11 Quare ad visionem, ac vocem Christi Paulus factus est stupens, ac tremens ? 224
12 Quare D. Paulus tam alto, ac sublimi verbo respondet : Domine quid me vis facere ? ibid.
13 Quare Dominus mittit Paulum ad Ananiam ? pag. 226.
14 Quare Paulus obcæcatur tanta luce circumfusus ? ibidem.
15 Quare D. Paulus per triduum neque manducavit, neque bibit ? 227
16 Quare Paulus in sua conversione omnibus facultatibus corporalibus privatur ? ibid.
17 Quisnam esset Ananias ? 228
18 Quare Ananias admonetur in vigilia ; Paulus autem in somn[illegible] ? 229
19 Quare ad Paulum futurum Ecclesiæ Doctorem instruendum non destinatur aliquis ex magnis Apostolis sed Ananias ? 230
20 Quare Ananias cum audiat à Christo Paulum orare, & esse jam conversum, ipse tamen eum adhuc reputat infidelem, & persequutorem ? ibid.
21 Quare Christus D. ait de Paulo vas electionis est mihi ? 231
22 Quare inter tot millia millium Sanctorum, unus Paulus dicitur insigniter designatus, ut sit vas electionis ? 232
23 Quare insigniter, ac peculiariter datum est Paulo portare nomen Iesu ? 233
24 Quare cum Paulus dicatur vas electionis, non dicitur tamen plenum ? 234
25 Quare mandatur D. Paulo ferre nomen Domini inter densas gentium, Regum, ac filiorum Israel tenebras ? ibid.
26 Quare ut Paulus visum recipiat Ananias ei imponit manus ? 235
27 Quare Ananias non dixit Paulo, Dominus, qui te obcæcavit, sed qui tibi apparuit ? 236
28 Quare ab oculis Pauli ceciderunt quædam pelliculæ, ut squamæ ? ibid.
29 Quare D. Paulus conversabatur cum gentibus, ac Græcis à quibus multæ insidiæ in eum machinabantur, ob quas fugit in varias terras ? 237
30 Quare D. Petrus non interrogavit hunc Paralyticum : vis sanus fieri ; ut Christus interrogavit illum alium in piscina ? 240
31 Quare noster Sacer Evangelista exponit nomen Tabitha, quæ dicitur Dorcas, id est, Caprea ? pag 241
32 Quare non cum infirmatur Tabitha, sed tantum cum ipsa mortua est mittunt discipuli ad Petrum ? ibid.
33 Quare cum Petrus adveniret nullus eum rogat pro suscitanda Tabitha ; sed tantùm ostendunt vestes, & tunicas, quas illa eis faciebat ? pag 242
34 Quare D Petrus non voce, sed etiam manu extensa hanc fœminam suscitat, eam vocans nomine suo ? 243
35 Quare tam citò Deus exaudit orationem Petri pro Tabitha, cum ipse dicat se non exauditurum Noe, Iob, Danielem orantes pro populo ? ibidem.
36 Quare Magnus Parens Elisæus ad suscitandum filium Sunamitidis multa adhibet, non sic Petrus ad revocandam Tabitam, in vitam ? pag. 244.
37 Quare D. Petrus non apud aliquem Principem, vel apud Tabitham hospitatur, sed apud Simonem Coriarium ? ibid.

Series Capitum

Caput X.

Centurio vocatur, & Petrus admirabili visione confortatur.

Quæst. 1. Quare cum de conversione gentium agere aggredimur à Sanctissima Virgine Maria sit incipiendum ? 246

2 Quis esset Cornelius, & qualis esset ejus fides antequam ipse veniret ad D. Petrum ? 247

3 Quare tantus est D. Lucas in referendis, ac scribendis virtutibus Cornelij, & quot illæ fuerint ? 248

4 Quare de Centurione non dicitur solum quod timebat Deum, sed etiam cum tota domo sua? ibid

5 Quare ad Cornelium illuminandum in fide non mittitur aliquis discipulus, Diaconus, sed Angelus ? 249

6 Quare cum Angeli ante Deum offerant nostras orationes, & opera; tamen orationes V. Mariæ tali Angelorum ministerio non indigent ? 250

7 Quare Centurioni mandatur non quærere Petrum, sed eum ad se advocare, & de Petro nihil ei magnum dicitur ? 251

8 Quare Angelus non explicat Cornelio quid ab eo faciendum sit ? 252

9 Quare D. Petrus ad orandũ ascendit superiora? 253

10 Quare D. Petrus ad orandum potius eligit horam sextam, quam quamlibet aliam ? 254

11 Quare hora sexta Christus sitit, Petrus vero eadem hora esurit ? ibid.

12 Quare linteum descendit de Cœlo, & quid significet ? 255

13 Quare in hoc linteo apparent quadrupedia, serpentia, & volatilia ? 256

14 Quare cum in hoc linteo sint animalia terrestria, & volatilia, non tamen aquaria, ut pisces? 257

15 Quare sanctissima Virgo Maria omnino ac totaliter est separata ab hoc linteo: agitur de illius immaculata Conceptione ? 258

16 Quare cibus immundus dicitur purificatus? 259

17 Quare cibus immundus dicitur communis ? 260

18 Quare D. Petrus cum esset obedientissimus ter respondet ac recusat comedere illa animalia à Domino oblata ? 261

19 Quare Petrus cum esset hospes in domo Simonis Coriarij hos Cornelij nuncios excipit hospitio tamquam in domo propria ? 262

20 Quare D. Petrus tam confidenter conversabatur cum his hominibus gentilibus, cum olim stans cum illis ceciderit, ac negaverit ? 263

21 Quare Cornelius cum expectaret adventum Petri convocat suos intimos amicos ac familiares; pag 264

22 Quare D. Petrus prohibet ad orationem, quam ei exhibebat Cornelius ? ibid.

23 Quare sicut Angelus recusat adorationem Ioannis, sic & Petrus Cornelij & in quo major humilitas ? 265

24 Quare Cornelius tam sublimi, & alto modo ait, quod ipse, & omnes astantes sint parati audire Petrum ? 266

25 Quare cum Christus D omnia cœlestia dona secũ adduxerit peculiariter de pace fit mentio? 268

26 Quare D. Petrus incipiens referre Christum, ait suam prædicationem exortam fuisse à Galilæa, de quo Iudæi formant accusationem ? ibid

27 Quare D Petrus dum prædicat Christum plenum oleo divinitatis adjungit ejus beneficentiam in omnes ? 269

28 Quare dicitur Christus Iudex vivorum, ac mortuorum ? 270

29 Quare cum Christus dicitur Iudex constitutus, statim subditur, ut per ipsum accipiatur remissio peccatorum ? 271

30 Quare Cornelius cum suis socijs primus ex gentilitate conversus, tantis signis condecoratur? pag. 272

Caput XI.

Mittuntur ad Antiochiam Barnabas, & Saulus

Quæst. 1. Quare D. Petrus tam solliciter ac efficaciter destruit murmurationes contra se exortas ? 274

2 Quare qui obmurmurabant, & loquebantur, auditis verbis Petri tacent, & obmutescunt? 275

3 Quare omnes tamquam ex uno ore Deum glorificabant ? ibid.

4 Explicantur Civitates Phœnecia, Cyprus, Antiochia, & agitur de Patriarchalibus Ecclesijs. 276

5 Quare Apostoli audientes tantum credentium numerum augeri in Antiochia non venerunt ad illos, sed miserunt Barnabam ? 277

6 Quare D. Barnabas tam vehementer exhortabatur Antiochenos, ut in proposito cordis permanerent ? ibid.

7 Quare D. Barnabas vocat ad se D. Paulum ? 278

8 De exordio magni nominis Christiani, ac de ejus alta, ac sublimi magnificentia ? 279

9 Quanta obligatio nobis immineat ex Christiani nomine ? ibid.

19 : Quisnam esset Agabus ? 280

11 Quare tam dira, ac crudelis fames à Deo emissa est in Orbem ? ibid.

12 Quare hoc famis tempore fideles ex Antiochia mittunt subsidium ad fratres in Iudæa ? 281

Caput XII.

Petrus incarceratur ab Herode, & mirabiliter ab Angelo liberantur.

Quæst. 1. Quare Herodes Aggrippa tam crudeliter insanivit contra Christi fideles; & quisnam esset ? 282

2 Quare Herodes occidit Iacobum qui primus omnium Apostolorum dat vitam ad magnam ejus gloriam ? 283

3 Quare D Iacobus gladio occiditur ? 284

4 Quare præ cæteris Apostolis intentavit Herodes occidere Petrum? ibid.

5 Pro multis difficultatibus resolvendis ponitur Chronotaxis Apostolorum ? 285

6 Quare Petrus ponitur in Carcere & quam rigida, & acerba pœna sit ? 286

7 Quare D. Petrus tanta custodia tenetur in vinculis, ac carcere? ibid.

8 Quare Deus tam sublime, ac mgnificè Petri catenas honoravit; 287

9 Quare D Petrus inter milites ac catenas tam placidè dormiebat ? 288

10 Quare Petrus, qui multa mirabilia operabatur, non seipsum liberat à carcere, sed ad hoc venit Angelus & quisnam esset ? 289

11 Quare à resplendente Angelo excitatur Petrus percusso latere, non potius apprehensa manu vel pede ? 290

12 Quare cum Angelus dixisset Petro surge velociter, statim catenæ ceciderunt de manibus ejus ? ibid.

13 Quare Angelus suadet D. Petro ut calceet caligas suas ? 291

14 Quare D. Petrus dum Angelum existimat esse visionem,

viſionem, non agnovit eum, niſi poſtquam diſceſſit? 292
15. Quare bona puella, cum audit, & agnoſcit Petrum pulſantem ad oſtium, non ſtatim illud aperit, ſed cucurrit intus ad diſcipulos nuntia ferens? 293
16. Quare diſcipuli, qui erant intus in domo dicunt pulſantem ad oſtium non eſſe Petrum, ſed Angelum ejus. 294
17 Quare D. Petrus magnalia, quæ Deus erga eum fecit mandat denuntiare Iacobo, ac aliis Patribus? 295
18 Quare cuſtodes ſepulchri Chriſti bene habent apud Pilatum, cuſtodes Petri malè apud Herodem? 297
19 Quare tam peſtiferè acclamatur Herodes, ut ejus voces non dicantur hominis], ſed Dei? 268
20 Quare Angelus tam crudeli plaga percuſſit Herodem? ibid.
21. Quare tam crudeli, ac extraordinario ſupplicio periit Herodes? 299
22 Quare ſolus Herodes tam rigidè punitur, & non etiam illi qui applaudentes dicebant illius voces non eſſe hominis, ſed Dei? ibid.

Caput XIII.

Paulus, & Barnabas mittuntur Ieroſolymam cum ſubſidio eleemoſynarum, & Spiritu ſancto in pectore,

Quæſt. 1 De nominibus contentis in quinque prioribus verſibus. 301
2 Quare jejunantes imponunt manus ſuper Saulum, & Barnabam, & quid ſit illa manuum impoſitio? 302
3 Quare Saulus dicitur Paulus ex Sergio Paulo baptizato, & aliqua de ipſo Sergio notãtur, 303
4 Quare D. Paulus Ælimam magum potius percutit cæcitate, quam alia pœna? 304
5 Quare tam cito, ac feſtinanter pœna cæcitatis apprehendit hunc miſerum? ibid.
6 Quare Apoſtoli Simonem Magum ſolum verbis reprehendunt, at Paulum Ælimam Magum non ſolum verbis, ſed etiam cæcitate? 305
7 Quare D. Paulus percutiens Ælimam Magum, ait ei, manus Domini ſit ſuper te? 306
8 Quare à Paulo advena poſtulant Principes Synagogæ verba exhortatoria? 307
9 Quare David dicitur vir ſecundum cor Dei. ibid.
10 Quare D. Paulus hic agens de reſurrectione Chriſti adducit locum Pſalmi: ego hodie genui te? 308
11 Quare ob filiorum Iſrael obdurationem ipſis relictis prædicandum eſt Evangelium gentibus? 310
12 Quare præordinati credunt, & non depravantur malo exemplo, ac perſecutione aliorum? 311

Caput XIV.

Paulus vocatur Mercurius, & Barnabas Iupiter.

Quæſt. 1. Quare Iudæi primo excitant gentiles contra Apoſtolos, poſtea gentiles cum primoribus currunt ad lapides ac contumelias? 312
2 Quare iſti Cives clamant, quod Dij ſimiles facti hominibus deſcenderunt ad eos? 313
3 Quare iſti gentiles Barnabam Iovem appellant? 314
4 Quare D. Paulus dictus, ac appellatus eſt Mercurius? 315
5 Quare Gentiles offerebant Dijs ſuis victimas coronatas? 316
6 Quare iſti Lycaonenſes volunt aris & ſacrificijs colere Apoſtolos tamquam Deos? ibid.
7 Quare ſacri Apoſtoli tanto impetu ac vehementia prohibent, ne eis fiant ſacrificia, & altaria? 317
8 Quare per multas tribulationes ac labores intrandum eſt in Regnum Cœlorum? ibid.
9 Quare ſacri Apoſtoli dicuntur traditi gratiæ Dei? 318

Caput XV.

Primum conſilium Apoſtolorum agitur de Circumciſione.

Queſtio 1. Quare iſti, qui excitarunt quæſtiones contra Apoſtolos non nominantur, ſed dicuntur quidam? 321
2 Quare hæc diſcenſio, ac controverſia contra Apoſtolos tam multipliciter crevit? ibid.
3 Quare Paulus plenus ſapientia cum Barnaba venit Ieroſolymam, ut conſuleret Apoſtolos ſuper poſitam quæſtionem? 322
4 Lex vetus valde dura multum oppreſſa pondere præceptorum, ac difficultatum? ibid.
5 Lex Evangelica benigna ſuavis ac levis. 323
6 Sanctiſſima Virgo Maria totam quæſtionem decidit, ac reſolvit. 324
7 Quare Chriſtus ablata Circumciſione dedit nobis baptiſmum? 325
8 Quare D. Iacobus præcepit abſtinendum ab animalibus ſuffocatis cum ſanguine? ibid.
9 Quare Sacri Apoſtoli tam celeriter congregant Concilium ad determinandam quæſtionem, ejuſq; reſolutionem mittunt in Antiochiã? 326
10 Quare Sacri Apoſtoli dicunt viſum eſſe Spiritui ſancto, unde ejus vocem audierunt, & cognoverunt? 327

Caput XVI.

Circumciſus Thimotheus.

Quæſt. 1. Quare magnus Paulus acerrimus circumciſionibus impugnator circumcidat Timotheum? 329
2. Quare cum Thimothæus & Titus eſſent diſcipuli D. Pauli, Apoſtolus circumcidit Timotheum & noluit circumcidere Titum? 330
3 Quare Paulus, & Silas prohibiti ſunt prædicare Evangelium in Aſia? 331
4 Quare vigilanti Paulo mandatur, ut non prædicet in Aſia dormienti ut predicet in Macedonia? 332
5. Quare D. Paulus tam diligenter per mare navigat, & venit Macedoniam? 333
6 Quare Dæmones laudant Apoſtolos, homines vero eos criminantur, & opprobriis afficiunt? pag. 334.
7 Quare D. Paulus dolet, & non vult audire voces diaboli laudantis? 335
8 Quare hæc puella divinando multas pecunias comparabat, Prophetæ multa prædicendo nihil lucrabantur, ibid.
9 Quare Domini Puellæ ob Dæmonem expulſum iam durè, & acriter inſurgunt contra Paulum, & Silam? ibid.
10 Quare cum ſemper Paulus verſatur in oratione ac contemplatione Dei inſigniter fit mentio de ejus oratione in carcere media nocte? 337
11 Quare cum in carcere ſolvuntur Pauli, & Silæ catenæ, ſolvuntur etiã aliorum vinctorũ? ibid.
12 Quare cum januæ carceris ſint apertæ, Paulus tamen & Silas non egrediuntur. 338

Series Capitum

Caput XVII.

Ara conſecrata ignoto Deo.

Quæſt. 1. *Quare Paulus ingrediens Synagogas totum eius ſtudium erat diſſerere, & explicare Scripturas?* pag. 341
2 *Quare turba Civitatis circunſtat domum Iaſonis, & quiſnam eſſet ille?* 341
3 *Quare, qui primi receperunt fidem dicuntur nobiles?* 343
4 *Quare iſti Athenienſes dicebant Paulum hominẽ ſeminverbum, ſeu loquacem, & garrulum?* 344
5 *Quare Epicuri, & Stoici adverſabantur D. Paulo, & quinam eſſent illi?* ibid.
6 *Quare iſti homines vocabant D. Paulum annunciatorem novorum dæmoniorum?* 345
7 *Quare D. Paulus ducitur ad Areopagum?* 346
8 *Quare Ara conſecrata conſiſtebat ignoto Deo?* 347
9 *Quare D. Paulus vocat Athenienſes ſuperſtitioſos, cum ſub ignoto Deo adorarent verum numen.* ibid.
10 *Quare D. Paulus cum Athenienſibus incipit ſermonem à Deo ignoto?* 348
11 *Quare ait Apoſtolus, quod Deus non habitat in manu factis templis?* 349
12 *Quare Apoſtolus ait, quod in Deo vivimus? movemur, & ſumus?* 350
13 *Quare D. Paulus confirmat ſuam doctrinam dicto Poëtarum, explicatur.* ibid
14 *Quare tam inſigniter Dionyſius Areopagita ſcribitur à D. Luca?* 351

Caput XVIII.

Peragratur Paulus per varias nationes, & fidem Chriſti diſſeminat.

Quæſt. 1. *Quis eſt Aquila iſte de quo in præſenti agitur.* 353
2 *Quare Claudius Imperator excluſit Iudæos à Roma?* ibid.
3 *Quare D. Paulus in illa arte ſcenofactoria exercebatur?* 354
4 *Quare D. Paulus arti ſcenofactoriæ potius operam dabat, quàm alteri?* ibid.
5 *Quare Paulo cogitanti, & anxio apparet Chriſtus ad eius conſolationem, & levamen?* 355
6 *Quare ſuadens Chriſtus D. Paulo in ultimo loco proponit, quod ei ibi multus ſit populus?* 356
7 *Quare Chriſtus D. non ſolum ait Paulo, quod erit eius protector; ſed etiam quod erit cum illo?* ibid.
8 *Quare Gallio non reprehendit percutientes Pontificem, & quiſnam eſſet?* 357
9 *Quare Soſthenes verberatur, & quiſnam eſſet?* pag. 358
10 *Quare D. Paulus modo totundit caput?* ibid.
11 *Quare D. Paulus toties repetit Ieroſolymam?* 359
12 *Quare Apollo cum dicatur vir doctiſſimus dicitur tamen de eo ſciens tantum baptiſma Ioannis, & quiſnam eſſet?* 360

Caput XIX.

Ioan. 1. Ioan: 1. n. 51. *Si ad filiũ hominis Angeli deſcendebant, quia in terris erat, quomodo ipſi Angeli, aſcendebant ad filium hominis, niſi quia in cœlis erat.* Angeli venerantes Chriſti D. divinitatem aſcendunt, & deſcendunt ſuper filium hominis, & quomodo hoc fieri poteſt tam diverſis, ac repugnantibus actionibus ? nam aſcenſus opponitur deſcenſui ; & vice verſa ? quomodo illi divinitatem Chriſti venerãtur, & prædicant ? *Aſcendunt, & deſcendunt ſuper filium hominis.* Aſcendunt, eum agnoſcentes in cœlo ; Deſcendunt, recognoſcentes eum in terra; Ac ubique Deũ eſſe confitentes : *Ad filium hominis Angeli deſcendebant, quia in terris erat ; quomodo ipſi Angeli aſcendebant ad filium hominis, niſi quia in cœlis erat.*

QUESTIO III.

Quomodo D. Lucas dicat ſe ſermonem facere de omnibus, quæ cœpit Ieſus facere, & docere. Cum Ioannes dicat quod ſi per ſingula ſcriberentur, totus mundus libros capere non poſſet.

13. Ioan. 21 ITa ſcribit D. Ioan. Evangeliſta c. 21. n. 25. loquens de Chriſti operibus, ait, *quæ ſi ſcriberentur per ſingula, nec ipſe mundus capere poſſet eos, qui ſcribendi ſunt libri :* ex quo clarè patet, quod omnes Evangeliſtæ ſimul juncti, multa de Chriſto D. ſiluerunt : & ſolum ſcripſerunt ea, quæ ſufficiebant ad fidem Chriſti reconciliandam, ac ad ejus doctrinam, vitamque explicandam.

14. 2. Reg. 15 Reſpondeo primo ad quæſtionẽ juxta communẽ ſententiam SS. Petrum, D. Hieron. D. Auguſt. Origen. & aliorum, quos retuli tom. 6. in Evangelia ad cap. 1. Lucæ, q. 11. per totam quod propoſitiones univerſales in ſacra Scriptura non ſignificant omnimodam univerſalitatem, ſed magnam partem, ut illud 2. Reg. 15. n. 13. *Toto corde univerſus Iſrael ſequitur Abſalon.* Et tamen cum David, erat Ioab, Abiathar, & ſexcẽti viri. Ibid. n. 13. vide citatum locum, ubi multa de hac re. Ac proinde cũ D. Lucas ait de omnibus, id eſt de multa parte eorũ, quæ cœpit Ieſus facere & docere.

15. Caietan. Secundò, præclarè reſpondet Caïetanus, & ait : *Primum quidem ſermonem fecit, quæ cœpit Ieſus facere, & docere,* &c. non ait : *quæ fecit Ieſus, & docuit, ſed quæ cœpit facere, & docere.* Inſinuat Evangeliſta, ſe non recenſere omnia per ſingula quæ Ieſus fecit, & docuit, ſed tantum intendit proponere, auguſtiſſimum ſuorum operum, ac verborum exordium, ut ex tam magnifico initio, quot & quanta mirabilia operatus ſit, auſpicari valeat; & ita mirabili narrationis compendio alta & ſublimia perſtringit Evangeliſta. Orans Chriſtus D. in Cœnaculo, ait : *Pater, ego te clarificavi ſuper terram, opus conſummavi, quod dediſti mihi, ut faciam.* Ioan. 17. n. 4. Quomodo ait Chriſtus *opus conſummavi.* Cum adhuc reſtaret crucis mors in qua redemptionis opus completum eſt, & inde ipſe jam moriturus in cruce clamat: *conſummatum eſt*, quo ergo ſenſu ante mortem teſtificat ſe omnia conſummaſſe. Theophylact. ait: *quia fecit, quod maximum omnium & radicem bonorum omnium ſubminiſtravit, Dæmone victo, & ſe objecto voraciſſimæ beſtiæ.* Objecit ſe Chriſtus vehementiſſimo deſiderio morti, idem valet, ac ſi jam ſpiritum morte exhalaſſet, & inde rectè ait : *opus conſummavi*: eodem verbo utens, ac quando pendens in cruce dixit *conſummatũ eſt*; nam in viro præcelſo, idem eſt operis inchoatio, ac illius conſummatio, ac illius ſumma perfectio.

Cũ narratur operis inchoatio, illius cõſummatio innuitur.

Ioan. 17. Theoph.

16. Anſelm. Tertiò. Anſelmus Laudun. in Gloſſa ait: *Quæ cœpit Ieſus facere, & docere ; quia omnia, quæ fecit, & docuit, incœptio quædam fuit, eadem poſtea Apoſtolis facientibus, & docentibus, & eorum ſequacibus* ; non ait Evangeliſta ſe ſcribere de omnibus, quæ Ieſus fecit, & docuit, ſed de his, quæ *cœpit*; nam, etſi Chriſti D. operatio in ſemetipſa perfectiſſima ſit, tamen *incœptio quædam fuit*; ut poſtea Apoſtoli eorumque ſequaces Chriſtum imitãtes faciant; nam Chriſtus D. ſuâ doctrinâ, ſuo exẽplo, ſuâ gratiâ in nobis incipit opus bonũ, ut nos cooperando illud perficiamus ad meritum, ac ſalutem. Præpotens ille homo, qui peregrè proficiſcẽs, pecuniam impertiit per ſervos ſuos, ad famulum deſidem, ac inutilem, qui talentum ſibi traditum abſcondit, & nihil lucratus eſt, ait Dominus: *Oportuit te committere pecuniam meam numulariis, & veniens ego recepiſſem utique quod meum eſt cum uſura.* Matth. 25. n. 27. ex talento dato, quænam eſt hæc uſura, quam Chriſtus D. tam avidè expetit, negotiatio nempe noſtri operis ex talento, dono gratiæ accepto, quod Deus largitur, non ut otioſè deſides ſimus, ſed ut multiplicato talento magnum negotium faciamus, ad meritum, ac ſalutem. Theophilus Antioch. lib. 1. in Evang. *Recepiſſem utique quod meum eſt, cum uſura, unde ſciendum eſt quia ſpiritualis pecuniæ uſura, exercitium eſt boni operis, exercitium boni operis uſura eſt, ex dono accepto ex Gratia Dei.*

Deus incipit in nobis opus bonum, ut noſtra cooperatione perficiatur.

Theoph. Matth. 25.

17. Oecum. Quartò. Valde communiter notatum eſt : *Cœpit facere, ac docere*; quod prius dicitur facere, quam docere, facta dictis præcurrebant. Graviter tamen Oecumenius exponit locum, & ait : *Cœpit facere, & docere ; Quoniã Jeſus per ea, quæ operabatur, admonebat.* Multa alta & ſublimia Chriſtus aperiens os ſuum docebat, tot, & tã præclariſſimis ſermonibus, ut habentur in Evangelio, ac efficaciſſimâ Chriſti doctrinâ, quæ cunctis Chriſtianam virtutem perſuadebat. Altè, & profundè inquit D. Chryſolog. ſerm. 158, qualiter Chriſtus D. Magis, quos ex Oriente ducebat, voluit perſuadere virtutem, ſanctitatem, & rerum contemptum. Scribit D. Matth. 2. n. 11. Intrantes domum, *invenerunt puerũ cum Maria matre ejus.*

Ad quæ verba ſic ait præfatus Chryſolog. *Sæpe quærimus, quare ſic mundum intrat Chriſtus, ut ventos experiatur, anguſtias, partus patiatur injuriam, ſuſtineat vincula pannorum, cunabula toleret imbecillia, lachrymis uberum nutrimenta diſquirat, ætatum gradus; neceſſitatesque præſentiat.* Conſidera ſequentia: *& qualiter venire debuit, qui voluit apportare gratiam, timorem pellere, quærere charitatem.* Valde mirum, quod Magi in idololatria enutriti intrantes domum adorantes Chriſtum, in agreſti præſepio fiunt præclariſſimi Sancti, in omni virtutum genere valde conſpicui, & quis tantarum virtutum, fuit Doctor, ac Magiſter? ipſa viſa humilitas Chriſti, paupertas, terrenorum contemptus, ſumma ejus charitas, quâ de cœlo deſcendit, documenta præbuit, ut eos in omni virtute, juſtitia, ac ſanctitate informaret, ac ſolidaret; & ideo cum Chriſtus veniret, tanquam gratiæ, ac ſanctitatis bajulus, inde tot anguſtias nativitatis in abjectiſſimo ſtabulo patitur. *Qui voluit apportare gratiam, timorem pellere, quærere charitatem.*

Magis perſuadet vita bona, quam doctrina Doctoris.

18. Scribens D. Petrus ſuis diſcipulis ait: *Chriſtus paſſus eſt pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut ſequamini veſtigia ejus.* Vult Apoſtolus ſuos inducere in viam ſalutis, eoſque in omni juſtitia, ac ſanctitate continere, ac informare; proponit ut ſequantur Chriſti veſtigia ejus admirabilis vitæ, humilitatis, paupertatis, charitatis, tolerantiæ, patientiæ. *Qui cum male diceretur, non maledicebat: cum pateretur, non comminabatur,* 1.Petr.2.n.21.22.23. cur Apoſtolus non proponit ſuis diſcipulis admirabilem Chriſti doctrinam, de qua teſtificati ſunt ejus adverſarij; nunquam *ſic locutus eſt homo.* Ioan.7. cur de ejus veſtigiis in vita facit tantùm mentionem. Cum Petrus intenderet efficaciſſimo medio ſuos allicere, ac trahere ad viam ſalutis, ac ad obſequium Dei, eis ante oculos objicit Chriſti veſtigia, utpote ſuper omnia fortiſſimum motivum ad animos ſubjiciendos, ac devincendos; ſic Chriſtus D. ait de ſe; Ioan.14. n.6. *Ego ſum via, veritas, & vita*: tanquam primum omnium, ac præcipuum ait de ſe quod *ſit via* per exempla, ac documenta vitæ ſuæ; D.Cyprianus lib. de bono patientiæ, ait; *Ipſe eſt ſalutis noſtræ via, qui Chriſtum veſtigiis ſalutaribus ſequimur, & per Chriſti exempla gradimur*; & noſter D. Cyrillus ad citat. Ioannis locum, ait: *Chriſtus nobis eſt via per vitæ actionem, veritas, per fidei rectitudinem, vita per ſanctificationem.*

1.Petr.2. Ioan.7. *Vita exempla fortiſſimum motivũ ad alliciẽdum.* Ioan.14. D. Cypr. D.Cyril.

Cap.1.n.3. Quibus & præbuit ſeipſum vivum poſt paſſionem ſuam in multis argumentis per dies quadraginta apparens eis, & loquens de regno Dei.

N.4. Et conveſcens præcepit eis ab Ieroſolymis ne diſcederent, ſed expectarent promiſſionem Patris, quam audiſtis (inquit) per os meum. Quia Ioannes quidem baptiſavit aquâ, vos autem baptiſabimini Spiritu ſancto, non poſt multos hos dies.

VERSIONES.

Syrus n.3. Quibus oſtendit ſe etiam eis cum viveret, poſt quam paſſus eſt ſignis multis.

Græcus. Quibus ſe repræſentavit ex morte redivivum.

Arabic. Argumentis certis multis, eumque viderunt manifeſtum & ſermonem habentem.

Æthiopic. Se vivum poſt mortem, &c. confirmans eos in verbo.

Syrus n.4. Et cum comediſſet cum eis panem, quod audiſtis ex me.

Aliqui ex Græc. Cumque ſale comediſſent

Arabic. Cumque ſe collegiſſet cum eis in eodem loco.

Æthiopic. Et prandens cum eis.

Græcus. Converſans cum eis in eadem aula, ſeu hoſpitio

Pagnin. Vat. Congregans eos in idem loci.

Syrus n.5. Baptiſabimini in Spiritu ſãctitatis.

Arabic. Nõn poſt multos ab his diebus.

Æthiopic. Poſt modicum tempus, quod non fuit longum.

D.Hilar.lib.8.de Pri. Vos autem Spiritu ſancto tingemini.

Quidam apud Rab. Vos autem ungemini Spiritu ſancto.

EXPOSITIO II.

Vibus. Nempe ipſis Apoſtolis, quos elegit per Spiritum S. *Præbuit ſe ipſum vivum*, à morte reſuſcitatum, propria virtute, ut verus Deus, quâ & aſcendit in cœlum, in multis argumentis, id eſt per multas manifeſtationes, ac comprobationes, quibus confirmabat ſuam reſurrectionem, qualia fuerunt, tot ejus apparitiones, manducationes, locutiones, cicatrices, oſtendens eis eandem eſſe ſui corporis formam, ac effigiem, eandem eſſe ſuam vocem, eundemque modum actionum; unde diſcipuli apud Emmaüs cognoverunt eum in fractione panis, Luc.24.n.31. Aperiens illis ſenſus, ut intelligerent Scripturas. Ibidem n.45. multa coram eis operans miracula; januis clauſis ingrediẽs ad eos, & ſubito evaneſcens, Ioan.20.n.19. Cum eſſet in littore de improviſo paratus ignis, piſcis, & panis, Ioan.21.n.9. tot ac tantorum piſcium concluſio in rete. Ibid.n.11. nec hæc obſtant cum vera fide, quæ eſt omnibus certior cum ſit *argumentum non apparentium*, Rom.8.n.24. quia fuerunt quædam manuductiones, ac præparationes ad credendum, ut notant D. Ambroſ. *lib.1.de fide*, cap.5. D.Gregor. *homil.26.in Evangelia.* 19. Verſ.3. Luc.24. Ioan.20. Ioan.21. Rom.8. D.Ambr. D. Greg.

Per dies quadraginta, non continuè, ſed per vices, ac interpolativè: *Loquens de regno Dei*: nempe de ipſa cæleſti beatitudine, in qua Deus regnat per gloriam ſuam, quæ eſt ultimus finis hominis: *de regno Dei*: de ipſa Eccleſia militante, in qua Deus regnat per fidem. *Simile eſt regnum decem Virginibus*, Matth.20. Ac proinde *loquens de regno Dei*, de ipſa nempe Eccleſia militante, quoad prædicationem Evangelicam, ritus ac formas Sacramentorum, invocationem Sanctorum, ac ipſius Eccleſiæ gubernationem, & ordinationem; & inde ipſa Eccleſia militans, dicitur quædam inchoatio Eccleſiæ triumphantis, ac cæleſtis. 20.

Et conveſcens. Variæ ſunt lectiones in præſenti, ut dicam infra q.5. ſed retinenda eſt lectio noſtræ Vulgatæ cum D.Chryſoſt. Oecumen. Theophilacto: *Conveſcens*: Antequam Chriſtus aſcenderet in cœlum comedit cum ſuis diſcipulis, Luc.34.n.48. tum ad oſtendendam veritatem ſui corporis, tum in ſignum magnæ benevolentiæ, præcepit *ab Ieroſolymis ne diſcederent*: quia ibi tanquam in capite totius Regni erant adimplendi Spiritu ſancto, *ſed expectarent*, ut ita in eis magis excitaretur deſiderium advenientis Spiritus, *Promiſſionem Patris*, id eſt, Spiritum ſanctum promiſſum à Patre, *quem mittit Pater* 21. D.Chryſoſt. Oecum. Theoph. Luc.24.

in nomine meo. Ioan. 14. n. 16. modeſtiæ cauſa, vocat promiſſionem non ſuam, ſed Patris; ſicut & paſſim omnia opera ſua referebat ad Patrem; Quia Pater eſt primus fons & origo totius Trinitatis; & ad majorem energiam, & ad magis explanandum, ut notat Eſtius ponitur, *inquit*, & ſubditur *per os meum* hoc eſt ex me, ſeu ex ore meo, qui ſemper locutus ſum vobis vera.

Ioan. 14.

Eſtius.

22. *Quia Ioannes quidem baptiſavit aquâ*; ſolummodo, nam ejus baptiſmus non conferebat gratiam, ſed erat tantum, quædam diſpoſitio, ac præparatio ad illam. *Vos autem baptiſabimini Spiritu ſancto*; id eſt magnis ac extraordinariis illius donis, qualia hactenus non accepiſtis, ut inquiunt Oecumenius, Theophilact. Beda, Lyran. Caietan. Infuſionem autem Spiritus ſancti vocat baptiſmum, nempe myſticum, quia inſtar baptiſmi longè tamen excellentius ſanctificat, purgat, roborat, ac magnis donis replet animam. *Non poſt multos hos dies*; decimo ſcilicet ab hoc die, noluit Chriſtus tamen certum diem deſignare, ut ſemper eſſent vigilantes, ac parati; ut notat D. Chriſoſt.

Oecum. Theoph. Beda. Lyran. Caietan.

D Chryſoſt.

QUÆSTIO IV.

Quare Chriſtus D. per quadraginta dies apparet ſuis diſcipulis, & non per plures, nec pauciores.

23. Text. AIt Text. *per quadraginta dies apparens.* Quia tot dierum numerus ſufficiens fuit ad ſuos diſcipulos adfirmandos, ac inſtruendos de veritate ſuæ reſurrectionis, & ſuæ veræ carnis, de myſteriis fidei, ac de his, quæ pertinebant ad Eccleſiam Triumphantem, ac militantem, ut dixi in expoſitione. Cur vero præcisè tot dies?

24. *Quaternarius.* Apoc. 20. Reſpondeo primò. Nam hic numerus eſt maximè perfectus, & quadratus, cœleſtis Ieruſalem ob ſuam perfectionem, in quadro poſita eſt. Apocal. 20. n. 16. Iſteque numerus eſt valde ſacer, ac celebris, in Scriptura; ſacratuſque eſt jejunio Moyſis, Eliæ, ac Chriſti Domini.

25. Luc. 2. Secundò; Chriſtus D. poſt quadraginta dies à ſua nativitate, ſe præſentavit ſuo Æterno Parenti in templo Luc. 2. n. 1. præbens magnam conſolationem Sancto Simeoni; ſic ergo poſt reſurrectionem, quæ eſt altera nativitas, ſe præſentat ſuo æterno Parenti in cœlo, oſtendens ei pretium noſtræ redemptionis, ingerens ſuâ præſentiâ cœleſtibus ſpiritibus, eandem reverentiam, quam ſuo divino Parenti exhibuit in corpore mortali, eandem in corpore glorioſo oſtēdit.

Chriſtus magnam reverentiam Patri exhibet.

26. Exod 32 Tertiò. Ut figura correſpondeat figurato. Deus ſe præſentem exhibuit Moyſi per quadraginta dies, dans legem, & præcepta populo illi antiquo, Exod. 32. Decens ergo fuit ut Chriſtus D. verus Deus incarnatus in Sion totidem diebus cum Petro, ac cæteris Apoſtolis ageret, tanquam novis legiſlatoribus, eiſque legem Evangelicam traderet, ac explicaret, & ea, quæ ad ſuam Eccleſiam, ac gubernationem pertinebant, nec plures dies erant neceſſarij, cum eſſent ab Spiritu ſancto illuminandi, Ioan. 14.

Figuratiū figurato reſpōdet.

27. Ezech. 4. Quartò. Quadragenarius numerus maximè electus ad emundandum, ac purificandum, ſic ad emundationem Iſraëlis dicitur Ezechiel. cap. 4. n. 6. *Dormies ſuper latus tuum dexterum ſecundo, & aſſumes iniquitatem domus Iuda quadraginta diebus.* Sic Niniviris quadraginta dierum tempus datum eſt ad pœnitentiam, Ion. 3. n. 4. de quo latè D. Auguſt. tom. 9. tract. 17. ad cap. 5. Ioan. ſic & Chriſtus D. quadraginta dies deſignavit ad emundanda corda ſuorum diſcipulorum, quibus exprobravit incredulitatem, ac duritiem cordis, quia iis, qui viderant eum reſurrexiſſe, non crediderunt, Marc. 16. n. 14.

Ion. 3. D. Aug.

Mar. 16. 28. Gloſſa. *Quot horis Chriſtus morte fuit abſens, tot diebus præſens.*

Quintò, Gloſſa. Abſentiam quadraginta horarum, totidem dierum præſentia recompenſavit. Chriſtus expiravit in feria ſexta horâ nonâ; glorioſè reſurrexit in Aurora diei Dominicæ, proindeque à morte uſque ad reſurrectionem interjecerunt quadraginta horæ, quibus anima fuit in Inferno, ſeu ſinu Patrum: corpus autem tantummodo 36. horis jacuit; tranſactis tribus horis poſt mortem in ſepulchro poſitum eſt, ut tenet communis ſenſus Eccleſiæ, & docet D. Auguſtin. Dialog. ad Oroſium 65. quæſtionum q. 26.

D. Aug.

29. *Deus liberalior in conſolationibus, quā in pœnis infligendis.* Ecce quanto Deus ſit liberalior, ac largior in conſolationibus, ac gaudiis, quam in pœnis & deſolationibus, ac pœnis infligendis; nam pro 40. horis triſtitiæ, ac doloris ex Chriſti abſentia in ſua morte, largitus eſt diſcipulis quadraginta dies lætitiæ, & gaudii ex ſua præſentia; pro una hora doloris, unum integrum diem lætitiæ conceſſit. Hic videtur adimpletum, quod vaticinavit Iſaias 54. n. 7. *Ad punctum in modico dereliqui te, & in miſerationibus magnis congregabo te*; In modico, nempe tempore mortis dereliquit Chriſtus ſuos diſcipulos, at verò tempore reſurrectionis eos congregavit in Cœnaculo, ac monte Oliveti in magnis miſerationibus gaudiorū, ac conſolationum, ac cœleſtium donorum; ſic & Sapien. 3. n. 6. *In paucis vexati, in multis bene diſponentur*, & Paulus 2. Corinth. 4. n. 71. *Id quod eſt in præſenti momentaneum, & leve* (ſeu ut alij legunt breve) *tribulationis noſtræ, ſupra modum in ſublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis.*

Iſai. 54. Sap. 3 2. Cor. 4.

30. Ioan. 20. Valde mirum quod inter omnes (Virg. Maria excepta) Magdalena eſſet prima, quæ Chriſti præſentiâ reſuſcitati gauderet; quid habuit hæc mulier ut in tanto dono haberet primatum? Ipſa præ cæteris maximè doluit de corpore Chriſti non invento in ſepulchro, ut pro aliquo tempore in lachrymas prorumperet, ita ut ei diceretur: *Mulier quid ploras?* Ioan. 20. n. 13. Illa plus cæteris doluit, ac magnâ afflictionis anguſtiâ oppreſſa eſt effuſis lachrymis, inde prometuit ut eſſet prima in perenni, ac æterno reſurrectionis gaudio. Perbelle Divus Paſchaſius lib. 12. in Matthæ. *Breves mulieris lachrymæ ad ſe attraxerunt ut cito reſurrectionis gaudio exultaret.*

Breves lachrymæ primatum habent in perenni gaudio.

D. Paſch.

31. Luc. 7. Adhuc inhæreo Magdalenæ, quæ ingreſſa domum Phariſæi ſtans retro ſecus pedes Chriſti: *Lachrymis cœpit rigare pedes ejus.* Luc. 7. n. 38. & tunc ab ore Chriſti illud ſupremum beneficium & donum accepit: *remittuntur tibi peccata tua, vade in pace*; ibid. n. 48. hoc eſt cum lætitia, & gaudio, maximè notandum, quod non dicitur rigaſſe, fleviſſe, ſed quod *cœpit rigare*, ut ſuo loco notavi, ac ſi ipſa prima lachryma effuſa prometuiſſet ſempiternum donum, ac gaudium: *Remittuntur peccata tua, vade in pace*; S. Euchirus lib. 2. Reg. *Gutta lachrymarum cadit in terram, venia delictorum deſcendit de Cœlo.*

Vna læchryma gaudium ſempiternum impetrat.

S. Euch.

QUÆSTIO V.

Quare Chriſtus D. per quadraginta dies apparet ſuis diſcipulis, non verò per ipſoſmet dies, cùm eis ſemper aſſiſtit, & perſeverat.

PEr quadraginta dies apparet Chriſtus D. ſuis diſcipulis, non continuè, ſed interpolativè, ut ait D. Chryſoſt. *Non verſans cum hominibus ut ante mortem*, ſed multoties per hos quadraginta dies, à ſuis diſcipulis abſens erat. Ubi Chriſtus tunc adeſſet, inquirunt hic communiter expoſitores, hanc quæſtionem jam tractavi tom. 5. in Evangelia lib. 9. cap. 10.

32. D. Chryſoſt. *Vbi Chriſtus per quadraginta dies.*

cap. 10. de Aſcenſione Chriſti, q. 1. quod per hos dies frequenter agebat, ac converſabatur cum ſanctiſſima Virgine Maria, cum ſacro Parente Elia, & Moyſe, ac cum Sanctis Patribus, quos de inferno eduxerat.

33. Ad quæſtionem reſpondeo primò. Ut Chriſtus reſurrexit, non ſtatim aſcendit in cœlum, nec ſemper per ipſos quadraginta dies cum ſuis diſcipulis aſſiſtit, ſed aliquando eis præſens adeſt, aliquando ſit abſens, ut paulatim, ac ſenſim aſſuefiant ſuam abſentiam corporalem ſuſtinere; ſuavis eſt modus agendi, dum non ſubito, ſed ſenſim res diſponitur. Vide multa in meis libris. Verb. Paulatim.

Paulatim agend.

34. Oecum. Secundò. Oecumenius; ſic ait. *Per dies quadraginta; non dixit in diebus quadraginta: neque enim continuè, cum diſcipulis verſabatur, quemadmodum ante paſſionem, ſed differenti modo: ſimul quidem, & deſiderabiliorem eis reddens ſuam apparitionem: ſimul quoque, & ſublimiorem, magiſque divinum ſe ipſum oſtendens*; in quibus duas rationes nobis aſſignat magnus Pater. *Simul quidem, & deſiderabiliorem eis reddens ſuam apparitionem.* Magna, ac valde delectabilia, quæ aliquando à nobis ſeparantur, ac removentur, vehementiſſimum ſui deſiderium in nobis excitant, quod etiam dixit D. Iuſtin. q. 84. ad Orthod. *Ut ſuorum deſiderium magis acueret.*

Abſentia dilecti maximè deſiderii ſui excitat.

D. Iuſtin.

35. Oecum. Tertiò, expende præclaram Patris rationem. *Simul quoque, & ſublimiorem, magiſque divinum ſe ipſum oſtendens.* Si per ipſos quadraginta dies perenniter cum diſcipulis ageret, inde ipſa continua familiaritate minus venerandus haberetur; At verò cum modò ſe eorum oculis objicit, modoque ab eorum conſpectu ſe removet, inde fit, ut reſurgentis gloria ipsâ abſentiâ magis æſtimetur, magis ſublimior, ac excelſior videatur. *Simul quoque & ſublimiorem, magiſque divinum ſe ipſum oſtendens.* Ac ſic non tã divinus, ac ſublimis judicaretur, ſi in illa glorioſi corporis forma *continuè cum diſcipulis eſſet converſatus.* Receſſus, ac abſentia auctoritatem comparat; familiaris aſſiſtentia ipſam reverentiam minuit: ex ſeparatione multam venerationem conciliat majeſtas, quam familiaris conjunctio diluit, ac corrodit.

Ex abſentia reverentia, quam frequẽs præſentia minuit.

36. Cum Moyſes multam moram faceret in monte, tunc congregatus populus Iſraëliticus clamat ad Aaron dicens. *Surge fac nobis Deos, qui nos præcedant: Moyſi enim huic viro, qui nos eduxit de terra Ægypti, ignoramus quid acciderit*; Exod. 32. n. 1. Valde inconſequens hæc poſtulatio, pro Moyſe abſente, qui eos eduxit de Ægypto, quærunt ducem, & ductorem, & ad hoc poſtulant *Deos, qui nos præcedant.* Moyſes quidam erat homo inter eos natus, pro ejus abſentia alius homo, qui eſſet dux, & princeps erat poſtulandus, ad quid non hominem, ſed Deos flagitant, & non unum Deum, ſed multos Deos; *fac nobis Deos.* Abulen. q. 8. *Nullus talis ut Moyſes videbatur inveniendus, viſum ergo fuit eis quod nullum ſufficientem directorem habere poterant, niſi Deus eſſet.* Quandiu Moyſes erat inter eos multum deſpectui habebatur, ut frequenter obmurmurant, contraque eum ſe volebant erigere, imò & lapidare; at vero cum ab eis abſens, & ſeperatus in monte moras trahit, ex ipſo receſſuac longiori diſtantia, tam ſublimis, & excelſus reputatur, ut eius abſentia, ac adminiſtratio, non per hominem, ſed per Deum, & non unum Deum, ſed per plures ſuppleri poſſit; *nullum ſufficientem ductorem habere poterant, niſi Deus eſſet*; ex abſentia auguſtior majeſtas, quam frequens præſentia maximè deprimit.

Exod 32.

Abſentia reverentiam, præſentia contemptum cõciliat.

Abulenſ.

37. Maximè ponderatione dignum, quod naſcens Chriſtus in Bethleem, donis oblatis adoratur à Paſtoribus, veneratur à Magis apertis theſauris ſuis; veniens verò in Nazareth patriam ſuam, ibi contemnitur, ac minus habetur, ita ut dicerent: *Vnde huic ſapientia hæc & virtutes; Nonne, hic eſt filius Fabri? Nonne mater ejus dicitur Maria; & ſorores ejus apud nos ſunt.* Matth. 13. n. 55. Unde tanta diſquiparantia? Loquens Propheta Mich. 5. n. 2. ut refert D. Matth. 2. n. 6. ait: *Et tu Bethleem terra Iuda, nequaquam minima es in principibus Iuda; ex te exiet dux, qui regat populum meum Iſrael*: ad quæ verba appoſitè Theophylactus ſcribit, *ex te enim egreſſus eſt dux: Rectè egreſſus eſt, inquit, non in te manebit. Non enim manſit Chriſtus in Bethleem, ſed ex ea poſtquam natus eſt, exiit, & in Nazareth frequenter conſervatus eſt*: Ecce tota ratio differentiæ, etſi natus fuit in Bethleem; *non ibi manſit Chriſtus: ſed ex ea poſtquam natus exiit.* Poſtquam natus eſt parvam moram traxit, ſed confeſtim egreſſus eſt. *At in Nazareth frequenter converſatus eſt.* In Bethleem, ubi parva mora, tanquam pertranſiens Chriſtus erat, ibi maximè reſplendores divinitatis reverebantur, illiuſque majeſtas recolitur; At vero in Nazareth frequenter verſans civium vitio contemnitur, & debitus honor deperit, & corroditur: ideo ait Theophylactus ad citatum locum, Math. 13. *Conſuevimus, ea contemnere, quæ valde familiaria ſunt: ſemper magis attendentes alienis, & inſolitis.* Idem ferè ait D. Thomas ad cap. 40. Ioan Vide quæ dixi tom. 2. in Evang. cap. 10. q. 7. n. 44. & tom. 3. cap. 40. q. 8. circa hos quadraginta dies aliam rationem dabo quæſtione ſequenti.

Mich. 5. Math. 2.

Math. 13. Theoph.

Parva præſentia veneratiõnem adducit, quã diuturna diminuit.

Theoph.

QUÆSTIO VI.

Qualis fuit hæc Chriſti D. comeſtio.

38. At Text. *Et conveſcens præcepit eis.* Circa quæ verba variæ ſunt lectiones, nam multi ex Græco legunt, *In ſale communicans*, ut etiam legunt Theophylact. Oecumen. Sal in menſa apponebatur, & cum eo panis comedebatur, Eſdræ. 1. cap. 4. n. 14. *Memores ſalis, quod in palatio comedimus.* Sal ſymbolum fœderis, ac amiciriæ eſt, Levit. 2. n. 13. Circa quod multa hîc congerunt doctè Lorinus, ac Cornel. Alii, ut Eraſmus, Caietan. *Commorans, ſeu congregans.* D. Auguſt. lib. cont. Ep. Fund. cap. 9. *Converſatus eſt.* Æthiopicus, *prandens cum eis*; Syrus, *cum comedeſſet cum eis.* At noſtra vulgata habet *conveſcens*; ac ita legunt D. Chryſoſt. Euthym D. Hier. Beda, D. Auguſt. & omnes codices Latini.

Theoph. Oecum. Eſdr. 1. cap. 4. Levit. Lorin. Cornel. Eraſm. Caietan. Æthiop. Syrus.

39. Qualis fuit hæc Chriſti comeſtio hic inquiritur. Actor de mirabilibus ſacræ Scripturæ lib. 3. cap. 14. apud D. Auguſt. & Durand. q. 3. diſt. 2. putat non fuiſſe veram comeſtionem, ſed apparentem, qualis fuit Raphaëlis Tobiæ 12. n. 19. dicentis: *Videbar quidem vobiſcum manducare, & bibere, ſed ego cibo inviſibili, & potu, qui ab hominibus videri non poteſt, utor.* Hæc comeſtio, ſicut & Angelorum apud Abraham, Gen. 18. non fuit vera, & realis; Quia vera comeſtio eſt actio vitalis, & fit ab anima informante corpus, cujus vi trajicitur cibus in ſtomachum, ſed fuit extrinſeca, & apparens comeſtio facta in corpore aëreo, quæ in aërem convertebatur.

Qualis comeſtio. D. Aug. Durand. Tob 2. Gen. 18.

40. At Chriſti reſuſcitati comeſtio fuit vera & realis, ſicut ejus locutio, auditio, viſio, inſufflatio in Apoſtolos, fractio panis: nam Chriſtus poſt reſurrectionem, aſſumpſit verum corpus, quod ab anima verè, ut antea informabatur, indeque tales actiones Chriſti fuerunt veræ, & vitales; ſicut & comeſtio, nam Chriſtus habebat verum corpus, verum os, ac dentes, verumque ſtomachum, in quem cibus trajiciebatur, non tamen convertebatur in corpus Chriſti, nam corpus glorioſum, nec ali, nec creſcere, aut decreſcere poteſt; eſt enim impaſſibile, & inalterabile,

Chriſti comeſtio vera, & realis.

D. Aug. bile, nam ut ait Auguſt.epiſtol 49. q.1. & ex eo Beda: *Aliter aquam abſorbet terra ſitiens, aliter Solis radius cadens: Illa indigentiâ, iſte potentiâ.* Ille ergo cibus, qui à Chriſto ſumebatur, vel ejus divina virtute annihilabatur, vel in aërem convertebatur; ita Suarez. Suarez tom.1. ad 3. diſp.47. ſect.5.

QVÆSTIO VII.

Quare Chriſtus D. antequam aſcenderet in cœlum comedit cum ſuis diſcipulis?

41. COnveſcens, ſeu ut habet Æthiopicus *prandens*; Chriſtus in Cœnaculo comedit, ſeu prandium fecit cum ſuis diſcipulis, quod frequenter fit meridiano tempore, tunc duxit ſuos diſcipulos in montem Oliveti, & in hujus rei memoriam, illa hora, quæ eſt à meridiano, uſque ad primam ſequentem in die Aſcenſionis, in multis partibus, ac in toto hoc regno Portugaliæ, & ejus ditionibus maximè recolitur, & veneratur muſicorum cantu, ac multo luminum apparatu.

Qua hora Chriſtus aſcendit.

42. Cur autem antequam aſcenderet in cœlum comedit? Inquirit præſens quæſtio. Reſpondet, primo D. Chryſoſt. Chryſoſt. *Ne ipſum ſpectrum, & phantaſma putarent.* Secundo, Chriſtus D. antequam aſcenderet, ſuos reprehendit: *exprobravit incredulitatem eorum.* Marc. Marc.16. 16. Comedere autem ſignum eſt eximiæ benevolentiæ, ac amicitiæ. *Homo unanimis, dux meus, & notus meus, qui ſimul mecum dulces capiebas cibos.* Pſal 54. n.14. Rigorem ergo reprehenſionis tantæ benevolentiæ, ac amicitiæ ſignis voluit Chriſtus mitigare, ac commiſcere; pro quo vide multa, verb. Benignitas.

Rigor cum benignitate mitigandus.

43. Tertiò. Chriſt. D. per quadraginta dies, & noctes abſtinentia eum ſeparavit ab hominum cõſortio jejunans. Math. 4. n.2. totidem ad numerum dies poſt reſurrectionem, cum hominibus converſatur, & manducat, *per quadraginta dies, apparens, & conveſcens*; quod notavit D. Hilar. cant.3. in Matth. ubi de tentatore ſic loquitur: *Licet eſurientem videret, quadraginta tamen dierum in eo jejunium pertimeſcebat, qua rerum ratione, indicat poſt quadraginta dierum converſationem, quibus poſt paſſionem in ſæculo erat commoraturus, eſuritionem ſe humanæ ſalutis habituram, quo in tempore expectatum Deo Patri munus, hominem, quem aſſumpſerat, reportavit.* Chriſtus cum eſſet in mortali corpore abſtinentia quadraginta dierum eum ſequeſtravit ab hominum conſortio, totidem vero dies poſt reſurrectionem recompenſat converſans, & manducans cum hominibus; & ſi cum adhuc inortalis eſſet exiſtens, abſtinentia quadraginta dierum non manducans, nec bibens eum quodammodo immortalem indicabat, nunc verò reſurrectione immortalis jam, tamen manducans & bibens, ſe mortalem ſimulat; O quantus Dei amor, ſic ſe contrahit, ac dimittit hominibus, ut homines ad ſe alliciat ac trahat; ſic ipſe Dominus de ſe erga bonos ſervos; *cum venerit Dominus, invenerit vigilantes: amen dico vobis, quod præcinget ſe, & faciet illos diſcumbere, & tranſiens miniſtrabit illis*; Luc.12. num.37.

Math.4.

Chriſtus ſe contrahit pro hominum ſalute.

Luc.12.

44. Quartò, expende mentem D. Hilar. citati: *Quibus poſt paſſionem in ſæculo erat commoraturus, eſuritionem ſe humanæ ſalutis habituram*; maximè ponderatione dignum; cur Chriſtus D. poſt reſurrectionem cum ſuis diſcipulis manducat, ac de cibo agit ſic in præſenti *conveſcens præcepit eis.* Ioan.21. n.5. *Pueri, nunquid pulmentum habetis.* Et Luc.24. n.42. *Obtulerunt illi partem piſcis aſſi, & favum mellis*, & iterum Luc.24.n.35. *Cognoverunt eum in fractione panis.* Ad quid cum immortali vita (qua nec cibo, nec potu utitur, nec indiget) tanta eſcarum repetitio? ſub illa metaphora, ac affectu temporalis comeſtionis, cujus expers erat, indicabat eſuritionem ac deſiderium humanæ ſalutis, quo æſtuabat: *Quibus eſuritionem humanæ ſalutis habituram.* Unde ipſe Dominus ait apud Joannem 4. n.34. *Meus cibus eſt, ut faciam voluntatem Patris mei.* Ioan 4.

D. Hilar.

Chriſtus eſurit hominum ſalutem.

45. Quintò. Abiturus Chriſtus facit hoc convivium cum diſcipulis ſuis, ut per typum, & figuram daret quandam prælibationem cœleſtis convivii, juxta illud, quod ipſe dixit Luc. 22. n.29. *Ecce ego diſpono vobis regnum, ut edatis, & bibatis ſuper menſam meam in regno meo*: Nam ſicut terrenus Rex ſuis Principibus familiariſſimis in ſignum ſuæ benevolentiæ eis concedit ſuæ menſæ communionem; ſic Chriſtus ſuum declarans amorem erga ſuos diſcipulos, ac Principes, eos facit participes ſuæ menſæ, ut ſub hac metaphora explicetur illius ineffabilis ſupremæ celſitudinis dulcedo, ac magnitudo, ut ex Tito Boſtren. Euthym. Theophylacto notavi tom.5. in Evangelia lib.7. cap.8. q.6. n.40.

Cœleſtis Beatitudo hoc exprimitur. Luc.22.

Boſtren.

46. Sextò, multi graves Doctores hoc Chriſti convivium referunt ad cœleſte poculum divinæ Euchariſtiæ, quam Chriſtus in hoc ultimo vale, cum ſuis diſcipulis communicavit, ut dolor de ejus abſentia mitigaretur, & ut eos in ſpe cœleſtium donorum firmaret, & in adverſis corroboraret, ſuoque exemplo inſtruerentur, quod enutriri hoc cœleſti pabulo, ſtatim in cœlum feruntur & volant. Richardus Victorinus lib.1. de Emmanuele cap.16. ſic fatur: *Attendite quod dicitur conveſcens præcepit eis ab Ieroſolymis ne diſcederent*, & paucis interjectis additur, *videntibus illis elevatus eſt. Ecce quia comedit, aſcendit*; ut tanto documento nobis inſinuaret, quod qui hoc cœleſti pabulo paſcuntur, ſtatim cœlum penetrant: Ecce quia comedit, aſcendit.

Euchariſtiâ elevantur homines in cœlum. Richard.

47. Frequenter in ſacra Scriptura homines reptilibus comparantur, quæ ſunt animalia, quæ toto corpore gradiuntur ſuper terram. Ezech.8. n.10. *Ecce omnis ſimilitudo reptilium.* Oſeæ 2. n.18. *Et percutiam fœdus in die illa cum beſtia agri, & reptili terræ.* Et tamen à Chriſto D. homines vocantur aquilæ: *Ubicumque fuerit corpus, illic congregabuntur & aquilæ.* Matth.24. n.28. Unde tanta diſquiparantia. Si homines comparantur cum reptilibus, quomodo aquilæ dicuntur? Etſi homines tamquam reptilia degant ſuper terram, tamen, cum Chriſti odore ad ſacratiſſimum ejus corpus accedunt tamquam velociſſimæ aquilæ terram relinquentes, in ſublime, ac cœlum volant. D. Chryſoſtom. homil.24. in 1. ad Corinth. ſic ait: *Ad hoc nos induxit ad ſacrificium illud formidandum, & admirable, quod jubet nobis, ut aquilæ in hac vita ad ipſum evolemus, vel potius ſuper cœlum; ubi enim, inquit, cadaver, illic aquilæ.*

Ezech. 8. Oſeæ. 2.

Math.24.

Odore corporis Chriſti homines in cœlum ut aquilæ evolant. D. Chryſoſt.

48. Septimò. Guillelmus apud Titelm. in allegor. ponderat præſentem Textum: *Conveſcens præcipit eis, ut expectarent promiſſionem Patris, baptiſabimini Spiritu ſancto*, tunc ſic ait citatus Guillelmus: *Effudit enim de Spiritu ſuo ſuper omnem carnem, poſtquam remeavit ad Patrem, neſcio an carne, an ſpiritu magis prodigus, ne quos caro ſatiaverat, ſpiritu inebriaret.* Conveſcens Chriſtus cum diſcipulis ſuis, ſtatim omnia dona in eis accumulavit, promiſſionem Patris, Spiritum ſanctum, quod connexum habuit illud convivium cum tanta Dei largitate, exhibita fuit in illo convivio Chriſti caro, inde tanquam in pignore, omnem Dei amplitudinem, ac ipſum divinum Spiritum cum omnibus ſuis donis illis conceſſit. *Ut quos caro ſatiaverat, ſpiritu inebriaret.*

Guillel.

Caro Chriſti pignus omnium donorum.

Ait

49. Ait divina Sponſa: *Oſculetur me oſculo oris ſui, quia meliora ſunt ubera tua vino, fragrantia unguentis optimis.* Cantic. 1. n. 1. Tantum Dei labia felix anima cupit attingere, agnoſcens Dei ubera eſſe omnium donorum unguentis pretioſiora; cur non poſtulat ipſa Dei ubera totis, & tantis donis redundantia, cur ſolum labia deſiderat, & tantùm, ut illa attingat. Agnoſcebat bona Dei amatrix, quod ſi aliquid Dei, etiam leviſſimum illius carnis tactum habeat, ſtatim Deum ipſum, tota cum plenitudine donorum accipiet. D. Ambroſ. lib. de Iſaac, & anima cap. 3. ait: *Illa oſculum poſcit, Deus verbum ſe ei totum infundit, & nudavit ei ubera ſua.* Illa aliquid de Deo poſtulat; quo obtento, licet tantillum ſit, ſtatim totum Deum habebit: *Deus verbum ſe ei totum infundit, & nudavit ei ubera*, ut de illis bibat, & inebrietur.

Cant. 1. — *Qui aliquid de Deo habet, totum Deum habet.* — D. Ambr.

QUESTIO VIII.

Quare potius Ieroſolyma, quam alius locus, deſignantur à Chriſto D. ad adventum Spiritus ſancti.

50. TExtus: præcipit Chriſtus *ſuis diſcipulis ab Ieroſolymis ne diſcederent*, ſed ibi expectarent adventum Spiritus S. cur hæc civitas præ quocumque alio loco ad tantum adventum eligitur? Prima ratio; quia ſic erat prædictum in Prophetis Iſai. 2. n. 3. *De Sion exibit lex, verbum Domini de Ieruſalem.* Spiritu S. adveniente Apoſtoli ipſo repleti ſtatim cœperunt prædicare legem Evangelicam in Ieruſalem, & in toto Orbe.

Iſai. 2.

51. Secundò. Ieruſalem erat caput totius regni, ex illaque dimanabant leges in cæteras regni partes tanquam in ſua membra, inde conveniens fuit, ut Apoſtoli Spiritu Sancto afflati inciperent ibi prædicationem Evangelicam, quæ divulganda erat per totum Orbem, & cum Ieruſalem eſſet præclara Civitas caput totius regni, ad illam confluebant omnes gentes, quæ ſub cœlo ſunt. Inde divina Providentia factum eſt, ut eſſent teſtes ipſius prædicationis Evangelicæ, illiuſque magni miraculi, quod prædicantibus Apoſtolis in Hebræo audiebat eos *unuſquiſque lingua ſua loquentes magnalia Dei.*

A Ieruſalem tanquam à capite incepit prædicatio Evangelica.

52. Tertiò. In Ieruſalem vaticinati ſunt frequenter Prophetæ, ad illam que dirigebant ſuum ſermonem, in ea Chriſtus D. docuit, elegit Apoſtolos, eoſque miſit prædicare, ſuamque Eccleſiam fundavit, ac inſtituit; inde conveniens fuit, ut ibi adveniret D. Spiritus Apoſtolos illuminans in Chriſti doctrina, vaticiniis Prophetarum, ac prædicatione Evangelica, ad quam ipſe Spiritus eos erat docturus per totum Orbem, ipſamque Eccleſiam in toto mundo firmavit, ac corroboravit.

Vbi Chriſti doctrina, ibi advenit Spiritus ſanctus.

53. Quartò. Ieruſalem interpretatur *Viſio pacis*, inde ibi advenit Spiritus ſanctus, quia ipſo adveniente pax Chriſtiana videnda, & agnoſcenda foret, in toto Orbe, quem Rex noſter Chriſtus Ieſus Princeps pacis attulit toto mundo, *faciens utraque unum.*

54. Quintò. D. Leo ſerm. de Paſſ. notat, quod Bethlehem locus parvulus eligitur ad nativitatem, Ieruſalem, Civitas magna ad paſſionem; nam gloriam ſuam qua radiavit in præſepio voluit abſcondere, ignominias paſſionis maximè publicare, & manifeſtare, inde alto conſilio Æterni Patris mittitur D. Spiritus in Ieruſalem, ut ingentem gloriam ac celſitudinem Chriſti D. declaret, ac manifeſtet; ait Chriſtus D. Ioan. 14. n. 26. *Paraclitus autem Spiritus ſanctus, quem mittet Pater in nomine meo.* Illud *in nomine meo.* Gloſſa *in laude mea*, ubi præceſſit ignominia, ibi Spiritus divinus in laude Chriſti.

D. Leo. — *Chriſtus manifeſtat ignominias, Pater declarat ejus gloriam.* — Ioan. 14. Gloſſa.

Sextò. Ieruſalem civitas erat valde celebris in mundo ſua magnitudine, & amplitudine, civium multitudine, ac frequentia omnium nationum, admirabili templi ſtructura, ædificiorum innumerabili multitudine, turrium altitudine, murorum latitudine, magnaque divitiarum opulentia; in hæc ergo civitate deſcendit Spiritus ſanctus, quo repleti ſacri Apoſtoli omnia iſta temporalia contemnunt, omneſque eorum Principes, ac Magiſtratus parvi pendent, magnoque animi robore reſiſtunt, cum enim divina, ac cœleſtia apparent, ſtatim omnia terrena, diſparent, ac pro nihilo habentur; dicitur Pſal. 36. n. 35. *Vidi impium ſuperexaltatum, & elevatum ſicut cedros Libani, & tranſivi, & ecce non erat.* Quo tranſivit David, ut tam cito, tot amplitudines, ad nihilum redigerentur? tranſivit mente ad contemplandam Dei gloriam, & ut mente etiam à longè illam præcepit, omnia mundialia, & ſi magna videantur, ſtatim evaneſcunt, ac ſi nihil eſſent, habentur. Elias Cretenſ. orat. 3. Nazianz. ſic ait: *Quid illud eſt, quod tranſit juſtus, ut iſta ceſſet elatio? cum videmus extolli impios, & in nimiam ſuperbiam creſcere, tranſeamus, & nos mente, & intellectu ab iis, quæ videntur, & temporalia ſunt, & transferamus intellectum noſtrum ad æterna, & tunc omnis mundialis altitudo corruit tanquam in nihilum.*

55. *Temporalia diſparent Dei gloria apparente.* — Pſal. 36 — Cretenſ.

57. Septimò. Valde mirum eſt, quod parvulus grex Chriſti cogatur ab Ieroſolymis non diſcedere, ubi tanta rabies Iudæorum erat in eos. Cur Domine non magis times gregi tuo in Ieroſolyma? Non ne ibi flagellatus, ac crucifixus fuiſti? Ea tamen erat Chriſti gloria, ac potentia, quod in loco adeo ſibi infenſo, ibi ſui nominis vexillum triumphale erigeret, & inimicorum tyrannidem ſopiret. Theophylact. hic, & ait: *Apud illos ipſos, qui cædem fecerant, qui crucifixerant, qui ſepeliverant, in ipſa urbe, in qua nefarium facinus committere auſi fuerunt argumenta, ac ſigna proferunt, quæ non poterant refelli.* Valde glorioſum eſt Deo in loco hoſtili, in quo tot acceperat injurias, ſplendidam ſuam virtutem magno trophæo oſtentare.

Dei gloria ibi de hoſtibus triumphat, ubi injurias accepit. — Theoph.

58. Plagam magnã minatur Deus Iſraël ob ſuam idololatriam per Ierem. 19. n. 15. *Sic conteram populum iſtum, & civitatem iſtam, ſicut conteritur vas figuli, quod non poteſt ultra inſtaurari, & in Topheth ſepelientur.* Maximè notandum ſignate dici, quod in Topheth altaria erigebant idolis Iſraëlitæ; ibi Dei poteſtatem contemnebant, ibi Moloch ſacrificabant filios ſuos, inde ut rectè ponderat M. Didacus de Baëza lib. 18. de Chriſto figurato §. 32. Non timet ſibi Deus à loco tam infenſo, ſed eo ipſo invadet hoſtes ſuos, quibus occiſis, glorioſum erigit ſibi inſigne triumphi.

Ierem. 19. — *Vbi Dei offenſa ibi eius victoria.* — Baëza.

59. De Chriſto D. ait Regius Vates, Pſalm. 67. n. 5. *Qui aſcendit ſuper occaſum Dominus nomen illi.* In occaſu potius eſt deſcenſus, quam aſcenſus, quis ergo potuit per occaſum aſcendere? niſi ſolus Dominus Ieſus, quia per occaſum, ac defectionem quam ſibi inimici intulerunt; inde magis ſuas glorias oſtentavit, ſuum nomen exaltavit, ac ſuæ divinæ virtutis trophæa erexit; ſic Beda ad cap. 5. Lucæ: *Super occaſum quippe Dominus aſcendit, quia ubi in paſſione occubuit, inde majorem ſui gloriam reſurgendo manifeſtavit.*

Pſal. 67. — *Ex morte Chriſti maior victoria ſplendor.* — Beda.

* * *

QUÆSTIO IX.

Quare divinus Spiritus dicitur promissus à Patre, non vero ab ipsomet Christo Domino?

60. AIt, præcepit suis discipulis *ut expectarẽt promissionem Patris*, & statim quæritur ubi Pater hoc promisit; Euthymius, Theophylactus, ad caput ultimum Lucæ docent hanc promissionem factam fuisse à Patre in Scriptura Isai. 44. n. 3. effundam spiritum meum *super semen tuum*. Ioël. 2. n. 28. *Effundam spiritum meum super omnem carnem, & prophetabunt filij vestri, & filiæ vestræ*, ut exponit D. Petrus Actor. 2. n. 28.

Euthym. Theoph.

Spiritus promissus.

Isai 44. Ioel. 2.

61. Secundo. Quamvis ipse divinus Spiritus, à Patre, & Filio ejus Jesu Christo sit promissus ut, ipse ait: *Cum autem venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis, Spiritum veritatis.* Ioan. 15. n. 26. Tamen Christus D. modestiæ causa, vocat eum, non promissionem suam, sed Patris, sicut apud Ioann. 14. n. 16. vocat eum non donum suum, sed Patris; *ego rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis*; & iterum n. 26. *Paraclitus autem Spiritus, quem mittet Pater in nomine meo.* Pater enim est primus fons, ac origo totius Trinitatis; ab eo enim habet filius suam communicatam divinitatem, & consequenter vim spirandi, ut scilicet cum Patre spiret, & producat Spiritum sanctum. Deinde Christus D. omnia sua semper ad Patrem refert? ut constat ex Ioan. 14. 15. 16. 17.

Ioan. 15.

Ioan. 14.

62. Tertiò. Oecumenius sic fatur in præsenti. Expectarent promissionem Patris, *& ubi Pater promisit? dicimus ergo quod per defectum oportet hoc dictum intelligi, ut subaudiatur propositio, sitque sensus; expectarent à Patre promissionem.* O magnæ spei vires! Idemque est, *expectare promissionem Patris, ac à Patre promissionem expectare.* Qui expectat Patris promissionem, non promissionem ipsam, sed rem promissam expectare putatur; qui autem à Patre promissionem expectat, non tam rem ipsam promissam, quam promissionem expectare censetur, nam tanta animositate fertur spes ad obtinendam rem promissam à Patre, ac ad impetrandam promissionem à Patre, ac si ipsa promissio idem valeat, ac res jam obtenta & possessa; tanta spes fiduciâ divinæ beneficentiæ animatur, ut idem reputet assequi gratiam promissam, ac illius promissionem, *expectare promissionem Patris, sitque sensus, expectare à Patre promissionem.*

Qui expectat promissionem à Patre iam inducit.

63. Apocalip. 4. n. 4. ostenditur Ioann. thronus Dei, in cujus circuitu erant *viginti quatuor seniores, circumamicti vestimentis albis, & in capitibus coronæ aureæ.* Per hos seniores denotantur Sancti, qui in hoc mundo, indefesse adstant Deo, servientes inter multa certamina, ac adversa; illud tamen maxime ponderandum, quod corona non datur, nisi post finitum certamen, ac hujus vitæ militiam; quomodo ergo illi, qui adhuc militabant, jam coronantur. Richard. Victor. lib. 2. in Apocalip. p. 2. cap. 1. ait: *In capitibus habent coronas, in mundo, sperando, in cœlo possidendo gloriam.* Et si Sancti in patria erant habituri coronas, cùm illas à Deo sperarent jam in hac vita, quasi in capitibus positas habebant.

Apoc. 4.

Id quod à Deo speratur, est tanquam in possessione.

Richard

64. Ait Apostolus ad Rom. 12. n. 12. *Solicitudine non pigri: Spiritu ferventes Domino servientes spe gaudentes, in tribulatione patientes, orationi instantes.* Videbat Apostolus suos discipulos undique inimicorum exercitu circundatos, tribulationibus, carceribus, flagellis oppressos, his admonet, ut sint patientes, spiritu ferventes, domino servientes, orationi instantes, *spe gaudentes*; inter tot, ac tantas tribulationes poterunt habere gaudium; nam gaudium transactis laboribus advenit, quomodo ergo habebunt gaudium? maximè in spe; gaudium enim cœlestis patriæ jam in hac vita gustatur, & de illo participatur.

QUÆSTIO X.

Quare Christus hic promittit suis Apostolis baptisandos esse ab Spiritu sancto.

65. MUlti Authores multa hic congerunt circa baptismum: hodie communis sententia tenet, Baptismum institutum fuisse à Christo D. ante suam mortem, Matth. 3. n. 13. Ioan. 3. n. 3. Ut docent communiter Doctores cum D. Thom. 3. p. q. 66. art. 2. Post resurrectionem vero ab ipso Domino magis est explicatus, ac declaratus, *præcipiens gentes baptisari in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti.* Matth. ultimo. Postea vero in die Pentecostes à D. Petro Actorum 2. n. 38. est promulgatus, ut necessarius ad remissionem peccatorum.

Matth. 3. D. Tho.

Matth. 26 Actor. 2.

66. Evodius primus post Petrum Episcopus Antiochenus in Epistola, cujus titulus est *Lux*, docet Christũ D. baptisavisse D. Petrum, Andræam, ac filios Zebedæi & hi baptizaverunt alios Apostolos ut etiam tenent Clemens Alexandrinus, D. August. D. Greg. & quod Christus baptisaverit Ioannem baptisantem, affirmant Clemens Roman. Nazianz. Chromat. D. Hieron. D. Thomas, noster Beauxan, & idem dicunt de Beata Virg. Euthym. Albertus, Turrecremata, Lindan. Canis. Nicephor. Bellarm. omnes isti apud Lorin. in præsenti; nec obstat, quod Ioan. dicat 4. n. 2. Iesum non *baptisavisse*; hoc est vulgariter, & communiter, nam hoc faciebat per discipulos suos.

Qui sunt baptisati à Christo.

Evodius. Ioan. 4. Lorin.

67. Quod maximè inquirendum est in præsenti, cur infusio Spiritus sancti dicitur baptismus? ad quod respondet primo D. Cyril. Hieron. Catecheſi 17. & ait: *ut enim is, qui aquâ mergitur, & baptisatur, undique ab aquis circundatur, sic & illi à Spiritu baptisati sunt perfectè.* Qui baptisatur, mergitur in aquis, & ab illis absorbetur, ac circundatur; sic super quem descẽdit Spiritus sanctus, totus mergitur, absorbetur, & circundatur ab ipsius donis, ut jam nihil in eo temporale, sed totum spirituale, quod totis viribus quærit & intendit ille,

D. Cyril. *Totus homo donis Spiritus repletur.*

68. Secundò, & maximè ad literam, infusio Spiritus sancti dicitur baptismus sumpta metaphora ab ipso baptismo, qui sicut exterius mundat corpus, absterguque illius maculas, sic multo sublimius Spiritus sanctus adveniens, illuminat, & sanctificat animam, & illam in divino amore incendit, ex quo patet, quanto hæc infusio distet à Ioannis baptismo, ut ipsemet dixit, Math. 3. n. 11. *Ego quidem baptiso vos in aqua in pœnitentiam, qui autem post me venturus est, fortior me est, cuius non sum dignus, calceamenta portare, ipse vos baptisabit in Spiritu sancto, & igne.* Ego, ait, tanquam homo exterius baptiso vos aquâ tanquam per dispositionem, ac præparationem ad pœnitentiam, ille vero ut fortior, ac potentior me utpote verus Deus, *baptisabit Spiritu sancto*: suis nempe donis, mundans vos à peccatis, replens anima gratiâ, ac sanctitate; *& igne*, vos illuminans, purificans, ac inflammans ad cœlestia, & comburens, quidquid est terrenum consumens, ita D. Hier. Chrysost. Euthym. D. Thomas.

Infusio divini Spiritus baptismus.

Math. 3.

D. Hier. D. Chrysost. Euthym. D Tho.

69. Clamat Regius Vates Psal. 54. n. 7. *Quis dabit mihi pennas sicut columbæ.* Affectabat magno desiderio à carnalibus cupiditatibus, ac laqueis evolari; cur non postulat alas aquilæ, quæ velociſſimæ sunt

Psa. 54

inter

Conculcare terrena à Spiritu Dei. D.Ambr.

inter cætera volatilia. Unde magni milites ut velociores aquilæ comparantur, 2.Reg.2.ſed tantum alas columbæ deſiderat; columba adumbrat divinum Spiritum, à quo ſolum venit ut carnalia ſuperentur, ac contemnantur. D.Ambroſ.lib.1. de Virg. ſic monet: *Sume igitur alas Virgo, ſed Spiritus, ut pervoles vitia, ſi contingere cupis Chriſtum,* expende quas alas cupit ſumere, Spiritus nempe, ad hoc, *ut pervoles vitia.*

70. Iſai. 41.

Ait Iſaias 42.n.5. *Hæc dicit Dominus Deus creans cœlos, firmans terram, & quæ germinant ex ea, dans flatum populo, qui eſt ſuper eam, & Spiritum calcantibus eam.* In duplici differentia conſiderantur homines à Propheta, quidam ſunt, qui accipiunt communem flatum, id eſt, animam; alii vero ſunt, quibus conceditur, conculcare terrena. Qui vero communem flatum, ſeu animam, quod omnibus eſt datum, & ſunt *de populo, qui ambulant ſuper terram*; At vero conculcare illam, non omnibus datur, ſed illis, qui Spiritum accipiunt, à quo ſolum venit terrena deſpicere, & carnales concupiſcentias expuere. D.Ireneus lib.5.cap.12. poſt adductum locum Iſaiæ ſubdit. *Afflatum communiter omni, qui ſupra terram eſt, populo dicens datum; Spiritum autem propriè his, qui conculcant terrenas cupiditates.*

Spiritus Dei deſpicientibus terrena. D.Iren.

*Actor.*1.*n* 6. Igitur qui convenerant, interrogabant eum, dicentes: Domine, ſi in tẽpore hoc reſtitues regnum Iſrael.

*Num.*7. Dixit autem eis: non eſt veſtrum noſſe tempora, vel momenta, quæ Pater poſuit in ſua poteſtate.

VERSIONES.

*Syrus.n.*6. Cum antem illi eſſent congregati, Domine noſter.

Arabic. Illi autem accedentes ad eum, &c. Num in hoc tempore reſtituerunt regnum Iſrael.

Multi ex Græc. Reſtituis regnum Iſraëli.

*Syrus n.*7. Noſſe tempus, &c. In poteſtate ſui ipſius.

Arabic. Non pertinet ad vos noſſe annos, aut tempora, quorum cognitionem poſuit Pater.

Oecumen. Noſſe temporum opportunitatẽ.

Æthiopic. Temporum opportunitates.

Arias. Poſuit Pater propria ſua auctoritate.

EXPOSITIO III.

71. Syrus. Arabic.

IGitur, *qui convenerant*, non ſolum Apoſtoli, ſed etiam alii diſcipuli, coram quibus Chriſtus aſcendit; Syrus legit: *Cum eſſent illi congregati* tanquam uno ore interrogantes. Arabicus: *Illi ergo accedentes.* Ut majori vehementia, ac conatu interrogarent: *Domine.* D. Chryſoſt. *Honorificè compellant, ut reſponſum facilius eliciant*; maximè obſervandum, quod ante paſſionem, diſcipuli appellabant Chriſtum Magiſtrum, ut patet paſſim ex toto Evangelio; nunc vero Dominum dicunt; nam poſt viſa reſurrectionis majeſtatem crevit reverentia erga illum. *Si in tempore hoc*, nempe tuæ reſurrectionis.

D.Chryſoſt.

Pro ſtatu creſcit reverentia.

72. Caietan. Hugo.

Reſtitues regnum Iſrael, ſeu ut alii legunt: *Iſraëli*; putabant enim, quod regnum ad Herodẽ Idumæũ, ac alienigenam & Romanos tranſlatum, erat per Chriſtum reſtaurandum; & cum Apoſtoli eſſent adhuc imperfecti, ut notant Caietan. & Hugo, myſteria Chriſti plenè non intelligebant, de quibus fuerunt illuminati ab Spiritu ſancto, & verba Chriſti de regno temporali intelligebant, valde mirum quod cum Chriſtus immediatè anteà dixiſſet: *baptiſabimini Spiritu ſancto*, nempe ſua gratia, & ſanctitate; Diſcipuli de regno temporali loquantur, facile unuſquiſque ſermonem, quem audit, retorquet ad ea, quæ mente cogitat, illi autem de regno temporali erant ſolliciti.

Amor patriæ vehemens.

73. C.Chryſoſt.

Non eſt veſtrum. D. Chryſoſt. *repellit curioſam quæſtionem gravi quamvis benigniore reſponſo*; & eorum inſcientiam, non dure & aſperè reprehendit, ſed paulatim eos diſponit ad veram intelligentiam, in qua perfectè erant illuminandi à Spiritu ſancto; *noſſe tempora*, temporum, ac rerum eventus, *vel momenta*; Græcus Vatabl. *opportunitates temporum.* Deus omnia opportuno, ac convenienti tempore, ac occaſione operatur. Vulgata habet: *momenta.* Momentum, Grammatici deducunt à verbo *moveo*; & aliquando ſumitur pro brevi, & inſtantaneo motu, aliquando vero pro motu magni ponderis; unde res graves dicuntur momenta magni ponderis, & utroque modo hic poteſt ſumi. *Quæ Pater poſuit in ſua poteſtate* ſapientia, nempe & providentia; & quamvis Chriſtus D. cum ſuo Patre, & Spiritu ſancto omnia ordinet, ac diſponat, tamen omnia, ex ſua modeſtia refert ad Patrem, ut jam dixi. Deinde dicit hoc ad Patrem pertinere; & diſſimulat etiam eſſe ſuum, ut ipſi ulterius non perquirant, ut ex D.Chryſoſt. dicam infra q.12.

Græc. Vatabl.

Quid ſit momentum.

QUÆSTIO XI.

Quare Chriſtus D. non dixit non eſt noſtrum, ſed non eſt veſtrum noſſe tempora?

74. Mar.13. Math.24

CUm Chriſtus D. loqueretur cum ſuis diſcipulis de die judicii in ipſo non cognoſcendo ſe aſſociat cum hominibus, dicens: *De die autem illo, vel hora, nemo ſcit, neque Angeli in cœlo, neque filius hominis, niſi Pater*, Marc.13.n.32. Matth.24.n.42. non ſic autem ſe habet in præſenti, ſed in ipſa cognitione, ſe ab hominibus ſeparat. Unde non dixit non eſt noſtrum, ſed *non eſt veſtrum, noſſe tempora.*

75. D Baſil.

Quod præclarè notavit D. Baſil. Epiſtol. 141. ubi ſic ait: *In Evangeliis ſolum Patrem dicit, ſe ipſum adnumeravit ignorantibus, propter multorum, ut dixi, infirmitatem, in Actis vero Apoſtolorum, tanquam perfectis ſeorſim differens, per ſui exceptionem dixit: non eſt veſtrum ſcire tempora.* Quod etiam obſervant D.Athanaſ. orat.4.contra Arrian. D.Hieron.cap.24. in Matth. Cum Chriſtus D. eſſet in vita mortali, in ſcientia in externa apparentia, ac multis aliis, ſe accommodat cum hominibus in mortali vita agẽtibus, non vero poſt reſurrectionem, cum jam eſſet in alio ſtatu, & glorioſo. Deinde diſcipuli ante mortem Chriſti erant valde impoliti, & imperfecti, non ſic jam vero poſt reſurrectionem, tunc enim aperuit illis ſenſum, ut intelligerent Scripturas, Luc.24.n.45. Inde Chriſtus D. pro ratione ſui ſtatus, ac conditione diſcipulorum, diverſo modo loquitur cum eis, antea, ac poſt reſurrectionem; D. Athanaſ. citatus. *Neque per id tempus dixit, neque filium quid ſcire, quemadmodum antea dixerat. Iam enim caro illius ſurrexerat, depoſuerat mortalitatem, ac deificata eſſet, non decuit eum carnaliter reſpondere, utpote in cœlum aſcendentem.*

D.Athan. D.Hier.

Pro diverſitate ſtatus diverſimodè agendum.

In auguſtiſſima nativitatis Chriſti nocte apparens Angelus Paſtoribus ait illis: *Invenietis infantem pannis involutum poſitum in præſepio*, Luc. 2. n. 12. Aliter ſe oſtentat Chriſtus Ioanni in Apocalyp.1.n.13. *Inter candelabra aurea, veſtitum podere, præcinctum*

76. Luc.2. Apoc.1.

præcinctum ad mammillas Zona aurea. Veſtis illa erat valde magnifica, pompoſa, & magnæ, & ſublimis majeſtatis; Cur, qui tam humilis ſe exhibuit paſtoribus vilibus, & abjectis pannis involutus, quomodo tanto apparatu, ac majeſtate Joanni apparuit. Vnde tanta diverſitas, cum venit humilis & pauper in mundum, ad vilitatem, ac parvitatem pannorum ſe dimittit; cum verò glorioſus in cœlo regnat, ſupremam, & altam majeſtatem oſtentat in omni fulgido apparatu, qui antea in paupertate ſordidum habitum elegit. D. Fulgentius ſerm. de Epiphania, ait: *Parvulus in præſepio, immenſus in cœlo, vilis in pannis, pretioſus in ſtellis*, & cum ex alta Dei providentia conveniens fuerit, ut Chriſtus adhuc degens inter homines oſtentaret ſplendorem ſuæ majeſtatis in transfiguratione ſtatim præcepit ſuis Apoſtolis, *ut nemini dicerent viſionem illam, donec filius hominis à mortuis reſurgat*, Math. 17. n. 9. Tanta enim majeſtas non conveniebat cum mortalitate, ſed cum gloria reſurrectionis.

Proprio ſtatui accommodandum.

D. Fulg.

Math. 17

QUÆSTIO XII.

Quare Chriſtus D. non reſpondet ad quæſita Apoſtolorum, ſed tacite eos reprehendit.

77 *Difficultas quæſtionis.*

DIxerunt Apoſtoli: *Domine ſi in tempore hoc reſtitues regnum Iſrael*; quibus ipſe ait: *Non eſt veſtrum noſſe tempora, vel momenta, quæ Pater poſuit in ſua poteſtate.* Cur ad propoſitam interrogationem, de regno Iſrael, non reſpondet Chriſtus? multo majora ſecreta cum ſuis diſcipulis pertractavit: illis enim dixit: *Vobis datum eſt, noſſe myſterium regni Dei*; Math. 13. num. 11. Marc. 4. n. 11. & iterum: *Quæcumque audivi à Patre meo nota feci vobis*, Ioan. 15. n. 15. Cur ergo hanc reſtitutionem regni Iſrael, non eis revelat, ſed abſcondit?

Math. 13. Marc. 4. Ioan. 15.

78

Reſpondeo primò. Apoſtoli hoc in loco erant ſoliciti de temporali reſtitutione regni Iſrael, ut docent Oecumen. D Chryſoſt. in præſenti, Beda & Gloſſa D. Iuſti. quæſt. 112. D. Irenæ. lib. 5. cap. 34. ideo Chriſtus D. non reſpondit ad quæſitum; imò eorum curioſitatem nimiam tacitè reprehendit, cum ait: *Non eſt veſtrum noſſe tempora*: utpote prætereuntes à veſtro proprio negotio, quod erat agere de regno Dei; ipſi autem omittentes proprium negotium ad alienum tranſibant agentes de regno temporali, quod ad eos non pertinebat. Vnde D. Baſilius. In regulis moralibus. Regula 9. cap. 2. hoc exemplum apponit, contra tractantes, quæ ad ſe non attinent. Lyran. hic. *Quaſi dicat Dominus, non pertinet ad vos, hoc ſcire, & quærere, ſed illud, quod ſequitur, ad vos pertinet, cum ſubditur ſed accipietis virtutem ſupervenientis Spiritus Sancti in vos.* Non reſpondet ad regnum temporale, ſed eorum mentes elevat ad regnum ſpirituale, ac virtutem Spiritus ſancti, quod erat negotium ad eos pertinens, cætera vero, quæ ad eos non ſpectabant, omittit.

D. Chryſoſt. Oecum. Beda. Gloſſa.

Quilibet agat de his, quæ ad ſe pertinent, D. Baſil. Lyran.

79

Secundò. Reſpondet Chriſtus; & maximè confirmatur ſuperior doctrina. *Non eſt veſtrum noſſe tempora, vel momenta, quæ Pater poſuit in ſua poteſtate.* Qualis eſt hæc excuſatio, ut Chriſtus non reſpondeat ad interrogata diſcipulorum? Chriſtus Dominus omnia optimè ſciebat. *Omnia dedit ei Pater in manus*, Ioan. 13. num. 3. *Et data eſt illi omnis poteſtas in cœlo, & in terra*, Math. 28. n. 18. Cur ergo recurrit ad Patris poteſtatem in hoc negotio? Chriſtus in præſenti diſſimulat ſuam poteſtatem, & tantum dicit hoc eſſe Patris; Vt cum diſcipuli audiant illud non ad Chriſtum, ſed ad Patrem ſpectare, deſiſtant ab interrogatione; & non ulterius urgeant inquirendo à Chriſto illud quæſitum, quod D. Chryſoſt. optima ſimilitudine explicat homil. 2. in Acta, & ait: *Quemadmodum, cum videmus infantem plorantem ſuper cupientem aliquid à nobis accipere, quo nihil illi opus eſt; tunc occultato quod concupiſcit, oſtendimus illi manus vacuas, dicentes: ecce non habemus. Itidem ille fecit Apoſtolis*, &c. Ut videntes quod illud non ad Chriſtum, ſed ad Patrem ſpectaret, ab interrogatione quieſcerent, & amplius non requirant.

Ioan. 13. Math. 28. *Prudens imperitæ quæſitum à ſe reiicit.*

D. Chryſoſt.

80

Tertiò. Cum diſcipuli agerent de regno temporali. *Domine ſi in tempore hoc reſtitues regnum Iſraël?* eorum aviditatem compreſſit, ut bene notat Mendoza tom. 2. lib. 1. Reg. cap. 3. ad verſ. 19. n. 11. dicens: *Non eſt veſtrum noſſe tempora, vel momenta.* Docens ſuo exemplo, qui ſemper *loquebatur illis de regno Dei*, Luc. 9. n. 11. Ut & ſui diſcipuli, non de regno temporali, ſed de regno Dei haberent ſermonem, non de rebus temporalibus, ſed ſpiritualibus loquerentur, illi, quibus novum diſcipulorum ſtatum, novumque ſpiritum dederat, novos haberent ſermones, ſuumque novum ſpiritum novis verbis oſtenderent, ac declararent; ſic de illis, qui divinum Spiritum erant accepturi, dicitur *linguis loquentur novis*, Marc. 16. n. 17. Ut illa nova locutio ex ore manans patefaciat latentem gratiam, ac ſpiritum in animo latentem. Clemens Alexand. lib. 1. Pædag. cap. 5. *Oportet novos eſſe illorum ſermones, qui novi verbi fuerunt participes.* S. Bernardus ſerm. 2. in octava Paſch. ait: *Novum ſuperveniſſe ſpiritum, certiſſimè converſatio nova teſtatur.*

Mendoza. Luc. 9. *Converſatio, & ſermo oſtendit animum cuiuſque.* Marc. 16. Clem. Alex. D. Bern.

81

Quartò. Apoſtoli indebitè, ac inutiliter interrogaverunt: *Domine ſi in tempore hoc reſtitues regnum Iſrael?* Inde Dominus non reſpondet ad quæſita de regno temporali, ſed ad altiora, vertit ſermonem: *Accipietis virtutem Spiritus ſancti ſupervenientis in vos.* Quæ à Deo inconvenienter petuntur etſi petitio ex ſimplici animo aliquando proveniat; valde utiliter, & appoſitè negantur, & etiam à Deo ob ſuam bonitatem, in melius vertuntur.

Negat Chriſtus petita, & in melius vertit.

82

De ſe ait Job. 9. n. 16. *Cum invocantem exaudiverit me, non credo, quod audierit vocem meam.* Repugnantiam videtur in his verbis latere, nam ſi ſe auditum dicit, quomodo ſtatim ſubditam, non auditam fuiſſe *vocem meam*; Optimè omnia cohærent, cum clamat ex corde, quæ ad profectum conveniũt, tunc ſe exauditum agnoſcit; at vero cum exterius vocem profert, quæ temporalia, & non proficua ſonant, ſe non auditum fatetur. Vox Patriarchæ ad utilia admittitur, ad inutilia ex miſericordia rejicitur, ac repellitur, quod optimè explicat D. Thomas lect. 3. in Iob, & ait: *Contingit, quod Deus hominem exaudit, non ad votum, ſed ad profectum: ſicut Medicus non exaudit infirmum ad votum poſtulantem amovere medicinam amaram: exaudit tamen ad profectum, quia per hoc ſanitatem inducit, quam maximè infirmus deſiderat.*

Iob. 9

83

In magna David poſitus tribulatione ac oppreſſus ait de ſe: *Clamabo per diem, & non exaudies*, Pſ. 21. n. 3. Quomodo fieri poteſt, quod ſanctus Rex vexatus magna tribulatione clamans per totum diem non exaudiatur, cum de juſto dicatur. *Oculi Domini ſuper juſtos, & aures eius in preces eorum.* Pſal. 33. n. 16. ob promptitudinem, ac velocitatẽ, qua ſuos juſtos exaudit, ac eis ſubvenit; ut explicant D. Ambroſ. D. Hier. noſter Incognit. Quomodo ergo ſanctus Rex per totã diẽ clamat, & non exauditur, cum juſti convenientia petunt convenienter voti compotes efficiuntur, cum vero inutilia, utilius, repulſam patiuntur. D. Aug. ad citat. Pſ. 21. ait [Multi clamãt in tribulatione, & non exaudiũtur; ut intelligat homo, Medicũ eſſe Deum & tribula-

Pſal. 21.

Pſal. 33. D. Ambr. D. Hier. Incogn. *Deus, ut medicus audit ad ſanitatẽ, non ad voluntatem.*

tribulationem medicamentum esse ad salutem, non pœnam ad damnationem, sub medicamento positus uteris, secaris, clamat: non audit Medicus ad voluntatem, sed audit ad sanitatem.

*Actor.*1.*n.*8. Sed accipietis virtutem superveniētis Spiritus sancti in vos, & eritis mihi testes in Ierusalem, & in omni Judæa & Samaria, & usque ad ultimum terræ.

VERSIONES.

Syrus. Supervenientis super vos Spiritus sanctitatis, &c. inter Samaritanos.
Arabicus. Verum accipietis robur, &c. imò, & ad extremum terræ.
Caietan. Recipietis potentiam.
Pagnin. Fortitudinem.
Æthiopic. In omnibus extremitatibus terræ.
D. Chrysost. Ad extrema terræ.
Aliqui. In totam terram.
*D. Ambros. lib. de Spir. sanct. cap.*7. Accipietis virtutē supervenientem Spiritum sanctum.

EXPOSITIO IV.

84. Hugo. *Accipietis virtutem*; Alii legunt *potentiam*, robur, fortitudinem Spiritus sancti, ut ait, Hugo, quod non potestis *ex infirmitate, possitis ex virtute Spiritus sancti*, quæ valde, & maximè apparuit in Apostolis, qui cum essent pauperes, & humiles ad fidem Christi subjugarent, Reges, Tyrannos, Gentes barbaras, feras, & indomitas, de S. Ambros. ad D. Ambr. c. 6. Lucæ, *virtute supervenientis Spiritus sancti*; sic ad Mariam Virg. dixit Angelus: *Spiritus sanctus superveniet in te.* Luc. 1. n. 4. non ait, veniet, sed *superveniet*, qui ut vult D. Bernard. serm. 1. de Spiritu D. Bern. sancto art. 1. cap. 2. denotat adventum Spiritus sancti cum magna copia, ac abundantia gratiarum.

85. Luc. 24. *Eritis mihi testes.* Sic & ipse Christus suis Apostolis, Luc. 24. n. 48. *Vos autem testes estis horum.* Testes eritis eorum quæ vidistis oculis vestris meæ vitæ, prædicationis, miraculorum, mearumque actionum. *In Jerusalem.* Sic etiam mandavit suis Apostolis Luc. 24. n. 47. quod prædicarent incipientibus *à Jerusalem*, ubi maximus discipulorum timor de Judæis, qui eum crucifixerunt. Ibi lex Christi primò debuit prodire, & triumphare. *Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion dominare in medio inimicorum tuorum.* Psalm. 109. n. 3. *Et in omni Judæa.* Per quod denotatur totum regnum. *Notus in Judæa Deus.* Psalm. 75. n. 1. *Samaria*, quæ erat valde propinqua, & intima cum Judæa; *usque ad ultimum terræ.* Iuxta illud Psalm. 18. n. 5. *In omnem terram exivit sonus eorum.*

Divina virtus triumphat inter inimicos.
Psal. 109.
Psal. 75.
Psal. 18.

QVÆSTIO XIII.

Quare Christus D. non designat suos discipulos suorum operum testes, nisi post acceptam virtutem Spiritus sancti.

86. ORdinat Christus D. ut sui discipuli sint testes suorum operum: *eritis mihi testes*, quomodo hoc cohæret cum his, quæ ipse dixit Ioan. 5. n. 34. Ioan. 5. *Ego ab homine testimonium non accipio*; nullius enim testimonium ei erat necessarium, nam ejus vita, opera, ac miracula & scripturæ abundantissimè dabant testimonium de eo, tamen usus est testimonio Ioannis, Apostolorum, & etiam aliorum hominum, propter nos; accommodando se ad mores, ac captum nostrum, sic cum vox de cœlo intonasset, *& clarificavi, & iterum clarificabo.* Ioan 12. n. 29. Ipse Ioan. 12. tunc dixit n. 30. *Non propter me hæc vox venit, sed propter vos.* Ut latè explicavi tom. 3. cap. 2. n. 87. Tamen post Christi Ascensionem, maximè necessarii fuerunt Christi testes, prædicatores & annuntiatores; nam ut ait Paulus Rom. 10. n. 17. & 14. *Fides ex* Rom. 10. *auditu. Quomodo autem audient sine prædicante? Quomodo verò prædicabunt, nisi mittantur.*

Predicatores necessarii.

Tamen ad nostram quæstionem ait Christus in præsenti suis discipulis: *Accipietis virtutem Spiritus sancti supervenientis in vos, & eritis mihi testes.* Post acceptam virtutem Spiritus sancti, tunc constituit eos sui testes & prædicatores, qui enim tanta virtute erant corroborati, ac induti, nulla in eis poterat subesse falsitas, ac dolus, sed summa veritas, ac sinceritas, & inde Christus appellat Spiritum sanctum, *Spiritum veritatis*, Ioan. 14. n. 17. quia infundebat & Ioan. 14. communicabat omnem veritatem in illis super quos veniebat. D. Bernard. serm. 8. in Cant. ait: *Indutum* D. Bern. *virtute ex alto, nulla vis, nulla fraus, nulla jam illecebra poterit, vel stantem devincere, vel subjicere dominantem.*

87. *In veste summa virtus requiritur.*

Ad hujus rei sensum, Luc. 24. n. 48. Ait Christus 88. D. suis Discipulis. *Vos autem testes estis horum; Et* Luc. 24. *ego mitto promissum Patris mei in vos; Vos autem sedete in civitate, quoad usque induamini virtute ex alto.* Eos constituit suorum operum testes, mandat tamen ut quiescant à testimonio proferendo sedentes in civitate, quoadusque superveniente Spiritu sancto induantur, ac repleantur ejus virtute, qua corroborati, ac illuminati, idonei, ac locupleti testes Euthym. ejus erunt; in cap. 16. Euthym. ait: *Immissurus erat Spiritus sanctus intellectum discipulis, & tunc omnibus publicari volebat, divinitatis, & passionis suæ mysterium.* *Vir illuminatus testificat.*

89. Multus est Spiritus sanctus in explicandis, ac declarandis magnis virtutibus ac excellentiis sanctissimi Parentis Eliæ, ac Henoch, Apoc. 11. à n. 3. *Pro-* Apoc. 11. *phetabunt amicti saccis. Hic sunt duæ olivæ, & duo candelabra, in conspectu Domini terræ adstantes: habent potestatem claudendi cœlum, ne pluat diebus prophetiæ ipsorum, & convertendi aquas in sanguinem.* Ad quod tantas eorum virtutes declarat sacer Text. quod erunt in summa pœnitentia, ac temporalium contemptu. *Amicti saccis*: quod fulgeant, ac resplendeant omni virtute, ac sanctitate, eximia charitate: *Duæ olivæ, & duo candelabra in conspectu Domini*; & quod emineant magna potestate ac dignitate in cœlo & in terra: *Habent potestatem claudendi cœlum, & convertendi aquas in sanguinem.* Ex quo *Solus probus idoneus testis* declaratur eximia eorum probitas, qui tantam, & talem potestatem meruerunt habere, & quod tam alta, ac sublimia eis committerentur. *Claudendi cœlum.* Ad quid tam magna de eis manifestantur? dicitur de eis: *Dabo duobus testibus meis.* Quos testes constituit, omni virtute exornat, ut eorum testimonium irrefragabile habeatur, & undique omni exceptione majus, quos tanta virtus exornat, falsitas, & mendacium Ansbert. non poterat obfuscare. Ansbertus Abbas ad citatum locum Apoc. ait. *Quos testes dederat hos sancti Spiritus gratiâ repleverat, ut essent duæ olivæ, & duo candelabra in conspectu Domini.*

90. *Certitudo in rebus magnis nō venit nisi ex habitu Dei*

Secundò, committitur discipulis, ut in omni populo suprema Dei mysteria testificētur, sed non conceditur talia dare testimonia, nisi postquā receperint in se virtutem divini Spiritus, ejusque donis fuerint repleti. *Accipietis virtutem supervenientis Spiritus sancti in vos, & eritis mihi testes.* Et cur prius erant induendi Spiritu sancto, quam testimonia proferrent de Christo? Ut fieret evidens, quod tanta certitudo cum tanta efficacia, ut Principes, ac Reges devincerent,

devinceret,& ad ſe traheret, non aliunde provenire poterat, niſi à præſentia, ac aſſiſtentia ipſius Dei, qua induti erant, & ſecum habebant.

91. Cum tres illi ſancti pueri miſſi eſſent à Nabuchodonoſore in ardentem fornacem, inter cujus ardentes flammas,erant illi ſancti pueri illæſi ambulantes, cujus tanti miraculi fama pervenit ad impium Regem,cucurrit impius Rex,ut videret quomodo flammæ puerorum ſanctitatem ſtuperent, & accedens ad os fornacis, totus admirabundus clamat. *Ecce video quatuor viros ſolutos, & ambulantes in medio ignis, & nihil corruptionis in eis eſt, & ſpecies quarti ſimilis filio Dei*, Daniel.3. n.92. In quo duo acciderunt miracula: Unum quod ignis non tangeret ſanctos pueros nec contriſtaverit,quod fuit manifeſtum omnibus; Alterum verò quod ſimilis filio Dei cum eis adeſſet, quod tantum uni Regi notum fuit; & cur præter voraces flammas omnibus conſpicuas, impio Regi ſimilitudo filii Dei oſtenditur? Ut Rex inſanus ſuum malum affectum contra ſanctos pueros deponeret, & contra illum crederet eos eſſe incombuſtos, neceſſe fuit, ut ibi appareret aliquid divinum, ac ſimile filio Dei; D. Chryſoſt. homil. de tribus pueris, ſic ait: *Patitur ſe Deus cum pueris in ſupplicio numerari, & poteſt Dominum videre ſacrilegus, ſed non permittitur noſſe, ut creſcat gloria puerorum, regis enim mens in ſuis flammis parum crederet fortaſſe, niſi talem diſceret defenſorem.* Et ſi omnes teſtificarentur pueros inter Regis flamas eſſe incombuſtos,iniquiſſimus Rex non crederet, niſi tũc ſuis oculis ibi aliquid ſublime, ac divinum adeſſet. *Suis flammis parum crederet fortaſſe.*

Daniel.3. *Reges difficiliter credunt ea quæ ſunt contra ſuum affectum.*

D. Chryſoſt.

QVÆSTIO XIV.

Quare Chriſtus D.conſtituit ſuos diſcipulos teſtes ſuæ reſurrectionis, potius quam ſuæ paſſionis, ac mortis.

92. AIt Chriſtus D.in præſenti ſuis diſcipulis: *Eritis mihi teſtes in Ieruſalem & in omni Iudæa.* Et cujuſnam rei erunt Apoſtoli teſtes, an ignominiæ paſſionis, mortis, flagellorum, ac ſpinarum, quas Dominus pertulit, an ſuæ glorioſæ reſurrectionis? Cardinalis Hugo ibi. *Eritis mihi teſtes reſurrectionis, verbo, & exemplo, vel ſignis.* Et cur non ſuæ paſſionis, ſed reſurrectionis quærit teſtes? facilis eſt ſolutio, opprobria mortis, & paſſionis facile omnes crederent, aliter verò & difficiliter gloriam,ac majeſtatem reſurrectionis. Humanum ingenium eſt aliorum ignominias,ac dedecora prompto animo excipere; difficiliter tamen aliorum excelſa, & ſublimia credita haberi, & ideo Chriſti reſurrectio fuit teſtificanda ab Apoſtolis verbo, exemplo, ac miraculorum ſignis omnibus adhibitis.

Aliena laus incredibilis homini, ſecus ignominia.

93. Poſtquam Chriſtus reſurrexit, valde glorioſa, ac pompoſa majeſtate ſuis diſcipulis apparuit abſente Thoma, cui dixerunt cæteri Apoſtoli, vidimus Dominum; quibus ait D. Thomas: *Niſi videro in manibus ejus fixuram clavorum, & mittam digitum in locum clavorum, & mittam manum meam in latus ejus non credam.* Ioan.20.n.25. D.Thomas pro certo habuit in manibus, ac latere Chriſti eſſe vulnerum ſigna, & ipſe non vidit Chriſtum D. pendentem in cruce, & tamen ait: *Niſi videro in manibus ejus fixuram clavorum.* Ipſe Chriſtum D.non vidit talibus ſignis. Unde ergo habuit pro certo tales clavorum notas in manibus Chriſti. Reſpondent communiter Doctores, ex teſtimonio nempe diſcipulorum. Si ergo ex diſcipulis teſtificantibus agnovit ex Chriſti morte ſigna clavorum in ejus manibus, cur etiam ex eorum teſtimonio non credidit ejus triumphantem reſurrectionem? Innata hominum conditio valde promptè ignominiam mortis,ejuſque ſigna credidit, valde tamen pertinaciter diſcredit quæ decorem indicabant. Unde Thomas, qui acquievit mortis celaturis, vehementer tamen reſurrectionis triumpho reluctat,& ait: *Niſi videro non credam.* De hoc multa tom. 1. in Evangelia lib.3. cap.4. q.21. n.87.88. & tom.4. cap.18. n.99.

Ioan. 20. *Thomas credidit mortis Chriſti, repugnat ejus reſurrectioni.*

Act.1. n.9. Et cum hæc dixiſſet videntibus illis elevatus eſt, & nubes ſuſcepit eum ab oculis eorum.

VERSIONES.

Arabic. Sublatus eſt,& opertus eſt.

Æthiopic. Exaltatus eſt & proſpectantibus illis, ſubſtractus fuit.

Pagnin. In altum ſublevatus.

Syrus. Nubes excepit eum, & operuit ab oculis eorum.

Tertull. lib.5. contra Mar. cap.8. In ſublimitatem elevatus eſt.

EXPOSITIO V.

ET cum hæc dixiſſet. Quæ modo ſuperius ſunt relata,& alia, quæ referunt ſacri Evangeliſtæ, de quo q. ſequenti. *Videntibus illis*: ſuis, ſcilicet, diſcipulis? ut ait Gloſſa Interpol.ut ſicut erant teſtes reſurrectionis,eſſent & Aſcenſionis; *Elevatus eſt*;non ſubito raptus,ut Parens Elias & Enoch,ſed propria ſua virtute agilitatis elevatus eſt, ſenſim, ac paulatim,ut notat D.Bernard. de gradibus humilit.cap.1. Vt diutius paſceret,ac delectaret oculos intuentium diſcipulorum. Recte de monte Oliveti aſcendit Chriſtus in cœlum, ut ubi fuerat initium paſſionis, eſſet & gloriæ exordium. 94. Gloſſa. D Bern.

Et nubes: Vera & realis, ac maximè fulgens, ac reſplendens, ut tanto triumpho conveniens erat, aut de novo creata, aut miniſterio Angelorum in obſequium ſui Domini,ac glorificatoris compoſita; *ſuſcepit eum ab oculis* intuentium diſcipulorum, & hæc nubes, non prius interjecta eſt, ac oppoſita, niſi cùm Chriſtus aſcendens amplius videri, aut non voluit, aut non potuit ab ipſis intuentibus: de his latius in quæſtionibus. 95.

QUESTIO XV.

Qualiter facta fuerit admirabilis Chriſti aſcẽſio?

96. DE hoc magno,ac præclariſſimo myſterio multa dixi tom.5.in Evang. lib.9. c.10.per totum, & tom.6.Additum ad cap.ultimum D.Marci,tamen hic aliqua prælibabo; de hoc admirabili arcano agit D. Marc.c.ult.n.19.& ait: *Dominus quidem Ieſus, poſtquam locutus eſt eis, aſſumptus eſt in cœlum, & ſedet à dextris Dei.* Et D.Luc.c.24.n.50. *Eduxit autem eos* foras in Bethaniam, & elevatis manibus ſuis, benedixit eis,& factum eſt cum benediceret illis, receſſit ab eis,& ferebatur in cœlum, & ipſi adorantes regreſſi ſunt in Ieruſalẽ cum gaudio magno.Hæc habẽtur ex ſacis Evãgeliſtis cum noſtro præſenti text. Marc 16. Luc.24.

97. Poſtquam Chriſtus D.locutus fuiſſet cum ſuis diſcipulis,quæ habentur in hoc cap.1.Actor.& ſcribunt ſacri Evangeliſtæ Matth.ult. & D.Marcus, & Lucas citati, finito prandio ut patet ſupra ex hoc cap.n.4. *& convеſcens*, quod apud veteres fiebat meridiano, tẽpore,eduxit de cœnaculo,non ſolum ſuos Apoſtolos,ſed etiam alios diſcipulos ferè centum & viginti, ut patet ex hoc cap.n.15. eoſque tulit Dominus per

medium Jeruſalem cernentibus, & ſtupefactis Judæis divina virtute cohibitis, ut tenet D. Bernard. ſerm.1.art.1.cap.3. ducens eos in montem Oliveti, & in itinere divertit in Bethaniam in latere ipſius montis ſitam,ut conſtat ex D.Luca cap.24. n.50. ut vale diceret Magdalenæ, Marthæ, & Lazaro, & ut intimos amicos ſecum aſportavit,ut eos ſuæ Aſcenſionis viſione nobilitaret.

98. Quot fuerint ſuaviſſima, ac dulciſſima, & ultima colloquia Chriſti cum ſanctiſſima Maria Virgine, Apoſtolis, diſcipulis, ac ſanctis mulieribus, quot & amplexus,potius eſt contemplandum,quam ſcribendum,de quo latè Sancti Patres,D.Auguſt.ſerm.6.de Aſcenſ.qui eſt de temp.179.& ejuſdem homil ſept. D.Cyprian. Epiphan.S.Leo, D.Chryſolog.in ſermonibus de hac feſtivitate.

99. *Elevatus eſt* propria agilitate fortè ſecum ferens Patres de Limbo eductos, qui corpore in cœlum Chriſti comites migraverunt; *captivam duxit captivitatem*,ut tenent Arator Carmi. lib.1. in Acta. D.Bern.ſerm.1.de Aſcenſ.art.1.c.3.*elevatus eſt*. Non ſubito,ac repente tranſlatus,ut Elias 4 Reg.2.n.11. vel Enoch. Gen.5. n.22. ſed ſenſim, ut decens erat tantæ majeſtati;& notat D.Bernard. de gradibus humilitatis cap.1. & ait: *non ſubito raptus, non furtim ſublatus, ſed videntibus illis elevatus eſt*. Ut ſimul delectaretur ipſe ſuos videndo,& ſui eum videndo. Notat Caietan. quod elevatus eſt ſimul totus, non movendo gradatim pedem poſt pedem; *& elevatus eſt*; non ad ſolem,ut Manichæi,& alii Hæretici dixerunt juxta illud Pſalm.18.n.3. *In ſole poſuit tabernaculum ſuum*; ſed ad cœlum Empyreum eſt elevatus,ut conſtat ex D. Marco; *ſedet à dextris Dei*.

100. *Elevatis manibus*; Ut Deum Patrem pro nobis exoraret, & ex hoc, ut notat Durandus in Rituali, in ſacrificio Miſſæ ferè ſemper Sacerdos adſtat elevatis manibus, & elevatio manuum ſignum orantis eſt antiquiſſimum,ut ex multis probat Apuleius.lib. de mundo, ſic ait: *ab antiquo habitus orantium hic eſt, ut manibus extenſis ad cœlum precemur*; Et Moyſes extenſis manibus oravit; Exod.17.n.11.& hunc modum orandi maximè commendat Petrus Damian. Epiſt.3. cap.50. per hunc enim modum extenſis manibus maximè declaratur noſter eximius effectus in Deum.

101. *Benedixit eis*. De manu dextera extenſa efformando crucem; vel tranſverſim,& cancellatis manibus, ut de Iacob explicat Gloſſa, Gen.48.n.14. ut ita efformaret ſignum crucis,ex quo manavit conſuetudo in Eccleſia, ut Sacerdos tam in publicis, quàm privatis actionibus ſigno crucis benedicat, & hoc eſſe traditionem Apoſtolicam teſtatur D.Baſil.lib.de Spiritu ſanct. cap.37. ut ita tali ſigno crucis bonam, & divinam protectionem deprecando, ut ait Gretrerus lib.3. de cruce cap 16. vel deprecando merita Chriſti crucifixi, ut communiter docent Sancti Patres, D.Niſſenus orat. in Octava, D.Hieron.de vita Moyſis,Tertullian. orat. contra Iudæos cap.10. D.Cypr. Orat. de cruce,ac in exhortatio.ad Mart.Theodoret. de error. profan.cap.12. & alii.

102. An Chriſtus D. nudus, vel veſtitus aſcenderit. Quæſtionem tangit D.Auguſtinus Epiſt.146. in partem affirmativam videtur propendere, eam tamen non diffinit; Abulen.Paradox.5.cap.34.tenet Chriſtum D. poſt reſurrectionem nullas veſtes induiſſe, cum ejus corpus eſſet glorioſum, & aliàs vulnus lateris non potuiſſe oſtendere D. Thomæ, & tangendum exhibere; facile reſpondetur veſtes glorioſas Chriſti taliter eſſe diſpoſitas, ut facile ejus vulnera poſſint videri, & tangi.

103. Alii cenſent Chriſtum D. veſtitum aſcendiſſe, in forma hortulani apparuit Magdalenæ, & peregrini diſcipulis euntibus in Emaüs,Fredericus Nauſea in Catechiſmo cap.16. ait in veſte rubra, & purpurea aſcendiſſe,& probat ex illo Iſaiæ 63. n.2.*Quare ergo rubrum eſt veſtimentum tuum*.Apocalypſ.19.num.13. *Veſtitus erat veſte aſperſa ſanguine*; ut ſignificaretur cruenta Chriſti victoria.Alii tenent Chriſtum aſcendiſſe in veſte candida, nam in Transfiguratione veſtimenta ejus facta ſunt alba ſicut nix; Matth.17. Beati viſi ſunt à Ioanne veſtibus, ſeu ſtolis albis; Apoc.7.n.9. & byſſino candido; Apoc.19.n.14.

Frederic. Iſai.63. Apoc.19. Math 17. Apoc.7. Apoc.19.

Dicendum tamen, quod Chriſtus D. poſt reſurrectionem ſuis diſcipulis apparuit ea veſte,vel ſimili, qua in vita mortali utebatur; ſi enim Chriſtus D.ut ſuis diſcipulis oſtenderet ſe ipſum eſſe eundem,qui mortuus fuerat & reſurrexerat eiſdem actionibus utebatur coram ſuis diſcipulis eadem familiaritate, eadem voce,& converſando, & comedendo, ac panem frangendo; ergo etiam eadem veſte, ut omnibus modis idem cognitus à ſuis. Poſtulat Saul à Pithoniſſa, ut ſuſcitet Samuelem quæ ait: *Vir ſenex aſcendit, & ipſe amictus eſt pallio*, 1. Reg. cap.28. n.14.Inde intulit Saul ipſum eſſe Samuelem; & unde hoc intellexit? Abulenſis ibi;quia veniebat amictus pallio, veſte, qua utebatur, cum viveret; ergo etiam Chriſtus D.ut agnoſceretur reſuſcitatus idem à ſuis diſcipulis in eadem veſte apparebat, maximè tamen nitente, ac fulgente radiis gloriæ, in eademq; veſte aſcendit in cœlum,ut tenet pictura univerſalis Eccleſiæ,& veſte violacea in hoc myſterio Aſcēſionis

104. *Chriſtus aſcendit in ſua propria veſte.* 1.Reg.2. Abulenſ.

Idem dicendum de beatis in gloria, nam beati reſurgent,& erunt in gloria,ſuo nativo,& naturali colore. Æthiopes,ſua naturali nigredine omnibus imperfectionibus ſublatis, ut cum multis Doctoribus, tenet Ægyd.Luſi. tom.3.de beatitud.lib.3.q.6.art. 21.n.10. fol.263. Unuſquiſque juxta cōplexionem ſui proprii corporis, ergo etiam erunt in ſua propria veſte: multi Sancti in ipſa cœleſti gloria viderunt ipſos beatos in ſuo proprio habitu, vel Pontificali, vel Carmelitano,vel Dominicano, ſeu Franciſcano: cum hoc tamen ſtat quod docet Soto in 4. diſt.49. in fine, quod dos claritatis in beatis erit varia. In martyribus purpurea, in virginibus candida, in Doctoribus viridis, pœnitentibus violacea.

105. *Beati in gloria proprio colore, ac veſte.* Ægid. Luſit. Soto.

Aſcendit Chriſtus ad cœlum Empireum concomitantibus tot milliaribus Sanctorum, quos de Limbo ſecum eduxerat,& omnibus Angelis honoris cauſa, Domino Regique ſuo occurrentibus & ſervientibus, loquens de Chriſti Aſcenſione David,Pſal.17. n.11.*Aſcendit ſuper Cherubim*.Ponderat D.Chryſoſt. homil. de Aſcenſ. quod olim Deus *collocavit ante Paradiſum voluptatis Cherubim, & flammeum gladium*, Gen.3. n.2. Ut cuſtodiret Paradiſi ingreſſum homini, nunc præſtat obſequium Chriſto aperienti, ſic in Chriſto mutantur omnia in noſtrum obſequium.Chryſoſt. citat. ait: *Natura cujus cauſa Cherubin ſervabat Paradiſum, à Cherubim ſummo cum honore ſuſcepta eſt*. Cum magna gloria, & honore.

106. D. Chryſoſt. Gen.3. *Serviunt Angeli Chriſto aperienti cœlum.*

Ait D. Marcus ſedet à dextris Dei. Dicitur Math. 25.n.33. *Statuet quidem oves à dextris,hædos autem à ſiniſtris*. Ideo Chriſtus aſcendens in cœlum, eligit locum à dextris,ut tanquam dux,& princeps noſter nobis præpararet locum cum multa magnificentia, & honore, D. Ambroſ.tom.5.in Pſal.139 ait: *Ideo ad dexteram filius, quia ſecundùm Evangeliſtam ad dexteram oves, ad ſiniſtram verò conſtituuntur hædi. Neceſſe eſt ergo partem ovium primus agnus obtineat: & ſequuturo immaculato gregi locum dux immaculatus anticipet.*

107. Math.25. *Aſcendit in cœlum ut nobis præparet locum.* D. Ambr.

QUÆSTIO XVI.

Quare Christus ascendit in cælum videntibus suis discipulis?

PRima ratio, & ad literam, ut jam dixi ex Glossa sic habet: ut suæ Ascensionis essent testes, sicut & suæ resurrectionis erant. Secundò ex magna tristitia, & gaudio: ex tristitia ob vehemens desiderium ex ejus absentia: ex gaudio ob visam tantam gloriam, ac triumphum sui divini Magistri; & sic scribit D. Lucas 24. n. 51. quod postquam viderunt Christum ascendentem in cœlum, ipsum adorantes, *reversi sunt in Ierusalem cum gaudio magno.* 107. Glossa. Luc. 24.

Perpende ordinem sacri Textus. *Accipietis virtutem supervenientis Spiritus sancti in vos, & vos eritis mihi testes in omni terra; videntibus illis elevatus est.* Quodnam signum datur, quodnam meritum requiritur, ut accipiant supremum donum, virtutem nempe Spiritus S. superveniens? nempe, *videntibus illis*, nempe quod videant, & oculos habeant defixos in Jesum. Elisæo conceditur duplex spiritus Eliæ, ex eo quod videt suum Magistrum Eliam rapi in cœlum 4. Reg. 2. n. 10. At sanctis Apostolis cum videant Christum ascendentem in cœlum, in eumque obtineant oculorum aciem intentam, non datur eis duplex spiritus Eliæ, sed ingens copia, ac abundantia omnium cœlestium spirituum, ac donorum cum superveniente Spiritu S. & ut inter impios, ac crudeles Reges, ac tyrannos sint validissimi, ac imperterriti testes; ut enim oculi discipulorum, sic Domino erant intenti, ut à Jesu noluerint separari, inde proveniebat eis virtus, ac fortitudo, qua totaliter fierent inexpugnabiles; ad hæc ait D. Bern. ser. 3. de Ascens. *Nihil est, quod habeant perdere, vel debeant alumni tui, Domine Iesu, quia videntibus illis elevatus es in cœlum, & desiderantibus oculis te secuti sunt, gradientem in multitudine fortitudinis tuæ.* Qui oculos habet in Jesum nullam ruinam patitur, qui sic evigilat in Jesum, ut minimè velit ab eo oculos separare, ipsa oculorum intentio est sagena omnium bonorum, & scutum ab omni malo. 108. 4. Reg. 2. *Oculi in Iesum sagena bonorum, & scutũ ab omni malo.* D. Bern.

Regius Vates Ps. 24. n. 15. *Oculi mei semper ad Dominum, quoniam ipse evellet de laqueo pedes meos.* D. Hieron. *Educet de rete pedes meos.* Qui habet ante oculos positum laqueum, vel rete, ad ipsum evitandũ oculos cum magna intentione objicit, ne incidat in foveam. Cur ergo David agnoscens laqueum ante pedes suos positum, non oculos intendit ad evitandum periculum? pro certo habebat quod magis declinandus erat laqueus intentione oculorum in Deum, quam ex propria vigilantia ad pedes dirigendos. Cassiodor. *Qui ante pedes suos laqueos non inuentur, in fovearum hiatus incidunt, quod si ad Dominum jugiter oculos elevemus, per illum respectum ab omni nos offensione reddit alienos.* 109. Psal 24. D. Hier. *Oculi intenti Domino custodiunt ab omni periculo.* Cassiod.

Ter invenimus Magdalenam totam impensam in Christi obsequio: Apud Simon, dum ejus pedes lavat irrigans lachrymis, & capillis tergens Luc. 7. n. 39. Iterum apud Bethaniam, cum alabastro unguenti pretiosi, ungit caput Iesu, Matth. 26. n. 7. Tertiò dum in domo sedens secus pedes Domini, divina colloquia audiebat, Luc. 10. n. 29. In his omnibus Magdalena habet impugnatores, & patitur contradictiones: Simon, eam peccatricem notat; Bethaniæ discipuli nimiam ejus prodigalitatem damnant; Domi Martha de illa queritur; & tamen inter tantas impugnationes sancta mulier tacet, nec minimum verbum dicit; solum totis viribus erat intenta Domino, omnes adversitates despiciebat, & solum Iesum in mente fixum habebat, quod inde factum, ut Iesus illius esset propugnator, ac defensor eam magnis laudibus super cæteros extollens. Apud Simonem, celebrat de obsequio, quod ad ipso Simone, non fuit impensum, & laudat ejus fidem dimissis peccatis, *fides tua te salvam fecit, dimittuntur tibi peccata tua.* In Bethania summopere commendatur, ita ut ejus factum *in toto mundo diceretur in memoriam ejus.* In domo Marthæ optimam partem elegisse testatur Dominus; D. Bern. ser. 3. in Asc. *Vide*, ait, *prærogativam Mariæ quem in omni causa habeat advocatum. Indignatur siquidem Pharisæus, conqueritur soror, etiam discipuli murmurant: ubique Maria tacet, & pro ea loquitur Christus*: Ecce excellentia oculorum, qui maximè sunt intenti in Deum, quales fuerunt Magdalenæ, qui nullam timent impugnationem, cum Deum habeant propugnatorem, ac defensorem, qualis fuit Christus Magdalenæ. 110. Luc. 7. Math. 26. Luc. 10. *Oculi intenti in Deũ habent pro pugnatorem, ac defensorem.* D. Bern.

QUÆSTIO XVII.

Quare Christus D. ascendens in cœlum ministerio nubis utitur?

CIrca hanc nubem aliqua sunt prælibanda. Abulens. Paradox. 5. c. 9. existimat hanc nubem fuisse Christo D. instar throni, & sedis, in qua tanquam in sella gestatoria ascendit, communiter hæc sententia rejicitur, quia Christus D. directus, & non sedens ascendit, ut habet communis pictura totius Ecclesiæ; & nubes ad hoc est adducta, ut corpus Christi velaret ne amplius à discipulis videretur, ita dicitur. *Nubes suscepit eum ab oculis eorum*; ex quo etiam non placet sententia Cajet. hoc loco, & Medinæ 3. p. q. 58. art. 4. qui existimant nubem hanc non fuisse veram nubem, sed splendorem, quem corpus Christi ex se mittebat, cum cœlo appropinquaret; sed aliud est splendor, aliud nubes; splendor est clarus, & subtilis; nubes verò obscura, & densa. 111. Abulens. *Qualis fuerit nubes.* Cajetan. Medina.

Fuit ergo hæc nubes vera & realis; ut tenent Suar. tom. 2. ad 3. p. disp. 52. sect. 2. & hoc loco Lorin. Cornel. & alii. Valde tamen glorioſa, & resplendens, ad hoc adducta, vel producta, ut corpus Christi tegeret ab oculis discipulorum, simulque Christi majestatem declararet, ut notat D. Chrysost. juxta illud Psal. 103. n. 3. *Qui ponis nubem ascensum tuum.* Hinc de sanctis in gloria dicitur. *Rapientur in nubibus obviam Christo in aëra*, 1. Thes. 4. n. 17. simulque cum Christus ascendit in suo circuitu asportat nubem ut se ostendat esse æqualem suo Æterno Parenti de quo dicitur. Nubes, & caligo in circuitu ejus. Psalm. 96. n. 1. 112. *Christus æqualis suo Æterno Parenti.*

Secundò Oecumenius sic ait. *Incarnatus quidem Deus, nube tanquam vehiculo usus est, nam Dominus erat; Elias verò igne. Ille enim tanquam Dominus universi, propria ascendens virtute, terrenum quiddam, & quod deorsum fertur, ad ascẽsum assumit, nec magis ductus, quam reducens ipse vehiculum: Elias servus erat, ideoque sursum ferente vehiculo egens, & equis, qui velocitatem itineris illi pararent. Idcirco etiam de hoc dictum est. Ascendit Elias in turbine tanquam in cœlum; de Domino verò: eunte illo in cœlum.* Ascendunt in cœlum Christus, & Elias, magno tamen discrimine; Elias ut servus, habet in ministerium *velocitatem equorum igneorum*; ignis ex sua natura semper solet sursum ferri; At Christus, ut naturæ, ac omnium rerũ Dominus assumit nubem ex terrena materia compositam, & ideo ad ima propendit; *terrenum quiddam, quod deorsum fertur*, ad ascensum assumit Christus ut omnium Dominus valet naturas rerum mutare, & id, quod inserviebat ad deorsũ descẽdendũ, ita disponit ut per illum ad sursum ascendat, ut ita comprobaret, sua propria virtute ascẽdere, cũ secũ asportaret tanquã vehiculũ, id quod ex sua gravitate ad deorsũ agit. 113. Psal 96. *Christus ut Dominus vehiculo deorsum agẽte ascendit in cœlum.*

Tertiò, Cæsarius Nazianzeni frater Dialog. 1.

ſic fatur. *Nubes enim ſubit ſub pedibus eius*, non adjuvans aſcenſionem, ſed ut oſtenderetur, illum eſſe, qui per turbinem & nubes olim quidem ad Iobum; poſt ipſum verò ad Moyſem locutus eſſet. Ad quid nubes in die Aſcenſionis Chriſti, ac tam pompoſæ majeſtatis? Deus ad ſublimandos, ac condecorandos ſuos ſervos nubibus uſus eſt; ſic *cum aſcēdiſſet Moyſes operuit nubes montem, & habitavit in gloria Domini.* Exod. 24. n. 15. ſic & de Iob ſcribitur 40. n. 1. *Reſpondens autem Dominus Iob de turbine*; Septuaginta legunt: *de nube.* Ad gloriam & exaltationem ſuorum ſervorum nubem elegit Deus, eandem ad triumphum, ac ſplendorem ſuæ glorioſæ Aſcenſionis ſibi aſſumit; nam ſui honoris, ac decoris ſuos participes facit, & cum illis communicat.

Cæſarius

Id quod Chriſtus aſſumit ad ſui decorem communicat ſuis

Exod. 24.

Iob 4.

Septuag.

115. Iſai. 19.

Quartò. De primo Chriſti adventu in mundum loquens Iſaias 19. n. 1. juxta communem ſententiā Patrum noſtri D. Cyril. D. Hieron. D. Athanaſ. Procopij, ac aliorum ait, *Dominus aſcendit ſuper nubem levem.* In primo ingreſſu venit ad nos per nubem, nunc verò regrediens in cœlum per nubem aſcendit, *& nubes ſuſcepit eum*: Quod bene notavit Theophyl. hic, & ait. *A nube Virginis in nubem venit, ac per nubem aſcendit, ubi prius erat.* Divinæ diſpoſitionis eſt, non dimittere bonum in fine, quod in principio apprehendit, ſed ſemper illud conſervatum tenere.

Divina virtutis eſt conſervare bonum, quod arripuit à principio.

116. Math. 24

De ultimo die judicij ſcribit D. Matth. 24. n. 29. *Sol obſcurabitur, & Luna non dabit lumen ſuum; ſtellæ de cœlo cadent, & tunc apparebit ſignum filij hominis.* Si Dominus venit cum tanta celſitudine, ac majeſtate ad judicium, cur cœleſtia lumina ſic obtenebrantur, potius magno ſplendore deberent ſuo Domino venienti applaudere? Cum primo Crux apparuit, *à ſexta autem hora tenebræ factæ ſunt ſuper univerſam terram, uſque ad horam nonam.* Matth. 27. n. 45. Cum Crux primò apparuit, tenebras immiſit in faciem terræ, quibus cœleſtia lumina ſunt obſcurata, ſic & cum ultimo apparet cœleſtia lumina obfuſcantur, quod præclarè notavit Origenes homil. 30 in Matth. & ait: *Sicut enim in diſpenſatione Crucis Sole deficiente tenebræ factæ ſunt ſuper omnem terram; ſic & ſigno filii hominis apparente, in cœlo deficiet Solis lumen, & Lunæ adhuc, & ſtellarum, quaſi conſumptum à multa virtute ſigni illius.* Divinæ virtutis eſt non deponere in fine bonum, quod in principio apprehenderat; ex quo magnum documentum habeāt Crucis alumni, quod ſplendores mundiales, quos in principio à ſe abjecerunt illos uſque in finem à ſe repellentes perſeverent.

Math. 37

Origen.

Abiectio terrenorum in principio ſit, & in fine.

117. D. Chryſoſt.

Quintò D. Chryſoſt. homil. 2. in Acta ait: *Ad illum miſſum eſt regale vehiculum, ne quid triſte loquerentur: ne idem illis accideret, quod accidit Eliſæo, qui magiſtro aſſumpto in cœlum, dilaceravit tunicam ſuam.* Videns Eliſæus ſuum magiſtrum ferri in cœlum ex ingenti dolore, apprehendit veſtimenta ſua, & ſcidit illa in duas partes, 4. Reg. 2. n. 12. Ne quid ſimile eveniret diſcipulis cum Chriſtus abiret, venit nubes lucida, & reſplendens, quæ Chriſtum ſuſcepit, & inde viſa tanta gloria ſui magiſtri magno gaudio diſcipuli ſunt profuſi, & ita ſcribit D. Lucas 24. n. 51. quod poſtquam Chriſtus aſſumptus eſt in cœlum. *Ipſi regreſſi ſunt in Ieruſalem cum gaudio magno*; quod etiam notavit D. Auguſt. ſtatim dandus; Deus non patitur in ſuis triſtitiam, ſed eos vult hilares.

4. Reg. 2.

Deus vult ſuos ſervos hilares.

Luc. 24.

118. Gen. 22.

Cum Abrahamus, & Iſaac pergerent ad perficiendum ſacrificium, ait Iſaac; *Pater mi, Ecce ignis, & ligna, ubi eſt victima holocauſti? Reſpondit Abrahamus, Dominus providebit*, Gen. 22. n. 7. Cur Pater non aperit filio totam rem, & quod ipſe ſit ſacrificandus? Timuit bonus pater, ne filius in itinere cogitabundus triſtaretur, ac aliquo animi angore premeretur, ut advertit D. Ephrem oration. in Io. *Non myſterium revelavit Abrahamus, ne illo triſtitia affecto, ipſius donum inquinaretur.* Deus vult ſuos ſervos hilares, & oblatio illi facta animo triſti multum de ſuo decore perdit.

Oblatio Deo facta animo triſti diminuitur.

D. Ephr.

Sextò. D. Auguſt. homil. 7. de Aſcenſ. ſic ait: *Apparuit nubes, intravit in eam, qui educit nubes ab extremo terræ, ut oblectaret oculos eorum nubis amœnitas & irroraret eos aſcendentis de cœlo ſuavitas, ne ſola deſiderantium in animis remaneret anxietas.* Ab oculis diſcipulorum, nubes occultat Ieſum, quæ ex ſua conditione irrorat in terram, ut fieret manifeſtum quod ſic abſcondebatur Ieſus per nubem, ut ſuavem omnium cœleſtium donorum rorem, ac copiam mitteret in ſuos diſcipulos; ex quo ſanctiſſimorum virorum innata conditio, ut etiam poſt ſuum diſceſſum, ſuo interventu multa dona irrorent in nos.

119. D. Aug. *Chriſtus & ſi abſconditus ſui cœleſtem rorem mittit.*

Ait Iſaias 60. n. 8. *Qui ſunt iſti, qui ut nubes volant, & tanquam columbæ ad feneſtras*, de ſanctis Apoſtolis eſt ſermo, qui volatu veloci terram relinquentes in altum, ac cœlum volant, ſed cur potius tunc nubibus comparantur; quæ ſimilitudo illis cum nubibus, appoſitè D. Ambroſ. lib. de fuga ſæculi cap. 9. ait: *Sic igitur volate, ut dicatur de vobis, qui ſunt iſti, qui ut nubes volant? ut nebulæ veſtræ rorent iuſtitiam, & ſimplicitatem columbæ*; nebulæ & ſi fugiant ab oculis aſpicientium, tamen ſuo rore terram fœcundant ut multa germina producat; ſic & juſti, etſi per eorum diſceſſum ab intuentium oculis recedant, tamen ſuis precibus in nos cœleſtem rorem diſtillant ad multos virtutum fructus. Vide multa in meis libris, verb. Charitas.

120. Iſai. 60.

Sancti etiam poſt diſceſſum benefici in ſuos.

D. Ambr.

QUESTIO XVIII.

Quare Chriſtus D. aſcendit in cœlum per nubem cum venturus ſit ad iudicandum in nubibus cœli?

121. ET nubes ſuſcepit eum ab oculis eorum; Non omittam hic notare, quod aliqui hic conſiderant, quod dum Chriſtus in hoc ſuæ Aſcenſionis triumpho, ſub nube abſconditur, quamdam ſacræ Euchariſtiæ figuram exprimeret; nubes enim candida, & alba eſt, dum Chriſtus ſub illa regitur, ſe ipſum repræſentat, obvelatum, & abſconditum ſub ſpeciebus Sacramentalibus; ac ſi gloria, & majeſtas Chriſti nequeat oſtentari, ac manifeſtari, abſque notis, & ſignis ſacræ Euchariſtiæ, in qua maximè tota ejus majeſtas nitet, ac reſplendet.

Chriſti majeſtas cum ſignis Euchariſtia oſtenditur.

122. Quæſtio præſens eſt, quòd cum Chriſtus aſcenderet in cœlum una nubes eſt ei in miniſterium, cum tamen in ultimo adventu venerit ad judicandum, apparebit in nubibus cœli; ſic ait Chriſtus D. Matth. 24. n. 3. *Videbunt filium hominis venientem in nubibus, cum virtute multa & majeſtate.*

Ratio difficultatis. Math. 24.

123. Reſpondet primò Abulenſis ad hanc quæſtionem, quam ipſe excitat ad cap. 24. Matthæi q. 180. & ait: *in adventu Chriſti non ſolum deſcendet una nubes, ſed multiplex, ut maior honor ſit deſcendentis, eo quòd tunc omnibus, hominibus manifeſtandus: nunc verò ſolis diſcipulis, & credentibus aliis viſus eſt.* Æqualis poteſtas eſt Domini aſcendentis in cœlum, ac venientis ad judicium? Cur ergo in præſenti una tantum nubes, in judicio multiplex venit in miniſterium? Quamvis æqualis eſſet poteſtas, inæqualis erat ratio; Dominus nunc aſcendens in cœlum videbatur à paucis & amicis, qui potentiam ſuæ ſupremæ majeſtatis venerabantur. *Nunc verò ſolis diſcipulis, & credentibus aliis viſus eſt.* At verò in judicio veniet coram omnibus hominibus, & multis inimicis

Abulenſ.

Non inimici, ſed ſolum amici agnoſcūt ſuas laudes.

micis & contrariis, qui eum contempſerunt: *Vt major honor ſit deſcendentis, eo quod tunc omnibus hominibus manifeſtandus.* Amicis, ac benevolis ſpectantibus, ſat erat quod una nubes daret obſequium, ut ab eis ejus majeſtas agnoſceretur; At verò coram negantibus multiplex conveniens fuit famulatus, ut inde ejus ingens gloria, & majeſtas ab eis revereretur; Vide quæ dixi tom. 1. in Evang. lib. 2. cap. 6. n. 60. & lib. 3. cap. 3. q. 1. n. 6.

124. Secundò. *Nunc nubes ſuſcepit eum.* In judicio in nubibus cœli; tunc enim *apparebit ſignum filii hominis.* Scilicet Crux; ô Alta divinaque Providentia, quod ſanctiſſima Crux ſit in tanta veneratione, ac reverentia; quod ſi ad obſequium Chriſti, intervenit una nubes, quæ ſuſcepit eum in cœlum; At verò ad famulatum ſanctæ Crucis pro ſua ingenti majeſtate, omnes in miniſterium convocentur nubes. Tota Chriſti gloria, & majeſtas in cruce conſtituta eſt. Valde inſtanter poſtulat Moyſes à Deo: *Oſtende mihi gloriam tuam*; Exod. 33. num. 18. annuit Deus dicens: *Poſteriora mea videbis.* Ibid. n. 23. & quænam ſunt hæc poſteriora Dei, in quibus conſtituta eſt tota gloria Dei, & omne bonum? Poſteriora Dei, ſunt nempe ejus Crux, in qua tota Dei gloria, & majeſtas eſt. D. Bernard. ſerm. 61. in Cant. ait: *Poſteriora dorſi ejus in pallore auri, quæ fuſcum crucis non erubuit.* Inde ipſa columba, quæ divinitatem repræſentat maximè deaurata, ac reſplendens apparuit in poſteriore dorſi ejus, in cruce nempe ſua.

Match. 24. *Chriſtus plus vult venerari ſuam crucem, quã ſe.*

Exod. 33.

Pſal. 67. D. Bern.

125. Tertiò. Chriſtus cum deſcendet ad judicium, omnes Sancti ejus venient cum eo, & ſi quando aſcendit una nubes ſuſcepit eum, inde cum venit cum Sanctis ſuis, tunc apparebit in nubibus, ita Chriſtus exaltatur, ac glorificatur in Sanctis, & ita vult eos exaltari, ac ſublimari, ut major oſtentoſus, ſolemnis majeſtatis apparatus exhibeatur, dum Sanctis comitatus apparet *in nubibus cœli*, quam cum ipſe ſolus magno triumpho aſcendit. *Suſcepit eum nubes.* De ſe ait Chriſtus D. *Ego flos campi.* Cant. 2. num. 1. ac de Sanctis ſuis, quos Deus dedit in ſua Eccleſia, dicitur: *Emiſſiones tuæ Paradiſus malorum punicorum.* Cant. 4. n. 14. ſeu ut legit Paraphraſis Chaldaïca: *Iuvenes tui ſicut aromata optima horti voluptatis.* Ipſe ſolus eſt flos, at verò cum Sanctis ſuis eſt paradiſus, ac hortus voluptatis cum omnibus arboribus, ac aromatibus; & quamvis Deus ſit ſemper idem, & immutabilis, & nihil de novo creſcat, ita tamen exaltatur in Sanctis, ac glorificatur in eis, ut qui antea dicebatur flos campi, jam verò cum ſuis Sanctis ſit paradiſus, ac hortus omnium pomorum, ac aromatũ.

1. Theſ. 4.

Maximè vult exaltari ſuos Sanctos.

Cant. 4. Chald.

Actor. 1. *n.* 10. Cumque intuerentur in cœlum euntem illum: Ecce duo viri aſtiterunt juxta illos in veſtibus albis.

Num. 11. Qui & dixerunt: Viri Galilæi, quid ſtatis aſpicientes in cœlum? Hic Ieſus: qui aſſumptus eſt à vobis in cœlum, ſic veniet quemadmodum vidiſtis eum euntem in cœlum.

VERSIONES.

Syrus n. 1. Dum ipſe abſens eſſet, inventi ſunt duo viri.

Arabic. Dum ipſi attente conſiderarent abceſſum ejus in cœlum: Ecce duo viri in ſindone candida.

Græcus. Cum ipſi intendentes, & intenti defixis oculis euntem illum.

D. Ambroſ. ſerm. 60. Cum ipſi ſuſpenſi intuerentur.

Æthiopic. Duo viri veſtiti erant fulgore.

Pagni. Amicti veſtibus albis.

Syrus n. 11. Quid ſtatis, & ſuſpicitis eum ſcandentem in cœlum.

D. Epiph. Aſſumptum in cœlum.

EXPOSITIO II.

126. *Vmque intuerentur.* Fixis oculis in tantam Chriſti gloriam, ut ait D. Ambroſ. ita ut oculi non poſſent ſatiari, ac quieſcere à tanta majeſtatis viſione. *Ecce*, rem valde magnam, & novam notat, quæ magnam requirit attentionem, ut notat D. Athanaſius ſerm. de Deipara. *duo viri.* Communis vox Patrum, ac interpretum eſt, quod erant Angeli, aſſumpta forma, ac ſpecie virorum, maxima tamen ſplendida, ac eleganti: *In veſtibus albis.* Ut ipſa veſte alba magis ſolemnitas appareat feſtivitatis. 2. Ipſorum virorum puritatem, ac candorem, ut advertit D. Epiphan. oratione de Aſcenſ. & ideo de Beatis Chriſtum ſequentibus dicitur Apocalyp. 19. n. 14. *Exercitus, qui erant in cœlo veſtibus albis*; ut ibi dixi 3. ut veſte alba denotaretur Chriſti aſcendentis majeſtas D. Gregor. homil. 49. in Evang. ait: *Chriſto naſcente non legi candidatos Angelos apparuiſſe; qui in nativitate apparuit Deus, humilis; in aſcendente oſtenſus eſt homo ſublimis*; ut volunt D. Chryſoſt. & Beda hoc loco, *ut candore veſtis exhilarent aſtantium oculis.*

D. Ambr.

D. Atha. *Quare veſtis alba.*

D. Epiphan. Apoc. 19.

D. Greg.

D. Chryſoſt. Beda.

127. *Qui & dixerunt.* Ait Caietanus: *Non uterque, ſed alter nomine utriuſque*, ſed non videtur repugnare, quod uterque ſaltem viciſſim locutus eſſet, *viri Galilæi*, eos ſic compellantes, ut eos magis attentos reddant: & Galilæos dicunt, quia Apoſtoli ſaltem majori ex parte erant oriundi ex Galilæa, quæ erat pars Judææ, ut advertit Lyranus. *Quid ſtatis aſpicientes.* Syrus. *Quid ſtatis, & ſuſpicitis* attentis, & fixis oculis: *Ieſus, qui aſſumptus eſt à vobis* ſua propria virtute aſcendens in cœlum, *ſic veniet* ſua propria virtute formâ humanâ veniet ad judicandum.

Caietan.

Lyran.

QUÆSTIO XIX.

Quare duo Angeli, hic apparentes dicuntur viri, & non Angeli.

128. CÔnveniunt omnes, quod iſti duo viri Angeli erant, quorum proprium eſt Dei mandata, & ordinationes ad homines perferre; Dicuntur tamen viri. Primò reſpondet D. Epiphanius orat. de Aſcenſ. ait: *Viri dicuntur, ut animi robur diſcipulorum confirment. Duo, qui veritati fidem faciant.* Dicuntur viri ab effectu, quia venerunt, ut darent animum fortem, & virilem diſcipulis; & duo, quia in ore duorum, vel trium eſt omne verbum.

D. Epiphan. *Viri dicuntur ab effectu, quem præſtabant.*

Secundò Oecumenius, in præſenti ſic loquitur. *Ecce duo viri, &c. Angeli apparentes propter operationem, viri appellantur, juxta viſionis cognationem.* In veritate, ac natura Angeli erant, tamen viri nominantur, quia virorum formam, ac operationem præſtabant. Angelus ſpiritu multum diſtat ab homine corporeâ naturâ, tamen cum formam hominis apparenter induit, *juxta viſionis cognationem*, ſecundum formam, non Angelus, ſed homo dicitur, & judicatur; valde familiare eſt, ut unuſquiſque habeatur, ac cognoſcatur, ex eo quod apparet, ac ex operationibus quas quilibet exercet, ac agit.

129. Oecum. *Quilibet ex ſua apparentia, ac actionibus.*

130. Iuxta Dei mandatum cum eſſent coram Pharaone Moyſes, & Aaron; *Aaron tulit virgam coram Pharaone, & ſervis ejus, quæ verſa eſt in colubrum.* Exod. 7. n. 10. ad cujus æmulationem, vocat Pharao ſapientes, ac veneficos, & per in cãtationes Ægyptiacas *projecerunt ſingulis virgas ſuas, quæ verſæ ſunt in dracones.* Ibidem n. 12. Ecce dicitur coluber, & draco, & tamen magna differentia erat inter utrumque; nam coluber prodiens ex virga Aaronis erat verus, & legitimus; at dracones ex virgis maleficiorum, erant ficti & apparentes, ut tenent Origenes, D. Auguſtin. D. Ambroſ. Ruper. Abulenſ. Lyranus; & tamen ex apparentia de re vera, ac fictitia, ut vulgo habetur; idem dicitur, ac creditur, ut notavit D. Auguſtin. q. 21. in Exod. poſtquam hanc quæſtionem pertractat ſic ſubdit. *Cur ergo ex utraque parte, & virgæ dicuntur, & dracones, ut de figmentis illis nihil differat modus loquendi.* Ecce coluber eſt verus, ficti dracones, & tamen judicium æquale eſt in utraque parte, *Ut de figmentis illis nihil differat loquendi modus.* Imo ex Aaronis virga prodit coluber verus; ex virgis Magorum fictitii dracones, quæ ſunt multo majora, & ferociora animalia, quàm coluber, ut notat Pierius Hierogly. lib. 16. & valde frequenter, id quod fictum, ac falſum eſt, majus creditur, ac videtur, quam id, quod eſt verum, ac ſolidum.

Falſum ex apparentia verum judicatur D. Aug. D. Ambr. Origen. Rupert. Lyran. Abulenſ.

Pierius.

QUESTIO XX.

Quare Angeli hic in Aſcenſione apparentes, dicuntur viri; cùm in reſurrectione exprimantur Angeli?

131. D. Matthæus ſcribens myſterium Reſurrectionis Chriſti D. cap. 28. n. 5. ait: *Quod Angelus Domini deſcendit de cœlo, erat autem aſpectus ejus ſicut fulgur, & veſtimentum ejus ſicut nix. Reſpondens autem Angelus dixit mulieribus, ſcio quod Ieſum quæritis,* &c. Ecce in reſurrectione apparens dicitur Angelus, & hic in myſterio Aſcenſionis cum eſſent Angeli non dicuntur Angeli, ſed viri: *Ecce duo viri aſtiterunt.*

Difficultas quæſtion.

Math 28

132. Reſpondeo primò, quod etiam in reſurrectione Angeli apparuerunt in ſpecie virorum, nam ſic ſcribit D. Marcus cap. 16. n. 5. de mulieribus: *Et introeuntes in monumentum, viderunt juvenem ſedentem in dextris*; & etiam D. Lucas agens de ipſis mulieribus, ſic ſcribit cap. 24. n. 4. *Ecce duo viri, aſtiterunt circa illas in veſte fulgenti.* Et in his nulla eſt contrarietas, nam D. Marcus, & Lucas narrant ſecundum apparentiam, quam exterius exhibebant, quæ erat virorum, D. autem Matthæus ſcribit, ſecundum naturam in qua conſiſtebant, quæ erat Angelica, ut ſuo loco dixi.

Marc. 16.

Luc. 24.

133. Secundò; in reſurrectione exprimitur Angelus, qui dicebat & teſtificabat reſurrectionem, non ſic verò hic in Aſcenſione? Quia in reſurrectione perſuadenda, ac credenda major fuit difficultas, & aliqui obdurati, & increduli aſtiterunt, & ita Chriſtus D. *exprobravit incredulitatem eorum, & duritiem cordis, quia iis, qui viderant eum reſurrexiſſe, non crediderunt.* Marc. 16. n. 14. At in Aſcenſione, talis incredulitas, & duricies cordis non eſt inventa, nam Chriſtus D. ipſis aſpicientibus, qui erant ferè centum viginti aſcendit in cœlum. Cum ergo in animo acceptandæ reſurrectionis magis extitiſſet cordis obduratio, inde gravior, ac ſublimior teſtis fuit adhibendus, ut non videretur ex hoc ſeculo, ſed Angelus deſcendens de cœlo cum tanto fulgore, ac majeſtate in quo nulla poterat ſuſpicari falſitas.

Marc. 16. *Vbi major obduratio, ibi gravior teſtis requiritur.*

134. Tertiò, & moraliſſime. Angeli, dicuntur in præſenti, viri: *Ecce duo viri*: loquebantur cum hominibus: *Viri Galilæi*: At in reſurrectione ſermo erat cum mulieribus, & inde dicuntur Angeli. *Reſpondens autem Angelus dixit mulieribus.* Ut inde hauriatur magnum documentum, quod mulier pia, & ſancta, ſic debet vitare conſortium, ac colloquium virorum, ut videatur non habere ſermonem, cum homine de hoc ſæculo, ſed cum Angelo Dei veniente de cœlo.

135. Veniunt ad Abraham tres viri, Gen. 18. n. 2. qui juxta omnium ſententiã erant tres Angeli, ſicut & ille vir, qui luctabatur cũ Jacob. Gen. 32. n. 24. Angelus erat, & tamen dicuntur viri. At verò Agar Abrahami ancilla ejecta ab ejus domo cum filio ſuo Iſmaële, in magna aquæ penuria cum eſſet vocat eam Angelus de cœlo, Gen. 21. n. 17. Ad matrem Samſonis apparet Angelus de cœlo, qui dixit ad eam ſterilis es, ſed concipies; Iudic. 13. n. 3. Quid eſt hoc, quod cum Angeli veniunt ad homines, appatent in ſpecie virorum, & viri dicuntur, cum verò ad mulieres conveniunt, ut Angeli apparent, & Angeli dicuntur; Quid in hoc nobis divinus Spiritus innuit, niſi quod homines cum hominibus habeant ſermonem; At mulier, non cum altero, ſed tantũ cum Angelo de cœlo verba faciat, ac colloquatur.

Gen. 18.

Gen. 32.

Gen. 21.

Iudic. 13.

Non cum homine ſed cum Angelo ſermo.

136. Et ſi neceſſe fuerit mulieri loqui cum homine ſic breviter, & tanquam occaſionaliter, ut placeat Deo, & ejus colloquio fruatur. Sponſa ſancta ſui divini Sponſi amore vulnerata, valde ſollicita eum quærebat, & dicebat: *Surgam, & circuibo civitatem per vicos & plateas quæram, quem diligit anima mea; quæſivi illum, non inveni; invenerunt me vigiles, qui cuſtodiunt civitatem. Num quem diligit anima mea vidiſtis? Paululum, cum pertranſiſſem eos, inveni.* Cant. 3. n. 4. Valde mirum, quod illa, quæ tam vehementer, exoptabat ſuum dilectum; incidens in cuſtodes civitatis, tanquam ex officio tenebantur ſcire, omnia, quæ in civitate agebantur, ab illis tantum uno verbo ſciſcitatur; *Num quem diligit anima mea vidiſtis?* cur non longiores trahit ſermones? cur non amplius immoratur, an ſcirent, quò divertiſſet, ad quem locum ſe recepiſſet, quò abiret? cur non magis immoratur cum cuſtodibus, an ex aliquibus ſignis poſſit inveſtigare aliquid ad inveniendum ſuũ dilectum? & quod magis, cur interrogatione facta, nullum expectat reſponſum, ſed ſtatim citò volat, & recedit, divina Sponſa cum eſſet pura, & ſancta, ſciebat quam periculoſum ſit virginibus colloqui cum hominibus, & ideo uno verbo facto in tranſitu, ſtatim fugit, & declinat. Gilbertus Abbas ſer. 7. in Cant. ait: *Bonum eſt, ut ſis ad quærendum ſedulus, non tamen aſſiduus; Nam & ſponſa, non tam ex ſtudio, quam ex occaſione cuſtodes interrogat, & id in tranſitu,* & notat quod ex brevi ſermone cum cuſtodibus eſt. *Paululum cum pertranſiſſem eos inveni quem diligit anima mea.* Volunt mulieres habere Deum, & invenire Deum, panca, & tanquam ex neceſſitate commiſceant cum hominibus verba, ac cum eis loquantur.

Cant. 3.

Mulier ex brevi colloquio cum hominibus invenit Deum.

Gilber.

QVÆSTIO I.

Quare iſti duo viri non loquuntur cum ſanctiſſima Virgine Maria, ſed cum diſcipulis, quos Galilæos vocant.

137. ADerat in præſenti ſanctiſſima Virgo Maria, quæ erat prima, & principaliſſima omnium perſona,

perſona, cur cum ipſa non loquuntur, ſed totus eorum ſermo eſt cum Apoſtolis? & optimè ſane; Quia illa, quæ Angeli dicebant diſcipulis, quod Chriſtus abiret in cœlum, & quod eadem majeſtate venturus eſſet ad judicium, præclariſſime ſanctiſſima Virgo ſciebat per altiſſimam, & clariſſimam ſcientiam, ac cognitionem omnium myſteriorum, ac rerum, quæ data ei fuit in primo inſtanti ſuæ immaculatæ conceptionis, inſuper, ut docet D. Chryſoſt. ſerm. 6. de Aſcenſione habito in 6. tom. Chriſtus D. in hoc ultimo diſceſſu cum ſanctiſſima Virgine Maria habuit multa colloquia de magnis, & altiſſimis myſteriis, & cum illa tam amplam, ac profundam haberet omnium cognitionem, non fuerunt cum illa tractanda, quæ aliis erant ignota.

Virgo Maria optimè omnia ſciebat.

D. Chryſoſt.

138. Dicunt Angeli: *Viri Galilæi.* Viros Galilæos dicunt in genere maſculino, qui ſermo non excludit mulieres, quæ aderant, ut dicitur Pſalm. 1. *Beatus vir*; ſed ut advertit Lorinus honoratioris ſexus mentio habetur, & notandum quod duplex erat Galilæa. Una in Paleſtina in tribu Nephthalim, dicta gentium, nam majori ex parte à gentibus habitabatur; Altera confinis Judææ in tribu Zabulon circa Tiberiadem, & ſtagnum Genezareth; ut tradit Hieronymus de locis Hebraïcis, quæ fuit patria multorum diſcipulorum Chriſti, & quamvis aliqui ex Apoſtolis eſſent ex tribu Juda, qui dicti ſunt fratres Domini, vel etiam de alia tribu, quia communiter habitabant in Galilæa, Galilæi dicti ſunt, ſicut & cap. ſequenti n. 7. ſicut & Chriſtus D. cùm natus eſſet in terra Juda, Nazaræus dicebatur Matth. 2. n. 23. Atque etiam Galilæus dicebatur, Luc. 23. n. 6. quia ibi habitaverat, & quia libentius excipiebatur à Galilæis, quam à Iudæis, Ioan. 4. n. 45.

Pſal. 1.

D. Hier.

Galilæi à patria.

Math. 2. Luc. 23. Ioan. 4.

139. Secundò. D. Chryſoſt. & Hugo dicunt: Quod Angeli vocant eos Galilæos honoris cauſa, tanquam dignitate præeminentes, ut ita honorifico titulo diſcipulos magis ad ſe alliciant, & attentiores faciant, nam ut ait Hugo, Galilæi erant viri ſapientes, & ingenioſi; & de Galilæis ſcribit Ioſephus de bello Iudaico lib. 3. cap. 2. *Gens ingentis animi, roboriſque corporis erat, pugnax ab infantia & formidinis expers, ex tali gente Chriſtus ſuos Apoſtolos elegit, nam Deus ſuos miniſtros non ſegnes, ac deſides, ſed acres, ac alacres eſſe vult.* De iis dictum eſt: *Eſtote fortes in bello, & pugnate cum antiquo ſerpente*; & Hebræ. 11. n. 34. *Fortes facti ſunt in bello.*

D Chryſoſt. Hugo.

Ioſeph. *Deus ſuos miniſtros vult fortes.*

Hebr. 11.

140 Tertiò. Galilæi, apud Iudæos habebantur in contemptum, ac ignominiam, ſic de Nicodemo dixerunt. *Numquid tu Galilæus es; Vide quod de Galilæa Propheta non ſurgit:* Ioan. 7. n. 52. & per contemptũ Chriſtus D. dicitur Galilæus, Math. 26. n. 69. & Io. 7. n. 41. & optimè ſanè nunc Angeli Apoſtolos Galilæos vocant, quia cum eſſent in tanta dignitate conſtituti utpote Chriſti præcones, & teſtes expectantes in ſe ipſis divinum Spiritum in tanto apice dignitatis ſcirent, & haberent ante oculos principia ſuæ humilitatis, ac vilitatis.

Ioan. 6. Math. 26 Ioan. 7.

In dignitate cognitio propria vilitatis.

141. Sic & Abrahamus, cum eſſet in ſuprema dignitate ut ambularet cum Deo, cumque eo haberet larga colloquia, eſſetque Dei Secretarius; *num celare potero Abraham, quæ geſturus ſum.* Gen. 18. n. 17. cum à Deo accepiſſet illud magnum donum, quod in eo eſſent benedicẽdæ omnes gentes, quod eſt Chriſtus; tunc de ſe ait: *Loquar ad Dominum meum cum ſim pulvis & cinis*: Ibidem n. 27. Quanto major fuit dignitas, tanto major extitit in eo propria cognitio ſuæ humilitatis, ac abjectionis, D. Iſidorus Peluſiota lib. 3. epiſt. 188. ait: *Abraham divino colloquio fruens, ſe terram, ac cinerem appellat.*

Gen. 18.

Abrahamus ſe cognoſcit pulverẽ. Peluſi.

Quartò. Alluſio facta ad ſignificatum nominis, 142. rectè Apoſtoli dicuntur Galilæi ex Hebraïca voce, idem eſt, ac *tranſmigratores*, qui enim ſunt diſcipuli Chriſti, ac fixis oculis ipſum ſequuntur, debent à terra in cœlum mente, ac vitâ tranſmigrare. Unde ingeniosè D. Bernardus ſerm. 1. de Paſch. negat *rite, rectèque ſolemnitatem Paſchalem celebraſſe, qui in Galilæa non viderint Chriſtum ſuſcitatum, quæ tranſmigrationem ſignificat.* Præcipua ſolemnitas à Deo inſtituta in populo extitit Paſcha, id eſt tranſitus ſecundum ſuum ſignificatum, perbellè ait D. Bernard. non bene celebratur, niſi in Galilæa cum novitate vitæ, quando de temporali, ac terrena tranſmigratur in ſpiritualem, ac cœleſtem patriam.

D. Bern.

Ait Dominus Ieremiæ 1. n. 18. *Ecce dedi te hodie* 143. *in civitatem munitam, & columnam ferream, & in murum æreum.* Iſa. 16. n. 11. dicebat de ſe, *venter meus ad Moab, quaſi cithara ſonabit, & viſcera mea ad murum cocti lateris.* Quæ verba ſic leguntur à Nicæta in Nazianzen. orat. 43. *Venter meus ſuper Moab, quaſi cithara ſonabit & præcordia mea quaſi murus, quem innovaſti*, ecce magna fortitudo Ieremiæ exprimitur cum dicitur murus æreus; at de Iſaia non dicitur murus æreus, ſed innovatus. An, minor eſt fortitudo, ac gloria in uno, quam in altero? minime, nam eam celſitudinem, ac magnitudinem, quam unus habet in ſua fortitudine, quod ſit murus æreus, obtinet alius in ſua puritate, quod ſit innovatus murus; tanta enim fortitudo reſplendet in juſto in perſeverantia, ac in illo, qui innovatur; ſic ait Nazianze. citat. orat. *Innovatur apud alium Prophetam murus æreus, hoc eſt ni fallor, anima firma, & aurea menſque ad pietatem compuncta.* Tantum enim animi robur, ac fortitudo declaratur, cum reſiſtitur iniquitati, ac cum abjicitur, ac demittitur, & cum ipſe murus eſt innovatus, ait Propheta, *venter meus quaſi cithara ſonabit.* Suavi, ac delectabili ſono coram Deo.

Ieremi. 1. Iſai. 16.

Nicæta.

Renovatio in vita iucundiſſima Deo.

D. Naz.

QUÆSTIO XXII.

Quare per modum increpationis dicitur Apoſtolis, quid hic ſtatis aſpicientes in cœlum, cum laudabile ſit, oculos habere defixos in Chriſtum.

CUm Chriſtus aſſumptus eſſet in cœlum, ſtabant ſacri Apoſtoli, fixis oculis, fixóque pede, 144. ac corpore intuentes eum; tunc ecce duo Angeli dixerunt: *Viri Galilæi, quid ſtatis aſpicientes in cœlum;* quæ admonitionis verba, ſpeciem reprehenſionis ſubolent, & quæ in hac re objrugationis nota; Cum nil videretur magis laudabile, quam Chriſtum Deum, eorum amantiſſimum, Magiſtrum, ab eis diſcedentem, intentius aſpicere, & ab eo nec mente, nec oculis ſeparari; Cur ergo per modum increpationis eis dicitur: *Quid ſtatis*, ſeu ut habet Syriacus, *ſuſpicitis.*

Difficultas quæſtion.

Syriac.

Reſpondeo primò juxta ſeriem Text. Chriſtus D. 145. *aſſumptus eſt in cœlum*, & ejus diſcipuli ſtabant intuentes eum, & *nubes ſuſcepit eum ab oculis eorum.* Tunc cum Ieſus eſſet abſconditus ab oculis eorum, advenerunt Angeli, & dicunt *quid ſtatis aſpicientes in cœlum.* Ac ſi dicerent quandiu Chriſtus à vobis viſu percipiebatur, tunc conveniens erat, oculos defixos habere in eum, at modo cum ipſe jam diſparet, ac occultatus eſt à vobis, *ad quid ſtatis cœlum aſpicientes*; ſupervacaneus eſt veſter aſpectus, quia ipſe in hoc mundo non eſt videndus, niſi cum venerit ad judicium; ac proinde cum ille intuitus eſſet ſupervacaneus, alicujus objurgationis notam non effugit, ſic cũ Martha hoſpitio exciperet Chriſtum, & in multis præparandis eſſet occupata, ſic per modum reprehenſionis, ei dixit Chriſtus D.

Quod eſt ſupervacaneum objurgandum.

Martha,

Theoph. *Martha, Martha ſollicita es, & turbaris erga plurima; porro unum eſt neceſſarium.* Luc. 10. n. 41. Theophylactus ibi ſic loquitur: *uno nobis opus eſt, nempe ut comedamus quæluercúmque, non variis.*

146. D. Ath. Secundò. D. Athanaſ. orat. in Aſcenſ. ait: *Quid ſtatis ſuſpicientes in cœlum? Quid ſtatis? mundo miraculum hoc prædicate.* Ac ſi eis dicatur: quid hic conſumitis tempus aſpicientes in cœlum, ſurgite de hoc loco adimplentes munus veſtrum Apoſtolicum, quo vobis commiſſum eſt, prædicare Evangelium, & agere de ſalute proximorum, quod maximè hauritur, ac participiatur ex Chriſti intuitu, ac ejus mandato, & voce. Apocalip. 22. n. 17. dicitur. *Qui audit, dicat veni.* qui audit Dei vocem vocantis, ipſe etiam alios advocet, & adducat. D. Gregor. homil. 14. in Ezech. *Cui enim iam vox vocantis Dei efficitur in corde, neceſſe eſt, ut proximis per prædicationis officium, erumpat in voce, & idcirco alium vocet, quia ipſe vocatus eſt.*

Salus proximorum maximè quærenda à prædicatore. Apoc. 22. D. Greg.

147. D. Epiphan. Tertiò. D. Epiphanius orat. in Aſcenſ. ſic loquitur Apoſtolis: *Quid cœlum oculis defixis intuemini eum potius, qui cœlum condidit veſtræ mentis luminibus uſurpate, atque ſtupendam illius clementiam, animique demiſſionem, ſummi miraculi loco ducite.* Ac ſi dicat: Quamvis vos in magnam admirationem rapiat tanta gloria, ac majeſtas Chriſti aſcendentis in cœlum. tamen inter tantas ejus glorias, atque tanquam ſummum miraculum magis debetis admirari *ſtupendam ejus clementiam*, tanquam quid illius ſupremum, ſicut animi demiſſionem Aſcendente Chriſto per admirationem clamant cœleſtes Spiritus. *Attollite portas Principes veſtras, & introibit Rex gloriæ, & dicunt: quis eſt iſte Rex gloriæ.* Pſalm. 23. n. 7. Regem gloriæ clamant ob ſtupendam ejus clementiam, qui cum eſſet ſupremus Rex, gloriam condidit non ſibi, ſed ſuis creaturis, etiam admirantes ſuam humilitatem, quòd in tanta gloria ſecum fert ſigna vulnerum, ac ſuæ demiſſionis, ut meditantur D. Auguſt. Rupert. infra qu. 25.

Summa Chriſti clementia, ac humilitas. Pſal. 23.

148. Oecum. Quartò. Oecumenius ibi. *Per hoc autem, quod ait: quid ſtatis? admonet illos, ut relicta cura de hac re Ieroſolymam redirent; juxta Domini præceptum, quo dixerat ab Ieroſolyma ne diſcederent,* & rurſus: *eritis mihi teſtes in Ieruſalem, & in omni Iudæa, & Samaria, uſque ad ultimum terræ.* Erant Apoſtoli toti impenſi omnibus viribus in contemplatione, ac meditatione glorioſæ Aſcenſionis Chriſti, & aliũde habebant mandatum à Chriſto D. ut eſſent Ieroſolymis, & ibi eſſent teſtes, & prædicarent ejus admiranda myſteria. Inde Angeli per modum increpationis dicunt: *Viri Galilæi*, quid ſtatis aſpicientes, cur non facitis, quod vobis præceptum eſt ne à Ieroſolymis diſcederent, & ibi eſſent teſtes, quod bene intelligentes ſacri Apoſtoli, ut dicitur numero ſequenti, *reverſi ſunt Ieroſolym.* Et ſi Deus multum delectetur noſtra contemplatione, ac meditatione, maximè tamen ei perjucundum eſt ut quiſque de ſuo officio intendat, ac de proximorum ſalute agat, ac pro illa totis viribus incumbat.

Gratius Deo de aliorum ſalute agere, quã orare.

149. Cum Moyſes eſſet in monte in altiſſima, & fervida oratione cum Deo; Tunc populus peccavit peccato grandi adoratione Vituli; quod cum contingeret, ait Deus Moyſi: *Vade deſcende, peccavit populus tuus*, Exod. 32. n. 7. Quid eſt, quod ex eo quod populus peccavit, mandat ad populum, cum multa emphaſi dicitur: *populus tuus*: cujus tu es dux, gubernator: cum ergo tuus ſit terminum orationi impone. Ac ſi ei dicat Deus, totam curam pone in ſalutem populi, ejus delicta puniendo, ipſumque ad pœnitentiam diſponendo, ut à tanto peccato exurgens coram Deo miſericordiam inveniat; non alienus ab hoc ſenſu eſt Philipp. Abbas lib. 2. in Cantica cap. 4. ad illa verba Sponſi ad Sponſam, paſce hædos tuos, Cant. 4. Ut eos tanquam ſuos paſcat; ſic ait. *Ut curam illorum ampliorem ingerat, qua eiſdem curandis invigilet, & ad ſtatum provehat meliorem, ſicut Moyſi dixit; deſcende, peccavit populus tuus.*

Exod. 32. Magis vigilandum in ſalute populi, quam in oratione. Cant. Philipp.

Totam integram noctem cum luctamine cum Angelo conſumpſit Iacob, tandem Angelus dixit ei: *Dimitte me, jam enim aſcendit aurora*, Gen. 32. n. 26. Angelus fortior erat Iacob; cur poſtulat, ut ab eo dimittatur; & valde mirabilem rationem aſſignat; *quia aſcendit aurora*: ſeu quia dies jam eluceſcit, ſi lucta per totam noctem perduravit, cur etiam per diem non perſeverabit? Hanc luctam exponit Propheta Oſeas de Oratione cap. 12. n. 5. *Rogavit & flevit ad eum*: Inde ait Angelus Iacob: *Dimitte me jam aſcendit aurora.* Iacob erat paterfamilias, & quamvis tota nocte perſeveraſſet in oratione cum Deo, cum tamen jam dies clareſceret, conveniens eſt ut Iacob poſito termino ſuæ orationi, conſulat ſuo muneri, humaniſque negotiis vacaret, ac ſuæ familiæ invigilare deberet, Dionyſ. Carthuſ. ſic ait: *Dimitte me, quaſi dicat, hora jam imminet, in qua te oportet, circa temporalia occupari.*

150 Gen. 32. Oſæe. 12 *Pater familias dimittat orationẽ, ut familiæ conſulat.* Carthuſ.

QUÆSTIO XIII.

Quare ſacri Apoſtoli tantum ſtabant aſpicientes, & nec unum verbum dicunt, nec loquuntur?

151. QUid hic ſtatis aſpicientes. Quamquam, verbum ſtare in Scriptura, idem valeat, ac adeſſe; Ut Math. 16. n. 28. *Sunt quidam de hic ſtantibus, qui non guſtabunt mortem*, Ioan. 1. n. 26. *Medius autem veſtrum ſtetit.* Cum hæc ita ſe habeant; exiſtimo tamen quod rectè dicitur de Apoſtolis, *quid ſtatis*, quia non ſedentes, ſed pedibus, recto corpore (ut habet communis pictura Eccleſiæ in hoc myſterio) omni animo, & affectu ſtabant tanquam volentes ſequi, & concomitari Chriſtum.

Math. 16. Ioan. 1.

152. *Difficultas quæſtionis.* Quæſtio præſens eſt, cur in tam admirabili arcano Apoſtoli ſemper tacent, & nullum verbum dicunt, nec loquuntur tam inter ſe, quam cum Angelis, & aliquid dicunt, & reſpondent, cum in tam admirabili myſterio multa eſſet materia loquendi.

153. *Dolor, ac triſtitia non ſinit loqui.* Reſpondeo primo. Quod ſacri Apoſtoli, nullum verbum dicebant, tum dolore magno ex abſentia ſui Magiſtri, tum ex gaudio tantæ eius gloriæ, ac majeſtatis: vehemens dolor ſæpè vocem adimit. Iuxta crucem ſtabant Maria mater eius, & Ioan. 19. n. 25. & tamen non loquebantur, ut ponderat D. Bernard. de lamentatione Virginis, & ait: *Tacebant illi duo martyres, & præ nimio dolore loqui non poterant.* Et de D. Petro ait Ambroſ. ſerm. 48. *Petrus prorumpit ad lachrymas, nil voce precatur*; ſic & amici Iob cum veniſſent ad eum viſitandum, ſederunt cum eo ſeptem diebus, & ſeptem noctibus, & nemo loquebatur ei verbum: *videbant enim dolorem eſſe vehementem.* Cap. 2. n. 13.

Ioan. 19. D. Bern. Math. 26. D. Ambr. Ioan. 6.

154. *Gaudium intercludit vocẽ.* Sic & ſæpe vox intercluditur ex gaudio, quod non ſinit loqui. Reſuſcitatus Dominus apparuit ſuis diſcipulis cum eſſent congregati, & oſtendit eis manus, & latus; *Gaviſi ſunt diſcipuli viſo Domino*: Ioan. 20. n. 20. Luc. 24. n. 41. Valde mirum, quod videntes diſcipuli ſuum Dominum ſuſcitatum cum tanta gloria ac ſplendore, nulla verba gratulatoria proferunt, ſuumque gaudium, ac iubilum nullo verbo oſtendunt. Beda ait: *Admirati, ac obſtupefacti in tanta lætitia neſciunt loqui.* Et fortè ex hac cauſa Sunamitides accipiens filium ſuum ſuſcitatum à Parente noſtro Eliſæo gratulabunda *corruit ad pedes eius* 4. Reg.

Ioan. 20. Luc. 24. Beda. 4. Reg. 4.

4. Reg. 4. 4. Reg. 4. num. 3. ſuperabundans gaudium non ſinebat eam loqui.

155. Secundò, meritò D. Chriſoſt. ponderat ſerm. 4 de
D. Chryſoſt. Aſcenſ. Quod in monte Thabor, *Petrus cum magna fiducia reſpondit : bonum eſt nos hîc eſſe : Nunc vero, nec loqui quidem potuit aliquis diſcipulorum , nec os aperire.* In vertice Thaboris exhibuit Ieſus , quandam umbram, ac oſtentationem ſuæ gloriæ , *reſplenduit facies ejus ſicut Sol , veſtimenta ejus facta ſunt alba ſicut nix* , vox Patris de cœlo intonuit hic eſt filius meus dilectus, tunc Petrus loquitur,& audet dicere : *bonum eſt nos hîc eſſe.* Math. 17. n. 4. ex vehementi impulſu tanti gaudij. At verò nunc , cum
Math. 17. Dominus glorioſè aſcendit, & portæ cœli tunc primùm reſciantur , & tota cœleſtis Angelorum curia
Cœleſtis gloria nõ poteſt explicari verbis. obviam venit ſuo Domino, & Angeli deſcendùt de cœlo ad Apoſtolos admirantes , & dicunt: *Viri Galilæi,quid ſtatis aſpicientes in cœlum.* Cur Apoſtoli tunc nec loquuntur, nec reſpondent, ſed tacent? Ut olim Petrus dixit in Thabor : *Bonum eſt nos hic eſſe*: & ſi ad umbram, & ſimilitudinem gloriæ homo loquatur,tamen à magnificentia, ac celſitudine veræ, ac propriæ gloriæ ita mens obtuitur, ac obſtupeſcit, ut nec unum verbum valeat proferre , ſed cum ſubmiſſione, videre , ac contemplari.

156. Ait divina Sponſa. *Egredimini filiæ Sion,& videte regem veſtrum Salomonem in diademate , quo coronavit illum mater ſua in die deſponſationis illius , & in*
Cant. 3. *die lætitiæ cordis ejus.* Cant. 3. n. 11. ubi juxta multos Patres apud Cornelium , ſermo eſt de corona
Hebr. 2. gloriæ, quam Chriſtus D. habet in cœlo , juxta illud Pauli Hebræ. 2. n. 6. *Videmus Ieſum per paſſionem gloria, & honore coronatum.* Tamen merito dubitabis quare non exprimitur quale ſit hoc diadema , an ex auro,vel argento, ut maximè declaratur de ejus ferculo : *Ferculum fecit ſibi Rex Salomon de lignis Libani, columnas eius fecit argenteas , reclinatorium aureum,aſcenſum purpureum , media charitate conſtra-*
Cant. 3. *vit.* Cant. 3. n. 9. & 10. ſi tantus eſt ſermo in explicando ferculo.cur nec unum verbum de diademate?
Philipp. Philippus Abbas lib. 3. in Cant. *Quale ſit diadema an ex auro, vel argento non dicitur, ut de ferculo , ſed contemplatione habetur.* Ferculum eſt geſtatorium in via,& per hoc denotatur gloria, quam Chriſtus ha-
Cœleſtis gloria nõ dicenda , ſed contemplanda. bet in ſua Eccleſia militante , ejus Libani perduratione argentea veritate doctrinæ Doctorum , aurea fidelitate miniſtrorum aſcenſu purpuris innumerabilium martyrum , eximia charitate qua à ſuis ſervis diligitur , & amatur,ſermone explicari poteſt.at gloria , & honore, quo in cœlo coronatur, *non dicitur, ſed contemplatione habetur.* Vide tom. 2. Apoc. cap. 21. quæſt. 16. n. 135. 136. 137.

QUÆSTIO XXIV.

Quare ſacri Apoſtoli , cum Chriſtus aſcenderet in cœlum , nullum dant ſignum triſtitiæ, ut fecit Eliſæes cum videret ſuum Magiſtrum Eliam aſcendentem?

157. CUm Eliſæus vidiſſet ſuum Magiſtr. Eliam aſcendentem in cœlum , voce magna clamat: *Pa-*
4. Reg. 2. *ter mi, Pater mi, currus Iſrael, & auriga ejus,& non vidit eum amplius : apprehendit veſtimenta, & ſcidit illa in duas partes.* 4. Reg. cap. 2. n. 12. Cur Eliſæus tot verbis, ac doloris ſignis oſtendit ſui animi angorem in diſceſſu ſui Magiſtri Eliæ, non verò ſic Apoſtoli , nec tale ſimile faciunt , an minus amabant , quam Eliſæus ? abſit, & multo magis amabant ; cur ergo talia ſigna non exhibent ?

158. Præclarè reſpõdet D. Chryſoſt. ſerm. de Pentecoſt. *Nec hoc faciunt Apoſtoli,quod Eliſæus feciſſe docetur, conſcidit veſtimentum , cum Magiſtrum viderat elevatum ad cœlum; Non enim habuit præſentem Angelum, qui Eliam promitteret advenire ; Ne igitur iſti hoc faciant , ideo Angeli ſtabant , & animis eorum , triſtitiæ ſolatium relevantes.* Ploret , & luctum habeat Eliſæus, qui abeuntis amici , ac Magiſtri , non certificatur de reditu ; non verò Apoſtoli lugeant , nec ſigna triſtitiæ oſtendant , ſed magnam conſolationem accipiant , cum de ſui Domini reditu cum magna gloria,& majeſtate certi facti ſunt ; & ideo mitti ſunt Angeli,ut ſacris Apoſtolis darent tantum levamen cum reiterato adventu ſui Magiſtri.

D. Chryſoſt. *Quid de amici reditu eſt certus non lugeat.*

159. In ultima cœna erant ſacri diſcipuli maximè triſtes,ac conturbati de morte Domini,& ait illis Chriſtus : *Non turbetur cor veſtrum , neque formidet ; audiſtis quia ego dixi vobis , vado , & venio ad vos.*
Ioan. 14. n. 28. Ac ſi dicat: Non anxietur,ac affligatur cor veſtrum, quia ſi ego per meam mortem vado à vobis , ita etiam per meam glorioſam reſurrectionem. veniam ad vos. Noſter D. Cyrill. Alexand. ad citatum locum ſic ait , *Quoniam non abiturum ſolum, ſed rediturum me affirmavi, cur quòd mœrorem adferre poteſt,animo ſolvitis,& quod lætitiæ cauſa eſt , non recordamini.* Magnam conſolationem dat Chriſtus ſuis diſcipulis,ut dolor acceptus ex ejus morte, mitigaretur certa ſpe reſurrectionis ; vult enim Chriſtus,ut ſui non ſint mærore confecti,ac depreſſo animo. Vide ſupra qu. 17. n. 118. & 119.

Ioan. 14. *Chriſtus vult ſuos diſcipulos hilares, & nõ triſtes.*

QUÆSTIO XXV.

Quare cum Chriſtus D. aſcenderit benignus , & clemens , & veniet ad iudicium ſeverus , & aſperus : dicitur quod ſic veniet quemadmodum vidiſtis aſcendentem.

160. SIc *veniet*, inquiunt Angeli , nempe ad judicium, & de ipſo ultimo adventu eſt ſermo, ita communiter Patres,Tertull. lib. de carne Chriſti cap. 24. & lib. de Reſurr. cap. 31. D. Ignat. epiſt. ad Smin. D. Leo, D. Cyprian. D. Epiphan. in ſermonibus de Aſcenſ. D. Auguſt. ſerm. de Aſcenſ. & de tempor. 180. hoc loco, D. Chryſoſt. Beda , Carthuſ. & alij.

Tertull. D. Ignat. D. Leo. D. Epiphan. D. Dypr. D. Chryſoſt.

Ex quo inſurgit grandis quæſtio quomodo dicitur ſic veniet , quemadmodum aſſumptus ? Chriſtus aſcendit in cœlum totus benignus , & clemens , veniet terribilis,& ſeverus,quomodo ergo ſic veniet, quemadmodum aſſumptus ? Quid habet clementia cum duritia ; benignitas cum ſeveritate ?

16. *Difficultas quæſtionis.*

162. Reſpondet primo D. Auguſt. ſerm. 179. de tempore, & ait : *Sic veniet clavorum vulnera illæſa demonſtrans , & foraminum cruenta monilia vobis filiis ſponſi cum coronam exhibebit cœleſtis imperij , crucis vulnera non mutabit , quia ſignum filij hominis fulgebat.* Nota verba Text. *Ieſus,qui aſſumptus eſt à vobis,* ſic veniet vobis , aſcendit portans vulnerum ſigna , afferens illa ſuo æterno Parenti : ſic veniet oſtendens eadem vulnera , ac ſignum filij hominis nempe crucem ſuam oſtendens quibus, & talibus ſignis,præparavit vobis ſponſi filiis coronam gloriæ, quæ vobis præparata eſt à conſtitutione mundi. *Vobis filiis ſponſi exhibebit coronam cœleſtis imperii.*

D. Aug. *Chriſtus ſuavis ac benefícus ſuis.*

163. Secundò, Galfridus apud Tilmannum in Allegoriis ad cap. 21. Lucæ. *Nec modo* , ait , *adventus eius poſterior à priore longè alius erit, ſed ipſa eius qualitas valde diſſimilis , ſiquidem turbulentiſſimo ſæculi tempore veniet eius reparare ſtatum cum pacatiſſimo tempore , veniet prædicare contemptum. Occultum ſe prebuit in ſæculi gloria , ſed manifeſtabitur in ruina. Va qui apparere in proſperis , latere cupit in adverſis,*

Galfrid.

nec

In proſperis modeſtia, in adverſis animoſitas.

nec caput dimittunt inter proſpera humiles, nec levant inter adverſa ſecuri. In primo adventu venit Chriſtus humilis, abſconditus, & pacificus. In ſecundo veniet manifeſtus, glorioſus, & ſeverus. Unde tanta adverſitas? Hanc ipſe non fecit, fecerunt tempora. In primo adventu, toto orbe in pace compoſito, omnia multa ſuavitate, ac quiete florebant. At in ſecundo adventu omnia terribilia, *exurgent prælia, & ſeditiones, & terræmotus magni erunt per loca, & peſtilentiæ, & fames*; Luc. 21. n. 9. Chriſtus D. veniens inter proſpera, & pacifica exhibuit, ac declaravit ſuam ſuavitatem, ac modeſtiam; Inter ſeditiones, ac oppreſſiones, & prælia, oſtentabit ſuam magnitudinem, ac potentiam ſuæ fortitudinis, ac animoſitatis.

Luc. 21.

164 Galfrid.

Quod confirmat citatus Galfridus dicens: *His autem fieri incipientibus terræ ſcilicet motibus, confuſione ſonitus maris & fluctuum, ſignis in Sole, & Luna, & Stellis, levate capita veſtra. Non expectemus, ut mundus nos obruat, quia neceſſe eſt ruat; Dimittamus in proſperis capita, ne vanitatis aura nos capiat; levemus in adverſis capita ne nos torrentis mergat unda, vel trahat; levandum eſt caput, & reſiſtendum his, qui dicunt incurvare.* Ponderat Mag. Doctor. Quod dicitur Luc. 21. n. 28. *His autem fieri incipientibus reſpicite, & levate capita veſtra.* E contra Eccleſia clamat. *Humiliate capita veſtra Deo*: Si humiliandum eſt caput, quomodo elevandum. Humiliandum in proſperis, ne ex tanta felicitate *vanitatis aura vos capiat*; tempore vero tribulationis, ac contradictionis, animosè levandum eſt caput ad ſubſtendum; *Levemus in adverſis capita, ne nos torrentis mergat unda, vel trahat.*

Luc. 21. Eccleſia.

Humilitas in proſperis, animoſitas in adverſis.

165 D. Aug.

Tertiò. D. Auguſt. ſerm. 7. de Aſcenſ. ait: *Sic veniet quemadmodum vidiſtis eum euntem in cœlum; non veniet vobis terribilis; ſic veniet in ipſo corpore, vobis in amore, impiis in terrore; beati quibus dicitur, ſic veniet, quemadmodum vidiſtis eum euntem in cœlum; nunquid ſic veniet oculis peccatorum? erit ipſa veritas, ſed non erit ipſa ſecuritas. Dies erit timendi judicii, deſcenſus Angelorum.* Sic veniet vobis electis, & dilectis, terribilis, & durus, & terribilis, maximè cum veniat cum miniſtris: *deſcenſus Angelorum*: Deus cum miniſtris maximè timendus, nam ubi Deus ſolus, ibi pietas, ex adjunctis creaturis ibi ſeveritas, & rigor, ut ponderavi tom. 4. in Evang. cap. 27. de Prodigo q. 18. n. 139. 141. 142. ſolus ut clemens aſcendit, veniet ſeverus, & terribilis cũ miniſtris.

Chriſtus ſolus clemens, cum miniſtris ſeverus.

166 Rupert.

Quartò. Rupertus lib. de timore cap. 8. ait. *Qualem viderant eumtem in cœlum? viderant euntem cum forma ſervi, viderant in manibus ejus, & pedibus ejus fixuram clavorum, viderant latus ejus lancea vulneratum, & talem ſuſceperant nubes ab oculis eorum. Grande, & dulce gaudium intuentium, quia talis elevatus eſt, & grandis timor, ac tremor expectantium, quia talis ſic veniet, nempe ad judicium*, Viderant euntem Dominum cum forma ſervi, & cum ſignis clavorum, talem videbunt, & venientem ad judiciũ. *Grande, & dulce gaudium intuentium* electorum, qui tantum, & talem habuerunt Dominum, qui pro eorum ſalute tot, & talia pertulit. *Grandis, timor ac tremor expectantium* iniquorum ſupremum Regem, qui tanta in ſuo corpore pro ipſis lucrandis pertulit, & ipſi in omnibus contemnentes grandia crimina commiſerunt.

Vulnera Chriſti gaudium juſtis, timor iniquis.

167

Quintò. Ponderatione digniſſimum. Cur in die tantæ ſolemnitatis, ac feſtivitatis Aſcenſionis Chriſti, obiicitur ante Apoſtolorum oculos horribile, ac tremendum judicium; paulo antea ſupra n. 8. promiſerat eis Chriſtus D. ſupremum munus adventis Spiritus ſancti, & inſuper, *eritis mihi teſtes in Ieruſalem, Samaria, ac univerſa terra.* Conſtituerat eos Doctores, ac Magiſtros in univerſo mundo, ideo eis proponitur finale judicium; ſciant quod quamvis ſint elevati in tanto dignitatis apice, quod adveniet judicii tempus, in quo de tanto munere commiſſo reddituri ſint rationẽ. Ultimo apparens Chriſtus ſuis Apoſtolis: *exprobravit incredulitatem eorum, & duritiem cordis*, Marc. 16. n. 14. & poſtea ſubdit: *euntes in mundum univerſum prædicate Evangelium omni creaturæ.* In quo eos conſtituit Principes in univerſo Orbe; tamen prius increpavit eos, ſciant quod adeſt ſupremus Dominus, qui valet judicare, & diſcernere inter unum, & alterum, bonum laudare, ac præmio afficere, malum reprobare, ac increpare, & etiam pœna mulctare.

Marc 16.

Sciant miniſtri quod ſint reddituri rationem.

In prima orbis conditione, dixit Deus: fiat lux, & facta eſt lux; dixit Deus fiat firmamentum; dixit Deus producat terra herbam virentem; dixit Deus fiant luminaria magna; dixit Deus: producant aquæ reptile animæ viventis. At cum ad creandum hominem devenitur diverſa forma verborum utitur. *Formavit Dominus Deus hominem.* Gen. 1. n. 7. In aliis rebus condendis, dicitur Deus tantum, at vero in creatione hominis, non dicitur ſolum Deus, ſed *Dominus Deus*, quod optimè notavit Tertullianus lib. adverſus Hermo. cap. 5. *In principio fecit Deus cœlum & terram, & dixit Deus, fecit Deus, vidit Deus, nuſquam Dominus; at ubi univerſa perfecit, ipſum quoque vel maximè hominem, qui propriè Dominum intellecturus erat, Dominus etiam appellatur; ac inde Dominus, qui retro Deus tantum.* Cur ergo dum creatur homo, non dicitur ſolum Deus, ſed Dominus Deus? conditus fuit homo, *ut præſit piſcibus maris, & volatilibus cœli: Dixitque ei Deus creſcite, & multiplicamini, & replete terram, & ſubiicite eam, & dominamini piſcibus maris.* Ibid. n. 17. Creatus eſt homo ut eſſet princeps, ac dominator totius terræ, ideo in ejus formatione omnium creator dicitur *Dominus Deus.* Ut in tanto rerum faſtigio cautus ſit homo certo ſciens, & agnoſcens, quod habet ſuperiorem, ſupremum Dominum, qui cuncta eſt diſcuſſurus, quia ſicut ab eo accepit omnia, ſic ab eo de omnibus eſt judicandus, de omnibus reddenda ratio.

168 Gen. 1. Tertull.

Miniſtri habent Dominũ cui dabunt rationem.

QUÆSTIO XXVI.

Quare duo Angeli venientes ad Apoſtolos, brevi ſermone habito ſtatim volant, & recedunt.

169

VEnerunt duo Angeli cum ſtolis albis pro ſolemnitate tantæ feſtivitatis, & ſimul ut conſolationem darent Apoſtolis, cur ergo brevi verbo dato ſtatim recedunt; Quod ponderavit Tilmannus in Allegoriis, & ait: *Mirum, & inquiſitione dignum videtur, cur tam pauci miſſi ſunt? Cur tam pauca locuti, cum & rei dignitas atteſtantium poſceret multitudinem, & Apoſtolorum deſolatio non modica conſolatione indigeret.* Nota ſequentia verba: *Idcirco tam pauci venere, ne tam feſtis deeſſent ſolemnibus, & venere, recreſſu celeri novis gaudiis ſe ſe admiſcuerunt, quia ſufficiebant ad tantam diei ſolemnitatem, ſicut & in die reſurrectionis duo Angeli venerunt*, Luc. 24. n. 4. Tam pauca locuti ſunt, & ſtatim quia illa brevis locutio ſufficiens erat ad eruditendũ Apoſtolos; ac ad eorum mæſtos animos conſolandum, ſuo officio fideliter peracto, ſtatim celeriter ad cœleſtem contemplationem remearunt. Optimi miniſtri, munere ſibi commiſſo expleto, in nullo alio ſe miſcent, ne ſordeſcant.

Boni miniſtri non excedunt ſuã commiſſionẽ.

170

Cum Zacharias eſſet offerens in templo, apparet ei Angelus Gabriel, & cum multa prænunciaſſet, de nativitate

nativitate Baptiſtæ, ſubdit Angelus: *Ego ſum Gabriel, qui aſto ante Deum, & miſſus ſum loqui ad te, & hæc tibi evangeliſare*; Luc. 1. n. 19. duo dicit Angelus de ſe, quod ſit aſtans ante Deum, deinde quod *miſſus eſt loqui ad te, & hæc tibi evangeliſare*; hoc ſecundum ſufficiebat, ad quid addit, quod eſt Angelus aſtans ante Deum; tam familiare eſt miniſtris aliquid de ſuo addere, vel dicere, quod, ut crederetur Gabrielem ſincere dicere, & evangelizare ea ad quæ miſſus erat, fuerit neceſſarium exprimere, quod erat Angelus, & unus ex primariis, qui aſtat ante Deum; D. Chryſoſt. in Caietan. ait: *Vt cum audias à Deo miſſum fore, nihil humanum exiſtimes ex his, quæ tibi dicuntur, neque ex me loquor, ſed mittentis relata denuntio. Hæc eſt enim nuntii bonitas, ut nihil ex ſe referat.*

Luc. 1.

Solum miniſter de cœlo non addit aliquid de ſuo.

D. Chryſoſt.

De Dei mandato parens Elias unxit Eliſæum Prophetam pro ſe, miſſo pallio in eum; tunc Eliſæus ait: Oſculer, oro patrem meum, & matrem meam, & ſic ſequar te; cui ait Elias, *quod meum erat, feci tibi, vade*, 3. Reg. 19. n. 20. Quid eſt quod cùm Eliſæus poſtulat facultatem ab Elia oſculandi, ac ſalutandi parentes ſuos, Elias reſpondet: *Quod eſt meum feci tibi*: Ac ſi diceret, quod mihi eſt commiſſum, ac quod mei muneris eſt, feci, à reliquo abſtineo, & non me intromitto, ſed quæ ad te ſpectant, tu age. Abulenſ. ibi q. 26. ait in perſona Eliæ: *Quod meum erat, id eſt, quod mihi erat juſſum à Deo fieri, jam feci, nunc ſupereſt ſolum, ut tu agas, quod ad te pertinet.* Vide tom. 3. in Evang. cap. 18. deſignantur ſeptuaginta n. 9. & 10.

171.

3. Reg. 19

Dei miniſter ſolum agit, quæ ei jubentur.

Abulenſ.

Act. 1. n. 12. Tunc reverſi ſunt Ieroſolymam, à monte, qui vocatur Oliveti, qui eſt juxta Ieruſalem, Sabbati habens iter.

Num 13. Et cum introiſſent in Cœnaculum, ubi manebant Petrus & Joannes Iacobus & Andræas, Philippus, & Thomas, Bartholomæus & Matthæus, Iacobus Alphei & Simon Zelotes, & Iudas Iacobi.

N. 14 Hi omnes erant perſeverantes unanimiter in oratione cum mulieribus, & Maria matre Ieſu, & fratribus ejus.

VERSIONES.

Syrus n. 12. Qui vocatur domus olivarum, qui eſt juxta crepidinem, &c. & diſtat ab ea ſeptem ſtadiis.

Antiquus Codex. A monte trium luminum.

Arabic. Regreſſi ſunt de monte nuncupato, monte Olivarum proximo Ieruſalem ſpatio itineris Sabbati.

Æthiopic. Qui remotus eſt ſpatio curſus viri, quod eſt iter primi Sabbati.

Syrus n. 13. Aſcenderunt in Cœnaculum, in quo degebant Petrus, & Ioannes.

Arabic. In quo morabantur.

D. Chriſoſt. In quo erant permanentes.

Oecum. Manſitabant.

Syrus n. 14. Erant perſeverantes in oratione una anima; erant aſſidui pariter in oratione, & ſupplicatione.

Caetan. In deprecatione, & obſecratione.

EXPOSITIO VII.

172. Verſ. 12. ¶ *Tunc reverſi ſunt Jeroſolymam*, adimplentes Chriſti D. mandatum, quo præceperat, Luc. 24. num. 49. *Vos autem ſedete in civitate, quouſque induamini virtute ex alto,* & hic etiam ſupra num. 4. *Converſcens præcepit eis ab Ieroſolymis ne diſcederent*: & ſequitur Text. *à monte Oliveti*; ex quo bene infertur Chriſtum ex monte Oliveti aſcendiſſe in cœlum. *Sabbati habens iter*: non quod Chriſtus aſcenderit in cœlum die Sabbati, ut putavit D. Chryſoſt. & deſignatur diſtantia, quanta erat à monte Oliveti uſque ad Urbem, quæ licebat Iudæis per iter agi, ut permitterentur Iudæis in die Sabbati; nam Iudæi multa religione Sabbatum obſervabant.

Luc. 24.

D. Chryſoſt.

173 Editio Roman.

Verſ. 13. *Et cum introiſſent in Cœnaculum, aſcenderunt*; ſic habet Romana editio: ſed juxta radicem Græcam disjungendum eſt. Cum introiſſent, ſcilicet, in urbem, vel domum: *In Cœnaculum aſcenderunt*: in ſuperiorem domus partem, quod factum ex duplici cauſa, ut notant Gloſſa, Lyranus, Hugo; & prima, ut eſſent ſecretiùs propter timorem Iudæorum, quia adhuc non erant Spiritus gratiâ roborati; Secunda, ut ibi vacarent libentius, ac quietius orationi.

Gloſſa. Ly an. Hugo.

174

Petrus, tam hic quam paſſim in Evangelio primus nominatur, ut prima perſona Eccleſiæ, ac caput Apoſtolorum. *Iacobus Alphæi*: ſcilicet, ejus filius, qui dicitur minor ad differentiam alterius Iacobi, & fuit primus Epiſcopus Ieroſolymorum: *Simon Zelotes*: ſeu Cananæus, ita dictus Hebraicè Cananæus, id eſt, Zelotes, alii, quia erat ex Cana Galilææ; *& Iudas Iacobi*: id eſt frater Iacobi minoris, & etiam filius Alphæi, erant iſti quatuor fratres ſanctiſſimi; Iacobus minor, ſeu Alphæi, frater Domini appellatus; Ioſeph, Simon Zelotes, & Iudas, Matth. 13. num. 55. Marc 6. n. 3. omnes ſunt cognati Chriſti, ex quibus tres elegit in Apoſtolos, ſcilicet Iacobum, Simonem, & Iudam. Alta, & divina Providentia D. Lucas hic expreſsè ponit nomina omnium Apoſtolorum, quia tempore Paſſionis, omnes Apoſtoli, relicto eo, fugerunt, Math. 26. n. 56. Marc. 14. n. 50. Ut ita apertè cognoſcatur, quod tempore Aſcenſionis omnes erant jam congregati, & uniti cum Chriſto: de excellentiis Sanctorum Apoſtolorum latè tom. 2. in Apoc. cap. 21. à q. 24. & deinceps.

Math. 13 Marc. 6.

175 Arabic. Syrus.

Verſ. 14. *Hi omnes erant perſeverantes in oratione*; ſeu ut legit Arabic. *Aſſidui pariter*. Text. *unanimiter*. Syrus: *Vna anima*: In his denotatur magna excellentia orationis, tum ex aſſiduitate, ac perſeverantia, tum ex unitate cordium, ac animorum, ut notant Beda, & Hugo: *Cum mulieribus*: de quibus fit mentio Matth. 27. n. 56. *Et Maria matre Ieſu*: quæ erat prima, & principaliſſima perſona, & ut mater; *& fratribus ejus*: id eſt, cognatis, ſeu diſcipulis, ſeu viris ejuſdem religionis, de quo latius infra q. 30.

Beda. Hugo. Math. 27

QUÆSTIO XXVII.

Explicantur dies, & locus Aſcenſionis, & iter Sabbati, ac Cœnaculum, in quo manebant Apoſtoli.

176 Quatuor in hac quæſtione ſunt notanda. Primò dies Aſcenſionis Chriſti. Quo die Chriſtus D. mortuus ſit, jam tractavi tom. 5. in Evang. lib. 8. c. 14. q. 4. Communis ſententia eſt, quod mortuus, ac crucifixus eſt die 25. *Martij*, quo die eſt incarnatus, ita Tertull. lib. contra Iudæos cap. 8. D. Chryſoſt. ſer. de nativit. S. Ioan. Bapt. D. Aug. lib. 18. de Civit. cap. ult. D. Tho. in c. 2. S. Ioan. & multi alii Doctores: & hanc ſententiam tenet Eccleſia in Martyrol. die 25. Martij, ita habet: *Ieroſolymis commemoratio S. Latronis, qui in cruce Chriſtum confeſſus eſt ab eo meruit audire hodie mecum eris in Paradiſo.* Mortuus noſter Salvator die 25. Martij, reſurrexit die 27. Martij, aſcendit in cœlum die 5. Maij. Miſſus eſt Spiritus S. die 15. Maij.

Quo die Chriſtus aſcendit. Tertull. D. Chryſoſt. D. Aug. D. Tho. Martyrol.

Lucius Dext. Idemque docet Lucius Dexter in sua chronica eodem die. De hora verò qua Christus ascendit jam dixi supra q.7. n.41.

Locus Ascensionis.

177. Extitit mons Oliveti & patet ex præsenti text.n. 12. De sacris Apostolis post Christum assumptum in Cœlum dicitur, *Reversi sunt Ierosolymam à monte Oliveti.* Ludulphus 2. p. de vita Christi cap.82. ex antiqua editione legit: *a monte trium luminum*: quia mons Oliveti de nocte, inquit, ex parte Occidentis illuminabatur igne templi; mane ex parte Orientis, radiis Solis, quibus statim fulgebat; tertio ex copia Olei, qua abundabat; quæ tria conveniunt Ecclesiæ, ut inquiunt Glossa, Rabanus, Hugo. Habet lumen doctrinæ inter tenebras errorum Hæreticorum; habet lucem solis in administranda justitia, habet & copiam olei, scilicet, puritatem conscientiæ in multa charitate.

Ludulph. *Cur Christus de monte Oliveti ascendit.* Glossa Raban. Hugo.

178. Mons Oliveti, qui sic dicebatur à multis Olivis, quibus consitus, ac fertilis erat ab hoc monte Christus ascendit in cœlum. Primò quia ibi extitit initium Passionis Christi, ibi à Iudæis comprehensus est, conveniens fuit, ut ibi esset initium Christi gloriæ. Secundò Christus frequenter ibi oravit ad Patrem ac pernoctavit; Luc.21. n.38. & cap.22. n.39. & aliis locis.

Luc.21. Luc.22.

179. Tertiò, oleum seu Olivetum, significat, misericordiam, quam Christus nobis dedit, & secum asportavit in cœlum. *Oleum effusum nomen tuum.* Cant.1.n.2. Quartò Olivæ referunt, ac denotant Christi nomen, quod ab unctione derivatum est, & ideo de nota, ac signo sui nominis ascendit in cœlum, & denotatur quod de Christi nomine habebimus, ut felicia itinera sequamur ad gloriã, ut Arator. lib.1. in Acta cecinit.

Solum Christi nomine iter ad cœlum. Arator.

Divinus commendat odor, cum desuper unctos
Abluit interius Christi de nomine Chrisma.

180. Quintò. Hugo & alii cum Glossa. Inde ascendit Christus in cœlum, unde Antichristi Sathanas morte inflicta ab Angelo est casurus in infernum. Sextò: Vallis Iosaphat subjacet monti Oliveti, & exiguum spatium interjacet ex eo ad urbem Ierusalem, ex ipso monte Christus in cœlum ascendit in quo in fine mundi est venturus judicare, ut Iudæi, & infideles, qui noluerunt gustare dulcissimum mel suæ doctrinæ, experiantur amarissimum fel suæ sententiæ damnationis æternæ:

Glossa. Hugo.

181. De tribus miraculis, quæ usque hodie etiam inter Turcas perseverant, quod ibi sint Christi vestigia tanquam in cera impressa, quæ nunquam potuerunt deleri. Secundum, quod locus ille nunquam passus fuit tegi, marmore, vel alia re. Tertium, quod ibi ædificato templo, illa pars, per quam Christus ascendit, nunquam potuit tegi: Hoc latius tractavi tom.5. in Evangelia lib.9. cap.10. q.15.

Tria miracula.

Iter Sabbati.

182. Id est distans à Ierusalem tanto spatio, quanto licitum erat Iudæis agere in Sabbato, quod erat modicum spatium. In hac re multiplex Auctorum sententia, & multis missis, de quo commentatores latius agunt, breviter sententiam D.Hieron. sequor Epist. 151. ad Algasiam q.10. ubi ex Rabbinis iter Sabbati definit esse ambulationem bis mille pedum. Bis mille pedes faciunt 400. passus; & hæc sententia mihi placet, & Lorino, ac aliis recentioribus, quia Iudæis in Sabbato solum licitum erat agere modicum iter; ut patet Exod.16.n.29. ubi mandatur: *Maneat unusquisque apud semet ipsum, ne egrediatur de loco suo die septimo.* Proindeque 400. passus parum plus quam quartam partem unius milliarii explent.

D Hier. Lorin. Exod.16.

Ioseph lib.6. de bello Iudaic. cap.5. à radice montis Oliveti usque ad Ierusalem numerat 625. passus, à cacumine mõtis ex quo Christus ascẽdit numerat passus 750. qui efficiunt dimidium milliare Italicum. Torrens autem Cedron interjacet inter montem & Ierusalem, & hæc sententia etiam est probabilis, & eam tenent Cornelius à Lapide, & alii. 183. Ioseph. Corn.

Cœnaculum.

Antiqua fuit consuetudo apud veteres Hebræos ac Romanos, ut ex multis Auctoribus, ac etiam ex jure civili testatur Tiraquellus in Alexandrum ab Alexandro l.3. c.14. in superiore parte domus amplas aulas habere, ad cõvivia, & cœnas, ac cœtus celebrãdos. 184. Tiraq.

Cujus autem hoc cœnaculum, seu domus fuerit, & in hoc multa est Auctorum varietas. Nicephor. lib.1. Historiar. cap.23. Cedrenus in suis Annalibus, existimant fuisse Ioannis Evangelistæ; Theophyl. in c.26. Math. putat fuisse Simonis Leprosi. Euthym. Maldona. Noster Beauxan. ad citatum cap.26. Math. tenent fuisse Iosephi ab Arimathia, vel Nicodemi, vel alterius viri divitis ex Christi discipulis occultis. 185. Niceph. Cedren. Theoph. Euthym. Maldon. Beaux.

Probabilius est, ut ex multis probavi tom.5. in Evangelia lib.7. cap.4. q.3. n.28. fuisse domum Mariæ matris Ioannis, qui cognominatus est Marcus, fuit consobrinus Barnabæ, in cujus domum Petrus è carcere liberatus se recepit; Actor.12.n.12. Atque in ipso resurrectionis die Christus apparuit discipulis; In illaque ipsa die Pentecostes Spiritus Sanctus missus; in illaque ultimam cœnam cum suis Apostolis celebravit, in ea Petrus è carcere eductus cæteros Apostolos ad preces collectos invenit. In cujus rei memoria consecrata est Ecclesia in monte Sion, ut testatur D.Hieron. Epist.27. Beda de locis sanctis c.23. qui etiam addunt, quod ibi reposita est columna, ad quam Christus alligatus, flagellatus est. 186. Actor.12. D. Hier. Beda.

QVÆSTIO XXVIII.

Quare sacri Apostoli cum mulieribus, tanta instãtia erant perseverantes in oratione?

ERant perseverantes Apostoli *unanimiter in oratione cum mulieribus*, Una eadem domo, ac loco, erant Apostoli simul cum mulieribus, nec ab illis erant separati; & quando tunc Apostoli erant simul cum mulieribus, cur modo tanta in Ecclesia cautela, ut mulieres maximè sint separatæ à virorum loco, rem optimè explanat D.Chryso. Homil.74. in Math. & ait: *Apostolorum etiam tempore, unà viri, & mulieres orabant; & mulieres, veræ mulieres; viri similiter veri erant; Nunc è contrario, mulieres quidem meretricum sibi mores assumpserunt, viri autem furorem equorum, imitantur.* Hanc miseram conditionem hujus sæculi, maximè deplorat sanct. Sixtus Papa Epistola de malis Doctoribus, ubi post multa sic ait: *Væ misero mihi, nondum nulla, seu virorum, seu feminarum adhuc fuerat celebrata divisio, & tamen illorum rudes meliores erant, quam nostri temporis perfecti.* 187. *Multum distant mores hujus temporis à primitiva Ecclesia.* D Chryso. S. Sixtus.

Erant perseverantes in oratione; In qua tria sunt consideranda. Primo, ipsa oratio quanti sit valoris; Secundo oratio multorum; Tertiò assidua & perseverans oratio, quæ tria hic in præsenti dantur, & ad largos discursus dant thema breviter. 188.

Primò; Oratio valde efficax & multi valoris. Per decem dies stant sancti Apostoli cum mulieribus, & sic disponebantur, ut rorem divini Spiritus in se recipiant. Oratio enim pignus est Spiritus Sancti; præclarè D.Augustin. serm.179. de temp. sic loquitur: 189. D. Aug.

Accepto

Accepto ergo Apostoli ascensionis mandato desuper venturo sancti Spiritus pignore pretioso, in templo erant unanimes collaudantes Dominum, ut una eos inveniret corona ignea advenientium gratiarum. In templo erant, fratres unanimes demoremur. Ecce sancti Spiritus pignus, & illex oratio est; *Desuper venturo sancti Spiritus pignore.* Pignus rei promissæ, vel debitæ substitutio est, & communiter æquali pretio æstimatur, ut ex valore rei pignoratæ, creditor in securitate quiescat; oratio remanet in Apostolis, pro Spiritus sancti pignore, nam pluviam, ac abundantiam gratiarum, quam Spiritus sanctus descendens largitur, ac communicat, hanc oratio ab ipsomet Spiritu sancto impetrat, ac obtinet.

Oratio pignus Spiritus sancti.

190. Rom. 8. Ait Apostolus Rom. 8. n. 26. *Nam quod oremus, sicut oportet, nescimus*; sed ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus, planum est, quod Spiritus nec gemat, nec oret, sed quod ipse facit fieri in nobis, dicitur ipse facere; tanta est nobilitas, ac celsitudo orationis, ut ipsa oratio, habeat vices, ut sit substitutus Spiritus sancti, ac proinde id quod ipsa oratio obsecrat, & impetrat; ipse divinus Spiritus dicitur obsecrare, & postulare. D. Anselmus ibi sic scribit: *Nec enim, hoc ita fit de nobis, tanquam nihil facientibus nobis; Adjutorium igitur sancti Spiritus sic expressum est, ut ipse facere diceretur, quod ut faciamus, facit.*

Oratio substitutus Spiritus sancti D. Ansel.

191. D. Cypr. Secundò. Oratio multorum; D. Cyprianus serm. de oratione Domini sic loquitur: *Hi omnes erant perseverantes unanimiter in oratione. Perseverabant in oratione unanimes, orationis suæ, & instantiam simul, & concordiam declarantes; Quia Deus, qui inhabitare facit unanimes in domo, non admittit in divinam & æternam domum, nisi apud quos est unanimis oratio.* Deus habitat in suprema empyrea domo sua, unde tamen homines luctuosi, & exules effecti, possunt habere, ut in illam cœlestem domum intrent; Quis illas cœlestes portas aperire, ac reserare potest una nempe unanimis oratio multorum. *Non admittit ad divinam, & æternam domum, nisi apud quos est unanimis oratio.* Et si clausa sit porta cœli, unanimis multorum oratio clavis est ad reserandum; Et si ipsa porta cœli alta, & sublimis sit multum distans à nobis, unanimis oratio alios subministrat ad volandum, ac penetrandum. *Qui habitare facit unius moris in domo*; id est, qui habitare facit unanimes & concordes in oratione, in domo nempe cœlesti; ita D. Hilar. D. Hier. D. Aug. Incogn. & 192.

Oratio unanimis multorum clavis est cœli.

Pſal. 67. D. Hilar. D. Hier. D. Aug. Incogn.

Frequenter Sanctus senior Tobias erat in oratione, cum esset multis calamitatibus oppressus, similiter, & Sara cum esset maximè vexata à serviente Asmodæo, sic etiam ipsa, ut est probabile frequenter orabat, & nobis non constat quod eorum orationes fuissent exauditæ; contigit quod eodem tempore simul orassent, quid inde secutum est: *In illo tempore exaudita sunt preces amborum in conspectu gloriæ summi Dei; & missus est Angelus Domini S. Raphael, ut curaret eos ambos, quorum uno tempore sunt orationes in conspectu Dei recitatæ*, Tob. 3. n. 24. 25. Ecce toto tempore antea preces Tobiæ, & Saræ fusæ, non legimus quod optatum impetraverint, ut modo, ut amborum orationes fortitæ sunt suum effectum, & valde sumptuosè, ut forte in Scriptura non inveniatur simile exemplum, tam facile, ut dicantur orationes recitatæ in conspectu summi Dei, & Deus miserit Angelum Raphaëlem, unum ex primatibus, ad medicinam amborum; Unde hoc? Ratio desumitur ex contextu Arabico, ita habet: *In illo tempore exaudita sunt preces amborum in conspectu gloriæ summi Dei, & missus Angelus Domini, quoniam orationes acceptæ fuerunt uno tempore ante Deum.* Observa causalem illam, *Quoniam*: Et si oratio Iusti Tobiæ v. g. per se solum, vel Saræ per se solum, multum potens sit apud Deum, tamen amborum oratio ex utriusque unanimi consortio multas vires acquirit. *In illo tempore exaudita sunt preces amborum.* Una oratio alteri orationi simultaneæ dat adjuvamen, ut felicitatem impetrandi mutuetur.

Tob. 3. *Oratio ex aliorum consortio multam vim habet.*

193. Arabic. Tertiò, assidua perseverantia. Text. ait: *Erant omnes perseverantes.* Arabicus legit: *Erant omnes assidui* unanimiter in oratione. Valde efficax, ac potens est oratio continua, & assidua; sic ait Iacobus in sua Canonica cap. 4. n. 16. *Multum enim valet deprecatio justi assidua.* Caietanus pro assidua legit: *Operans*: Vatablus: *efficax*: Potentia, ac efficacia orationis ab assiduitate, ac continuatione dimanat.

Iacob. 4. Caietan. Vatabl.

194. Oratio efficax, ac potès. Pſal. 58. Ait Regius Vates. Psalm. 54. n. 18. *Vespere, & mane, & meridie narrabo, & annuntiabo, & exaudiet vocem meam*: Unde Propheta tam confidenter dicit suam orationem exauditam? ab ipsa nempe ejus continuatione, ac assiduitate, quia per omnes temporum differentias perseverat, incœpit à mane, & per meridiem usque ad vesperam protenditur; Episcopus Iansen. sic ait: *mane, meridie, & vespere, omnique tempore, narrabo, & exponam Deo miseriam meam, ac hostium meorum injurias, certoque confido, quod me assiduè illum orante, exaudiet orationem meam.*

Oratio assidua. Iansen.

195. Mulier illa Cananæa à finibus suis egressa fortiter clamat ad Christum pro filiæ sanitate; ob ejus multiplicatas preces, discipuli ad divinum Magistrum *Rogabant eum dicentes: dimitte eam, quia clamat post nos.* Math. 15. n. 20. quas preces rejiciens Dominus ait: *Non sum missus nisi ad oves Israel.* Mulier maximè afflicta, ad ejus pedes devoluta clamat: *Domine adjuva me*; & cum eam Dominus repelleret, dicerto panem filiorum nō esse dandū canibus; illa adhuc instans perseverat, *quod etiam catelli edunt de micis, quæ cadunt de mensa Domini*; Quod audiens Christus dixit: *O mulier magna est fides tua fiat tibi sicut vis:* Quod rogatio, ac intercessio omnium Apostolorum non valuit impetrare, obtinuit unius mulieris assidua oratio. Origenes homil. 7. ex diversis ait: *Nihil proficiunt, neque ipsi Apostoli suggerentes; velox medicus differt magis curam, & potestatem suam, arte quadam excusat, ut latentia panderet Sacramenta.* Ipse Iesus, qui est velox medicus ad nostram salutem sublimi quadam arte dissimulat audire, *ut latentia panderet Sacramenta*; nempe magnam vim, ac efficaciam assiduæ orationis, qua mulier meruit obtinere, non solum optatam filiæ salutem, sed etiam, ut ejus fides mirificè esset à Christo laudata: *O mulier magna est fides tua.*

Math. 15 *Quod Apostoli non obtinent, impetrat oratio assidua.* Origen.

QUÆSTIO XXIX.

Quare sanctissima Maria omnium principalissima persona scribitur post Apostolos & mulieres?

196. Ait Textus, quod Apostoli cum mulieribus: *Erant perseverantes in oratione cum Maria matre Jesu:* Ecce sanctissima Virgo omnium principalissima persona scribitur ultimo in loco post Apostolos, ac mulieres, de quo multum admiratur D. Bernardus sermone in signum magnum Apocalyp. 52. *Et ut mulierum se ultimam exhibebat, ut novissima omnium poneretur.* Quod ejus humilitati adscribit Sanctus Doctor, sic & omnes Commentatores, quos legi, dicunt quod D. Lucas secutus est ingenium sanctissimæ Virginis Mariæ, quæ cum esset omnium prima, se omnium novissimam reputabat.

D. Bern. *Humilitas Virg. Mariæ.*

197. Ioan. 19. Iuxta quam sententiam notavi tom. 5. in Evangelia lib. 8. cap. 17. q. 11. n. 37. quod dum Christus penderet in cruce, Ioan. 19. n. 24. scribitur: *Stabant juxta*

Maria prima in doloribus Chriſti.

ta crucem Ieſu mater eius, & ſoror matris eius Maria Cleophe, & Maria Magdalena. Ecce juxta crucem nominatur Virgo Maria in principio, hic vero in ultimo loco; ex magno myſterio variatur caſus. Ubi ſermo eſt de crucis ignominia, quæ à filio in matrem derivabatur, prima Maria ſcribitur, quia præcipuè, ac prima opprobriorum ejus erat ipſa particeps, extra hanc occaſionem crucis, eximia ejus humilitas poſtremm elegit locum.

198. Habita venia tot graviſſimorum Patrum, ac Doctorum, dico quod ſanctiſſima Virgo Maria non ponitur hic in ultimo loco, ſed opportuniſſimè in medio, conſidera Text. qui ait: *Hi omnes*, ſcilicet Apoſtoli, *erant perſeverantes unanimiter in oratione cum mulieribus, & Maria matre Ieſu, & fratribus eius.* Per fratres, non ſolum intelliguntur conſanguinei, ac cognati, ſed etiam diſcipuli, ac ejuſdem religionis, ut dicam infra verſ. 16. ad illa verba D. Petri: *Viri fratres oportet*: ex uſu ſacræ Scripturæ, ac Sanctorum Patrum, loquitur D. Petrus ad illam ſacram Congregationem, quæ ut dicitur verſ. ſequenti, conſtabat *ex centum viginti perſonis*, quia non ſolum erant Apoſtoli, & mulieres, ſed etiam Domini diſcipuli, qui omnes unanimiter erant expectantes adventum Spiritus ſancti. Cum dicitur, quod ſtabant Apoſtoli cum mulieribus, & Maria matre Jeſu, & fratribus ejus, id eſt diſcipulis, in quibus erat Matthias; qui poſtea electus eſt Apoſtolus, Joſeph, qui dicebatur juſtus, & S. Stephanus, & alij.

Actor. 1.

Fratres dicuntur viri ejuſdem religionis.

199. Erat ergo ſacratiſſima Virgo in medio, ex una parte erant à dextris Apoſtoli, & mulieres, ex altera, veluti à ſiniſtris, ſtabant diſcipuli, qui ferè numerum centenarium expleverant, erat ergo ſacra iſſima Virgo in medio, ſicut & filius ejus Jeſus in medio ſuorum diſcipulorum ambulabat, ut ad illa verba, Luc. 24. n. 36. *Stetit Ieſus in medio diſcipulorum ſuorum*; Notat Carthuſ. *Poſt reſurrectionem ſtat in medio*, ait, *ut ſe monſtraret eſſe eundem, qui ante paſſionem in medio eorum conſiſtere ſolitus erat*; ſic ſacratiſſima Virgo, cõſiſtit in medio hujus ſacræ Congregationis, ut ſua præſentia, ſua modeſtia, ſuis verbis, ac doctrina, ſuique odore, ac nomine Mariæ cunctos illuminaret, ac illuſtraret; Maria, ut tradit D. Hieronymus de nominibus Hebraïcis, idem eſt ac *illuminatrix mea*, ſeu *illuminans*. Unde D. Bernard. ſerm. 4. ſuper Miſſus eſt, eam dicit *illuminatricem Evangeliſtarum*. Rupert. lib. 1. de gloria filij hominis, eam appellat *Magiſtram Magiſtrorum, omnium Prophetarum Prophetiſſam*. S. Ignat. epiſt. 1. nuncupat: *noſtræ Religionis Magiſtram*. B. Albertus Mag. ſuper miſſus eſt; *Lucerna accenſa, illuminans totam Eccleſiam*. Eucherius de Inſtruct. eam nuncupat *doctricem Apoſtolorum*.

Virgo Maria in medio, ut omnium illuminatrix.

Luc. 24. Carthuſ.

D. Hier.

Rupert.

D. Ignat. D. Alb.

200. De ſanctiſſima Virgine Maria, de tanta luce, ac ſplendore decantant ſancti Angeli dicentes: *Quæ eſt iſta, quæ progreditur, quaſi aurora conſurgens, pulchra ut Luna, electa ut Sol*, Cant. 6. n. 9. Quæ verba de ſanctiſſima Virgine Maria explicant Apponius, Lucas Abbas. Rupert. Hugo de S. Victore, D. Bernard. ſer. 1. de Aſſump. & ait: *Glorioſa Virgo lampas ardentiſſima ipſis quoque Angelis lucis miraculo fuit, ut dicerent, quæ eſt iſta, quæ progreditur.* Angeli ſuo perſpicaci intellectu conſiderantes ſanctiſſimam Virginem, ut lampadem ardentiſſimam mirabiliter fulgentem, ejus tantam lucem, ut magnum miraculũ, ſunt venerati: *Inſis Angelis lucis miraculo fuit.* Cunctos illuminat fideles ut Sol; Cathecumenos tanquam aurora in crepuſculo, inter errorum tenebras hæreticorum, ac infidelium, ut Luna in nocte per omnes temporum differentias ſemper Maria illuminat; nam ſi die deficiunt aurora, & Luna, Sol reſplendet, & ſi nocte Sol deficit, Luna lucet; & ſi in matutino, ac diluculo deficiunt Sol, & Luna, ſcintillat aurora; Vide tom. 2. in Apoc. cap. 12. q. 9. n. 78. & q. 17. n. 146. 147.

Cant. 6. Appon. D. Luc. Rupert. Hugo. D. Bern.

De tanta Virginis luce miratur Angeli.

Actor. 1. n. 15. In diebus illis exurgens Petrus in medio fratrum dixit (erat autem turba hominum ſimul, ferè centum viginti)

Num. 16. Viri fratres oporret impleri Scripturam, quam prædixit Spiritus ſanctus per os David de Iuda, qui fuit dux eorum, qui comprehenderunt Ieſum.

VERSIONES.

Syrus n. 15. Aſſurgens Petrus in medio.

Arabic. Erat autem ibi cœtus quorum nomina, & voluntates conſentiebant in hac eadem opinione.

Æthiopic. Qui conſtituebant perſonas centum viginti.

Græcus. In medio diſcipulorum, &c. turba nominum.

D. Cypr. lib. 1. c. 4. In medio diſcentium.

Syrus n. 16. Iuſtum fuit ut impleretur, &c. quam antea Spiritus ſanctitatis.

Arabic. Heus viri oportebat, ut finem aſſequeretur hæc Scriptura, quam protulit olim, &c. qui fuit ductor eorum.

Æthiopic. Verè oportet, ut impleatur verbũ.

Pagnin. Dux itineris.

Vatablus. Commonſtrans viam.

EXPOSITIO VIII.

201. Verſ. 15. *IN diebus illis*: Id eſt tempore illo medio inter Aſcenſionem, & Pentecoſten. *Exurgens Petrus.* Chryſoſt. ut caput totius Eccleſiæ. Occumen. *Cui cura, ac præſidentia diſcipulorum commiſſa erat*: Petrus debiti ſui officij vices agit. *In medio*: non in aliquo primario, velut ſuperexcellenti loco, ſed in medio, ut unus ex ipſis, per belle D. Bernardus de conſid. *Si ſis egregius, eſto quaſi unus ex grege.* Et in hoc ſecutus eſt D. Petrus exemplum ſui ſanctiſſimi Magiſtri Chriſti, qui dicebat de ſe: *Ego in medio veſtrum ſum, ſicut qui miniſtrat:* Luc. 22. n. 27. *Fratrum*: ſub quo nomine intelligit, non ſolum Apoſtolos, ac diſcipulos Domini, ſed etiam diſcipulos ipſius Petri, ut multi volunt, de quo quæſtione ſequenti. *Turba hominum.* Græcus: *nominum*: id eſt capitum, ſeu hominum, Apoc. 3. n. 4. *Habes pauca nomina in Sardis*, id eſt hominum.

D. Chryſoſt. Occum. D. Bern. Luc. 22. Græcus. Apoc. 3.

202. *Ferè centum viginti.* Spiritus ſanctus, qui D. Lucam gubernabat, optimè agnoſcebat determinatum numerum, tamen ſcribit, *ferè*, ſeu *quaſi*. Lyran. *Non quod Spiritus S. dubitaverit, ſed in hoc ſervatur modus numerantium*, communem modum vult divinus Spiritus ut in omnibus teneamus. *Centum viginti*; tot annos, ut obſervat Rabanus habuit Moyſes ætatis Deut. ult. n. 7. In hoc numero deſignantur prædicatores Evangelici Clem. Alex. lib. 6. ſtromat. Petr. Bongus in ſuo opere; dicunt altitudinem Templi Salomonis 120. cubitorum, totidem talenta auri dedit Regina Saba Salomoni. 3. Reg. 10. n. 10. totidem talenta aurea prædicantium dat Deus ſuæ Eccleſiæ: 120. annos Deus præfixit Noë ad pœnitentiam. Gen. 6. n. 3. totidem prædicatores ad publicandam pœnitentiam in orbe Deus dedit, D. Aug. tr. 2. in epiſt. Ioan. obſervat in hoc numero duplicatum eſſe numerum duodecim Apoſtolorum, multas alias allegorias adducunt Authores.

Lyran. *Cur hic numerus.* Raban. Clem. Alex. Bongus. 3. Reg. 10. Gen. 6. D. Aug.

203. Verſ. 16. *Viri fratres*: de quo multa quæſtione ſequenti; *Impleri ſcripturam, quam prædixit Spiritus ſanctus*, de Juda proditore, *qui fuit Dux*, non ut Capitanus,

Pagnin. Vatabl. Pitanus, ſed dux viæ; unde Pagni. *aux itineris.* Vatabl. *commonſtrans viam.* Cur autem Chriſtus ad Apoſtolatum Iudam vocaverit, dixi tom.3. in Evangelica cap.5.quæſt.ult.ex quo habet, ut latè, & multis exemplis probat D.Auguſt.epiſt.137.quod nulla D.Aug. eſt tam illuſtris familia, tam nobilis congregatio, quæ etiam non habeat ſuam fæcem, & ſuum nævum.

QUÆSTIO XXX.

Quare D.Petrus cum eſſet caput Eccleſiæ, ad electionem faciendam alios vocat, quos fratres dicit.

204. MAximè in præſenti prudentiam Sancti Petri laudat D.Chryſoſt. qui ad eligendum ſucceſſorem Iudæ in Apoſtolatu, alios vocat in conſilium, tum ob ſuam humilitatem, eo quod tantam rem non vult diffinire per ſe ſolum, ſed cum aliis; tum, ut electioni major authoritas, & reverentia reconciliaretur, tum, ut caput Eccleſiæ cunctis daret exẽplum, quod res ponderis magni non ſunt determinandæ niſi ex magno conſilio; & ideo ſanctiſſimi Romani Pontifices res magnas, & quæ ad fidem pertinent, non diffiniunt, niſi ex conſilio, ac decreto Epiſcoporum, ac graviſſimorum virorum.

Magna ex multo conſilio facienda.

250. Ad hanc ergo electionem, vocat D. Petrus alios viros ſanctiſſimos, nempe alios Apoſtolos, ac diſcipulos Domini, & fortè etiam diſcipulos ipſius Petri, eoſque vocat fratres; non ſolum fratres dicuntur conſanguinei; ſed etiam diſcipuli ac viri ejuſdem congregationis, religionis, ac ejuſdem fidei, & in hoc modo loquendi imitatur D.Petrus Chriſtum D. qui ſuos dicebat fratres. In reſurrectione ait Chriſtus mulieribus. *Ite renunciate fratribus meis, ut eant* Math.28. *in Galilæam.* Math. 28. n.10. & iterum: *Vnus eſt enim Magiſter veſter, omnes vos fratres eſtis.* Math. 23. n.8. Et extendens manus ſuper diſcipulos ſuos dixit: quicumque fecerit voluntatem Patris mei, ipſe meus frater, ſoror, & mater eſt. Math.12.n.5.

Petrus in modo dicendi ſequitur Chriſtũ.

206. Hunc dicendi modum Chriſti ſecuti ſunt omnes Apoſtoli; Paulus Rom.4.n.21. ſalutant vos, qui mecum ſunt fratres, 1. Cor.5.n.11. *Is, qui frater nominatur inter vos.* Iacobus Apoſtol. cap.1.n.2. *Exiſtimate fratres mei.* Ioan.3.n.3. *Gaviſus ſum venientibus fratribus.* Apoc.1.n.19. *Ego Ioannes frater veſter.*

Rom.4. 1.Cor.5. Iacob.1. Apoc.1.

207. Hujus appellationis rationem aſſignat Tertull. in Apolog. cap.30. fratres dicuntur, *qui eundem ſpiritum ſanctitatis biberunt.* Clemens Alexandrin. lib.2. ait: *Fratres appellantur, qui ſunt regenerati, idque propter mutuam charitatem, ac benevolentiam.* D. Chryſoſt. lib.1. de compunctione cordis, ſic ait: *Omnem hominem fratrem tuum judica, in Chriſto enim, neque Iudæus, neque Græcus, neque ſervus, neque liber, neque maſculus, neque fœmina, ſed omnes unum ſumus in Chriſto.* D. Baſilius homil.21. in aliquos Scripturæ locos, ſic ſcribit: *Natura namque una eſt; homo hic, & ille, una in utriſque neceſſitas;* & ſtatim ſubdit: *Omnes fratres ex uno patre nati ſumus; ſi ſpiritualem quæris cœleſtis Pater eſt Deus; ſi terrena quæris, mater terra eſt, ex eodem luto omnes ſumus conſtructi; ex quo ſoror eſt natura ſecundum carnem; ſoror item generatio eſt ſecundum ſpiritum; eundem tecum ſanguinem habet, ex primo homine, eandem tecum à Domino gratiam habet.*

Tertull. Clem. Alex. D Chryſoſt. D. Baſil.

208. Ex quo pulchrè D.Chryſoſt. ſerm.162. arguit illum adoleſcentem, qui dixit Chriſto D. *Dic fratri meo, ut dividat mecum hæreditatem.* Luc. 12.n.13. Quomodo fratrem appellat, à quo bona vult diviſa; ſic ait S.Doctor: Cum dicit; Dic fratri meo, *præmiſit, quod charitatem moneat, quod interpellet naturam, quod pulſet affectum, cum vero ſubjicit; dividat, non poteſt dicere fratri, divide, qui per Prophetam docuit: Ecce quam bonum, & quam jucundum habitare fratres in unum,* Pſ.132.n.1. Ac proinde in dictis adoleſcentis agnoſcit S.Pater contradictionem, nam cum dicit fratrem, denotat id quod natura, & charitas poſtulat, cum vero dicit: *dividat*, negat fraternitatis, ac naturæ affectum.

D.Chryſ. Luc.12. *Vbi diviſio non eſt fraternitas.* Pſal.132.

209. De Chriſti lege vaticinatur Iſai.8. n.16. *Liga teſtimonium, ſigna legem diſcipulis meis*: quæ verba ſapienter exponit D.Cyprian.adverſus Iudæos cap.9: *Claude*, ait, *legem Moyſis, aperi legem Chriſti Apoſtolis, & diſcipulis traditam.* Quod etiam ſimiliter explicat D. Iſidor. Hiſpalen.lib.3.ſent.c.12.liga legem Moyſis, ſecundum malam expoſitionem, quam dabant antiqui de odio habendo inimico, quod lex nunquam, ut dixi ſuo loco, ſed ipſi malè ita interpretabantur, aperi legem Chriſti, Apoſtolis & diſcipulis ejus, quibus ipſe dixit: *Audiſtis, quia dictum eſt, diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum; ego autem dico vobis, diligite inimicos veſtros, benefacite his, qui oderunt vos, ut ſitis filii patris veſtri, qui in cœlis eſt.* Matth.5.n.43.

Iſai. 8. D.Cypr. D.Iſid. *Lex Chriſti omnes habet in fraternitatis amore.* Math. 5.

210. Hunc fraternitatis amorem erga alios ex odore Chriſti hauſit Moyſes, nam cum expoſuiſſet ſocero ſuo ſe accepiſſe à Deo mandatum repetendi Ægyptum, ait: *Vadam, & revertar ad fratres meos.* Exod.4. n.18. Valde miranda eſt Sancti viri moderatio: qui Deum viderat, cum Deo egerat, qui poteſtatem à Deo acceperat: *Portans virgam Dei in manu ſua, &c.* adhuc fratres appellat; & ſi humiles oppreſſos à Rege in operibus luti, & lateris, eos non contemnit, nec tanta dignitate accepta, ſuperbè erigitur, ſed eos fratres dicit, & agnoſcit, pulchre Lippom. *Non inflatur vocatione ſua, nec jactat dignitatem adverſus affines*; Moyſes virgâ potens magnus dignitate, humiles, ac viles vocat fratres.

Exod.4. *Magiſter bonus non intumeſcit.* Lippom.

Act.1.n.17. Qui connumeratus erat in nobis, & ſortitus eſt ſortem miniſterii hujus.

N.18. Et hic quidem poſſedit agrũ de mercede iniquitatis, & ſuſpenſus crepuit medius, & diffuſa ſunt omnia viſcera eius.

VERSIONES.

Syrus n.17. Qui annumeratus erat in nobis, &c. & erat portio ei in miniſterio hoc.

Arabic. Habuerat ſortem.

Æth. Et cũ particeps huius miniſterii eſſet.

Syrus 18. Aquiſivit fundum ex mercede peccati, & cecidit ſuper faciem ſuam ſuper terram, & diviſus eſt à ſui mediate, & effuſa ſunt viſcera.

Arabic. Poſſedit rus, &c. & cadẽs proſtratus.

Æthiop. Tunc emit vineam, & profectus fuit in terram in faciem ſuam, & diruptum fuit latus eius.

Arias. Et præceps factus eſt.

Græcus. Et ſtrangulavit ſe.

Oecum. Vatabl. Deiecto capite, & in terram prono ſuſpenſus.

EXPOSITIO IX.

Verſ.17. *Qui connumeratus erat in nobis.* Unus nempe ex duodecim Apoſtolis: *ſortitus eſt ſortem miniſterii huius*: nempe Apoſtolatus, & vocatur ſors, ut denotetur, quod hæc dignitas, non obvenit ex natura, vel genere, ſeu merito, ſed mera Dei gratia, ac ejus voluntate. *Huius miniſterii*: Hugo. quod erat prædicationis ſignorum, ac miraculorum. 211. Hugo.

Verſ.18. *Et hic quidem poſſedit agrum.* Propriè Iudas non poſſedit agrum, nam reddens argenteos 212.

Matth. 27 laqueo se suspendit. Math. 27. Dicitur autem possedisse figuratè, quia possedit pretium, quo emptus
Glossa, D. Greg. est ager; vel, ut ait Glossa ex D. Gregorio: Possidere fecit agrum; *de mercede iniquitatis*, Venditionis Christi, quæ fuit summa omnium iniquitas: *& suspensus*
Græcus. Vatabl. : Græcus, *strangulatus*. Vel Vatablus: *dejecto capite in terram prono suspensus* se ipsum laqueo suffocavit. *Crepuit medius.* Ipse suspensus laqueo, cum esset suffocatus, sic intumuit, ut ventre dissupto effusa sint viscera ejus.

QVÆSTIO XXXI.

Quare Iudas ex suprema sorte Apostolatus sic ruit, ut à se ipso, & non ab alio tortore suspendatur?

212. AIt D. Petrus in præsenti de Juda: *Sortitus est sortem ministerii hujus*; id est, sorte accepit ministerium hoc Apostolatus; non quod Christus
Sors in Scriptura quid. D. per sortes elegerit Judam, ac cæteros Apostolos, sed metaphora sumpta, quia sors non respicit, naturam, dignitatem, aut meritum; sic Christus D. elegit Apostolos, non respiciens naturam, ut erat in primogenitis Aaronis, nec respexit dignitatem, aut meritum alicujus, sed ex beneplacito suæ voluntatis eos elegit, & suâ gratiâ fecit eos idoneos sui ministros;
Marc. 3. & sic dicitur Marc. 3. n. 13. *Vocavit ad se quos voluit ipse*; ex quo fit, quod sors in scriptura sumitur pro
Coloss. 1 Ephes. 1. dono gratiæ, Colossens. 1. n. 12. *Qui dignos nos fecit in partem sortis Sanctorum in lumine.* Ephes. 1. n. 11. *Et in quo etiam, & nos sorte vocati sumus, prædestinati secundum propositum ejus.* Similiter infra.
Actor. 8. Actor. 8. n. 21. & cap. 26. n. 18. 2. Petri cap. 1. n. 1.

213. Unde Clerici vocantur, qui segregati à laicis obsequio Domini deputantur, nam Clerus ex nomine
D. Hier. Græco deductus, idem est, ac sors, ut observavit D. Hieronym. ad Nepotianum, & ait: *Sic enim Clericus Græcè, sors Latinè appellatur, propterea vocantur*
Ecclesiastici vocantur Clerici. *Clerici, vel quia de sorte Domini sunt, vel quia ipse Dominus sors, id est, pars Clericorum est*, & ideo quia ipsi toti sunt electi in partem Domini, ac ejus obsequio deputati, cum tonsuram Clericalem ab Episcopo accipiunt ab ipso audiunt illud, Psalm
Psal. 15. 15. n. 5. *Dominus pars hæreditatis meæ, & Calicis mei, tu es, qui restitues hæreditatem meam mihi.*

214. Cum ergo D. Petrus in præsenti dicat de Juda, sortitus est sortem ministerij hujus, scilicet, Apostolatus, Judas, sicut & cæteri Apostoli, habuit minis-
Iudas fecit signa, & miracula. terium Apostolatus, evangelizavit, fecit prodigia, & miracula; nam eligens Christus D. duodecim Apostolos, inter quos nominatur Iudas, scribit D.
Marc. 3. Marc. 3. n. 5. *Dedit illis potestatem curandi infirmitates, & ejiciendi Dæmonia*, quæ potestas data fuit Iu-
D. Aug. D. Cyril. Ierosol. Leo. Cyril. Alexand. Tertull. dæ, sicut & cæteris Apostolis, ut docent D. August. lib. 3. contra literas Petiliani cap. 55. D. Cyrillus Ierosol. Cateches. 7. D. Leo serm. 16. de Passion. Nost. D. Cyrillus Alexand. lib. 4. in Ioan. cap. 30. Tertull. lib. de Anim. c. 4. An quando electus est à Christo esset bonus? dubitatur. Sententiam affirmativam, utpote communem Sanct. Patrum sequutus sum tom. 3. in Evang cap. 5. q. 20. Ipse verò postea sua avaritia factus est malus.

215. Ex tam supremo fastigio, ac sublimi sorte Apostolatus cadens Judas ad furcam tendit, & suspensus
D. Leo. est, non ab alio tortore, sed à seipso, quod eleganter considerat S. Leo ser. 16. de Pass. sic ait: *Tu impiissime homo semen Chanã, & non Iuda, nec jam vas electionis, sed filius perditionis, & mortis... Vnde facinus mercenarii tui, non ideo detestandum est, quia Dominum viliter æstimasti, sed quia Redemptorem etiam tuum, ne tibi parceres, vendidisti, & merito tibi tua pœna est cõmissa, quia in supplicium tuum nemo sævior potuit inveniri.* Iudas ob suum gravissimum crimen, & execrabile nefas supra omne nefas, quod suum Magistrum vendiderit, ad gravissimum supplicium damnatur, & ad hoc crudelissimus minister designatur, & quinam iste crudelissimus minister in Iudã? nullus crudelior in ipsum, quàm ipsemet; & ideo ipse sibi parat laqueum in gutture, ac arbore ligat, à qua ipse se suspendit: *& merito tibi tua pœna est cõmissa, quia in supplicium nemo sævior potuit inveniri.*

De profano, ac impio Sedecia loquens Deus per Ezechielem cap. 21. n. 26. ait: *Hæc dicit Dominus Deus, aufer Cidarim, tolle coronam.* Ecce Sedecias, privatus est utraque dignitate, & Pontificia dignitate, quam usurpavit, & regia, quæ erat hæreditaria: & illud maximè notandum, quod cum utraque corona ab eo sit auferenda, non aliorum manibus hoc cõmittitur, sed suismet dicitur: Tollite ab eo, sed tu ô Sedecia à te *aufer Cidarim, tolle coronam*, ab utra-
Peccatores omnibus crudeliter in se ipsum sævit Theodoret. que dignitate suis peccatis est privatus. Theodoretus sic loquitur: *Tu autem impietati addictus, te ipsum corona privasti.* Ipse ob sua grandia crimina crudeliter, ac ignominiosè expoliandus erat à corona, & ad hoc nullæ crudeliores manus sunt inventæ, quàm sui ipsius: *Aufer Cidarim, tolle coronam.* 216. Ezech. 21

217. Cùm Israel stupendo miraculo mare divisum transiret, Pharao cupiditate incensus: *Dixit, persequar, & comprehendam, dividam spolia, implebitur anima mea.* Exod. 15. n. 9. & multis placet, & latè explicat Ægidius Archiepiscop. Bituricens. lib. de regimine Principis. Ipse Pharao extitit totius populi excitator, ac provocator, & primus, qui laxis habenis velociter currens fuit, dux, ac primus, qui ingressus est per viam maris. Reges solent ante se apparitores, ac ministros ferre; cur ergo Rex tam potens, primus, & ad viam, & tam celeriter currens? Ibat impius Rex, ut ob suam obdurationem cordis, debito supplicio periret, ac, ut suffocatus demergeretur, & ad tantam sui pœnam, ipse erat, & nullus melior dux, quàm ipse, qui propriis suis manibus habenas equorum regeret, eosque verberibus ad velociter currendum provocaret, ac excitaret, Philo lib. de confusione linguar. ait: *Ita est profectò insipiens, non aliunde accipit, sed ipse sibi quærendo mala invenit.*
Exod 15. Ægid.
Peccatores omnibus sibi mala comparat.
Philo.

QVÆSTIO XXXII.

Quare cum Iudas suspenditur, diffunduntur omnia viscera ejus?

218. DE omnibus, quæ ad Judam pertinent, & quod ipse se suspẽderit, suique ipsius fuerit, tortor, ac omnia viscera ejus fuerint effusa, satis latè tractavi tom. 5. in Evangelia lib. 8. cap. 5. *Suspenditur Iudas.* Per octo quæstiones, quæ sunt videndæ, sed ne hic Textus insalutatus permaneat, breviter aliquid hic adnotabo.

219. Referunt multi Authores ex Papia Oecumenio Euth. ad c. 27. Math. & Oecumenius hic apud Glossam, quod Iudas rupto laqueo, adhuc Christo vivente supervixisset, & corpore magno tumore inflato, cùm se movere non posset, curtu occurrente, ac transeunte fuerit obstrictus, & discerptus: tamen, ut existimo hoc non benè cohæret cum præsenti Textu, ait Apostolus hic: *Suspensus crepuit medius, & diffusa sunt omnia viscera ejus.* Ac proinde juxta rigorẽ Textus, cùm esset suspensus *crepuit, ac diffusa sunt viscera.* Sic & D. Matth. cap. 27. n. 5. ait de Iuda. *Abiens laqueo se suspendit.* Græcus *strangulavit*, id est, se suffocavit, & occidit.
Papias. Oecum. Euthym.
Iudas strangulatus occubuit.
Math. 27. Græcus.

Diffusa

220 *Diffuſa ſunt viſcera ejus.* Similem mortem habuit perfidus Arrius, nam in latrina ſubito laxata alvo, effuſis viſceribus occubuit, ut referunt Socrates lib. 1. Hiſtor. Eccleſiaſt. cap. 25. Theodoret. lib. 1. cap. 14. Sozomen. lib. 2. cap. 28. D. Epiphan. lib. 2. contra Hæreſ. hæreſi 68. de utraque morte Judæ, & Arrij agens D. Ambroſ. lib. de fide cap. 9. ait: *Cui credemus, Ioanni in Chriſti pectore recumbenti, an Arrio inter effuſa ſe ſua viſcera volutantur, ut agnoſceremus ſimilem Judæ proditoris, Arriique fuiſſe perfidiam, quem ſimilis pœna damnavit: effuſa ſunt enim, & Arrii viſcera, pudet dicere ubi. Atque ita crepuit medius proſtratus in faciem, ea, quibus Chriſtum negaverat, fœda ora pollutus.* Qui enim ſimiles fuerunt in delicto, ſimilem reportarunt pœnam, & ſupplicium.

Socrat. Theod. Sozom. D. Epiphan. D. Ambr.

Peccatores ſimiles in delicto, & pœna.

221 Impius ille Antiochus ob templum profanatum, & mala facta in Ieruſalem ſimilem ſuſtinuit pœnam, ut dicitur Machab. 2. cap. 9. n. 5. *Percuſſit eum Dominus inſanabili, & inviſibili plaga, apprehenditque eum dolor dirus viſcerum, & amara internorum tormenta.* Cœperunt vermes de corpore ejus, ut doloribus carnes defluerent, illius fœtore gravabatur exercitus, ut eum ferre non poſſet, ibidem n. 9. Quod ſimile Judæ contingit, nam, ut refert Baronius tom. 1. Annal. anno Chriſti 34. ex Græcis Authoribus, ac ex Papia diſcipul. S. Ioan. Apoſt. ſanies, & vermes ex toto corpore Judæ contumeliosè fuiſſe confluentes, ita ut ſolum per ſola loca ſecreta egredi poſſent. Unde factum eſſe dicunt, ut locus, in quo ſepultus eſt Iudas præ fœtore non ſolum inhabitabilis, ſed etiam inacceſſibilis redderetur.

2. Machab. 9.

Baron.

Intolerabilis fœtor ex corpore Judæ.

222 *Crepuit medius, & diffuſa ſunt viſcera eius.* Non prodierunt, & abjecta ſunt ejus viſcera per latera, ut communiter dicitur, ſed per medium, ut, indicat Textus: In medio autem pectoris eſt cor, ac proinde cum ipſo corde, in quo tanta malitia, ac nequitia concepta fuit, ſimul effuſa ſunt omnia viſcera. Dicitur in Pſalm. 5. n. 10. *Cor eorum vanum eſt, ſepulchrum patens eſt gutur eorum.* Lorinus ex Hebræo legit: Viſcera eorum plena vanitate, & guttur eorum eſt tanquam ſepulchrum, quod eſt locus proprius fœtentium cadaverum patens ad evomendum, ac projiciendum tam fœtidam putredinem, quæ in corpore humano non poteſt capi, ſicut dicitur Eccleſiaſt. 11. n. 32. *Eructant præcordia fœtentium.*

Viſcera Iudæ diffunduntur non per latera ſed per medium.

Pſal. 5 Lorin.

Eccl. 11.

223 Diffuſa ſunt viſcera ejus, mille ſuſpenduntur, ac ſtrangulantur quibus nunquam tale contigit, cur ergo in ſolo execrabili Iuda? Drogo Hoſtienſis de ſacramento Paſſionis: *Quia per quæ peccaverit homo, per hæc punietur, ſuſpenſus crepuit medius, plenus erat venter, & ruptus eſt.* Iudas guloſus erat, nummulos aſportabat, & impatiens Apoſtolicæ ſobrietatis, ipſos furripiebat, ex quibus furtiva prandia ſibi parabat, quibus impletus venter, non patiens tanta capere rumpitur, & viſcera foras proſiliunt: Tot enim mala parturit gula. Cum ignita voracitas Iſraëlitarum ventris cibos Ægyptios appeteret. *Miſit Dominus in populum ſerpentes ignitos*, Num. 21. n. 6. & quare immittuntur ſerpentes igniti; ut qui ex ignita ventris gula peccaverant, igne pereant, & per ſerpentes, ut cognoſcant, quod ex conſilio antiqui ſerpentis ex gula dato tota ruina generis humani eſt ingreſſa. D. Ephrem de Pœnit. *In ſerpentibus correpti fuere, & quare in ſerpentibus? quoniam primorum parentum ſenſum, conſiliumque præſumpſerant.*

Drogo.

Voracitas gulæ multa mala parturit.

Num 21.

D Ephr.

224 Secundo Petrus Cellenſ. lib. de Panibus cap. 4. ait: *Iudas buccellam panis quidem azimi accepit, ſed medius crepuit. Vis enim magna diſcernens mundum ab immundo in pane, illo, cum ſtercoribus avaritiæ non patitur commorari.* Auri cupiditas, & divini panis buccella, quam accepit Iudas, Ioan. 13. Non potuerunt ſimul in meo pectore retineri, ſed neceſſarium erat, ut diſrumperetur avarus, qui auri avaritia repletus auſus eſt divinum ſumere panem: Nam, ut ait citatus Drogo. *Effuſio viſcerum ſignificat, quod Iudas, ſicut uter plenus cupiditate, aut vas contumeliæ minimè probatur in fornace à figulo*, crepuit ſicut vas luteum non bene compoſitum à figulo juxta ignem frangitur, ſic perfidus Iudas vas luteum contumeliæ poſitum ad ignem divini panis, neceſſarium fuit, ut diſrumperetur, ita ut viſcera foras proſilirent.

Cellenſ.

Ioan. 13.

Sacra Euchariſtia in corde avaro non perſiſtit.

225 Maxime ponderandum: Duo graviſſima crimina in præſenti occaſione commiſit Iudas, unum, quod ſuum ſanctiſſimum Magiſtrum vendiderit, ac ſuis manibus pretium acceperit, & ipſum in manibus inimicorum tradiderit; Alterum, quòd omnium primus ſacram Euchariſtiam panem indigniſſimè acceperit, & tamen non punitur in manibus, in quibus pretium accepit, & Dominum Ieſum ad crucifigendum tradidit, ſed in viſceribus, in quibus impudicè auſus eſt illum cœleſtem panem intromittere, ac ſi execrabilius fuiſſet nefas tam venerandum Sacramentum indigniſſimè in viſceribus immundiſſimis recondere, quàm ſuis propriis manibus Dominum Ieſum ad crucifigendum dare in poteſtatem ſuorum inimicorum; ſcribit Ioan. 13. n. 2. *Cum Diabolus jam miſiſſet in cor, ut traderet eum Iudas.* Solum dicitur, quod Diabolus ingreſſus eſt, ut Ieſum traderet, & cur etiam non ſcribitur, quod etiam, ut Sathanas ingreſſus eſt ad cœleſte pabulum indignè ſumendum? Tam execrabile, ac horribile nefas eſt, quod Iudas corpus ſui Magiſtri, qui præ amore ei ſe dederat in alimentum, pollutâ ſuâ turpiſſimâ animâ ſumeret: Ut moraliſſimè dicam, quodammodo exhorruit Diabolus, ut hoc de eo publicaretur.

Maius peccatū indignæ ſuſceptio Euchariſtiæ, quam venditio.

Ioan. 13.

226. Tertiò: Omnia adverſantur, & inſurgunt contra execrabilem Iudam: Cœlum, à quo non ſolum eſt excluſus, ſed nec ei permittitur id aſpicere; legit Vatablus in præſenti: *Dejecto capite, & in terram prono ſuſpenſus.* Terra ab ejus pedibus fugit, quam ſuſpenſus non attigit. Aër eum deſeruit, cujus defectu periit ſuffocatus: ſuamet viſcera eum ferre non poſſunt, ſed foras erumpunt, & ipſe tamquam venenoſa aranea exviſceratus periit, juxta illud Davidicum Pſalm. 89. n. 10. *Anni noſtri, ſicut aranea, meditabuntur.* Id eſt, tranſibunt, ut multi Patres apud Lorinum: Araneæ autem ſe exviſcerando, ut ſcribit Plinius, moriuntur, ſic & grandes peccatores ſolutis viſceribus occumbunt.

Omnia contra Iudam inſurgūt.

Pſal. 89.

Lorin. Plinius.

227 Pulchrè de morte magni peccatoris dicitur Eccleſiaſtes 8. n. 8. *Non eſt in hominis poteſtate prohibere ſpiritum, nec habet poteſtatem in die mortis, nec ſinitur quieſcere ingruente bello.* In morte impii inſurgit duriſſimum bellum domeſticum, & extraneum ingruente bello, ab extraneo ſunt horribiles apparitiones, diri Miniſtri accuſantes, formidabiles exercitus, ut eum deferant ad judicium, & detrudant in Infernum, & carnificum copiæ invadentes, in toto corpore doloribus premitur; intus mens tremula, judicium perturbatum, ratio obſtupefacta, conſcientia accuſans, & ex nulla parte eſt ei auxilium, ut habet Chaldaïcum ad illa verba *Ingruente bello. Neque vaſa armorum auxiliantur in prælio.* Quæ omnia elegantiſſimè deſcribit D. Ephrem ſerm. in eos, qui in Chriſto obdormiunt, & ſic ait: *Repente conſtringitur lingua, immutantur oculi, concutitur mens, quando Dominicæ copiæ, atque ſatellites advenerint, quando formidabiles exercitus invaſerint, atque apprehenderint, quando inexorabiles apparitores in judicium nos trahentes detulerint, &c.* Quod latius proſequitur Sanctus Pater.

Eccl. 8.

Mors peccatoris terribilis.

Chald.

D. Ephr.

Act. 1. n. 19. Et notum factū eſt omnibus ha-

bitantibus Ieruſalem, ita ut ager ille appellaretur lingua eorũ Haceldama, hoc eſt ager ſanguinis.

Num. 20. Scriptum eſt enim in libro Pſalmorum fiat cõmoratio eorum deſerta, & nõ ſit, qui habitet in ea, & Epiſcopatum ejus accipiat alter.

VERSIONES.

Syrus n. 19. Lingua Regionis Haceldama, cujus interpretatio eſt.

Arabic. Factaque eſt fama ejus nota apud incolas Jeruſalem, ita ut rus illud vocetur, & quod exprimitur rus ſanguinis.

Æthiopic. Et audita fuit fama ejus, &c. & vocatum fuit prædium, & vocant illud idiomate proprio Phahiadin,

Oecum. Ita ut appellaretur prædium illud.

Syrus n. 20. Fiat habitaculum deſertum, & incola non ſit in ea, & miniſterium ejus accipiat alius.

Arabic. Fiat urbs ejus deſerta, principatum ejus accipiat alter.

Græcus. Fiat commoratio eius deſerta.

Æthiopic. Fiat Civitas ſolitaria.

D. Aug. lib. 1. de actis Fiat Villa illa.

contra Tel. cap. 4.

EXPOSITIO X.

228 *Notum factum eſt.* Id, quod Iudæ contigit, ut appellaretur lingua eorum Haceldama, à lingua Syra verbum eſt derivatum; nam Iudæi poſt reditum à captivitate lingua Syriaca corrupta multa loquebantur *Ager ſanguinis.* Hæc interpretatio non eſt appoſita à D. Petro, ut volunt Gloſſa Ordinaria, Gloſſa. Hugo, & alii, nam Apoſtolus cum Syris Syricè loquebatur, non erat neceſſaria nominis interpretatio, ſed eſt addita à D. Luca, quia cum Græcis græcè ſcriberet, in lingua Græca vocem eſt interpretatus.

Ager ſanguinis. Iudæi, ut notant D. Chryſoſtom. 229 Theophyl. Euthim. neſcientes, ſicut *Caiphas neſciens quod diceret prophetavit*, Ioan. 11. Sic Iudæi D. Chryſoſt. Theoph Euthym. neſcientes alta Dei conſilia campum illud appellarunt *Ager ſanguinis*, ut ibi tanquam in perenni memoriali eſſet inculpata nequitia execrabilis Iudæ, quia pretio ſanguinis Chriſti emptus eſt. De hoc multa dixi ſupra citato loco tom. 5 lib. 8. cap. 5. q. 11

230 *Scriptum eſt in libro Pſalmorum.* Suam doctrinam confirmat Apoſtolus auctoritate Pſalmorum: *Fiat* Græcus. *commoratio eorum deſerta.* Græcus legit in ſingulari: *Fiat commoratio eius deſerta*, & ad Iudam videtur D. Chryſoſt. referre D. Chryſoſt. ibi ſepultum, & ſic ait: *Quid enim deſertius eſſe poſſit ſepulchro*, pro quo facit id, quod ſupra retuli, quia ob Iudam ibi ſepultum, tam intolerabilis fuit fœtor, ut locus inhabitabilis redderetur: Gloſſa, & Beda referunt ad Iudam in gehenna, nam ibi maximè deſertus eſt ab omni humano loco, & dignitate. Tamen hunc locum ex Pſ. 68. Rupert. n. 26. de ſuppliciis Iudæorum interpretatur Rupert. Lyra. Lyra, Caiet. & alii communiter, quia eorum Civitas Caietan. Ieruſalem deſolata, ac deſtructa, ac deſerta facta eſt per Titum Veſpaſianum juxta illud Chriſti Do- Math. 23 mini: *Relinquetur domus veſtra deſerta.* Math. 23. num. 32.

231 *Epiſcopatum ejus accipiat alter.* Qui locus deſumptus eſt ex Pſalmo 108. n. 8. alii, ut videbis ex verſionibus legunt pro Epiſcopatum, præfecturam, regimen, vel principatum: Nomen autem *Epiſcopus* deducitur à radice Græca, & idem eſt, ac inſpector, ac ſpeculator, qui quaſi inſpector vigilat ſuper aliquem. Hinc Azzi 2. Eſdræ cap. 11. n. 22. vocatur Epiſcopus, ſeu inſpector, de quo latius egi in opuſculis. *Epiſcopus unde dictus?*

232 In hoc prædicto Pſalmo 108. aliqui conſiderant triginta maledictiones fulminatæ in Iudam ob triginta argenteos, quibus Chriſtum vendidit. Prima *conſtitue ſuper eum peccatorem*, ver. 6. id eſt impium, & tyrannum judicem. Secunda, *Diabolus ſtet à dextris eius.* Ut calumniator, & accuſator: Quarta, *Oratio ejus fiat in peccatum.* Oratio dãnati & deſperabundi non eſt ad remiſſionem, ſed ad offenſionem in Deum, & homines, & ita Theodoret. ex Chaldæo vertit: *Oratio eius ſit in condemnationem.* Quinta: *Fiant dies* Chald. *eius pauci*, quia ſupra ſuam proditionem paucis horis ſupervixit, laqueo ſe ſuſpendit. Sexta: *Epiſcopatum eius accipiat alter*: Ejus nempe principatum Apoſtolatus. Septima. Octava: *Fiant filii eius orphani, & uxor eius vidua.* Quia pro ipſis ſuſtentandis multum de rebus Apoſtolicis furabatur, ut notat ad citatum locum Pſalm. Lyra, quia Iudas fur, & Lyra. latro erat Ioan. 13. & ſic de cæteris aliis maledictionibus. *Triginta maledictiones in Iudam.*

QUÆSTIO XXXIII.

Quare D. Petrus agens de pœna Iudæ, etiam Iudæorum pœnam commemorat?

233 AGens D. Petrus de pœna inflicta Iudæ ob ſuum grande peccatum, quomodo alius erat ſubrogandus in ejus locum Apoſtolatûs conjunxit ex diverſis Pſalmis diverſa teſtimonia: *Fiat habitatio eorum deſerta, & non ſit, qui habitet in ea.* Pſalm. 68. n. 2. Quæ maledictio fulminatur in Iudam, ut dixi Pſal. 108. in Expoſitione. Alterum teſtimonium: *Epiſcopa-* 68. *tum eius accipiat alter*, Pſalm. 108. n. 8. quæ execratio Iudam percutit, de quo hîc Apoſtolus agit, ad quid Apoſtolus commiſcèt quod eorum regnum futurum eſſet deſerendum, quod ad Iudæos ſpectat cũ de ſolo Iuda ſit ſermo. 234.

Reſpondeo primo, Iudæi involvuntur cum Iuda in eodem crimine, & inde in eadem pœna; Iudas tradidit Dominum Ieſum ad comprehendendum, ac crucifigendum: Iudæi comprehenderunt, ac crucifixerunt: cùm ergo Iudas, & Iudæi eſſent in eodem crimine comprehenſi, ſimili pœna, & comminatione percutiuntur: Coré, Dathan, & Abiron multa loquuti ſunt contra Moyſen, ob quæ iratus Dominus: *Aperiens terra os ſuum, devoravit illos cum tabernaculis ſuis, & univerſa ſubſtantia eorum, deſcenderuntque vivi in infernum.* Numer. 16. n. 32. Cur non ſolum ipſi, ſed etiam eorum filij, uxores, & adhærentes? D. Iſidor. relatus in Gloſſa ait: *Comburuntur* Num. 16. *non ſolum duces, ſed etiam omnes complices, & fau-* D. Iſid. *tores in æterno igne parata ultione peribunt.* *Similes in peccato, & in pœna.*

Ad idem perbellè reſpondet Rupertus lib. 1. de intellectu cap. 1. & ait: Duo teſtimonia conjunxit, 235 alterum de Pſalmo centeſimo octavo: *Epiſcopatum* Rupert. *eius accipiat alter. Alterum pluraliter de ſexageſimo octavo*: Fiat habitatio eorum deſerta. *Propoſuerat autem de uno ſingulari, ſed hic addidit, & pluraliter, quid igitur niſi exortam in cordibus Apoſtolorum intellectus lucem, hoc dicto ſentimus. Iudam quidem, & infelices Iudæos, ſicut eodem ſcelere involutos, ſic & ſimili pœna ſignificat addictos; quatenus quod uni Iudæ contingebat, ut Epiſcopatum accipiat alter, idem & Iudæis contingeret, ut Epiſcopalis eorum habitatio deſerta fieret.* Ex diverſis Pſalmis Princeps Apoſtolorum *Iudas & Iudæorũ peccatum ſimile eadem pœna caſtigatur.*

lorum conjunxit teſtimonia, unum, quod ad Iudam ſpectabat, de quo in præſenti agebatur, alterum quod ad Iudæos, & ex eo tantum adducit, quia erant ſimiles in crimine, & inde pœna, quæ cadit ſuper unum peccatorem, alios etiam eodem crimine irretitos apprehendit: *Iudam quidem, & infelices Iudæos, ſicut eodem ſcelere involutos, ſic & ſimili pœna ſignificat addictos.*

236. Gen. 11. Tranſacto diluvio convenerunt Viri Magni, & proceres dicentes ad invicem: *Venite faciamus nobis civitatem, & turrim, cuius culmen pertingat ad cœlum.* Geneſ. 11.n.4. quod fecerunt alterius diluvii metu, ſi fortè veniret, ut vult Lyra, unde de eorum inſania multum admiratur D.Chriſoſt. Homil.30.in Geneſim, & ait: *Vide in quantum invaluit materia, habentes autem recentem memoriam generalis diluvii in tantam interius inciderunt inſaniam.* Maximè, ut contendit Abulenſis, tunc adhuc erat vivus Noë, vel ſaltem filii ejus, à quibus erant edocendi, ac inſtruendi de verbo dato à Deo: *Non erunt ultra aquæ diluvii ad delendam univerſam carnem, eritque arcus meus in nubibus, & videbo illum, & recordabor fœderis ſempiterni* Geneſ. 9.n.15. ſi infallibilis divina promiſſio eſt facta, in cujus rei firmitatem arcus apparet in cœlo, cur adhuc timent diluvium? Videbant ſe iiſdem criminibus, ac peccatis, ut fuerunt antea illi, ob quæ inundatio diluvii venit, illaqueatos, ac fœdatos, inde ſibi ipſis ſimilem pœnam metuebant: & nullo verbo Dei dato, nec ſigno in Cœlo quieſcebant ſed undique terrore diluvii conquaſſabantur, & ideo ad turrim fabricandam confugiunt. Philo Iudæus de confuſione linguarum ait: *Hi quamvis improbiſſimi, ultricem tamen ſcelerum ſuorum Dei juſtitiam præſagientes, dicunt: priuſquam diſſipemur ædificemus nobis turrim, &c.* Nota verba *præſagientes* ex propriis peccatis mala eventura.

Lyra. D. Chryſoſt. Gen. 9. *Peccator timidus nec verbo, nec ſigno quieſcit.*

Act. 1.*n.*21. Oportet ergo ex his viris, qui nobiſcum ſunt congregati in omni tempore, quo intravit, & exivit inter nos Dominus Ieſus,

*V.*22. Incipiens à Baptiſmate Ioānis, uſque in diem, qua aſſumptus eſt à nobis, teſtes reſurrectionis eius nobiſcum fieri unum ex iſtis.

VERSIONES.

*Syriac.n.*21. Neceſſe, ut unus, &c. qui fuerunt nobiſcum, per hoc totum tempus, quo introiit.

Arabicus. oportet, ut eligatis.

Æthiop. qui manſerunt nobiſcum.

Pagni. qui nobiſcum verſati ſunt.

Vatabl. Vitæ conſuetudinem egit nobiſcum.

Syrus n. 22. qui circuivit à Baptiſmo.

Arabicus. Uſque ad diem, quo elevavit ſe à nobis.

Oecum. Unuſquiſpiam conſtituatur teſtis reſurrectionis eius nobiſcum.

EXPOSITIO XI.

237 Verſ. 21. ✠ *Portet ergo.* Allegata ſcriptura ad propoſitum conſequenter concludit

Oecom. D.Petrus intentum ad integrandum numerum Apoſtolicum, *ne electio Magiſtri eſſet manca, & imperfecta* ait Oecumenius: *Qui nobiſcum ſunt congregati in omni tempore*, Syrus verit: *Qui fuerunt nobiſcum per totum tempus.* Solus ille bonus teſtis, qui optimè, ac aprimè agnoſcit rem; *quo intravit, & exivit.* Ingredi, & egredi Hebraïcus eſt ſignificans totum vitæ curſum, ac converſationem, ac etiam actiones, ſic ait Moyſes Deutor. 31.n.2. *Non poſſum ultra egredi, & ingredi.* Pſalmus 120.n.8. *Dominus introitum tuum, & exitum tuum.* Similiter 1. Reg. 18.n.16.& 3.Reg.3 n.7.& 2.Paralypom.1.n.11. Deut.31. Pſal. 120 1.Reg.18. 2.Paraly. pom.

Inter nos. Nobiſcum eſt converſatus explicat Gloſſa interlinealis. *In ingreſſu locorum, & exitu ſemper exiſtens*: ſcilicet nobiſcum ſemper prædicando, ac ſanando. *Dominus Ieſus.* Cardinalis Hugo ait: *Bonus & fidelis ſervus, qui ut prius conſueverat Chriſtum Dominum vocare poſt Aſcenſionem etiam facit.* 238 Hugo.

Verſ. 22. *Incipiens à Baptiſmate Ioannis.* Inde cœpit Evangelium, ac Chriſtum prædicare, prius eum Ioannes demonſtravit dicens: Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Ioan.1.n.29. Et Baptiſatus ab ipſo Spiritus Sanctus ſuper Chriſtū deſcendit, & *vox Patris audita eſt: Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi complacui. Math. 3. n.* 17. & inde Chriſtus auſpicatus eſt ſuam prædicationem, & recte S. Petrus Apoſtolus teſtes geſtorum Chriſti requirit: *Incipiens à Baptiſmate Ioannis*; nam, ut obſervat D.Chryſoſt. quæ antea facta fuerant, nemo noverat, niſi edoctus ab Spiritu Sancto, aut Sanctiſſima Virgine Maria manifeſtante, & inde multa, quæ circumferebantur de Infantia Salvatoris, ut apochrypha damnat Gelaſius Papa. Cap. Sanct. Romana Eccleſia diſtinct. 11. 239. Ioan. 1. Math. 3. D.Chryſoſt. Gelaſius.

Teſtem Reſurrectionis. Ac reliquorum myſteriorum Vitæ Chriſti, quæ in reſurrectione, tanquam in ſuo fine, ac ſcopo, continentur; tum quia Iudæi, ac infideles de ea maximè dubitabant; tùm quia ex reſurrectione Chriſti maximam auctoritatem, & fidem conciliabat Apoſtolorum prædicatio; tum quia reſurrectione Chriſti tota ſpes noſtra firmatur: ex reſurrectione Chriſti infert Apoſtolus reſurrectionem noſtram 1. Corinth. 15. n. 13. 240 *Cur potius de reſurrect.* 1.Cor. 15

QUÆSTIO XXXIV.

Quare tam ſolicitus eſt D. Petrus, ut eligatur alius Apoſtolus.

RAtionem literalem hujus quæſtionis jam dedi in expoſitione, ut duodenarius numerus Apoſtolorum à Chriſto D.conſtitutus compleatur, ac perficiatur. Secundo in hoc oſtendit D.Petrus ſuum ſublime, ac divinum ingenium; quia in tanto apice Apoſtolico non vult eſſe ſolum, & paucos, ſed & multos: quia etſi ad ejus ſublimitatem magis pertineret eſſe paucos, tamen Eccleſiæ neceſſitas multos poſtulabat *Meſſis quidem multa operarii autem pauci.* Et Petrus, ut bonus, & optimus Prælatus magis attendit ad bonum Eccleſiæ, ac ſuarum ovium, quam ad ſuam propriam auctoritatem, & commodum. 241 *Petrus magis attendit ad commodum Eccleſiæ quam ſui.*

In primo rerum molimine dicitur: *Plantaverat autem Dominus Paradiſum voluptatis, in quo poſuit hominem, quem formaverat, ut operaretur; & cuſtodiret illum* Geneſ. 2. n. 8. In iſto Paradiſo abundabant flores, Lilia, & Roſæ valde odoriferæ, ex arboribus ſuaviſſima poma, dulces fructus: Nunquid homo ponitur in eo ut floribus delitietur, & pomorum fructus comedat. Minimè, *ſed ut operetur, & cuſtodiat illum*, in quo, ut ait D. Ambroſ. in cap. 6. Apocalyps. deſignantur Eccleſiæ præſules, qui non eliguntur, ut de bonis Eccleſiæ delitientur, ac illa comedant, ſed continuis laboribus operentur pro ſuarum ovium ſalute, ac perenni vigilia cuſtodiant; 242 Gen. 2. *Prælatus eligitur non ad ſuam ſed ſuorum utilitatē.*

custodiant; ait Sanctus Pater: *Non ut comedant fructus, sed ut operetur.*

243 Tertiò: In hoc maximè ostenditur eximia Petri virtus, & sanctitas, quod in dignitate non vult esse solus, quod est proprium hominis ingenium, sed in dignitate, ac sublimitate eligit, ac determinat secum habere consortes, ac similes, quæ est magna gloria, ac excellentia ipsius Dei: *Cum sederit Filius hominis, sedebitis & vos &c. Math.* 19.n.28.

Petrus admittit consortes. Math.19

Dicitur Psalm. 18.n.6. *In sole posuit tabernaculum suum, & ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo.* Si ipse in tam sublimi posuit tabernaculum suum, cur non dicitur, quod procedit tanquam Rex regum, Dominus dominantium, ac Princeps universæ terræ, sed tantum astruitur exisse ut sponsus. Nam Rex, Imperator, ac supremus Dominus non admittunt alium sui consortem, ac similem, quod sponsus, ex eo quod sponsus secum involvit sponsam sui consortem. Hinc dicitur: *Veni electa mea ponam in te thronum meum.* Multum distat ingenium Divinum ab humano, quod consortium, in throno respuit, divinum verò maximè affectat, ac requirit. Hinc dicitur Apocalyps. n. n. 21. *Qui vicerit dabo ei sedere mecum in throno meo.*

244 Psal. 18.

Sublimi, & alto ingenio ponderat D. August. tract. 2. in Ioan. quod agens sanctus Ioannes de æterna Divini Verbi generatione, ac de ejus consubstantialitate cum Patre subnectit filiationem adoptivam hominum, & ait n. 12. *Dedit eis potestatẽ Filios Dei fieri his, qui credunt in nomine eius, qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt, & Verbum Caro factum est.* Valde mirum venit Christus D. unigenitus Filius Dei, consubstantialis cum Patre, tamen ordinat, ac disponit, ut homines per gratiam fiant Filii Dei adoptivi, cum apud homines adoptio fiat ex defectu filiorum naturalium, & cum Deus gaudeat perfectissimo filio naturali, adhuc eligit ut filios homines. Præclare Magnus Augustin. citatus ait: *Magna benevolentia, unicus natus, & noluit manere unicus*, id est summa, & infinita Dei Charitas, ac pietas, qui tantum homines dilexit, qui cùm tantum, ac talem haberet filium ejusdem Divinæ naturæ cum ipso, etiam ipsius Divinæ Filiationis voluit homines participes facere, ut Filii Dei dicerentur per gratiam, ac participationem: *unicus natus est, & noluit manere, unicus*

245

Ioan.1.

D.Aug.

Filia io divina communicata hominibus.

246 Quantum distat hoc ingenium Divinum ab humana conditione, quæ nullo modo patitur secum consortes in officio, ac dignitate: Maximè gravatus, ac oppressus Moyses regimine sui populi ait ad Dominum: *Non possum solus sustinere hunc populum, quia gravis est mihi, sin aliter tibi videatur obsecro, ut interficias me.* Num. 11. n. 14. cujus petitioni satisfaciens Deus, ait illi: *Congrega mihi septuaginta viros de senibus Israel, quos tu nosti ... ut sustentent tecum onus populi, ne tu solus graveris.* Moyses, cum esset vir sapientissimus, ac bene instructus in omni doctrina Ægyptiorum, facile hoc remedium bene poterat intelligere, & illud sibi assumere, cum de illo jam fuisset admonitus à suo socero Iethro, quod constituisset centuriones ad populi causas judicandas, & alios præstantiores ad graviores causas Exod. 18.n.21. Si tantum hic gravatur populi onere, ut tæderet eum vivere, cur aliquos prudentes viros non secum assumit ad regimen populi, cùm remedium videretur promptum, & facile? Tam innata est homini conditio, ut ipse solus sit in regimine populi; quod quamvis multum ejus onere prematur, ac gemat, ut potius eligat mortem, quam habere consortem in gubernaculo.

Num. 11

Gubernator vult potius vitam perdere, quã consortes habere. Exod. 18

QUÆSTIO XXXV.

Quare ad electionem Apostolatûs non vocat D. Petrus viros sanctos, & sapientes, sed cognitos, ac notos?

247 AD eligendum unum Apostolum, ait D. Petrus: *Ex his viris, qui nobiscum sunt congregati in omni tempore, ex quo intravit Dominus Iesus, &c. testem Resurrectionis fieri unum nobiscum*, ac si dicat, ad hanc electionem non sunt vocandi sanctiores, ac prudentiores, sed ex his *qui nobiscum sunt congregati in omni tempore*, ut caput Ecclesiæ dans formam, quod ad dignitates, ac prælaturas non sun eligendi, qui noviter, ac recenter venerunt, sed illi, qui multo tempore conjuncti sunt nobis, ac nostri familiares, quorum mores, ac conditiones largâ experientiâ agnoscimus.

248 Cum Moyses maximè se agnosceret gravatum regimine populi, ut solus non posset sustinere pondus tantæ multitudinis, ait illi Deus: *Congrega mihi septuaginta viros de senioribus Israël, quos tu nosti, quod sunt senes populi sint*, Num. 11.n.16. Mandat Deus eligere ad tantum negotium, ac ad regimen populi, non quoscumque senes, Glossa: *Non senes ætate, & canicie, sed prudentiâ, & moribus.* Et sufficit ad hanc electionem, quod sint senes ætate, & moribus. Maximè, sed *quos tu nosti, quod senes sint.* Cum electio committitur Moysi assignatur forma eligendorum, *quos tu nosti quod senes sint* longa experientia, diuturno tempore, quod senes sint in integritate, ac probitate vitæ. Sic scribit D. Hieronym. epist. ad Paulinum, & ait: *Electos à Moyse presbyteros, quos ipse sciret esse presbyteros, utique non ævo, sed prudentiâ judicandos.* Quod argumentum latè prosequitur Anacletus Papa, epist 2. refertur dist. 84. cap. Porro.

Num. 11

Glossa. *Iam diu cognitus eligendus ad dignitatem.*

D.Hier.

149

Hoc nos docet, & illuminat infinita Dei sapientia, cujus Providentia in sui dispositione non fallitur, cui sunt omnia præsentia, præterita, & futura in nostrum documentum, & doctrinam, nunquam aliquem ad alta, & sublimia munia elegit, nisi in multis probatum, examinatum, ac cognitum. *Henoch, non apparuit, quia tulit eum Deus.* Genes. 5 n. 24. ut esset custos, & defensor Ecclesiæ tempore Antichristi, tamen prius scribitur de eo: *Ambulavit cum Deo*, Ibidem n.22. hoc est juxta omnia Dei mandata. Noë eligitur ut esset seminarium, ac servator totius generis humani, tamen prius de eo affirmatur: *Noe vir iustus, atque perfectus fuit, in generationibus suis cum Deo ambulavit.* Genes. 6. n.9. Abrahamus destinatur, ut patens multarum gentium, ac Pater Christi, *In quo benedicendæ erant omnes gentes.* Tamen prius tentatur, ut fidelis: *Egredere de terra tua, ac cognatione tua Genes.* 12. n. 1. Deinde præcipitur ei; *Tolle filium tuum unigenitum, quem diligis Isaac, offer eum in holocaustum.* Genes. 22. n.2. Ioseph antequam assumatur ad gubernaculum totius Ægypti prius opprimitur à fratribus, ab eis venditur. Genes. 37. n. 28. Deinde *tradidit eum Dominus in carcerem, ubi vincti Regis detinebantur.* Genes. 39.n.20. Moyses antequam constituatur Princeps, ac dux totius populi, ac Deus Pharaonis Exod. 7. n. 1. prius tamen *negavit se esse filium Pharaonis, majores divitias æstimans thesauro Ægyptiorum improperium Christi.* Hebræor. 11. n.26. Sic & Iosue cap. 1. Antequam Dux populi prius expertus est fidelis servus Moysis, Gedeon vir fortissimus probatur Iudic. 6. n. 12. David antequam in solio regio sedeat 2. Reg. cap. 2. n. 4. prius tamen multis bellis,

Gen. 5 *Nullus eligatur, nisi post probatã sufficientiam.*

Gen. 6

Gen. 12.

Gen. 22.

Gen. 37.

Gen 39. Exod. 7.

Hebr. 11 Iosue 1.

Iudic. 6. 2. Reg. 2.

contradicto

contradictionibus,ac perſecutionibus cum Goliath, Saul eſt examinatus. Tandem Ieſus Chriſtus Sapientia Æterni Patris ad noſtram eruditionem ex ſuis
Luc. 6 diſcipulis non elegit duodecim Apoſtolos Luc.6. n.13. niſi ad ſecundum annum prædicationis, ut dixi tom.3. in Evang.cap.5. eorum probitate, ac integritate bene declarata, ac manifeſtata. Tandem Petrus non creatur ſummus Pontifex Eccleſiæ Dei
Ioan.21. Ioan.21.n.16. niſi tranſacto triennio in Chriſti comitatu, in multa fidelitate, integritate, ac Chriſti amore, Dei diſcant Principes, ac Prælati, quod ad munia, & officia non eligantur extranei, ac alieni, ſed bene agniti, ac probati & amici.

250. Venit Nathan ad Davidem, ut eum argueret de
2.Reg.12 ſuo peccato 2.Reg.12.n.4. & ait: *Cùm autem peregrinus quidam veniſſet ad divitem, parcens ille ſumere de ovibus, & bobus ſuis, ut exhiberet convivium peregrino illi, qui venerat ad ſe, tulit ovem viri pauperis.* Ecce à Nathan proponitur homo dives præpa-
Luc. 15. rans convivium peregrino. Aliter Ieſus Chriſtus ſuam componit parabolam Luc.15.n.5. ſic dicens: *Quis veſtrum habet amicum, & ibit ad illum media nocte, & dicet illi: Amice, commoda mihi tres panes, quoniam amicus meus venit de via ad me, & non habeo quid ponam ante illum.* Ecce meus Ieſus introducit parabolam de homine, qui vadit ad amicum, & parat convivium amico venienti: quàm magna diverſitas! Apud Nathan eſt convivium homini ignoto, & peregrino: Ieſus verò in ſua parabola de menſa appoſita homini amico, & familiari, ac bene noto agit; unde tanta diverſitas? Nathan efformabat ſuam parabolam, ut argueret, & increparet Regem de ſuo delicto: At Ieſus, ut Divinus Magiſter ſuâ parabolâ innuebat; quinam in domo ſua, Eccleſia nempe, deberet comedere panem, ex officio, & beneficio, etſi ad mordendum panem, ac ſugillandum Regem introducatur peregrinus, & alienus, qui communiter ſolent eſſe infeſti, & crudeles obſervatores: At D. Ieſus dat formam, & lucem ad convivium, & panem comedendum, non alienis, ſed amico, & familiari bene noto, & cognito; quia tales ſunt admittendi, ac recipiendi ad officia in Eccleſia Chriſti.

Ad menſam, & Eccleſiâ ſolum bene notus admittendus.

Act.1.n.23. Et ſtatuerunt duos, Ioſeph, qui vocabatur Barſabas, qui cognominatus eſt juſtus, & Mathiam.
N.24. Et orantes dixerunt: Tu Domine, qui corda noſti omnium, oſtende, quem elegeris ex his duobus unum.

VERSIONES.

Arabic. n.23. Conſtituit duos.
D. Auguſtin. Statuit duos.
Syrus n.23. Tu noſti quod eſt in cordibus omnium, quem unum eligis tu.
Arabicus. Tu declara utrum eligas.
Æthiopic. Cognitor cordis, monſtra unum ex his.

EXPOSITIO XII.

251. Verſ.23. *Statuerunt duos.* Petrus, ut notat D.
D. Chry. Chryſoſtom. protulit ſententiam de
ſoſt. uno eligendo juxta prophetiam recitatam: ipſi autem Apoſtoli ex communi conſenſu eligunt duos,
Lyra. ut ait Lyra: *Tanquam magis notabiles in ſcientia, & factorum Chriſti experientia*, eligebatur ut eſſet
D. Aug. eorum teſtis. D. Aug. lib.de Actis cont.delict. Manich. cap.4. pro *ſtatuerunt*, legit *ſtatuit*, ſcilicet Petrus, ut caput cum cæteris Apoſtolis, ac fidelibus.

Ioſeph, & Mathiam. Uterque erat ex 72. Diſci- 252
pulis Chriſti; Hic Ioſeph videtur quod fuerit frater Iacobi Minoris, & Iudæ, ac Simonis Apoſtolorum Chriſti, & Filius Alphæi, & Mariæ, qui erant conſanguinei Chriſti, & hæc Maria nominatur inter cæteras Matronas Chriſto pendente in Cruce, *& Maria Iacobi, & Ioſeph Mater.* Math.27. n.56. Hic Ioſeph creatus eſt Epiſcopus in Palæſtina, Math.27
de eoque agit Martyrolog. Roman. die 20. Iulii, & poſt aliqua ſubdit: *Multam pro fide Chriſti à Iu-* Marty-
dæis perſequutionem ſuſtinens in Iudæa victorioſo fine rol.
quievit... de quo etiam refertur, quod venenum bi- Ioſeph
berit, & nihil ex eo triſte propter Domini fidem quis eſſet.
pertulerit.

Qui vocabatur Barſabas, id eſt *filius Sabæ*, vel *fi-* 253
lius Sabas: Poteſt etiam hæc vox Sabas interpretari, non tanquam nomen proprium ſed ut appellativum ſignificans, vel *juramentum*, vel *ſaturitatem*, vel *reverſionem*, ac ſi dicatur filius *juramenti*, *ſaturitatis*, *ac reverſionis in Deum. Qui cognominabatur juſtus.* Ob ejus inſignem ſanctitatem, & juſtitiam; & Mathiam, de quo infra q.41.

Verſ.24. Ad tantum negotium non procedunt niſi facta oratione. *Tu Domine, qui corda noſti* 254
omnium. Syrus *Tu noſti quod eſt in cordibus omnium*: Syrus.
penetrare, & ſcire corda hominum, ſolius eſt Dei, ut docent Theologi cum D.Thom. 1.p.q.57. art.4. 2. Para-
ſic dicitur 2.Paralip.6.n.30. *Tu ſolus noſti corda fi-* lip.6.
liorum hominum. Ierem.17.n.10. *Pravum eſt cor ho-* Ierem 17
minis, & inſcrutabile, quis cognoſcet illud? Ego Dominus ſcrutans corda, & probans renes. Homines ſæpe falluntur in eligendo, quia ſolum externam faciem reſpiciunt, & ſecundum illam judicant, quia aliud patet exterius, aliud latet interius, Deus verò cum ſolus ſit cordium inſpectator, ſolus ille poteſt facere bonam electionem.

QVÆSTIO XXVI.

Quare D. Petrus Apoſtolorum coriphæus, qui ſermonem fecit de electione, per ſe ſolum non eligit.

DIvus Petrus, ut caput Apoſtolorum, fecit ſer- 255
monem, & exhortationem de eligendo unum *Duo elec-*
in Apoſtolatum: *Oportet*, ait, *eligere unum ex iſtis, tiones-*
qui congregati ſunt nobiſcum, tamen ipſe non eligit, *nium*
ſed univerſæ congregationi Apoſtolorum, ac fide- *votis.*
lium electionem remittit, qui omnes omnium votis, ac conſenſu elegerunt duos, & valde inſignes virtute, ſanctitate, ac cognitione operum Chriſti.

Duos, ait Chryſoſtom. *non unum, ne præferretur* 256
quiſquam alteri, cum frequenter, qui apud homines D. Chry-
eſt in pretio ſit apud Deum inferior. Gloſſa interli- ſol.
nealis. *Exemplis æqualibus, duos pariter cognoſce-* Gloſſa.
bant. Hugo: *Quos cæteris præferendos eſſe non dubi-* Hugo.
tarunt, alterum verò præferre alteri non humanum erat, ſed Dei: Nemo debet ſibi aſſumere honorem, ſed Duo me-
vocari à Deo tamquam Aaron. liores.

Quæſtio præſens eſt: Cur Petrus caput, ac prin- 257
ceps Apoſtolorum, & cæterorum fidelium, hos duos non eligit? Nam ipſe per ſe ſolum magna, & Difficul-
alta eſt operatus: Claudo dedit ſanitatem Act.3. tas quæ-
n.7. & Thebitam mortuam ſuſcitavit, & multa alia ſtionis.
innumerabilia, cur ergo hos duos non eligit? Act. 3.

Reſpondet Oecumen. & ſic ait: *Petrus inquit,* 258
viri Patres, oportet eligi à vobis, multitudini judi- Oecum.
cium permittens, ſimulque eos, qui eligerent, venerandos reddens. Similiter D. Chryſoſt. ſic fatur: *Ita* D. Chry-
voluit Petrus, ſimulque eos, qui eligebantur, reddere ſoſt.
reverendos.

Dignitas electorũ in honorem electi exundat.

reverendos. Petrus cum cæteris Apoſtolis, ac diſcipulis rem communicat, & pertractat, ut eligendus Apoſtolus à beneplacito, ac dignitate eligendorum, maximè commendaretur, & multum plauſibilis fieret; multum enim electorum dignitas, ac bonitas exundat in auctoritatem electi, quod à tantis, ac talibus ſit in munere exoptatus. *Simulque eos, qui eligebantur, reddere reverendos.*

259. Cum Moyſes ſe videret maximè fatigatum, ac oppreſſum ſiniſtra conditione populi, poſtulat à Deo, ut à tanto onere eximatur, etiam morte interveniente, cui ait Deus: *Congrega mihi ſeptuaginta viros de ſenibus Iſrael, & duces eos ad oſtium tabernaculi fœderis ibi ſtare tecum, ut deſcendam, & loquar tibi, & auferam de ſpiritu tuo, tradamque eis, ut ſuſtentent tecum onus populi, ne tu ſolus graveris.* Num. 11. n. 17. ſi datur facultas Moyſi, ut ipſe eligat ſeptuaginta viros de ſenibus Iſraël, cur etiam non datur poteſtas à Deo, ut ipſe auferat de ſpiritu ſuo, & communicet cum eis, eoſque de ſuo ſpiritu participes faciat, ſicut Parens Elias participem fecit filium ſuum Eliſæum, dato pallio, ei etiam dedit ſuum ſpiritum. 4. Reg. 2. n. 10. & notant ad hunc locum Numerorum Lyra, Hugo, Caietanus, Lorinus, ſed dare ſpiritum Moyſis his ſenibus Deus ſibi reſervat, & per ſe ipſum vult facere: *Ut deſcendam, & loquar tibi, & auferam de ſpiritu tuo, tradamque eis.* Septuaginta, *de ſpiritu, qui eſt in te.* Deus in oſtio tabernaculi aufert de ſpiritu Moyſis, & impertitur ſenibus, ut ipſa electio facta in eis à Moyſe maximè confirmata appareret, ipſique electi maximè venerabiles, ac reverendi, & æſtimabiles in populo redderentur, cùm ſpiritum propheticum, ac gubernativum Moyſis, non ab hominibus, ſed è manu Dei accepiſſent.

Num. 11

4. Reg. 2. Lyra. Hugo. Caietan Lorin.

Septuag.

Deus vult ſuos electos eſſe venerabiles.

260. Cum Moyſes deſtinatur legatus à Deo filiis Iſrael pro eorum libertate, tunc Moyſes quærit à Deo, quodnam eſt nomen tuum, ut valeam exponere filiis Iſrael quis eſt, qui mittit me ad illos. Tunc ait Deus: *Hæc dices filiis Iſrael Dominus Deus Patrum veſtrorum, Deus Abraham, Deus Iſaac, & Deus Iacob miſit me ad vos: & hoc nomen mihi eſt in æternum, & memoriale meum in generationem, & generationem.* Exod. 3. num. 15. quæ verba expendit D. Chryſoſt. homil. 4. de fide Abrahæ: *Dominus Deus Patrum veſtrorum, Deus Abraham, Deus Iſaac, Deus Iacob*, tunc ſic ait: *Apud homines à Dominis ſervi, à majoribus minores appellationem ſumunt: apud Deum autem è contra, Dominus à ſervo denominatur.* Conſidera, quanta differentia interſit in electione ſervorum facta ab hominibus, ac Deo; *nam apud homines à Dominis ſervi, à majoribus minores appellationem ſumunt*, v. g. Marcion dicitur Dominus Ludovicus de Meneres, ſervus dicitur Joannes de Meneres, ut appellatione Domini ſui honoretur. *Apud Deum autem è contra Dominus à ſervo denominatur*, ut inde manifeſtum appareat, quam conſultiſſimè electio talium ſervorum facta fuerit à Deo, ob eorum magna merita, & præclara opera, & quantum ſunt venerandi, ac multa æſtimatione reverendi apud omnes, cùm Deus ſupremus omnium Dominus ab eis vult honorari, ac glorificari, ut dicatur talium ſervorum Dominus Deus: *Et hoc nomen mihi eſt in æternum, & memoriale meum in generationem, & generationem.*

Exod 3. D Chryſoſt.

Deus à ſervis nomen habet, ut fiant venerabiles.

QVÆSTIO XXXVII.

Quare ſi Apoſtoli, & Diſcipuli orantes ſtatuunt duos ad Apoſtolatum, cur ex ipſis duobus non eligunt unum?

Orantes ſtatuerunt duos. D. Ambr. in cap. 6. Luc. conſiderans, quod Chriſtus Dominus electurus Apoſtolos per totam noctem oraverit, ait: *Credimus, quod cum Apoſtolis oraverit, quòd alias ſemper ſolus feciſſe legitur, quaſi tanta res tam communis communem, & unanimem poſtulet orationem.* Theophylact. ibi: *Ut doceat etiam nos quando quempiam in ſpirituale miniſterium ſumus electuri, precibus hoc faciamus, edocti à Deo, & ab illo petentibus revelet, quis idoneus ſit.* Sui ſanctiſſimi Magiſtri exemplum ſequentes Apoſtoli, & Diſcipuli ante electionem orant.

261. D. Ambr. Oratio ante electionem præmittenda. Theoph.

262. Quæſtio eſt: Quare, ſicut Apoſtoli, & Diſcipuli ſtatuunt duos ad Apoſtolatum, cur non etiam ex his duobus unum eligunt, ſed hujus rei reſponſum ad Deum deferunt dicentes: *Tu Domine, qui corda noſti omnium oſtende quem elegeris ex his.* Et inde augetur difficultas, quia cum Petrus introſpexerit cor Ananiæ: *Cur tentavit Satanas cor tuum.* Acto. 5. n. 3. cur etiam cor horum duorum non eſt intuitus ad electionem.

Difficultas quæſtionis.

Act. 5.

263. Reſpondeo primò ex his, quæ dixi ſuperiori quæſtione in limine ex D. Chryſoſt. Gloſſa, Hugone: Quia hi duo inter omnes erant maximè cogniti, ac venerabiles, ut valde inſigniti virtute, ac ſanctitate, ac cognitione operum Chriſti, & ideo communi conſenſu fuerunt electi; at unum alteri anteponere valde difficile erat, & ideo tota res ad Divinum judicium refertur; Petrus autem penetravit cor Ananiæ poſt adventum Spiritus Sancti, hoc autem factum eſt antequam Divinus Spiritus deſcenderet in Apoſtolos.

Ratio literalis.

264. Secundò reſpondet D. Chryſoſt. homil. 3. in Acta: *Oſtende quem elegeris ex his*; ſic ait: *Quoniam non erat Spiritus Sanctus, ſortibus rem peragunt nondum judicarunt ſeſe eſſe idoneos, ut ipſi ex ſe facerent electionem.* Valde res notanda Apoſtoli Chriſti commenſales, ac collaterales in Chriſti Doctrina illuminati, quia nondum venerat Spiritus Sanctus, quo penitùs quaſi Spiritus fierent, & maximè ſua gratia illuſtrati, & ideo ſe abſtinent ab electione, & ad eligendum virum Apoſtolicum, qui futurus erat ad regimen, & gubernaculum Eccleſiæ, Deo committunt.

D. Chryſoſt.

Multa puritas ad electionem faciendã.

265. Cum in primo rerum molimine, Deus eſſet hominem creaturus, ait: *Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram, & præſit piſciculis maris, & volatilibus cœli, & beſtiis, univerſæque terræ.* Geneſ. n. 16. Valde diverſiſſimè ſe Deus habet in creatione hominis, ac aliarum rerum; Dixit Deus fiat lux, fiant duo luminaria, volatilia cœli, piſces maris, beſtiæ terræ; germinet terra herbam virentem, ac ligna pomifera; at cùm ad creationem hominis devenitur, maxima conſultatione fit, tres Divinæ Perſonæ vocantur tanquam in conſilium, ibi peculiaris Dei manus adhibetur, unde hoc, Tertullianus de reſurrectione carnis cap. 5. ſic fatur: *Faciamus hominem, ante præmiſit, & amplius manu propter prælationem.* Creabatur Adamus non tanquam pura creatura, ſed ad prælationem, & in Regem futurum deligebatur, & ideo Deus ab exordio in noſtrum documentum, voluit demonſtrare, quanta cura, & providentia ſit adhibenda in electione facienda, ex quo diſcãt electores, qualiter

Gen. 5.

Ad eligendum prælatum magna conſideratio.

Tertull.

qualiter ſe debeant habere cùm conveniunt ad electionem.

266 D. Chryſoſt. Tertiò idem D. Chryſoſt. relatus in Gloſſa ſic fatur: *Multitudini permittit judicium, & ſe ipſum liberans ab invidia, ſimultateque, quæ poterat à cæteris oboriri; nam hæc ſemper ingentia gignit mala.* Cum unus præ aliis eligitur, quamvis digniſſimus ſit, multæ inde naſcuntur invidiæ ſtimulationes, odii fomenta, & controverſiarum diſcordiæ, nam quilibet ſe exiſtimat digniorem, ac meritis excellentiorem. Ex Dei ordinatione Saul eligitur in Regem à Samuele, qui ait ad populum: *Certè videtis,* 1. Reg 10 *quem elegit Dominus, quoniam non ſit ſimilis illi in omni populo.* 1. Reg. 10. num. 24. & tamen: *Filii* Lyra. Abulenſ. *Belial dixerunt: Num ſalvare nos poterit iſte?* n. 27. Abulenſ. Lyran. *Deſpexerunt eum tanquam ruſticanum, & ineptum ad regnum.* Ecce Propheta teſtatur, quod Saul ſit electus à Deo, *quem elegit Dominus*, & inſuper *quod non ſit illi ſimilis in omni* Quilibet in electione ſe reputat meliorem. *populo*, & tamen contempſerunt eum tanquam ineptum ad regnum. Unde hoc potuit ſuboriri? ex eo nempè quod quilibet ſe exiſtimat meliorem, & aptiorem ad regnum, quam illum, quem Deus elegerat, & quod non erat ei ſimilis in omni populo.

267. Unde prudentiſſimè D. Petrus, ac cæteri Apoſtoli, ut ab omni invidia, odio, ac diſcordiis, & controverſiis ſe ipſos eximerent, ac expedirent ſe abſtinent ad eligendum unum ex his duobus, ſed totum negotium Dei gratiæ, ac beneplacito remittunt. Bonus Paterfamilias vocat operarios ad ſuam vineam, horâ primâ, tertia, ſexta, & nona, ac undecima: Cùm jam ſero factum eſſet, mandat Dominus ſuo procuratori, ut reddat illis omnibus æqualem mercedem, incipiens ab his, qui ultima hora venerant; cum autem vidiſſent primi, quod tantum recipiebant, ac ultimi, murmurabant adverſus Patremfamilias dicentes: *Iſti noviſſimi una* Querimonia, ac diſcordia ſunt evitanda. *hora fecerunt, pares nobis illos feciſti, qui portavimus pondus diei, & æſtus:* Dominus autem, ut hanc quærimoniam comprimeret, ait: *Amice non facio tibi injuriam, volo dare huic noviſſimo, ſicut & tibi, aut non licet mihi, quod volo, facere, an oculus tuus nequam eſt, quia ego bonus ſum.* Math. 20. num. Math. 20 15. Ad ſuam voluntatem, ac bonitatem totam quæſtionis determinationem reducit. Benè poterat Paterfamilias dicere; his ultimis tantum denarium tribuo, ac primis, quia illi tantum laboraverunt, ac alii tota die; ſed nulla de meritis fit mentio, quia tunc daretur anſa ad multas quærimonias, controverſias, ac odia; nam ſine dubio primi reclamarent, quod multum laboris, ac ſudoris impendiſſent, & quod eorum merita multo majora erant, quæ omnia computantur, dum æqualis denariorum retributio ad Domini gratiam, ac benevolentiam D. Greg. refertur. D. Gregor. homil. 19. in Evang. ſic loquitur; *Ipſa mercedis, ſeu regni perceptio eius eſt bonitas voluntatis. Rectè ſubjungitur, aut non licèt mihi, quod volo, facere? ſoluta eſt quæſtio hominis, contra bonitatem Dei murmurare.*

268. Dicitur Geneſ. 37. n. 3. *Iſrael autem diligebat Ioſeph* Gen. 37. *ſuper omnes filios, eò quod in ſenectute genuiſſet eum.* Præcipua cauſa hujus amoris erat, eximia virtus Ioſeph, & præclariſſimi ejus mores, tamen bonus ſenex ob invidiam removendam, & diſcordias reſecandas, amoris fomentum, non meritis, ſed ſenectutis genituræ adſcribebat. D. Chryſoſt. Epiſt. 8. ad Diſſimulatur amoris cauſa ob invidiã Olympian. ſic inquit: *Cum Pater videret infantem invidiam ſuſtinere, curare hunc affectum in fratribus volens finxit cauſam dilectionis, quæ non magnam ei invidiam generaret.*

QUÆSTIO XXXVIII.

Qualiter Apoſtoli intendebant, quod Deus ex his duobus oſtenderet electum ad Apoſtolatum?

SAcri Apoſtoli declarantes ſuam ſanctam ſinceritatem, & integritatem abſque aliquo affectu carnis, & ſanguinis, & amoris, maximè quia iſte Ioſeph juſtus propoſitus erat trium Apoſtolorum frater, ſcilicet jacobi Minoris, & Iudæ, ac Simonis, ut dixi in Expoſitione; totam rem ſubmittunt Divinæ voluntati dicentes: *Oſtende unum, quem elegeris ex iſtis.* Non per internam inſpirationem, vel per internum motum, ſed per aliquod externum ſignum: ſic ait D. Chryſoſt. in Gloſſa: *Ne ipſi ex ſeſe* D Chryſoſt. *facerent electionem, & cupiunt aliquo ſigno edoceri.* Ut tota occaſio quærimoniæ, ac invidiæ eradicetur, optant, & deſiderant, ut Deus aliquo ſigno oſtendat ex duobus electum, ut ita tota electio non ipſis, ſed Deo adſcribatur. 269. 270.

Cum multi Proceres Iſraël Invidiæ furore agitati exurgerent ſe opponentes contra Moyſen, & Aaron, dicentes: *Cur elevamini contra populum Dei*, eos tanquam arguentes, quod totum regimen populi ad ſe ipſos uſurparent; Deus Princeps pacis, ut omnes quærimonias ſedaret, mandat Moyſi, ut ex duodecim tribubus, duodecim reponantur virgæ in tabernaculo, unaquæque virga ex qualibet tribu, & ait Deus: *Quã ex his elegero, germinabit virga ejus, & cohibebo à me quærimonias filiorum Iſrael, quibus contra vos murmurant.* Num. 17. n. 5. tam affectuosè unuſquiſque ad ſe- Num. 17 metipſum, ad ſuam perſonã dignitatem, ac merita ra- *Dum unus eligitur, ob invidiã.* pitur, ut quando unus alteri præfertur, ut ille in invidia, odio, ac quærimonia conquieſcat, neceſſarium ſit, *ſignum de cœlo datur.* ut Deus miraculoſo ſigno oſtendat, ac manifeſtet electi probitatem, illiuſque condigna merita ad tantam dignitatem. Carthuſianus ait: *Quem elegero, germinabit virga ejus & cohibebo querimonias, me eum elegiſſe per ſignum iſtud oſtendam.* Carthuſ. 271

Mandat Deus Samuelem in domum Iſai ad deſignandũ unũ ex filiis ejus in Regem, ait Deus: *Quem monſtravero tibi*, recuſatis majoribus ultimo adducitur, ac proponitur David parvulus; & Samueli ait Dominus: *Surge, & unge eum: Tulit Samuel cornu olei, & unxit eum in medio Patrum eius, & directus eſt Spiritus Domini à die illa in David.* 1. Reg. 16. n. 13. Deus revelavit Samueli per internam inſpirationem, ut inauguraret Davidẽ ad regalem thronum, *& unxit eum in medio fratrum eorum*, & ne inde aliquis ſtimulus odii, & invidiæ ſubreſceret, declaravit Deus 1 Reg. 16 electionem à ſe ordinatam per externa ſigna; nam ab illa die cœpit David prophetizare, ut bene obſervat Ioſeph lib. 6. antiq. cap. 10. *& David*, ait, *deinceps prophetare cœpit ſancto ſuper ſe ſpiritu veniente*: ut ita tali ſigno agnoſceretur electus à Deo. *Oſtenditur David is electio à Deo.* Ioſeph.

Act. 1. n. 25. Accipere locum miniſterii hujus, & Apoſtolatus, de quo prævaricatus eſt Iudas, ut abiret in locum ſuum.
N. 26. Et dederunt ſortes eis, & cecidit ſors ſuper Matthiam, & annumeratus eſt cum undecim Apoſtolis.

VERSIONES.

Syrus. n. 25. Ut ille accipiat ſortem miniſterii, quo ſe ſeparavit Iudas.
Æthiop. Qui accipiat officiũ miniſterii hujus

Arabicus. Quem reliquit Iudas, è quo fruſtratus eſt, ut abeat, &c.

Oecumen. Vt accipiat ſortem Apoſtolici muneris, &c. qui prævaricatione excidit, progrediens in locum.

Syrus n.26. Conjecerunt ſortes, & aſcendit ad Mathiam.

Arabicus. Sortibus itaque datis.

Oecumenius, & alii. Et ſuffragiis additus eſt Matthias.

Arias. Simul ſuffragiis electus eſt.

EXPOSITIO XIII.

272. Verſ.25. *Accipere locum*, ſcilicet Apoſtolatum, de quo prævaricatus eſt Iudas ob ſuam ſummam nequitiam, & turpiſſimum ſcelus, *Vt abiret in locum ſuum.* Sibi condignum, ac convenientem, nempè ſuſpendium, furcam, & gehennam.

273. Verſ. 26. *Dederunt eis ſortes.* De hoc multæ, & variæ ſunt opiniones, de quo quæſtione 40. ſcripta nempè eorum nomina in aliqua papyro, vel in alia re tanquam ad ſortem, & Deus Cœleſti ſigno inclinavit Matthiam, & ita cecidit ſors ſuper illum, & annumeratus eſt cum undecim Apoſtolis.

QVÆSTIO XXXIX.

Quare dicitur, quod Iudas abiit in locum ſuum?

274. Iecum. rnard. AIt D. Petrus, *de quo prævaricatus eſt Iudas, ut abiret in locum ſuum.* Oecumenius, *In laqueum nempè, quo ſe dignum reddidit.* D. Bernardus in infernum cum Diabolo, ac ſuis ſequacibus, ſic ait, S. Doctor ſerm. 8. in Pſalm. 90. *Pulchrè omnino, inquit Petrus Apoſtolus, filium perditionis in locum ſuum abiiſſe teſtatus eſt, quod in aëre crepuit medius, aërearum collega poteſtatum, utpotè quem veri Dei, & veri pariter hominis, qui de cœlo venturus eſſet operaturus ſalutem in medio terræ, hujus, inquam, proditorem nec cœlum reciperet, nec terra ſuſtineret.*

275. eran. *lignus tur bere gnita- m ſed on ha- et.* Eleganter Caietan. inquit: *Abiit Iudas in locum ſuum, quia hactenus occupaverat alienum Apoſtolatus, & miniſterii, locum.* Quamvis Iudas videretur incedere cum Apoſtolis, tanquam unus ex numero eorum, in realitate, ac veritate Apoſtolus non erat, quia tanta dignitate indigniſſimus erat, & illa ob ſua demerita ſe privaverat, talis fuit ille iniquus ſervus, & piger, de quo ait Chriſtus Mat.25 Dominus Math.25. num.29. *Omni habenti dabitur, & abundabit: ei autem, qui non habet, quod videtur habere, auferetur ab eo.* Nota verbum *Quod videtur habere*, ac ſi in veritate tale dignitatis donum non Paſchaſ. habuiſſet, ut notant D. Paſchaſ. D. Remig. ad D. Remi. hunc locum.

276. Luc. 19. Ab hoc iniquo ſervo non recedamus, de quo ſcribit D. Lucas 19. numer. 20. *Alter venit dicens: Domine ecce mna tua, quam habui repoſitam in ſudario.* Cur iſte iniquus, ac piger ſervus dignitatis mnam ac talentum in nullo alio repoſuit, niſi in ſudario, quod eſt proprium mortuorum linteamentum, cùm ad ſepulturam deferuntur; ipſe contra ſe protulit ſententiam, & inviſus confeſſus eſt veritatem: quia cum eſſet ineptus, ac inhabilis dignitatis, dignitas in eo fuit, ut in ſudario mortua, & ſepulta. Theophilact. ibi ait: *Meritò igitur in ſudario ignavus ille reconditum feciſſe donum: Mortuum enim ille fecerat, & ineffícax non evolvens, neque lucrum faciens.* Et ſic D.Math.ſcribit citato cap.25.num.18. Math.25 quod iſte ſervus negligens *abſcondit pecuniam Domini ſui, & defodit in terra, tanquam mortuam, ac ſi non haberet eam.*

Indignus dignitate eidem it, ac pers ius. *Theoph.*

277. Ait Chriſtus D. Ioan.12. num.32. *Cum exaltatus fuero à terra omnia traham ad me ipſum.* Valde mirum, quod Chriſtus D. dicat quod ipſe exaltatus in Cruce ad ſe omnia eſſe trahenda; non enim ad ſe traxit perfidos Judæos, nec hæreticos, ac iniquos peccatores, qui ob ſuam malitiam, ac perverſitatem perdiderunt imaginem Dei, ad cujus ſimilitudinem conditi ſunt, ut notant D. Chryſoſt. D. Auguſtin. cum ergo caderent à tanto honore, ac Dei ſimilitudine, tamque ſublimi dignitate, & facti ſunt tanquam jumenta inſipientia, pro nihilo, ac ſi non eſſent homines reputantur. Noſter. D. Cyrill. Alexand. lib. 8. in Joannem cap.17. ait, *Verùm cum non omnium ſit fides, quomodo omnia ſe tracturum eſſe dicit ad ſe ipſum? Atqui non hoc ad univerſitatem hominum retulit, ſed ad ipſius hominis integritatem.* Ubi non eſt integritas hominis non reputatur talis homo. D. Chryſoſt. D.Aug. D. Cyril. Alex.

QVÆSTIO XL.

Quare ſacri Apoſtoli per ſortes eligunt, & quomodo ſors cecidit ſuper Matthiam?

278. *Sors in uſu.* Perrus. Victor. Tiraq. Ioſue 17. Ioſue 15 1 Reg.10 1 Reg.14 SOrtes in uſu fuerunt apud omnes ferè gentes, ut latè ex multis referunt Petrus Victorinus lib.25. variarum lection. cap.15. Tiraquellus de jure primogen. q.17. ſic etiam apud Hebræos ſorte deprehenſus eſt Achan Ioſue 7. num.16. ſorte inter duodecim tribus diviſa eſt terra promiſſionis Ioſue 15. ſorte Saul creatus eſt Rex 1.Reg.10.n.2. ſorte cognitus Ionathas eſt 1. Reg.14.n.42.

279. D Hier D.Aug. D.Chryſoſt. Beda. D Tho. Actor. 6. Ex quo D. Hieronym. in cap.1. Ionæ D. Auguſt. ſerm. de ſancto Matthia, D. Chryſoſtomus, Beda, hic D. Thom. 2. 2. q.95. artic.8. Lyran. & multi alii dicunt Apoſtolos adhuc rudes, & inexpertos id feciſſe ex antiqua conſuetudine Patrum veteris teſtamenti, antequam recepiſſent Spiritum Sanctum, & ideo poſt eum receptum, id non feciſſe in electione ſeptem Diaconorum Act.6. num.5. Tamen non explicatur, quales fuerint ſortes, & quomodo ſors ceciderit ſuper Matthiam.

280. *Quatuor opiniones* Ganeius. Salmer. Dioniſ. Primò Ganeius Salmeron tom.12. tract.10. & alii exiſtimant fuiſſe ſcrutinium ſuffragiorum, quod Divinus Spiritus gubernavit, ut eligeretur Matthias, ita aliquorum lectio habet: *Suffragiis electus eſt Mathias:* Secundò aliqui apud eundem Salmeron exponunt *Matthiam fulgore quodam Divino deſignatum fuiſſe à Deo.* Tertiò D. Dionyſius Areop. Eccleſiaſt. Hierar.cap.5. ait: *Videtur mihi ſcripturam ſortem appellaſſe divini quiddam, & præcipui muneris, per quod illi choro ſacratiſſimo declararetur, qui eſſet divina electione declaratus*; ac proinde cenſet fuiſſe radium lucis è cœlo demiſſum in Matthiam. In eadem ſententia ſunt D.Anton.1.p.tit.6.cap.2.Baron.Sanch. Turrian.& ut magis ſe explicent, dicunt quod Apoſtoli exorarunt, ſuper quem deſcenderit radius ipſe eſt electus à te. Quartò Carthuſian. tenet quod fuit Spiritus Sanctus in ſpecie, ac figura columbæ deſcendens ſuper Mathiam. Quintò aliqui dicunt, quod fuit vox de cœlo dicens: *Hic eſt Apoſtolus ille dilectus.* D. Ant. Baron. Sanch. Turrian. Carthuſ

281. Lorin. Cornel. Sexto communiter recentiores Lorin. Cornel. Menoch. Eſtius, Tyrinus, Mariana, inhærentes in communi uſu, ac voce ſortis dicunt Apoſtolos miſiſſe

Menoch. Tirin. Turrian. miſiſſe ſortes propriè dictas, ut verba ſonant, & ſortem cecidiſſe ſuper Mathiam: Nomen Mathiæ in una charta ſcriptum, nomen Ioſeph in altera, & hæ fuerunt miſſæ in urna ea lege, ut illius nomen, qui prior eſſet eductus Apoſtolus haberetur; Prior exiit Mathias, & inter Apoſtolos eſt numeratus.

282. Breviter dico quod mihi videtur; primò; Apoſtoli prudentiſſimè, ac ut illuminati ab Spiritu Sancto; nam ipſi ſtatuerunt duos, *Orantes ut Deus oſtenderet quem ex illis eligebat*, eorum oratio fuit exaudita, ac proinde Deus gubernavit oſtendens modum, quo erat facienda. Id autem, quod dicitur de electione Diaconorum, non obſtat; non enim erat electio tanti ponderis, nec Apoſtoli poſtularunt à Deo quoniam erant Diaconi eligendi ex illa ſancta multitudine, ut fecerunt in hac electione Mathiæ.

Oratio Apoſtolorum exaudita.

283. D. Dionyſ. D. Chryſoſt. D. Aug. D. Paſch. D. Albert. Magn. Dico ſecundò, quod illa ſors, quæ cecidit ſuper D. Mathiam fuit à Deo demonſtrata aliquo miraculoſo, & divino ſigno. Ita docent D. Dyonif. ſupra citatus, D. Chryſoſtom. datus ſupra q. 38. D. Auguſtin. in Pſalmo tertio Conci. 2. Origenes homil. 23. in Joſue, D. Paſchaſ. libro nono in Math. D. Albertus Magnus ſerm. de S. Mathia, & alii, & hoc bene deducitur ex textu; nam Apoſtoli orantes dixerunt: *Oſtende Domine unum ex iſtis, quem eligis*: ergo Deus ad orationem Apoſtolorum aliquo ſigno peculiari, & Divino oſtendit Mathiam, quem elegit.

284. *Propria ſententia.* Dico tertiò, quod in una charta impoſitum fuit nomen Mathiæ, in altera nomen Ioſeph, & repoſitæ in urna, abſque ulla manu, vel ope hominis, illa charta, in qua erat nomen Mathiæ, divina virtute prodiit, ac exivit, & forte ſi aliquo ſplendore, non renuo, & ita oſtendit Mathiam electum, *& ſors cecidit*, vel *aſcendit ſuper Mathiam*, quod fuit gratum, & ipſe omnium ſuffragiis eſt electus, ut legit Arias, & annumeratus Apoſtolus.

285. Syrus. Syrus legit: *Aſcendit ſors ſuper Mathiam* ipſum oſtendens maximè dignum dignitate Apoſtolica, & rectè dicitur *Aſcendit ſors*. Quia cùm dignitas homini benemerito confertur, tunc ipſa dignitas aſcendit, & maximè condecoratur, ac nobilitatur tali perſona: De ferculo, ſeu Throno Salomonis Cant. 3. dicitur: *Reclinatorium aureum*. Cantic. 3. num. 10. & unde tanta nobilitas ferculo, ut ejus reclinatorium ſit aureum? De ipſo Salomone dicitur: Cant. 5. *Caput ejus aurum optimum*. Cantic. 5. numer. 11. Gilibert. Præclarè Gilbertus Abbas ibi: *Caput aureum reddit reclinatorium aureum*. Non reclinatorium nobilitavit Salomon, ſed ipſe Salomon, ob ſuas præclariſſimas dotes, ac virtutes ſic condecoravit thronum, ac reclinatorium, ut eum aureum optimum faceret.

Dignitas ex benemerito honorat.

QUÆSTIO XLI.

Quare ſors cecidit ſuper Mathiam, & ipſe electus eſt in Apoſtolum.

286. Græcus Vatabl. Pagnin. *Annumeratus cum undecim Apoſtolis.* Græcus habet *communibus calculis cooptatus eſt*. Vatabl. *ſuffragiis additus eſt ad numerum undecim Apoſtolorum*. Pagnin. *ſuffragiis additus eſt undecim Apoſtolis*. Nota verbum *additus eſt*: Poſtquam Mathias divino ſigno, ac ſorte deſignatus fuit Apoſtolus, omnium ſuffragio; ac applauſu numeratus eſt cum duodecim: Ac proinde quatuor hîc conſideranda. Primò ſors juxta illud David: In ma- Pſal. 30. nibus tuis ſortes meæ, Pſalm. 30. num. 16. Secundò, Cœleſte ſignum demonſtrans. Tertiò communis Apoſtolorum calculus, & collaudatio. Quartò humilitas Mathiæ in tanta dignitate, ac collaudatione, nam Mathias idem eſt, ac parvus, ſeu humilitas interpretatur.

287. D. Ante. Elogium D. Mathiæ ſic ſcribit D. Anton. 1. p. titul. 6. capit. 2. *Fuit in lege Domini doctiſſimus, corpore mundus, animo prudens, in ſolvendis quæſtionibus Sacræ Scripturæ acutus, in conſilio providus, in ſermocinatione expeditus, multorum ſignorum patrator, extenſis in Cœlum manibus Martyr Spiritum Deo reddidit.* Unde nota magnum documentum, ut jam adverti tom. 2. in Evangelia cap. 8. q. 7. nmm. 50. de vocatione Petri, & Andreæ, Chriſtus Dominus elegit ad Apoſtolatum viros illiteratos, tamen poſtea ab Apoſtolis ſtatuitur vir doctiſſimus, ut Mathias ad eorum Apoſtolorum numerum complendum. Chriſtus Dominus cum poſſit facere de lapidibus filios Abrahæ, elegit viros ſine literis, ut virtus Evangelij cunctis patefieret, ut hominum converſio ad fidem, non humanæ ſapientiæ, ſed Dei virtuti tribueretur: At Apoſtoli dum eligunt, virum doctiſſimum vocant, quia non erat in eorum poteſtate talenta dare; ut inde habeamus documenta, quod dignitates Eccleſiaſticæ non ſunt dandæ, niſi viris doctis, ac peritis. Vide proximè citatum locum.

Homines ad dignitates non eligant, niſi ſapientes.

288. *Significatio nominis Mathiæ.* Anton. Beda apud Gloſſam, ait, *Mathias, qui donatus, vel donum Dei interpretatur, cui donum Apoſtolatûs à Domino collatum eſt, vel Dei parvus interpretatur, merito parvus tranſcenditur ille, qui laude hominum erat juſtus.* Similia ferè habet D. Antonius alto, & divino lumine inter omnes Apoſtolos D. Mathias dicitur donum Dei, extitit peculiare donum Dei ad complendum numerum Apoſtolorum, ad illuſtrandam Eccleſiam Dei, ad augendam fidem Catholicam, & ad propagandam converſionem gentium. *Secundum nomen tuum, ſic & laus tua* Pſalm. 47. num. 11. De elogiis, ac excellentiis D. Mathiæ latè tractavi tom. 2. in Apocalyp. capit. 21. quæſt. 30. Pſal. 47.

289. Nomen, quod à Deo venit nunquam vacuum eſt, ſed ſemper ſecum importat effectum, quem ſignificat: Ait Deus Abraham; *Non ultra vocabitur nomen tuum Abram, ſed appellaberis Abraham, quia Patrem multarum gentium conſtitui te.* Geneſ. 17. num. 15. Quid eſt quod quando Deus conſtituit Abraham Patrem multarum gentium, ei mutat nomen, & aliud novum ei imponit, antea dicebatur *Abram*, id eſt pater excelſus, qui excelſa cogitat, ſed mandat modo, ut dicatur *Abraham*, quod ex radice Hæbraïca ſignificat Patrem magnæ multitudinis, ut ibi notant Lyran. Abulenſ. Cajet. & Lyran. Caietan. Abulenſ. alii, ut ipſe ſuo nomine ſignificaret, & importaret gratiam, & donum, quod ei Deus dedit, ut eſſet Pater multarum gentium. Gen. 17. *Nomen à Deo ſecum importat effectum.*

Ait Chriſtus Petro: *Beatus es Simon Bar-Iona; & ego dico tibi, quia tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.* Math. 16. num. 18. Maximè notandum illud *Ego dico tibi*, qui ſi nomen tuum antea erat Simon, jam aliud nomen tibi eſt, ut Petrus dicaris, quod nomen tibi dedit, non Pater tuus, vel Mater, vel aliquis alius, ſed ego omnium Dominus dico tibi, & tibi impono nomen, ut dicaris Petrus, quia cùm te conſtituo petram fundamentalem Eccleſiæ meæ, ab ipſa petra do tibi nomen, ut dicaris Petrus D. Hieronym. ibi: *Quid eſt, quod ait, ego dico tibi, non ſermone caſſo nullum habente opus, ſed ego dico tibi, quia meum dixiſſe feciſſe eſt.* Nota verbum *meum dixiſſe, feciſſe eſt*, idem eſt, ac ſecum importet effectum. 290. Math. 16. D. Hier. *Idem eſt quod Deus dicat, ac faciat.*

291 Exod. 20 Cum Deus loqueretur cum Moyse dicitur Exod. 20. n. 18. *Cunctus autem populus videbat voces, & lampades.* Voces audiuntur, non tamen oculis patent: quod lampades viderentur plana res est, sed quod sicut lampades ita visu percipiantur voces, quomodo fieri? Ecce quantum discrimen est inter voces Dei, & hominum, quia hæ solum auditum pertranseunt, at illæ non sunt cassæ, sed secum involvunt effectus, ita ut oculis excipiantur. Philo lib. de Decalogo ait, *Universus populus videbat vocem apertissimè; humana enim vox auditur, Divina visu percipitur: Quare? quia quæcumque Deus dicit, non verba sunt, sed opera.*

Verba Dei sunt opera. Philo.

CAPUT II.

1. *Et cum complerentur dies Pentecostes, erant omnes pariter in eodem loco.*
2. *Et factus est repente de Cœlo sonus, tanquam advenientis Spiritus vehementis, & replevit totam domum ubi erant sedentes.*
3. *Et apparuerunt illis dispertitæ linguæ tanquam ignis, seditque supra singulos eorum.*
4. *Et repleti sunt omnes Spiritu Sancto, & cœperunt loqui variis linguis, prout Spiritus Sanctus dabat eloqui illis.*
5. *Erant autem in Ierusalem habitantes Judæi, viri religiosi ex omni natione, quæ sub Cœlo est.*
6. *Facta autem hac voce, convenit multitudo, & mente confusa est, quoniam audiebat unusquisque lingua sua illos loquentes.*
7. *Stupebant autem omnes, & mirabantur, dicentes: Nonne ecce omnes isti, qui loquuntur Galilæi sunt?*
8. *Et quomodo nos audivimus unusquisque linguam nostram, in qua nati sumus?*
9. *Parthi, & Medi, & Ælamitæ, & qui habitant Mesopotamiam Judæam, & Cappadociam, Pontum, & Asiam,*
10. *Phrygiam, & Pamphiliam, Ægyptum, & partes Libyæ, quæ est circa Cyrenen, & advenæ Romani.*
11. *Judæi quoque, & Proselyti, Cretes, & Arabes: audivimus eos loquentes nostris linguis magnalia Dei.*
12. *Stupebant autem omnes, & mirabantur ad invicem dicentes: quidnam vult hoc esse?*
13. *Alii, autem irridentes dicebant: quia musto pleni sunt isti.*
14. *Stans autem Petrus cum undecim levavit vocem suam, & locutus est eis: viri Judæi, & qui habitatis Ierusalem universi, hoc vobis notum sit, & auribus percipite verba mea.*
15. *Non enim, sicut vos æstimatis hi ebrii sunt, cum sit hora diei tertia.*
16. *Sed hoc est, quod dictum est per Prophetam Ioel:*
17. *Et erit in novissimis diebus (dicit Dominus) effundam de Spiritu meo super omnem Carnem: & prophetabunt filii vestri, & filiæ vestræ, & juvenes vestri visiones videbunt, & seniores vestrī somnia somniabunt.*
18. *Et quidē super servos meos, & super ancillas meas in diebus illis effundā de spiritu meo, & prophetabūt.*
19. *Et dabo prodigia in Cœlo sursum, & signa in terra deorsum, sanguinem, & ignem, & vaporem fumi.*
20. *Sol convertetur in tenebras, & Luna in sanguinem, antequā veniat dies Domini magnus, & manifestus.*
21. *Et erit: omnis quicunque invocaverit nomen Domini salvus erit.*
22. *Viri Israëlitæ: audite verba hæc: Iesum Nazarenum, virum approbatum à Deo in vobis, virtutibus, & prodigiis, & signis, quæ fecit Deus per illum in medio vestri, sicut & vos scitis.*
23. *Hunc definito consilio, & præscientia Dei traditū, per manus iniquorum affligentes interemistis.*
24. *Quem Deus suscitavit, solutis doloribus inferni, juxta quod impossibile erat teneri illum ab eo.*
25. *David enim dicit in eum: Providebam Dominum in conspectu meo semper: quoniam à dextris est mihi ne commovear.*
26. *Propter hoc lætatum est cor meum, & exultavit lingua mea insuper, & caro mea requiescit in spe:*
27. *Quoniam nō derelinques animam meam in inferno, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem.*
28. *Notas mihi fecisti vias vitæ: & replebis me jucunditate cum facie tua.*
29. *Viri fratres, liceat audenter dicere ad vos de Patriarcha David quoniam defunctus est, & sepultus: & sepulchrum ejus est apud nos usque in hodiernum diem.*
30. *Propheta igitur cum esset, & sciret quia jurejurando jurasset illi Deus de fructu lumbi ejus sedere super sedem ejus.*
31. *Providens locutus est de Resurrectione Christi, quia neque derelictus est in inferno, neque caro ejus vidit corruptionem.*
32. *Hunc Iesum ressuscitavit Deus, cujus omnes nos testes sumus.*
33. *Dextera igitur Dei exaltatus & promissione Spiritus Sancti accepta à Patre effudit hunc, quem vos videtis, & auditis.*
34. *Non enim David ascendit in Cœlum: dixit autem ipse: Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis.*
35. *Donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.*
36. *Certissimè sciat ergo omnis domus Israël, quia & Dominum eum, & Christum fecit Deus, hunc Iesum, quem vos Crucifixistis.*
37. *His autem auditis, compuncti sunt corde, & dixerunt ad Petrum, & ad reliquos Apostolos: quid faciemus, viri fratres?*
38. *Petrus verò ad illos. Pœnitentiam (inquit) agite, & baptizetur unusquisque vestrum in nomine Iesu Christi, in remissionem peccatorum vestrorum: & accipietis donum Spiritus Sancti.*
39. *Vobis enim est repromissio, & filiis vestris, & omnibus qui longè sunt, quoscumque advocaverit Dominus Deus noster.*
40. *Aliis etiam verbis plurimis testificatus est & exhortabatur eos dicens: Salvamini à generatione ista prava.*
41. *Qui ergo receperunt sermonem ejus, baptisati sunt: & appositæ sunt in die illa animæ circiter tria millia.*
42. *Erant autem perseverantes in doctrina Apostolorum & communicatione fractionis panis, & orationibus.*
43. *Fiebat autem omni animæ timor, multa quoque prodigia, & signa per Apostolos in Ierusalem fiebant, & metus erat magnus in universis.*
44. *Omnes etiam, qui credebant, erant pariter, & habebant omnia communia.*
45. *Possessiones, & substantias vendebant, & dividebant illa omnibus, prout cuique opus erat.*
46. *Quotidie quoque perdurantes unanimiter in templo, & frangentes circa domos panem, sumebant cibum cum exultatione, & simplicitate cordis.*
47. *Collaudantes Deum, & habentes gratiam ad omnem plebem. Dominus autem augebat qui salvi fierent quotidie in idipsum.*

ARGUMEN

ARGUMENTUM.

CAPUT hoc in tres dividitur partes, Prima à verſ. 1. uſque ad 13. narratur in Penteceſte adventus Divini Spiritus ſub ſpecie venti vehementis, ac linguarum ignearum admirantibus cunctis de his, quæ videbant, & audiebant in Apoſtolis. In ſecuuda parte deſcribitur prima admirabilis concio D. Petri à verſ. 14. uſque ad 42. cum magno fructu, in qua convertit tria millia hominum. In tertia parte à verſ. 42. uſque ad finem refertur ſancta, ac Religioſa vita primorum Chriſtianorum in multa oratione, & Charitate.

Actor. 2. *n.* 1. Cum complerentur dies Pentecoſtes, erant omnes pariter in eodem loco.

VERSIONES.

Syrus. Et cum completi eſſent dies, dum congregati eſſent omnes.

Arabicus. Cum completus eſſet dies Pentecoſtes, quinquaginta dierum erant omnes juxta prædictum modum.

S. Chriſoſt. Unanimiter congregati.

S. Auguſtin. Tempore, quo ſuppletus eſt dies Pentecoſtes, omnes ſimul fuerunt in uno.

EXPOSITIO I.

1. ECce adimpleta promiſſio à Chriſto D. facta ſuperiori capit. num. 8. de adventu Spiritus Sancti. *Cum complerentur dies Pentecoſtes* id eſt 50. dies à Paſchate computandi, qui hoc ipſo die complebantur. Phraſi Hebræa dicitur compleri dies, quando advenit, & inchoatur. Ita Luc. 2. num. 21. *Poſtquam conſummati ſunt dies octo*, id eſt die octavo, & n. 22. *Poſtquam impleti ſunt dies purgationis*, id eſt cum adeſſet dies quadrageſimus. Per diē autem Pentecoſtes intelligit D. Lucas celebre Feſtū Judæorum, quod quotannis recolebant in memoriam acceptæ legis per Moyſen in monte Sinaï Exod. 19. & etiam in gratiarum actionem pro novis fructibus, quorum primitiæ, utpote duo panes offerebantur; quæ fuerunt typus Chriſtianæ Penteceſtes, in qua promulgata fuit lex Chriſti per Petrum, & cæteros Apoſtolos, de quo quæſtione ſequenti.

Phraſis Hebraic. Luc. 2.

Exod. 19.

2. *Erant omnes*, ſcilicet Apoſtoli, ac diſcipuli, ac cæteri fideles num. 120. de quibus fit mentio capite antecedenti verſ. 15. ut notant S. Cyprian. S. Chryſoſtom. S. Auguſtin. S. Leo ſerm. de Spiritu Sancto, & patet ex verbis Ioel num. 17. Quare ineptè, & malè Beza reſtringit adventum Spiritūs Sancti ad ſolos Apoſtolos, & etiam ab hoc adventu Spiritus S. excludit B. Virginem, & ridet pictores, qui eam pingunt in medio Apoſtolorum: Hæreticus valde imperitè loquitur, quia Apoſtoli erant orantes *cum mulieribus, & Maria Matre ejus, ac fratribus*, ut dicitur ſuperiori cap. verſ. 14. & cum his omnibus loquens Chriſtus eis promiſit Spiritum Sanctum eodem capit. 1. verſ. 8. *Accipietis virtutem Spiritus Sancti ſupervenientis in vos.*

S. Cypr. S. Chryſoſt. S. Leo. Beza.

Actor. 1.

3. *Pariter.* Græcè *unanimiter*, D. Auguſt. *ſimul fuerunt in uno*, nempe loco, Cœnaculo, & non ſolum erant unanimiter ratione loci, ſed etiam animi, unionis, ac charitatis; nam, ut ait D. Bernard. lib. de modo vivendi ſerm. 41. *Plus diligitur Deus unione animi, quàm loci.*

Græc. D. Aug. D. Bern.

QUÆSTIO I.

Quare D. Spiritus venit in die Penteceſtes.

PEntecoſtes vox eſt græca, & ſignificat quinquagenarium, & cum hic liber Actorum ſcriptus fuiſſet à D. Luca Græco idiomate, & de Græco originali tranſmutatus in Latinum, tamen hoc nomen Pentecoſtes in Græco permanſit, ob magnam multorum myſteriorum venerationem, quæ ſub hoc nomine continentur, ut in ſimili notat Rupertus in principio Apocalypſis, & ait: *Sola appellatio pulchrè intacta permanſit, videlicet ob excellentiam rerum, ſive Myſteriorum, quæ hæc Scriptura comprehendit: Sic Alleluya, ſic Amen, Hebræa vocabula, ob dignitatem ſenſuum in Græcis, & Latinis literis permanſerunt.* 4. *Cur retinetur nomen Græcum* Rupert.

Hoc Feſtum Pentecoſtes, quinquaginta diebus tranſactis à diebus Azimorum ac Paſchatis mandatum eſt à Deo Iudæis celebrari ex duplici ratione. Prima in memoriam, illo die quinquageſimo ab egreſſu Ægypti, legis latæ per Moyſen in monte Sinaï Exod. 19. Secunda cauſa, in gratiarum Actionem pro novis illius anni fructibus, quos tunc, ut jam maturos, metere incipiebant: Unde eorum primitias, ſcilicet duos panes triticeos ex frugibus illius anni Deo offerebant in die Penteceſtes. 5. *Feſtum Penteceſtes cur datum ſit*

Quæ fuerunt typus, & umbra Chriſtianæ Penteceſtes; nam numerus quinquagenarius ſignificat pœnitentiam perfectam, ut ex multis probat D. Hieronymus ferè ad initium libro 2. in Iſaïam, Pſalmus quinquageſimus maximè ad pœnitentiam pertinet. Dies Azimorum erant dies mortificationis, & abſtinentiæ, quia, ut advertit Origenes homil. 23. in Numeros, & latè proſequitur Ribera libro quinto de feſtis Hebræorum capit. 8. ad recipiendum Spiritum Sanctum debet præcedere multa mortificatio, abſtinentia, ac pœnitentia. Lex illa antiqua fuit data uni homini Moyſi uno idiomate tantum Hebraïco, quia erat pro uno tantum populo; At Lex Evangelica permulgata per duodecim Apoſtolos, ac multos, & in lingua omnium, quia omnes gentes, quæ ſub cœlo ſunt, audiebant eos loquentes in lingua ſua quia hæc lex dabatur pro toto orbe, ac pro omni gente: Lex illa antiqua fuit ſcripta in tabulis lapideis; at Evangelica in cordibus in diſcipulorum, & ſic canit Eccleſia, *Flammantia facta ſunt corda eorū.* Illa lex antiqua ſcripta eſt in Tabulis, quæ confractæ, ac deſtructæ ſunt Exod. 32. n. 19. quia illa lex confracta, ac deſtructa eſt; Lex Evangelica data eſt in Spiritu Sancto, *ut maneat vobiſcum in æternum* Ioan. 14. n. 16. Lex illa antiqua fuit data in deſerto in monte Sinaï, Exod. 20. qui idem eſt ac *rubus*, quia Lex illa fuit ruſticana, & gravis, ac ſpinoſa, & valde deſerta gratiæ, quia nullū ſecum dabat mediū 6. *Multiplex excellentia legis gratiæ* D. Hier. Ribera. Actor. 1. Origen. Exod. 32. Ioan. 14. Exod. 20.

ad justificationem; at lex gratiæ levis, & suavis data, ac publicata est in Ierusalem & idem valet, *ac visio pacis*, civitas valde nobilis, ac opulentissima, quia lex ista gratiæ nobilissima confert, & opulentissima media gratiæ, & sanctitatis per septem sacramenta ad justificationem, ad faciendam visionem pacis cum Deo, utpote data per Salvatorem nostrum Iesum, & sic dicitur Ioan. 1. n. 17. *Lex per Moysen data est, gratia, & veritas per Iesum Christum facta est.* Multæ aliæ excellentiæ legis gratiæ super veterem, de quibus latè egi, in opusculis opusc. 1. resol. 5. q. 1. per totum, videri possunt.

Exod. 2.

Ioan. 1

7 Deinde, ut jam dixi Festum Pentecostes erat mandatum Iudæis pro maturis frugibus illius anni jam ut in proximo meterentur spirituales fructus, de quibus loquitur Christus Ioan. 4. n. 35. dicens suis Apostolis: *Levate oculos vestros, & videte regiones, quia albæ sunt iam ad messem.* Qua allegoria explicat Christus Dominus, ut notat D. Cyrillus, Alexandr. D. Chrysost. D. Augustin. & alii, quod spirituales segetes prædestinatorum Christi adventu erant proportionatæ ad salutem, postea verò Sanguine Christi irrigatæ, ac gratia Divini Spiritus adveniente, facti sunt fructus maturi, & optimum triticum, ut congregetur ad horreum Christi Matth. 13. num. 30. Iudæi in die Pentecostes offerebant primitias fructuum. In hac etiam die prædicante D. Petro oblatæ sunt primitiæ fidei Christianæ, scilicet, tria millia animarum, quæ conversæ sunt ad fidem infra n. 41. & ut existimo, sicut ex omni natione audierunt eos loquentes linguis suis, sic ex omni natione conversi sunt ad fidem. Iudæi in die Pentecostes offerebant duos panes triticeos: Sic in die Christianæ Pentecostes oblati sunt duo panes triticei perfectissimi, ut explicat Origenes homil. 23. in Numer. Multi scilicet conversi ex utroque populo Iudaico, ac Gentili, vel ut vult Radulphus lib. 16. in Levitic. cap. 4. per hos panes interpretatur amor Dei, & proximi, vel homo secundum se totum, animam scilicet, & corpus.

Spirituales primitiæ Christi.

Ion. 4.

Math. 13

Origen

Radulph.

8 Deinde Festum Pentecostes, festum est proprium Spiritûs Sancti, ejusque plenissimum Iubilæum; nam quinquagesimum, quod dicit Pentecostes, denotat annum quinquagesimum, annum, scilicet, Iubilæi Levitic. 25. n. 10. in quo servi fiebant liberi, & omnes revertebantur ad suas majorum hæreditates, etiamsi millies fuissent divenditæ, ita per Spiritum Sanctum redimus ad gratiam, ac societatem Angelorum, ad libertatem captivitatis Dæmonis, & ad hæreditatem filiorum Dei, & ad possessionem amissam Cælestis Beatudinis.

Pentecostes Iubilæum.

Levit. 25

9 Multam desolationem, ac destructionem deplorat Oseas Propheta in populo Dei quomodo arefacta esset vinea, & ficus, campi steriles facti, mores corrupti, derelicto Deo servientes Baalim; tamen Deus misertus super populum suum ait Oseæ 2. n. 14. *Loquar ad cor eius, & dabo ei vinitores eius, ex eodem loco, & vallem Achor ad aperiendam spem.* Multa promittit populo suo, ut erigatur in salutis spem ad recuperanda omnia dona perdita: promittit illi vinitores ex eodem loco, id est, Doctores, ac Magistros ex Regali Ierosolimitana procreatos, ac natos; insuper promittit *vallem Achor*, & potest referri ad pinguedinem ipsius vallis, qui erat fertilissimus omnium fructuum per quos denotatur abundantia omnium spiritualium donorum, vel potest referri ad tragediam Achor. Iosue 7. n. 24. per quod significat, quod Deus inducet ad pœnitentiam; sed unde illis tanta felicitas? ante omnia ait: *Loquar ad cor eius*, nempe per Spiritum Sanctum, ipse enim est, qui pulsat ad cor nostrum, & illuminat mentem ad pœnitentiam, & ad recuperanda, & augenda bona spiritualia. Noster D. Cyrillus Alexand. ibi: *Perpende*, ait, *autem quomodo non prius data sit ad aperiendam intelligentiam eius vallis Achor, quam loqueretur ad cor eius, nec enim Divina præcepta Iudæorum populus intelligeret, nec in typis Christi mysterium aspexisset, nisi, & nos, qui credimus, communione Spiritus Sancti auctus, & superna illuminatione dignatus fuisset.* A Divini Spiritûs influxu venit omnium cœlestium donorum recuperatio.

Ose. 2.

Ab Spiritu Sancto omnia bona, & perdita recuperantur.

D. Cyril. Alex.

QUÆSTIO II.

Quare postquam Christus D. ascendit in Cœlum non statim misit Spiritum Sanctum, sed post transactos decem dies?

10 POstquam Christus D. ascendit in Cœlum, ut dicitur superiori cap. 11. n. 14. erant Apostoli cum Beatissima Virgine Maria, ac mulieribus *perseverantes unanimiter in oratione.* Ut sua oratione, perseverantia, ac continuatione, sua fide in Verbis Christi, quibus tantum donum promiserat, sua spe firma in Christi promissione, sua charitate, qua erant omnes unanimiter, se maximè disponerent, ac præpararent ad tantum donum recipiendum, & hæc sit prima ratio, cur Christus D. postquam ascendit in cœlum, non statim misit Spiritum Sanctum.

Magna præparatio ad Spiritum Sanctum.

11 Secundò fit ex his, quæ notat R. Moyses filius Maymon in solutione dubiorum legis lib. 3. cap. 44. Deum statuisse hosce 50. dies ab egressu Ægypti, ante suum in Sina ad Moysen, & populum adventum, ut per tot dierum moram sui adventus, maximè sui desiderium in eis accenderet, *sicut*, ait, *qui expectat visionem amici, quem diligit ex animo annumerat dies, donec videat ipsum*, & postea veniens ipse Amicus maximè gratus, ac perjucundus est ejus adventus, ita ex dilatata spe adventus Spiritûs, tunc cùm ipse descendit, maximè gratus, ac perjucundus fuit ejus adventus: Et referunt hic graves Auctores, solitos fuisse Iudæos à Paschate, usque ad Pentecostem convenire in Synagoga, ibique post preces, ac benedictionem, proclamando numerare dies, scilicet, hic est primus, hic secundus, hic tertius, &c. quo significabatur vehemens desiderium Apostolorum, ac Discipulorum de adventu Spiritus Sancti in Pentecoste.

R. Moys.

12 Tertiò Oecumenius ad caput 1. ad illa verba vers. 5. *ut expectarent promissionem*, sic ait, cùm Christus ascendit in Cœlum; *Non statim descendit Spiritus, sed post octo fortasse, aut novem dies, ut paululum contristati, & in desiderio, ac necessitate constituti, purum, ac perfectum reciperent in eius adventu gaudium.* Apostoli ex sui charissimi Magistri absentia, vehementi tristitia sunt affecti, sic eis dixit Christus: *Quia hæc locutus sum vobis tristitia implevit cor vestrum: expedit vobis, ut ego vadam.* Ioann. 16. num. 6. Multa tristitia premebantur Apostoli ex dilatato dono Spiritus Sancti, ex cujus præsentia multam omnium bonorum consolationem sperabant, ideo permittitur in eis tantus animi angor, ut inde ex ejus adventu lætitia esset superabundans, ac ex omni parte super omnem modum recrearet: *Vt paululum contristati, purum, ac perfectum reciperent in eius adventu gaudium.*

Oecum.

Ioan. 16.

Ex præcedenti tristitia magnum gaudium.

13 Cum ex impia sorte Ammon omnes Iudæi essent trucidandi,

trucidandi, quod fuit causa ingentis doloris, & fletus, tamen auxiliante Deo interventu Reginæ Esther revocatur impium decretum, Iudæi vita sunt donati, ac nobilitati à Rege Assuero, & inde à Mardochæo mandatum est, ut ille dies libertatis summo gaudio à Iudæis celebraretur per annos: *Isti sunt dies, quos nulla unquam delebit oblivio, & per singulas generationes; cunctæ in toto Orbe Provinciæ celebrabunt; nec est ulla Civitas, in qua non dies Phurim, id est, sortium non observetur à Judæis, & ab eorum progenie.* Esther. 9. n. 28. Maximè dubitant ibi interpretes, quomodo ibi in die tam festivo libertatis populi, nominatur Phurim, id est sortium, qua sorte exiit ab Aman, ut populus periret, quid habet festivitas libertatis cum sententia damnationis? Respondent Sanchez, & Cornelius ibi: *Ut dum dies ille anniversario reditu recurrit, periculi illius renovetur memoria, in quo fuerunt, & qualem habuerunt animorum consternationem, & angorem, cum de sortibus, ac die nuntium accepere.* Ex transacta afflictione, ac tribulatione, magnum inde consurgit gaudium.

Ex vehementi dolore grande gaudium.

Sanchez. Cornel.

14. Quartò, & maximè ad partem, decima die venit Spiritus sanctus; nam decennarius numerus indicat legis complementum, quæ continetur in decem præceptis. Inter cætera mandavit Deus populo suo: *Et offeret pro peccato suo similæ partem Ephi decimam,* Levit. 5. n. 11. *Ephi* erat mensura consueta per decimam partem, quam mandavit Deus sibi offerri: Allegoricè intelligit D. Isychius totam legem completam. Decima autem die venit Spiritus sanctus, ut denotaret, quod solum in illos, qui totam legem adimplent, ipse descendit, eosque suis donis illustrat; sic dicitur Eccles. 18. n. 23. *Ante orationem præpara animam tuam.* Observatione divinorum Mandatorum, ut sancti Spiritus dono implearis. Sic ait D. Bernard. serm. 69. *Qualem te præparaveris Deo, talis tibi apparebit Spiritus Dei.*

Levit. 5.

Isychius.

D. Spiritus venit in observantes legem.

Eccl. 18.

D. Bern.

15. Ait Christus D. Ioan. 14. n. 23. *Si quis diligit me, sermonem meum servabit*; & Postea: *Paraclytus autem Spiritus sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia.* Ibid. n. 26. Illud maximè notandum, quod antequam agat de adventu Spiritus sancti, ipsumque promittat à Patre mittendum, tamen prius agit, & proponit observationem mandatorum ejus: *Sermonem meum servabit.* Ut apertè denotaret, quod solum Spiritus sanctus descendit, & implet suis donis eos, qui ejus præcepta servant; sic ait noster D. Cyrillus in præsenti; *Non quibuscumque promittitur Spiritus sanctus, sed observantibus præcepta ejus.*

Ioan. 14.

Servantibus Dei verba promittitur Spiritus.

D. Cyril.

Act. 2. n. 2. Et factus est repente de cœlo sonus, tanquam advenientis Spiritus vehementis, & replevit totam domum, ubi erant sedentes.

VERSIONES.

Syrus. Et fuit de repente ex cœlis vox.

Arabic. Auræ sonitus, quasi proveniens ex venti turbine, &c. in domo, in qua erant commorantes.

Æthiop. Venit strepitus, sicut Spiritus sanct.

S. Dionys. Alex. Sonus magnus, & ita ut concussa sit tota domus.

Vatabl. Tanquam similis flatui violento, qui fertur.

Pagnin. Tanquam impetu venientis.

D. Cyprian. D. Aug. Et factus est subito de cœlo sonus, quasi ferretur flatus vehemens.

D. Gregor. Nyssen. Et domicilium Apostolorum repleverat.

EXPOSITIO II.

Factus est repente de cœlo sonus. Syrus *ex cœlis vox.* Hic sonus fuit & tanquam vox excitans animos Apostolorum ad devotè, ac reverenter excipiendum Spiritum sanctum, & ut vox clamans, ac convocans Iudæos ad Cœnaculum, ubi tanta mirabilia fiebant, & de quo quæst. sequenti. *Repente* ut primo denotaretur, quod dona, quæ divinus Spiritus infundebat, non erant ex merito, sed ex mera gratia sua efficacia repente mutat cor hominis, ut repente mutavit Saulum, in Paulum: deinde etiam, ut innueret, quod divinus Spiritus vult in suis ministris celeritatem, ac agilitatem: *Nescit tarda molimina Spiritûs sancti gratia. Replevit totam domum* explicat Lyranus *claritate*: quod intelligo, non solum interius, sed exterius, ut multi venirent ad prædicationem Petri, per domum intelligitur Cœnaculum. 16. Syrus. *Cur repente.* Lyran.

Vbi erant sedentes. Caietanus de propria sessione explicat, quæ maximè ad quietem mentis pertinet. At cum dicitur *Vbi erant sedentes* intelligo à parte antea, antequam factus esset sonus; nam adveniente divino Spiritu, Apostoli, vel more Iudæorum pedibus steterunt, vel genibus flexis, ut reverenter, ac cum multa submissione tantum donum exciperent, sic & canit Ecclesia in festo Pentecostes: *Orantibus Apostolis Deum venisse nuntiat,* favetque pictura Ecclesiæ, ejusque communis usus, dum cantatur *Veni Creator Spiritus,* quod fit genuflexo. 17. Caietan. *Vsus Ecclesiæ.*

QVÆSTIO III.

Quare divinus Spiritus venit cum tam vehementi, ac forti sono?

Ait Textus: *Factus est de cœlo sonus tanquam advenientis Spiritûs vehementis.* Multi, & gravissimi AA. ut Caiet. Lorin. Menochius, & alii per Spiritum vehementem, valde probabiliter intelligunt verum, & realem ventum; tamen inhærendo proprietati verborum Textûs, videtur quod non fuerit proprius ventus, sed aliquis sonus, ut fit collisione duorum corporum, vel alarum avium cum volant; Textus ait: *Factus est sonus tanquam Spiritus vehementis.* Illud *tanquam* denotat non proprietatem, sed similitudinem; sicut dicitur infra: Apparuerunt illis *tanquam linguæ igneæ,* non fuerunt propriæ, ac reales; sed similitudinis, ac species, & favent Versiones, Æthiopicus *venit strepitus,* D. Augustinus, D. Cyprian. *Flatus vehemens.* 18. Caietan. Lorin. Menoch. *Non verus, ac realis ventus sed strepitus.* Æthiop. D. Aug.

Iste sonus fuit vehemens, ut excitaret, ac præpararet corda Discipulorum ad excipiendum Spiritum sanctum, & ut simul impelleret Iudæos, ut ad Cœnaculum concurrerent, ubi tot mirabilia fiebant, & ut indicaret tanquam in symbolo sonus prædicationis Evangelicæ ex adventu Spiritûs sancti. *In omnem terram exivit sonus eorum.* Psalm. 18. 19. *Cur sonus?*

De cœlo venit sonus, ut fieret manifestum, quod Christus D. erat in Cœlo sedens ad dexteram Patris, ut notavit Oecumenius, *Factus est repente de cœlo sonus,* & ait: *De cœlo autem propter multum impetum, ut ostendat opus fuisse ejus, qui assumptus est in cœlum.* Cum christus D. ascenderet in cœlum nubes suscepit eum ab oculis eorum in ipsa regione aërea, & quia humana visio pertingere non potuit ejus ingressum in gloria, misso Spiritu sancto de Cœlo manifestatur, suam perexcelsam gloriam, quam Christus possidet ad dexteram Patris, magnificis 20. Oecume. *Christus manifestat suam gloriam beneficiendo.*

ficis donis in nos collatis ostendit, & declarat.

21 *Factus est repente de cœlo sonus.* Ut multis placet, venit divinus Spiritus in forma, ac figura venti, & ignis, & cur ventus ad hoc ministerium assumitur à divino Spiritu? Ventus inter omnia sensibilia velocissimus, nulloque obstaculo retineri valet, ut notat Geminianus lib. 1. de exemplis cap. 73. Ideo divinus Spiritus cum tali forma venit in Apostolos, quia suos Ministros, ut ponderat Beda, celeres, ac veloces vult in suo negotio, contempto omni humano impedimento, & in igne, qui vehementi impetu rapitur, ut in suis flammis, tanquam alis sursum ascendit; formaturus ergo divinus Spiritus Apostolos suos ministros, ita celeres, ac diligentes vult, ut tanquam assumptis alis in suo munere volitent. In igne, & vento, qui suo motu maximè solet ignem accendere; in igne, ut ardeant Charitate; vento, ut magis inflammentur. Vide tom. 2. Evang. c. 8. q. 12. n. 96. Vocantur Petrus.

Deus vult suos ministros celeres, ac diligentes.

22 *Factus est sonus.* D Cyril. Ierosolymit. Catech. 16. ait: *Tanquam tuba cœlestis intonuit, significans præsentiam illius, qui hominibus id concedit, ut regnum Cœlorum vi rapiant.* Sonus ille fuit tanquam classicum quid, ac tubæ, quæ è cœlo canitur, ut bellum cum Diabolo, ac ejus ministris continenter gerant homines, quibus datur, ut vi rapiant cœlum, in bello autem non est otium, sed multum negotium.

D. Cyril. Ierosol. *Servus Dei militat in Castris virtutis.*

23 Hinc ait Paulus 2. Timoth. 2. n. 4. *Nemo militans Deo implicet se negotiis sæcularibus.* Ex quo maximè laudat D. Chrys. prudentiam Apostoli, qui suos discipulos, ac Christianos dicit tanquam milites, qui maximè sunt veloces, parati ad cædem, mortem, ac effundendum sanguinem, & non se implicant *negotiis sæcularibus*, nempe oblectationibus, ac delectationibus; quæ sunt negotia sæcularia; & ad hujus rei gustum ait Apostolus Petrus 2. cap. 1. n. 14. *Velox est dispositio tabernaculi mei.* Agnoscebat Apostolus jam in proximo resolutionem sui corporis esse, quod appellat tabernaculum, quod, ut notat Benedictus Iustinian. vel inservit militibus in bello, vel pastoribus in vigilia; Inde Apostolus suum corpus appellat tabernaculum, quod non inserviebat ei, nisi tanquam militibus in perpetuo, ac continuo bello, ac pastoribus in diuturna, ac perenni vigilia super gregem.

2. Tim. 2. D. Chrys. *Servi Dei sunt tanquã milites in bello.* 2. Petr. 1. Benedict. Iustin.

24 Ad suam dilectam loquens sponsus ait: *Terribilis, ut castrorum acies ordinata,* Cantic. 6. n. 9. Quid habet tenera Virgo cum castris, ut sciat sibi laborandum, ac insudandum, quo virtutem assequatur, etsi corpusculo tenui, sic ait Philo lib. 2. Allegoriar. *Castris enim illud fecit simile, cui non est integrum pacem admittere.* Nulla viro probo pax cum vitio esse potest: laborando, sudando, paratur magna virtus, nec aliter cum multa felicitate victoriam sibi comparat.

Philo. *Virtus pugnando vincit.*

QVÆSTIO IV.

Quare cum divinus Spiritus multis, & variis figuris apparuisset, hic tamen mirabilius super omnes.

25 IN primo rerum opificio describitur Spiritus Domini super aquas, & hic etiam in primo exordio Ecclesiæ Christi dicitur adesse, valde tamen diversimodè. Illic dicitur: *Spiritus Domini ferebatur super aquas.* Genes. 1. n. 2. quasi diceretur, tanquam non sua sponte, sed quasi tractus *ferebatur*: at in præsenti ac si spontaneè descendens: *Tanquam advenientis Spiritus vehementis.* Unde tanta differentia? Illic *ferebatur super aquas*, quæ labores, ac tribulationes per se indicant. *Non me demergat tempestas aquarum*, hic verò super Apostolos veniebat, ut eos suis donis adimpleret. Deus ad inferenda supplicia valde morosus, ad conferenda beneficia multum promptus, ac velox. Psal. 68.

Deus spontaneus ad beneficia, invitus ad supplicia Gen. 1.

26 Apparuit divinus Spiritus in specie Columbæ cùm Christus baptizaretur in Iordane: Vidit Spiritum Dei descendentem sicut Columbam, & venientem super se. Math. 3. n. 16. in Iordane etsi multi homines ibi adessent, tamen super unum Christũ Iesum descendit, & ideo à circunstantibus, nec sentitur, nec auditur divinus Spiritus, cùm super unum solum descendisset; At hic advenit super omnes, qui aderant in Cœnaculo irrorans eos suis donis, ita ut omnes in Ierusalem ex sonitu, ac luce nitente in Cœnaculo ad ipsum concurrerent ad videnda mirabilia, quæ ibi fiebant. Aliter respondet D. Gregor. Mag. homil. 30. in Evangelia, venit super Christum in specie Columbæ, ut *peccata hominum mansuetudine toleraret: super Discipulos in igne, ut qui erant simpliciter homines, ac peccatores, eos contra semetipsos spiritualis fervor accenderet.* Ut sic fierent maximè grati, & acceptabiles Deo. Math. 3. *Deus particularibus occultè, pluribus publicè.* D. Greg.

27 Tertiò cum Christus D. ostendisset suam gloriam in monte Thabor coram tribus suis Apostolis: *Ecce nubes lucida obumbravit eos*, Math. 17. n. 5. Multorum Patrum est sententia, quod erat Spiritus sanctus in figura nubis illius; & ad quid tunc apparuit D. Spiritus in figura nubis? D. Chrysost. ut animaret, ac corroboraret Apostolos in magnitudine tantæ visionis, ac etiam ad eos illustrandos, ac illuminandos in excellentia tantorum Mysteriorum, ac voce Patris intonantis: *Hic est Filius meus dilectus*: At in præsenti venit Spiritus sanctus, non super tres, sed super omnes, qui erant in Cœnaculo fere 120. ad ipsos illustrandos, ac illuminandos, & per ipsos totum mundum: non facio hic mentionem de illo, quod scribitur Ioan. 20. n. 22. quod Christus D. dixit suis discipulis: *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis,* &c. quia ibi non apparuit Spiritus Sanctus in aliqua visibili forma, sed data fuerunt ejus dona ad remittenda peccata. Math. 17. D. Chrysost. Ioan. 20.

28 Inter omnes has apparitiones, inter quas se ostentavit, hæc, qua hodie in figura ignis, illustrior cæteris fuit. Venit hic divinus Spiritus ad inflammanda corda Discipulorum in amore, ad illuminandas, ac illustrandas eorum mentes in omnibus mysteriis fidei ut dixit Christus D. Ioan. 14. n. 25. *Hæc locutus sum vobis apud vos manens: Paraclytus autem Spiritus sanctus, quem mittet Pater in nomine meo ille vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia.* Venit hic divinus Spiritus, ut suos discipulos redderet agiles, & fervidos ad prædicandum Evangelium per totum mundum, ac ad docendum omnes; ipsosque Apostolos fortes, ac constantes crearet contra omnem malitiam, ac nequitiam tyrannorum, ipsosque impleret, ac impinguaret omnibus suis cœlestibus bonis. *Hic adventus Spiritus sancti illustrior aliis.* Ioan. 14.

29 Cur hic adventus Spiritus sancti tam manifestè resplendet super cæteros? In aliis non legimus orationem præcessisse in circunstantibus, nec in hominibus apud Iordanem, nec in Apostolis fulgente gloria in monte Thabor, at verò modo in Cœnaculo *Erant omnes unanimiter perseverantes in oratione.* Superiori cap. n. 14. & canit Ecclesia: *Orantibus Apostolis Deum venisse nuntiat*: Oratio autem valde potens, & efficax est, ut Deum cum omnibus suis donis ad se alliciat, ac trahat. *Oratio miris modis Spiritum sanctum ad se attrahit.*

30 Cum tres illi sanctissimi pueri essent missi in fornacem ardentem, scilicet Anania, Azaria, & Misael, & audisset impius Rex, quod essent illæsi, & eos ignis non terigisset, accedens ad fornacem clamat:

Ecce

Ecce video quatuor viros ſolutos, & ambulantes in medio ignis, & ſpecies quarti ſimilis filio Dei. Da-
Dan. 3. niel. 3. n. 92. Valde mirum, quod ad hos tres pueros,
D. Hier. deſcendat, & veniat ipſe Filius Dei! & D. Hieron. tenet quod erat ipſemet Filius Dei, quod de nullo alio ſimile legitur in veteri teſtamento, ut cum eo appareat, ac videatur Filius Dei. De Joſeph ob ſuas præclariſſimas virtutes dicitur Geneſ. 39. n. 2. *Fuit Dominus cum eo.* Ipſum nempe dirigendo, ac cum ſua protectione gubernando per ſuam internam mo-
D. Chryſoſt. tionem, ut explicant D. Chryſoſt. D. Auguſt. & alii:
D. Aug. At cum his tribus pueris non ſolum adfuit Deus præſens per inſpirationem, ſed ipſemet Filius Dei adſtitit cum eis: Unde tam peculiari fervore erant ipſi in oratione, *laudantes, ac benedicentes Deum*, &
Oratio ad ſe ad ducit Filium Dei. ipſamet oratio extitit tam valida, ac magnifica, ut Filium Dei ad ſe vocaret, ac adduceret: *Species quarti ſimilis Filio Dei.*

31. Et quid mirum, quod ipſa oratio ſit tam potens, ac efficax, ut imperium, ac veluti dominium habeat in Cœlo. Dixit parens meus Elias, 3. Reg. 18. n. 1.
3. Reg. 18. *Vivit Dominus Deus Iſraël, in cujus conſpectu ſto, ſi erit annis his ros, aut pluvia, niſi juxta os meum.* Duo ſunt valde notanda, unum, quod claudat Cœlum; aliud, quod poſt clauſum non ſit reſerandum niſi per vocem, & imperium ſuum. Hoc apertè in-
Oratio clavis cœli. dicant illa verba *Niſi per os meum*, ac ſi clauſura cœlorum duratura ſit uſque dùm Elias os ſuũ aperuit; & quomodo aperuit oratione nempe, ut ait Jacobus Apoſtolus in ſua Canonica cap. 5. n. 18. & rurſum oravit, *& cœlum dedit pluviam, & terra dedit fructum ſuum.* Oratio Prophetæ fuit clavis, quæ clauſit, & aperuit cœlum, tam imperioſa eſt oratio. D.
D. Aldhelm. Aldhelmus lib. de Virg. cap. 10. ait: *Spiritu afflatus Elias, cœli clauſtra, & nimborum obſtacula patefecit.*

Act. 2. *n.* 3. Et apparuerunt illis diſpertitæ linguæ tanquam ignis, ſeditque ſupra ſingulos eorum.

VERSIONES.

Syrus. Viſæ ſunt diſpertitæ linguæ, & ſederunt ſuper unum ex eis.

Tiguria Vatab. Apparuerunt illi diſſectæ linguæ.

D. Chryſoſt. Apparuerunt illis diviſæ linguæ ſicut ignis, inſedit ſuper unumquemque eorum.

D. Cyprian. Diſpertitæ linguæ ſectili forma, & diſſectæ.

EXPOSITIO III.

32. Lyran. *Apparuerunt illis* viſibiliter oculis corporalibus, ut advertit Lyranus, *Diſpertitæ linguæ*; à viſibili, & exteriori ſigno tranſit Evangeliſta narrare interiorem, ac inviſibilem gratiam, quam Spiritus ſanctus communicavit, *Diſpertitæ linguæ tanquam ignis* in genitivo, *diſpertitæ*, ſeu, ut habent aliæ Lectiones, *Diviſæ, Diſſectæ*, & fortaſſe omnes conglomeratæ, veluti in quodam globo deſcenderunt, & poſtea cum appropinquaſſet, diviſus, ac diſperſus eſt in varias ſimilitudines linguarum ille globus.

33. *Tanquam ignis.* Non erat verus ignis, ſed linguæ illæ ſpeciem ignis, ac ſimilitudinem referebant. Et ſedit, dicitur ſedit, quod notat permanentiam, quia Spiritus Divinus dabatur, *ut maneat vobiſcum in æternum*, Joan. 14. n. 16. ſuper ſingulos eorum, omnes ſuis donis adimplens.

QUÆSTIO V.

Quare Divinus Spiritus venit in figura linguarum ſuper Apoſtolos?

PRimò mihi videtur, quod voluit hoc viſibili ſigno oſtendere id, quod erat prædictum in Scriptura, ac à Chriſto promiſſum; nam de Doctoribus Canonicis dicitur: *Lingua mea calamus ſcribæ velociter ſcribentis*, Pſalm. 18. n. 2. quia eorum linguæ ſunt tanquam calamus qui ab ſcribente, ſeu à Spiritu ſancto dirigitur, ac gubernatur: ſuis Apoſtolis dixerat Chriſtus, quod ante Reges, & Præſides nolite cogitare quid loquamini, *ſed Spiritus Patris veſtri, qui loquetur in vobis*, Matth. 10. n. 20. Et in diſputationibus, ac controverſiis cum adverſariis, ac inimicis, ait Chriſtus: *Ego dabo vobis os, & ſapientiam, cui non poterunt reſiſtere, ac contradicere omnes adverſarij veſtri*, Luc. 21. n. 15. Ubi habemus os, alij legunt linguam; & tandem Chriſtus D. ait Marc. 16. de ſuis diſcipulis *linguis loquentur novis.*

34. Pſal. 18 Math 10. Luc. 21. Marc. 16

35. Venit ergo Divinus Spiritus in linguis, ut hoc viſibili ſigno oſtenderet ſuam virtutem promiſſam, nempe doctrinam Apoſtolorum, eorumque verba eſſe ab ipſo dictante, ac dirigente, & coram Regibus, ac tyrannis, non ipſi Apoſtoli, ſed ipſe Spiritus in eorum linguis loquebatur, ſic etiam in contradictionibus adverſariorum, & quod ex ipſius adventu loquebantur tam variis, ac diverſis linguis omnium Nationum.

Viſibili ſigno demonſtratur veritas promiſſa.

36. D. Greg. Secundò D. Greg. Magn. lib. 2. Paſtoral. c. 4. ſic loquitur: *Super Paſtores primo, in linguarum ſpecie, Spiritus ſanctus inſedit, quia nimirum quos repleverit de ſe protinus loquentes facit.* Merito divinus Spiritus in linguarum figura ſupra primos Paſtores deſcēdit, ut cum ipſi antea eſſent piſcatores, & imperiti venit ad eos, ut opportunè loquendi facultatem, ac docendi ſcientiam, ac doctrinam acciperent; nam cùm ad animarum regimen, nempe ad artium artem, ex humili piſcatorum exercitio aſſumerentur, neceſſarium erat, ut ab Spiritu ſancto illuminarentur ad tantum munus debitè exequendum. *Spiritus ſanctus vos docebit omnia, & ſuggeret vobis omnia.* Ioan. 14.

Multa ſcientia in paſtoribus.

37. D. Proſp. Tertiò D. Proſper epiſt. ad Demetriadem circa finem ait: *In ſpecie linguarum apparuit ignearum, ut dubium non eſſet, per ipſius inſpirationem utilem affectum, rationabilem ſermonem, animis fidelium miniſtrari.* Venit divinus Spiritus implens Apoſtolos ſua interna virtute, ac etiam in externa linguarum ſpecie, ut ex eorum recta lingua, ac rationabili ſermone ipſorum interna virtus patefieret, ac manifeſtaretur. Expende verbum *ut dubium non eſſet*, quod ipſa ſancta, ac bona lingua locutio, index demonſtrans eſt animi lantentem virtutem.

Lingua virtutis animi index.

38. Ezech. 3. D. Chryſolog. Quartò D. Chryſolog. ſerm. 2. Pent. ponderat quod ad Ezech. 3. n. 1. dicitur: *Comede volumen iſtud, & vadens loquere filiis Iſraël*: at Apoſtolis Chriſti *apparuerunt diſpertitæ linguæ*, tunc ſic ait Sanctus Doctor: *Cur igitur illic liber, & literæ; hic verò lingua, & ignis? Quod ille quidem abiret inſectaturus peccata, calamitateſque Indaicas ploraturus: Hi verò peccata orbis terrarum abſumpturi erant.* Ubi erant peccata rememoranda, & ferreo exaranda ſtylo, ut in æternum puniantur: At ubi totius univerſi Orbis malitia deſtruenda, & mundus ad viam ſalutis adducendus; una ſola cœleſtis lingua, ſeu vox perficere valet. Dicitur Pſalm. 28. n. 9. *Vox Domini præparantis cervos.* Legit D. Baſil. *Vox Domini præparans, & abſolvens cervos* ab omni peccatorum ligamine, *revelabit condenſa*, etiam obſtruſa vox Domini revelabit, & adducet ad ſe.

Vox Domini efficax ad omnia trahenda. Pſal. 28. D. Baſil.

Quintò

Quintò D. Chrisost. homil. 2. de sancto Romano ait: *Habebant & linguas Apostoli, sed ut operantis virtus iudicaretur, lutum otiabatur, & ignis cœlestis loquebatur.* Cur Spiritus sanctus veniens implens Apostolos apparet illis insidens sub forma linguarum? sine dubio, ut ostendatur, quod otiosa sit carnea, luteaque lingua, vel Spiritus sancti afflat virtus, quæ de linguis voces educit Divinas, ut visum est in sancto Romano, qui amputata humana lingua mirabilia loquebatur.

39. D. Chrysost. *Vbi adest divina Virtus, nō est necessaria humana lingua.*

Sextò, Nicetas oratio 41. Nazianzeni sic loquitur: *Igneas linguas conspicati sunt, non quod similis lingua Divina figura sit, sed quia circa linguam futura erat Spiritus operatio.* Vide, & considera quàm perfectum, & efficax sit divini Spiritus magisterium, veniebat ipse ut in hominibus impolitis linguarum splendorem excitaret, inde non mirum est, quod in se eam formam demonstret, quam disponit in aliis excitare, quod in aliis vult splendere, prius ipse in se præmonstrat: Transiens Jesus vocat Matth. 9. n. 9. D. Pasch. lib. 5. in Matth. ait: *Ad hoc quippe, ait, ut ipse de hoc sæculo transiens ad æterna quantocitius festinet.*

40. Nicetas. *Deus in se prius demonstrat formam, quam in suis amat.* Math. 9 D. Pasch.

Septimò: Lingua symbolum est Spiritûs sancti, à Patris Verbo procedentis, ut ait D. Gregor. homil. 30. in Evang. & ait: *Sicut verbum mentis producit vocem linguæ, sic à divino Verbo spiratur, & producitur Spiritus sanctus.* Similia habet D. Bernard. ser. de septem donis Spiritus sancti sect. 1. cap. 8. & ita etiam ferè D. Gregorius Nazianzenus oratio. 44. de Pentecost. per linguam existimat denotari unionem, & vinculum, quod est inter Filium, & Spiritum sanctum, & iterum sicut lingua est ejusdem naturæ cum ore, ac cæteris membris, ita Spiritus sanctus est consubstantialis Patri, & Filio, ut, quasi lingua eorum nobis secreta, & occulta arcana annuntiat, secundum illud 1. Cor. 12. c. 3. *Nemo potest dicere Dominus Iesus, nisi in Spiritu sancto.* Ita D. Gregor. citatus: Venit Spiritus sanctus super Apostolos ad prædicandum Evangelium, quia lingua sit symbolum Sanctissimæ Trinitatis, innuens quod de hoc altissimo Mysterio maximè gentes erant instruendæ, & ideo quando Christus mandavit suos Apostolos docere omnes de hoc sublimi Mysterio facit mentionem. *In nomine Patris, & Filij & Spiritus sancti.* Matth. ultimo.

41. D. Greg. D. Bern. D. Naz. *In prædicatione de sanctissima Trinitate agendum.*

Octavo D. Leo serm. 1. in Pentecost, sic ait: *Nec dubium sit, in illo omnium linguarum vocum conventu maiestatem Spiritus sancti fuisse præsentem.* Apparuerunt multæ, & dispertiæ linguæ, quibus omnium gentium infundebantur linguæ ad prædicationem Evangelicam, & quamvis in eis essent tam diversæ linguæ, summa erat animarum unitas, ex quo: *Nec dubium erat Majestatem Spiritus sancti fuisse præsentem*: Ubi est unitas, ibi certo adest Spiritus sanctus, & ipse suis ministris infundit unum Spiritum, eadem unitate; eodem amore, charitate, uno sermone, ac lingua: Post Resurrectionem apparens Christus suis Apostolis Ioan. 20. n. 22. *Insufflavit, ac dixit eis accipite Spiritum sanctum.* Ut ibi notavi, non dixit unicuique in particulari, Petro, vel Joanni, accipe Spiritum sanctum, sed omnibus simul *accipite Spiritum sanctum*, ut significatur, quod omnibus dabatur unus, atque idem Spiritus, sic & in præsenti: *Apparuerunt illis dispertitæ linguæ, seditque super singulos eorum*, non dicitur *sederunt*, sed *sedit* in singulari, ac si in eis una tantum esset lingua.

42. D. Leo. *Spiritus sanctus ex unitate cognoscitur in suis.* Ioan. 20

Dicitur Psal. 67. n. 14. *Lingua canum tuorum ex inimicis ab ipso.* Valde vulgare est, quod per canes prædicatores, ac Doctores intelliguntur juxta illud Isaiæ 56. num. 10. *Speculatores eius cæci omnes.* Quo posito: Maximè notandum Prophetam non dixisse *linguas canum tuorum*, singulis canibus singulas linguas attribuens, sed tantum ait: *Lingua canum*, multis, ac omnibus canibus unam adscribens linguam, ut denotaretur, quod omnibus Doctoribus unus est sensus, una lingua in mysteriis Fidei explicandis, in doctrina tradenda, sive etiam in vitiis, ac peccatis arguendis, ac increpandis.

43. Psal. 67. Isa. 56. *Prædicatores Evangelici habent unā sermonem.*

Cantic. 3. n. 7. dum describuntur Ecclesiæ Doctores, ac Ministri, dicitur: *Ferculum Salomonis sexaginta fortes ambiunt ex fortissimis Israël, omnes tenentes gladios, & ad bella doctissimi.* Tam Septuaginta, quam Hebræi Codices *gladius* habetur in singulari, & ita Pagnin. legit *Omnes ipsi tenent gladium*, præclarum documentum Ecclesiæ Doctoribus *Gladius est verbum Dei*, omnibus illis est unicus, ac idem gladius Verbi Dei, unica, ac eadem doctrina, eademque conformitas in omnibus habenda.

44. Cant. 3. Septuag. Pagnin.

QVÆSTIO VI.

Quare Spiritus sanctus descendit super Apostolos linguis igneis?

LInguæ dispertitæ tanquam ignis: Graves sunt Auctores, qui existimant verum fuisse ignem; nec obstat quod dicatur tanquam ignis; quia sæpe illa vox *tanquam*, & *sicut* non denotant similitudinem, sed veritatem, ut cum dicitur: *Vidimus gloriam eius quasi unigeniti à Patre.*

45. *Aliquorum sententia.*

Tamen simpliciter mihi videtur verius non fuisse verum ignem, sed illius similitudinem; nam in Græco tanquam ignis est in genitivo, & sicut linguæ non fuerunt veræ linguæ humanæ, & carneæ, sed earum similitudines, sic & ignis non fuit verus ignis, sed illius similitudo; sicut in Baptismo Matth. 3. *Vidit Spiritum Dei descendentem sicut Columbam*, ubi communiter Doctores tenent, ut dixi suo loco, non fuisse veram Columbam, sed illius similitudinem, sic & in præsenti erat similitudo ignis, ut explicat Caietan. in colore rubro, secundo in fulgore, tertio in volubilitate, & motu. Ad quæstionem.

46. *Non verus ignis.* Math. 3 Caietan.

Primò, venit Spiritus sanctus in *linguis igneis*. In *linguis* ad loquendum in mente ad ipsam illuminandam, ac instruendam in omnibus Mysteris; in igneis ad inflammandam, & accendendam voluntatem in amore, ac charitate Dei; atque proximi, quæ maximè necessaria sunt in Doctore, ac Prædicatore, ait Christus. D. Luc. 11. n. 49. *Ignem veni mittere in terram, & quid volo, nisi ut accendatur?* Per ignem intelligunt. D. Greg. homil. 30. in Evang. D. Chrysost. homil. 8. in Matth. Origenes homil. 1. in Exod. D. Hierony. ad c. 5. Ezechiel. D. Ambros. ad citatum locum Luc. & alij interpretantur Spiritum sanctum, & ait Christus: *Quid volo, nisi ut accendatur*, ut nempe sua luce illuminet mentem, & suo ardore inflammet voluntatem.

47. *In Prædicatore scientia, & charitas.* Luc. 12. D. Greg. D. Chrysost. Origen. D. Ambr.

Secundo D. Cyrill. Jerosol. Catech. 17. sic ait: *In specie autem linguarum ignearum sedit super illos, ut novæ Coronæ spirituales per linguas igneas imponerentur capiti illorum: gladio igneo antea prohibebat ingressum Paradisi; ignea autem lingua salutarem præstitit gratiam.* Considerat Sanctus Pater, quod olim Deus, ut hominibus prohiberet ingressum in Paradisum *collocavit Cherubim, & flammeum gladium*, Genes. 3. in limine Paradisi, ne aliquis valeat introire, ponitur flammeus gladius: In limine autem alterius Paradisi Ecclesiæ Christianæ ponuntur linguæ igneæ, ut Paradisum aperiant; igneus gladius in pœnam peccati rigorosè clausit Paradisum, una lingua humana ignea plena gratiæ, ac benignitatis Spiritus sancti eum facit omnibus patentem *ut novæ*

48. D. Cyril. Genes. 3. *Benignitas Apostolica triumphat de pœna, ac rigore peccati.*

novæ coronæ ſpirituales per linguas igneas imponerentur capiti illorum. Antiquitùs, ut tradit Laurentius Lucenſ. de moribus Roman. aſſert. 18. in triumphantium Coronis trophæa Victoriæ depingebantur, ſic in capitibus ſacrorum Apoſtolorum linguæ igneæ tanquam coronæ imponuntur, quia ipſis de rigore, ac pœna peccati glorioſam victoriam reportarunt.

Lucenſ.

49. Tertio Iſidorus Peluſiota epiſt. 494. ſic ait: *Vt unus Deus in utroque teſtamento cognoſceretur*, ut Deus oſtenderetur auctor utriuſque teſtamenti, ac legis novæ, & antiquæ, & hæc data fuit tanquam in figura legis gratiæ, nam, illa data eſt in monte Sinai, cum igne, nube, fumo, tonitruis, ac fulgoribus, Exod. 19. n. 16. & 18. Illuſtriſſimo alio modo lex nova data eſt: Ignis repræſentabat linguas igneas loquentes, tonitrua adumbrabant ſonum venti vehementis, qui inſerviebat non ad timorem, ſed ad recreationem animorum; fulgura deſignabant prædicationem, ac miracula Apoſtolorum, quæ reſplenduerunt, non ut antiquitus in uno populo, ſed per omnes gentes totius Orbis; fumus indicabat pœnitentiam, ac contritionem Iudæorum, ac gentium: Nubes Divinam protectionem, qua Apoſtoli animati inter Iudæos adverſarios nihil timerent, ſed liberè loquerentur. Cum lex antiqua daretur dicitur citato loco n. 18. *Erat omnis mons terribilis*: At verò modo cùm deſcendiſſet Spiritus ſanctus totus mons Sion erat valde gratus, perjucundus, ac lætificans.

Exod. 19.

Lex gratiæ multo excellentiori modo data, quàm vetus.

50. Quartò, D. Leo ſerm. 1. in Pentecoſt. inquit: *Ad veteres tenebras abigendas novæ lucis fulgura coruſcabant, cum micantium ſplendore linguarum, & verbum Domini lucidum, & eloquium conciperetur ignitum, cui ad illuminandum intellectum, conſumendumque peccatum, & efficacia illuminandi, & vis ineſſet urendi.* Antiquitùs maximè Deus ſe occultabat tanquam in tenebris ne videretur, nec agnoſceretur. Cum Deus deſcenderet daturus legem Moyſi *Nubes operuit montem*, Exod. 19. n. 16. Cum Salomon dedicaſſet Templum *Nebula implevit domum Domini*, 3. Reg. 8. n. 10. *Tunc ait Salomon, Dominus dixit ut habitaret in nebula*, Ibid. n. 12. Et cum Deus appareret Iſaiæ 6. ſtatim dicitur n. 4. *Et domus repleta eſt fumo*: At verò modo formans Deus ſuam novam Eccleſiam Chriſtianam maximè voluit ſuam ſingularem præſentiam declarare, venit in linguis igneis, in quibus nihil cernitur tenebroſum, obſcurum, ac nebuloſum, ſed ſumma lux, illiuſque ſummus ſplẽdor, ut concipiatur verbum eloquium ignitum.

S. Leo.

Exod. 19.

3. Reg. 8.

Iſai. 6.

Ex Spiritu ſancto venit lux in ſermone, & opere.

51. Quintò, D. Chryſoſtom. homil. 4. in Acta ſic ait: *Eodem modo, quo nunc Diſcipuli, nemo alius Spiritum accepit. Quin potius Moyſes quidem Prophetis major. Nam ille cum oporteret alios afflari Spiritu ipſo diminutus eſt: Hic vero non eodem modo, ſed quemadmodum, quotquot valet, aliquis lucernas accendit, nec ignis minuitur, ita in Apoſtolis tunc temporis accidit.* In ſpecie ignis venit divinus Spiritus? Nullo enim melius ejus gratia accepta in Apoſtolis poterat explicari; dum enim ignis communicatur, non minuitur, ſed magis ſplendor lucis creſcit: ſic & gratia Spiritus Apoſtolis creſcit. Ut ſpiritus Moyſis ſeptuaginta viris communicaretur, dicitur: *Auferam de Spiritu tuo, & tradam eis*, Num. 11. n. 17. Juxta ipſum Chryſoſt. ac alios: cum diminutione ſpiritus Moyſis, & hoc circa ſeptuaginta tantum: At Spiritus ſanctus venit ſuper ſanctam Congregationem 120. & cum virtute, ac poteſtate communicandi innumeris ipſum Spiritum, & cum ipſa communicatione, ut magis creſceret, & augeretur in unoquoque ipſa divina Spiritus gratia.

S. Chryſoſt.

Dona Spiritus ſancti pleniſſima in omnes.

Num. 11.

52. Sextò, D. Bernardus ſerm. 2. de Pentecoſte, inquit: *Quid à te quærit qui tanta ſollicitudine te quæſivit, niſi te ſollicitum ambulare cum Deo ſuo? Hanc ſollicitudinem non facit, niſi Spiritus ſanctus, qui ſcrutatur profunda peccatorum noſtrorum, diſcretor cogitationum, & intentionum cordis; qui ne minimam paleam intra cordis, quod poſſidet, habitaculum, patitur reſidere, ſed ſtatim igne ſubtiliſſimæ circumſpectionis exurit.* Tam ſumma, & immaculata eſt putitas in his, qui Spiritu ſancto aguntur, ut ipſe tanquam ſubtiliſſima *ignis* flamma, humana pectora penetret, ac intimam conſcientiam ſcrutetur, *Vt ne minimam patiatur paleam, intra cordis habitaculum, quod poſſidet.* Inde Spiritus ſanctus deſcendit in Apoſtolos in igne, ut eos ſumma puritate conſpicuos redderet abſque ulla macula; nam ſi aliqua etiam minima adſit, ſtatim ſua ignis flamma conſumit, & deſtruit, *igne ſubtiliſſimæ circumſpectionis exurit.*

D. Bern.

Spiritus ſanctus in quos intrat, puros reddit.

53. Septimò, ut Apoſtolos illuminans elevaret in cœlum. Ait Iſa. 24. n. 15. *In doctrina glorificate Deum*, Iſai. 24. ex Hebræo legitur: *In igne glorificate Deum.* Pergit Propheta, & ſubdit: *In inſulis maris nomen Domini, & gloriam iuſti.* Septuaginta legunt: *Ab alis terræ laudes audivimus, & gloriam iuſti.* Iſte ignis, Septuag. eſt doctrina cœleſtis divinæ columbæ Spiritus ſancti, quæ inflammat corda noſtra & dat alas ſuas, ad annuntiandam gloriam Dei per totum mundum, & ſimul ad volandum cum ipſis in cœlum. D. Hier. ibi, ait: *Ab alis terræ, hoc eſt à Sanctis, qui aſſumptis alis Columbæ, ad cœlorum regna feſtinant, & laudes ejus audivimus prædicari.*

Hebræo.

Spiritus dat alas ad volandum in cœlũ.

D. Hier.

54. Octavò, D. Cyrill. Ieroſolym. Catecheſ. 17. ait: *Ignis portendit tribulationem magnam; & multiplicem, quam paſſuri erant Apoſtoli, & fideles, ſed ſuperaturi per ignem amoris Divini, quem idcirco hic eis dedit Spiritus ſanctus.* Et ſi ignis denotet afflictiones, & perſecutiones, quas Chriſti fideles erant paſſuri, tamen Dei amore omnia facillimè erant ſuperanda, ac contemnenda. Cum ex nuntio Magdalenæ accepiſſent Apoſtoli ſepulchrum Chriſti eſſe apertum currentes Petrus, & Ioannes videntes ſepulchrum vacuum ſine corpore Chriſti: Abierunt ergo Diſcipuli ad ſemetipſos, *Maria autem ſtabat ad Monumentum foris plorans*, Ioan. 20. n. 11. Cur una mulier recedentibus Diſcipulis audet ſola manere ad ſepulchrum defuncti? Cur non tenet armatam manum militum, crudele Iudæorum odium? Origenes ibi ait: *Cur hoc feciſti! ſapiebas plus illis, aut diligebas pluſquam illi, quia non timebas ut illi.* Sancta fœmina cum amaret nihil timebat: *Perfecta charitas foras mittit timorem.* Ioan. 1. cap. 4 n. 18.

D. Cyril.

Dei amor contemnit pericula omnia

Ioan. 20

Origen.

Ioan. 1.

55. Ait Iſaias 11. n. 2. loquens de Chriſto Domino: *Et requieſcet ſuper eum Spiritus Domini, Spiritus ſapientiæ, & intellectus, Spiritus conſilii, & fortitudinis, Spiritus ſcientiæ, & pietatis, & replevit eum Spiritus timoris Domini.* Ubi ſatis ingeniosè expendit illud *replevit*, D. Paſch. lib. 3. in Matth. & ait: *Noviſſimè autem velut quiddam ſpecialius, ac ſi municipium diſcretionis ab omni labe peccati intulit, dicens replevit eum Spiritus timoris Domini: Non enim quoſcumque repleverit capaces alterius rei eſſe plenitudo timoris ſinit.* Illud quod repletum eſt, non poteſt aliquid aliud, quantumvis minimum, in ſe recipere, ac retinere, ſed ſi aliquid ſuperinfunditur, ſtatim reſpuit, ac immittit foras, ſi anima repleta eſt Spiritu timoris Domini, non poteſt alium timorem de terrenis, ac temporalibus in ſe recipere, ac admittere, *Non enim quoſcumque repleverit, capaces alterius rei eſſe plenitudo timoris ſinit.*

D. Paſch.

Timor, ſeu Dei amor alium excludit.

QUÆSTIO VII.

Quare de ſono dicitur quod repleverit totam domum?

55. AIt Textus in præſenti: *Factus eſt de cœlo ſonus tanquam advenientis Spiritus vehementis, & replevit totam domum, ubi erant ſedentes, & apparuerunt illis diſpertitæ linguæ tanquam ignis.* Meritò dubitabis, quid de ſono dicitur, quod *replevit totam domum*, id verò ſic de igne, ſed quod tanquam lingua ſederit ſuper unumquemque.

56. *Ratio ad literam.* Reſpondeo primo: quod Evangeliſta ſcribit juxta naturam rei; nam quando ſonus vehemens excitatus ſive à vento, ſive ab aliquo ſonitu uniformiter, ac difformiter ſpargitur per totam domum; non ſic verò ignis, qui poteſt accendi in hoc, vel illo loco, poni in hac, non verò in illa parte.

57. *Ventus benignitatem, ignis rigorem dicit.* Cant. 4. D. Cyrill. Moraliter reſpondeo, quod per ventum intelligitur divina benevolentia, & gratia juxta illud Cantic. 4. n. 16. *Veni Auſter perfla ortum meum, & fluent aromata illius*: At verò ignis ſignificat labores, & afflictiones, juxta D. Cyrill. datum ſuperiori quæſtione dicentem: *Ignis protendit tribulationem magnam, & multiplicem, quam paſſuri erant Apoſtoli, ac Chriſti fideles.* Et valde frequenter ignis in Scriptura ſignificat tribulationes, ac afflictiones, Pſalm. 16. n. 3 Pſal. 16. Pſal. 65. *Igne me examinaſti.* Pſalm. 65. n. 10. *Igne nos examinaſti, ſicut examinatur argentum*, & iterum n. 12. *Tranſivimus per ignem, & aquam.*

58. *Liberalitas large, Pœna cum mẽſura.* Ideo ergo ſonus, ſeu ventus ſignificans Dei gratiam, & benevolentiam, replevit totam domum; At verò ignis, qui denotat tribulationes, ac perſecutiones, in menſura unius linguæ. Dei gratia, ac benignitas valde ſuperabundans, omnia adimplens, & largiter replens: At quæ ſunt rigoris, & pœnæ in multa menſura, & regula proportionata perſonæ tempori, ac occaſioni, ut non excedat magnitudinem, ac longitudinem unius linguæ. Huc ſpectat, quod in præſenti notavit Oecumenius, & ait: *Ignis, non replevit totam domum, ne omnes terreret, ac videntes fugere compelleret.* Sit ergo igneus rigor in proportionata menſura, ne nimis terreat, & fugere compellat. Oecum.

59. Cant. 1. Septuag. D. Ambr. Origen. De ſuo dilectiſſimo ſponſo ait Anima ſancta: *Faſciculus Myrrhæ dilectus meus mihi*, Cantic. 1. n. 13. ſeu, ut legunt Septuaginta: *Alligamentum guttæ fratruelis meus mihi.* Et D. Ambroſ. in Pſalm. 118. ſer. 3. *Colligatio gutæ.* Sic & Origenes homil. 2. ex quatuor. Poſtea verò agens de magnifica liberalitate ſui ſponſi erga ſe ait: Emiſſiones tuæ Paradiſus multorum punicorum cum pomorum fructibus, cum univerſis lignis Libani, cum omnibus unguentis, Cantic. 4. n. 13. & 14. Per Myrrham communis eſt vox Sanctorum Patrum, quod intelligitur mortificatio, ac tribulatio. Per tot emiſſiones fructuum Paradiſi Theodoricus intelligit omnes virtutes. Catena trium Patrum, *Omnia dona Spiritus ſancti, quibus anima recreatur, ac impinguatur.* Conſidera ergo altum Dei conſilium; In labore, ac mortificatione tam ſtricta menſura, ut unam guttam non excedat; at in gratuita beneficentia, & larga benignitate, tam ampla beneficentia, ut non una Metaphora, ſed multiplici explicetur. Paradiſus cum pomorũ fructibus, univerſis lignis Libani, cum omnibus unguentis.

Cant. 4. *Pœna ſtrictè, gratia abundãter.* Theodoricus. Catena trium Patrum.

60. Ait Deus: *Ego ſum Zelotes viſitans iniquitatem patrum in filios in tertiam, & quartam generationem eorum, qui me oderunt, faciens miſericordiam in mille his, qui diligunt me*, Exod. 20. n. 5, & 6. Ad quæ verba ſic ait Cardinalis Caiet. *Cerne differentiam, quod vindicta non extenditur ultra quatuor filios, beneficentia autem extenditur in millia, ad ſignificandum quòd ad bona eſt Deus propenſiſſimus, ad inferendum autem mala eſt parcus, & ratio eſt, quia bona confert ſua ſponte, mala autem infert exigentibus demeritis, noſtris.* Caiet.

QUÆSTIO VIII.

Quare facto vehementi ſonanti ſtrepitu fulgurantis linguis igneis non timent Apoſtoli?

61. Exod. 18. OLim Deus daturus legem in monte Sinaï ſcribitur, Exod. 19. n. 18. *Totus mons Sinai fumabat, eo quod deſcendiſſet Dominus Deus ſuper eum in igne & aſcenderet fumus ex eo quaſi de fornace; & erat omnis mons terribilis.* Cum, ut ibi dicitur, reſonarent tonitrua, fulgura coruſcarent, erat totus mons valde formidoloſus, ut ibi notant interpretes Lyran. Caiet. & alii: At verò modo in monte Sion: *Factus eſt repente de Cœlo ſonus tanquam advenientis Spiritus vehementis, & replevit totam domum, & apparuerunt illis diſpertitæ lingua tanquam ignis.* Ecce in utroque monte Sinaï, ſcilicet, & Sion deſcendit Deus in igne vehementi Spiritu ſonante: In Sinaï magnus metus, & terribilis horror; In Sion verò ſuavis benignitas, ac dulcis affabilitas: Illic terribilitas arcebat homines à monte: hic verò blandities omnes ad ſe convocabat, ut patet ex ſubſequentibus: *Facta autem hac voce convenit multitudo maxima.* Infra n.... Unde tanta rei differentia! Lyran. Caiet. Difficultas quæſtionis.

62. Actor. 1. Pro hujus ſolutione ſit, quod dicitur ſuperiori cap. n. 14. Quod erant Apoſtoli *perſeverantes unanimiter in oratione cum mulieribus, & Maria Matre* IESU. Aderat ibi Maria Mater Ieſu, conſequens erat, quod ibi adveniret Spiritus divinus benignus, & ſuavis, & cum tali præſentia nullus poterat eſſe honor, vel metus, ſed ſumma ſecuritas, & blandities, quæ ex ejus umbra, ac protectione manabat: ad hoc pertinet id, quod docet D. Epiphanius de laudibus Mariæ in ſuo ſermone: O Beata Virgo ſponſa, cœleſtis Maria, Cœlum, Templum, & Tronus Divinitatis, quæ coruſcantem in cœlo, & terra ſolem habes Chriſtum: Nubes lucida, quæ fulgur de cœlo lucidiſſimum ad illuminandũm deduxiſti Chriſtum: Nubes cœleſtis, quæ tonitruum Spiritu ſancti in te ipſa reconditum deduxiſti in mundum, & imbrem ſancti Spiritus in univerſam terram ad producendum fidei fructum cum impetu demiſit. Divini Spiritus tonitrus non terret, ſed ſolvitur in ſalutiferum imbrem ad fœcundandas animas noſtras, eaſque cuſtodiendas. *Vbi Maria, ibi Dei benignitas, ac ſecuritas.* D. Epiphan.

63. Cantic. 8 Guilhel. De ſe ait ſanctiſſima Virgo Maria Cantic. 8. n. 10. *Ego murus, & ubera mea turris.* Quæ verba elegantiſſimè expendit Guillelmus Abbas apud Delrium, & ait in nomine ſanctiſſimæ Virginis: *Ubera mea non tantum ſunt ubera, ſed etiam turris, non tantum nutriendo, ſed & protegendo vim habent; nullus me putet habere quo nutriam, & non habere quo muniam, Maternitas pietatis mea quos nutrit, etiam munit.* Magnum tutamen nobis præbent ubera Virginis Mariæ, quia ſunt ubera, & turris; ubera, ut nutriant, & turris, ut quos nutriunt, etiam cuſtodiant, & defendant. *Maria virgo nos alit, & cuſtodit ab hoſtibus.*

64. Cant. 1. Ait divinus Sponſus: *Equitatui meo in curribus Pharaonis, aſſimilavi te amica mea*, Cantic. 1. n. 8. Quiſnam equitatus fuit iſte omnipotẽtis Dei ad deſtruendos omnes armatos currus Pharaonis, cui aſſimilatur una pura, & tenera Virgo Maria? quiſnam & iſte equitatus Dei? Nullum alium invenimus? niſi Virgam Moyſis, quæ totum exercitum Pharaonis cum omnibus ſuis equitibus, ac curribus deſtruxit

xit, & perdidit. Et unde in illa virga tanta virtus? Præfigurabat illa alteram virgam ortam ex Ieſſe, nempe ſanctam Virginem Mariam; & ex ejus habitu, ac umbra tanta efficacia in Virga Moyſis emanavit ut venenoſos Ægyptiacos ſerpentes devoraret, exercitum Pharaonis deſtrueret, & aquam ſitienti populo in alimentum daret, & fructum floridum, id eſt gratiam produceret. Rupertus ad citatum locum Cantic. ait: *Currus Pharaonis valde multo ferro armati; auro, vel argento inſigniti: Equitatus Dei virga una fuit, virga Moyſis, & Aaron: illi ſigno, illi equitatui meo aſſimilavi te amica mea; ſicut enim virga illa virgas maleficiorum devoravit, & omnem ſuperbiam Ægyptiam obtinuit, & inde germinavit, fronduit, floruit, & fructum protulit, non ſucco terræ animata, ſed virtute cœleſti, ſic anima mea cunctam pravitatem hæreticam contrivit, ſuperbiam Diaboli dejecit, conceptu florida, partu fructifera.*

Virgo Maria altiſſimenos cuſtodit, ac defendit ab inimicis. Rupert.

QUÆSTIO IX.

Quare divinus Spiritus deſcendens in igne, venit clara die, & non potius nocte, ut magis reſplendeſceret.

65. SPiritus venit linguis igneis clara lucente die, ac Sole fulgente, ut patet ex hoc cap. 2. infra n. 15. ait D. Petrus: *Non ſicut vos æſtimatis, hi ebrii ſunt, cum ſit hora diei tertia*, cur non in nocte, ut fulgur ipſius luminis magis, ac magis fulgeret, ac reſplēderet?

66. Quidam Author. Reſpondet quidam ingenioſus Author de veſtibus Aaronis, quod ideo Spiritus ſanctus clara die, ac ſub Solis radiis deſcendit, ut ſuum magnificum donum ignitæ linguæ minus luceret, & chariſmatum dona occultaret, ut ſic ejus liberalitas maximè commendaretur conferens tanta beneficia, quæ ex Solis luce minus apparerent, & quodammodo minus viderentur. Dicitur Pſ. 76. n. 20. *In mari via tua, & ſemita tua, in aquis multis, & veſtigia tua non cognoſcentur.* Magnum, & ingens beneficium! quod Deus præſtitit populo ſuo Iſraëlitico, cum fugeret à tyrannide Pharaonis, ut in medio maris per iter floridum ſicco pede pertranſiret. Cur de tam magnifico beneficio non permanſit aliquod perenne ſimulacrum? imo nec unum veſtigium; nam quæ facta ſunt à populo tranſeunte revertentibus aquis operta ſunt, ut notavit Euthym. & ait: *Veſtigia tua non cognoſcentur: quia ſcilicet mare iterum conjunctum, atque unitum, adeo in ſe eſt, ut nulla amplius veſtigia apparerent.* Deus tam magnificentiſſimus eſt in ſuis donis, ut ne leve itineris veſtigium voluerit permanere, ſed voluit illud operire, ac abolere, ut ſic ſuæ liberalitatis occultando indubitatum conferret argumentum.

Summa liberalitas occultando confert beneficia. Pſal. 76.

Euthym.

67 Aliter reſpondeo ad quæſtionem, venit Spiritus S. non ſub nocte, ſed die clara radiantibus Solaribus radiis, ad oſtendendam ſuam excellentiam, ac celſitudinem, nam lucere nocte, ac inter tenebras quid magnum eſt, at reſplendeſcere die clara, & fulgurante Sole quid ſupremum, & altiſſimum eſt, & ideo ex tanto ſupremo ſplendore omnes gentes, quæ ſub Cœlo ſunt admiratæ concurrerunt ad Cœnaculum, & illa die appoſita ſunt ad fidem Chriſti tria millia, ut dicitur infra n. 41. Huic meæ cogitationi patrocinatur Oecumenius, qui ad præfata verba ait: *Hora tertia hæc eſſe facta, non vulgariter intelligendum eſt, ſed quod tunc ignis ſplendidior oſtenditur, quando neque ad opera utuntur homines neque ad operandum prandium, quando omnes in foro ſunt.* Tunc quando ignis iſte Divinus erat ſplendidior, & magis illucebat; & omnes erant in foro, ut videntes tanta mirabilia confluerent ad Cœnaculum.

Summa majeſtas reſplendet in ea lucentes. Oecum.

De Chriſto D. ait: Regius vates Pſ. 18. n. 6. *In Sole poſuit tabernaculum ſuum*, ſeu, ut alii legunt *ſedem ſuam.* Cur non potius in firmamento inter ſcintillantes, ac radiantes ſtellas, vel cur non potius in Luna, quæ mulieri in Apocalypſi præbebat calceamentum Apoc. 12. ſed in Sole? lucere inter ſtellas, & Lunam quid magnum, at in Sole, quod eſt *luminare majus*, hoc eſt ſupremum totius lucis faſtigium, & inde tam excellentius, ut ipſum Solem valeat obſcurare, ſic explicat Angelus: *In Sole poſuit tabernaculum, ut Sol non ſemper luceret*: Stellæ, & Lunæ obſcurantur à Sole, at Dei tabernaculum tam fulgidum eſt, ut Solem valeat obſcurare.

68. Pſal. 18. *Super Solem lucere.* Apoc. 12. Angelus Dan. 7.

Ait Daniel cap. 7. n. 9. quod aſpiciens vidit antiquum dierum ſedentem in throno ſuo, & quod *Thronus ejus flammæ ignis, & rotæ ejus ignis accenſus, & millia miniſtrabant ei, & decies millia, & centena millia aſſiſtebant ei.* Hæc centena millia, quæ aſſiſtebant ei, eſt univerſus Chorus Beatorum, qui inter ſuas peculiares dotes habent fulgere, ac ſplendeſcere; tamen ſolum de rotis ſedis Dei dicitur: *Rotæ eius ignis accenſus*, Septuaginta *ignis ardens*, Vatablus *ignis flagrans*, Hebræus *ignis perlucidus.* Aſtabant Beati, qui ex ſuo dono habent, ut fulgeant, & tamen ſolum de Throno Dei dicitur *Ignis flagrans, ignis perlucidus.* Hæc eſt ſuprema Dei Majeſtas quod ejus Thronus tam nitente luce perfulgeat, ac reſplendeſcat, ut omnes alii ſplendores diſpareant, & ne minimum quid valeant ſcintillare.

Septuag. Vatabl. Hebræ.

QUÆSTIO X.

Quare linguæ igneæ apparent in Capite, & non potius in ore, vel alia corporis parte.

QUa in parte corporis linguæ igneæ apparuiſſent, ac ſediſſent non conſtat ex Textu; fuerunt aliqui Authores, ut teſtatur Lorinus, qui dixerunt linguas apparuiſſe in ore quaſi inter labia novæ linguæ apponerentur; tamen communis Sanctorum Patrum tenet in capite. Ita D. Cyril. Ieroſolymit. catech. 17. D. Cæſar. Dialog. 3. D. Anaſtaſ. Sinaita lib. 3. in Hexam. D. Dionyſ. cap. 5. Cœleſtis Hierar. Anacletus Papa Epiſt. 1. Clemens Papa VIII. Conſtit. cap. 2. & ita tenet univerſalis pictura totius Eccleſiæ à tempore antiquiſſimo.

69. *In Capite.* Lorin. D. Cyril. D. Cæſ. D. Anaſt. D Dion. Anaclet. Clem.

Franciſcus Turrianus lib. de Hierarch. Ordin. Miniſtr. citans D. Hieronym. Dionyſ. quod Spiritus S. huc venit tanquam ſuper Apoſtolos creans eos Doctores, ac Epiſcopos ad exercendum ſacramentum Confirmationis, & Ordinis. Oppoſita ſententia eſt vera, quòd Chriſtus D. creavit ſuos Apoſtolos Doctores, & Epiſcopos, quando poſt Reſurrectionem eis dixit Ioan. 20. 21. *Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos.* Illud ſicut proportionabiliter eſt intelligendum; quia ſicut Pater miſit Filium ſuum Ieſum Chriſtum cum pleniſſima poteſtate ad officium Salvatoris, ac Redemptoris, ſic ille miſit ſuos Apoſtolos cum plena poteſtate ad gubernandam ſuam Eccleſiam, atque ad omnia illius miniſteria neceſſaria. Ita D. Auguſt. D. Ambroſ. noſter D. Cyrillus, D. Chryſoſtomus, Theophylact. Rupert. & alii, quos citavi tom. 5. in Evangel. lib. 9. cap. 4. n. 82.

70 Turrian. *Non creantur hi Epiſcopi.* Ioan. 20. D. Aug. D Ambr. D. Cyril. D Chryſoſt. Theoph. Ruperti

Reſpondeo primò. Caput in Scriptura valde frequenter ſignificat totum hominem, Exod. 16. n. 16. *Colligat unuſquiſque ex eo quantum ſufficiat ad veſcendum: Gomor per ſingula capita*, id eſt per ſingulos homines. Pſalm. 139. n. 8. *Obumbraſti caput meum in die belli*, id eſt totum me, & ſic in multis aliis locis, cum caput ſit principalis pars corporis: Venit ergo Divinus Spiritus ſuper caput Apoſtolorum,

71. Exod. 16. Pſal. 139

Spiritus ſanctus in capite, ut diffundatur per omnes hominis facultates.

ut unumquemque totum ſuis donis impleret, atque repleret, & impingueſceret ſecundum omnes ejus operationes, & actiones, ac apparet ſuper uniuſcujuſque caput tanquam principalem corporis partem, ut inde diffunderetur ejus virtus per omnes hominis facultates; nam ſi antea Apoſtolis fuit datus à Chriſto D. Spiritus ſanctus, Ioan. 20. n. 20. *Accipite Spiritum ſanctum*, fuit tanquam in actu primo, hic vero in actu ſecundo quoad exercitium ſuorum miniſteriorum cum omni integritate, juſtitia, & ſanctitate eos corroborans, ac confirmans in omni gratia, & puritate, ut docent D. Ambroſ. de benedict. Patriarch. c. 4. D. Auguſt. lib. 11. de Civitate Dei.

Ioan. 20.

72. Ammon.

Secundo reſpondet Ammonius hic in præſenti, ut oſtendatur Orbis Doctores ab Spiritu ſancto datos totos eſſe cœleſtes, & in divina, & ſuperna ſapientia fundatos. Tertio: Conſidera quantum ſit diſcriminis inter unam, & alteram linguam. Lingua humana peſſima, de ea ait Iacobus Apoſtolus in ſua Epiſtola cap. 3. n. 8. *Inquietum malum plena veneno mortifero*. Septuaginta *intolerabile malum plenum veneno lethifero*: At vero lingua gubernata, & inflammata ab Spiritu ſancto eſt omnium ſupremum bonorum, & ideo in capite, ut ſupereminenti loco, ponitur, atque apparet. Ait Regius vates loquendo de Doctoribus Eccleſiaſticis, Pſalm. 28. n. 4. *Vox Domini in virtute, vox Domini in magnificentia.* Vox, ſeu lingua Doctoris, quæ eſt plena, & fœcundata Dei virtute, eſt vox, ſeu lingua in omni magnificentia, ac celſitudine, & ideo in excelſo loco collocanda.

Iacob. 3. Septuag. *Lingua gubernata ab Spiritu ſancto in capite.* Pſal. 28.

73. *Lux in intellectu, ne depravetur à mala voluntate.* Pſal. 12. D Aug. Incogn.

Quarto lingua ignea in capite videtur totus ordo inverſus: Lingua ignea eſt lingua amore inflammata, ut de ea loquuntur Sancti Patres, & Doctores; cur ergo ardens hæc lingua ignea conſtituitur in voluntate, ſeu corde, qui eſt amoris ſedes, ſed in capite, quod communiter reputatur intellectûs domicilium? O altiſſima Dei diſpoſitio? Reponatur lingua ignea, & lucens in capite, quia ſæpeſæpius in mente Doctoris neceſſaria eſt multa lux, multumque ardoris Divini, ne ex malo affectu voluntatis depravetur, ac ſine luce veritatis obtenebretur: hinc David poſtulabat à Deo: *Illumina oculos meos ne unquam obdormiam in monte*, Pſal. 12. n. 4. juxta D. Auguſtinum & noſtrum Incognitum poſtulat lucem in intellectu, ne aliquando deceptus incidat.

74. *Homo debet diligere Deum plus quàm ſemetipſum*

Pſal. 72 Hebræ.

Quinto: Linguæ igneæ in capite non videntur convenienti loco appoſitæ; nam lingua ignea ardet Divini ardoris flammâ: ergo in corde amoris officina reponenda: Unde canit Eccleſia *Intus facta ſunt flammantia corda diſcipulorum.* Tamen aptiſſimè lingua ignea amoris Dei ponitur in capite, & non in corde; nam cor reſpicit caput tanquam quid ſuperius; at quod eſt in capite ſolum reſpicit ipſum Deum, & eſt ſupra ipſum hominem: ergo perfectiſſimè ſymbolum amoris Divini ponitur in capite; quia tam excellens, & eminens eſt divinus Amor, ut nihil humanum, ſed ſolum Deum reſpiciat, & tanta excellentia, ut ſit ſupra ipſum hominem, & homo ipſe plus diligat Deum, quam ſeipſum. Ait David Pſ. 72. n. 15. *Quid mihi eſt in Cœlo, & à te, quid volui ſuper terram.* Hebræus legit: *Tecum non volui ſocium ſuper terram*, tanquam ſi diceret, tam intimè uni Deo adhæreo, ut nullum humanum ſocium, nec etiam me ipſum tecum volo, tam vehementer erga te Dominum me confero.

75. *Ignis cœleſtis non combuſſit, ſed vivificat.*

Sexto: Linguæ in capite valde ei eſſe poterant nocivæ; poterant enim cremare totum capillitium, cùm ſit materia valde tenuis, & incendio apta, ac proinde omnes capillos in cineres redigere. Nil tale timendum, ignis cœleſtis divini Spiritus non combuſſit, ſed illuſtrat, ac illuminat, & maximè lætificat, ac recreat: Vidit Moyſes viſionem illam grandem, quod *Rubus arderet & non comburetur*, Exod. 3. n. 2. Non ſolum non comburebatur, ſed maximè viridis apparebat, tantum abfuit, quod ab igne nocumentum pateretur, quin potius tanquam à ſuperfluente aqua irrigabatur, ac fœcundabatur.

Exod. 3.

76. D. Cyrill Alex.

Septimo noſter Magnus Cyrillus Alexand. in c. 2. Joëlis ſic ait: *Oportebat enim Eccleſiam Myſtagogos, & orbis terrarum Magiſtros futuros etiam ante alios dono Spiritus ſancti cohoneſtari, & veluti quoddam ornamentum per fidem in ſanctificatione ab initio factos divina, & cœleſti gratia inaurari.* D. Cyrill. Ieroſolymit. Catech. 17. ſupra datus q. 6. n. 46. exiſtimat has linguas igneas tanquam coronas inſediſſe in Apoſtolorum capitibus; & ad quid neceſſarium fuit, quod Apoſtoli talibus coronis reſplendeſcerent? Creabat eos Chriſtus D. ut Magiſtros, ac Doctores totius Orbis, inde oportebat, quod pulchro, glorioſoque donorum, ac virtutum conſpicui fulgerent ornamento, ut inde fierent venerabiliores, majorem authoritatem conciliarent, & magis ſuâ doctrinâ acceptabiles redderentur, ut eorum dictis omnes acquieſcerent: *Oportebat Orbis terrarum Magiſtros futuros, etiam ante alios cohoneſtari.* Dei conſilium eſt ſuos miniſtros condecorare, & nobilitare.

D. Cyrill Ieroſ.

Dei eſt ſuos miniſtros creare.

77. D. Greg. Cervar. *Deus honorat quos in ſuos miniſtros elegit.*

Cùm Heli dormiſſet in lectulo ſuo, & Samuel in templo Domini, vocavit Dominus Samuelem tribus vicibus, qui ſemper cucurrit ad Heli dicens: *Ecce ego, vocaſti enim me.* In prima, & ſecunda vice reſpondit Heli, *non vocavi te, revertere, & dormi*, tamen cum tertiò vocaret Samuelem, & curreret ad Heli: *Ecce ego, vocaſti enim me, intellexit Heli quia Dominus vocaret puerum*, 1. Reg. 3. n. 9. In quo maximè ſunt notanda, primo, ut ponderavit ibi D. Gregorius: Deus vocavit Samuelem voce Heli ſimili. Secundo, ut advertit Laurentius Cervarienſis in allegoris ex D. Gregor. quod quando Deus loquebatur cum Prophetis, etiam loquitur cum ſuis ſervis, & non ſolum eis revelat Myſteria dicta, ſed etiam eis revelabat quòd ipſemet Deus eſſet, qui loqueretur. Cur ergo Deus hic vocans Samuelem utitur ſimili voce Heli, & abſcondit, quod ipſe ſit, qui loquatur, ut Deus ſe habebat cum aliis? Diſponebat Deus, ut Samuel eſſet ſuus Miniſter, templi Sacerdos, Iudex, ac Gubernator totius populi, ideo à ſua pueritia voluit Deus eum coram Heli ſublimare, ac condecorare, ut haberetur dignus Divino colloquio, & ut ei Deus manifeſtaret multa futura, quæ eventura erant ut aperuit Heli.

1. Reg. 3.

78. Exod. 2. Pagnin. D. Chryſoſt. Philo. D. Greg. Nyſſen. S. Chryſoſt. Abulenſ. Caiet.

Inſtante impio decreto crudelis Pharaonis, ut omnes pueri Pharaonis proiicerentur in fluvium, naſcitur Moyſes, quem mater ejus *Videns elegantem abſcondit tribus menſibus*, Exod. 2. n. 2. Pagnin. legit *pulchrum*, D. Chryſoſt. *gratum Deo*, alii *Urbanum*, itaut conveniant omnes Patres, & Doctores, Philo de vita Moyſis, ſimiliter D. Gregor. Nyſſen. de vita Moyſis. D. Chryſoſt. Abulenſ. Caiet. Lyranus, quod vultus Moyſis præbebat quandam elegantiam, ac præſentiam pluſquam naturalem; ita, ut ſtatim ex Ruperto Abbate dicemus. Cur in facie Moyſis tot, & tanta repræſentantur? Volebat eum Deus creare gubernatorem, ac Ducem ſui populi, & tantum extollere, ut facies ejus reſplendeſceret quibuſdam divinis radiis: Unde ab infantia eum ſic voluit nobilitare, ac condecorare, ut apud omnes majorem haberet æſtimationem, ac venerationem. Rupert. lib. 1. in Exod. cap. 8. ſic ait: de Moyſe: Re vera tanta fuit ejus elegantia, quanta divinum ſplendorem præſignari decuit, quo poſtea facies ejus ex colloquutione Dei facta eſt ſplendida.

Rupert.

QUÆSTIO XIV.

Quare divinus Spiritus veniens in linguis ignis sedit super capita Apostolorum?

AIt Text. *Sedit super singulos eorum*, jam supra q.5.n.40.notavi, quod non dicitur, sederunt, sed sedit in singulari, ac si ob unitatem, ac conformitatem, tanquam in omnibus eis esset lingua una, ut debet esse in omnibus prædicatoribus Evangelicis, vide proximè citatum locum. 79.

Dicitur sedit, non vero sederunt.

An verò solum fuissent linguæ illæ, quæ apparuerunt super capita Apostolorum, an fuerint aliæ dispersæ ad denotandam abundantiam donorum sancti Spiritus? videtur Ecclesiam annuere, nam in secreta ad Missam Spiritus sancti dicitur: Diem celebrantes, quo Spiritus sanctus Apostolis innumeris linguis apparuit. Ad quæstionem. Ecclesia. 80.

Primo respondeo cum D.Chrysost. hic: Per hanc sessionem voluit D. Spiritus manifestare se in ipsis Apostolis, eorumq; successoribus permansurũ usque ad finem sæculi juxta promissionem Christi Ioan.14. n.16. *Rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in aternum.* Filius Dei venit in mundum, tamen consumpto Redemptoris officio ascendit, ac Spiritus sic descendit de cœlo, ut maneat nobiscum in æternum.

Spiritus sanctus permanet in Apostolis, ac suis successoribus.

Pro quo facit, quod ingeniosè notavit Rupertus lib.1.de operibus Spiritus S c.4. quod Christus Dominus de se loquens, de præterito ait Ioan. 8.n.42. *Ego ex Deo processi*: at cum de Spiritu sancto meminit, de præsenti dicit Ioan.15.n.26. *Spiritum veritatis, qui à Patre procedit.* Quæ loca conferens inter se sic ait sapientissimus Abbas: *Notandum, quod de se ipso loquens, præterito hujus verbi tempore usus est, inquiens: Ego ex Deo processi, & veni, itemque alibi: Exivi à Patre, & veni in mundum: De isto autem, scilicet Spiritu sancto, non de præterito, sed de præsenti tempore dixit: Qui à Patre procedit: Etenim aliter ille ipse à Deo processit, nascendo ante sæcula ex substantia Patris, ut conderet mundum, quod semel factum est, sive assumendo carnem, quod itidem semel factum est. Aliter Spiritus iste procedit, cum subiectæ creaturæ gratiam impendit, quod toties fit, quoties vivificat ea, quæ mortua erant, & replet ea, quæ vacua erant antea; amplius autem, atque abundantibus in illa beata vita.* De Filio Dei dicitur de præterito *Processit à Patre.* Explicatur enim ejus processio ad extra, ut conderet mundum, ut factus homo nos redimeret ab omni peccato, quo completo ministerio ascendens in cœlum, sedet ad dexteram Patris; at de Spiritu S. dicitur de præsenti *Qui à Patre procedit*? nam ille nobis est præsentissimus adjuvando, auxiliando, sanctificando, ac replendo suis donis in hac vita semper & in futura gloriæ abundantia. Rupert. Ioan.8. Ioan.15. 81.

Spiritus sanctus præsentissimus Ecclesiæ.

Secundo lex antiqua fuit data in monte Sinaï cum fulgure, & igne. *Descendisset Dominus super eum in igne.* Exod.19. ut jam notavi q.8.n.59. at hodie venies Spiritus S. dat legem Evangelicam in monte Sion; cum hac tamen differentia, quod illa lex antiqua fuit data in Sinaï cum igne, qui omnino non permansit, sed omnino transivit, quia lex illa toraliter transivit, extincta namque, & abolita est: At lex Evangelica datur cũ igne, qui sedet, & permanet; quia lex Evangelica erat duratura usq; in finẽ sæculi, ut Christus D. promiserat, Math.28.n.20. Hinc David ait Ps.81.n.1. *Deus stetit in Synagoga Deorum*, stetit ait, ut notat Agellius tanquam transiens, at in lege gratiæ sedens ob suam durationẽ, & permanentiã, & ideo cum Christus D. incepisset promulgare suam legem, scribit D. Matthæus 5.n.1. Cum sedisset aperiẽs os suũ docebat eos. 82. Exod.19. Lex vetus transivit, lex nova permanet. Math.5.

Tertio: In Sinaï verba legis fuerunt audita, sed transierunt, & non permanserunt, at hodie apud Apostolos, *seditque super singulos eorum.* Verba divinæ legis perduraruntt, ac qui everunt, ideo per totum mundum tam amplum edidere fructum, quia ad fructum divinæ legis, non sufficit tantum, ut auribus percipiatur, sed necessum est, ut multa meditatione in corde retineatur, & opere exeat in effectum. Ait Regius Psalmista Ps.38.n.4. *Concaluit cor meum intrà me, & in meditatione mea exardescit ignis.* Totum se agnoscit inflammatum in Divino amore, & in meditatione legis Divinæ, *exardescit ignis*, & sicut ignis ardens, & exardescens non potest clausus in ullo loco contineri, quin foras erumpat, sic ille ignitus amor ex meditatione legis Divinæ exterius prodit, in multis, & magnis operibus, & verba, quæ ei Deus loquebatur per internam meditationem, illustrissimis factis exequebatur. 83.

Ille audit Dei verba, qui ea opere adimplet. Psal. 38.

Quartò D. Greg. Naz. orat. 45. ait: *In dispertitis linguis appparet, propter gratiarum diversitatem, sedentibus autẽ propter Regiæ dignitatis excellentiam, ejusque super Sanctos requiem, quandoquidem Deus pro throno Cherubinos eos habet.* Venit in tot dispertitis linguis ob multitudinem donorum, sedet ob Regiam excellentiam & super ipsos Apostolos tanquam in throno Cherubini. Ait. D. Ioan. Apoc. 4. n. 2. quòd cum esset sublevatus inquit: *Fui in Spiritu, & ecce sedes posita erat in Cœlo, & super sedem sedens.* Ostendat se Dominus Joanni in ipsa cœlesti curia in pomposa, & ampla majestate, ac in magnifica sede, & in tam magnifica, ac sublimi celsitudine, quibus ejus componatur sedes, an ex lapidibus pretiosis, adamantibus, & margaritis? Minimè, sed ex cœlestibus beatis, ut Author est Rupertus hic, & D. Bernard. serm. 21. in Cant. sic enim ait: *Cœlum, dicente Domino, mihi sedes est, de quo alibi Scriptura, est anima justi sedes sapientiæ, Prophetam quoque non de alio dixisse cœlo arbitror. Tu autem in Sancto habitas Deus Israel*, Psal. 21. n. 4. *Manifestè autem Apostolus dicit Deum habitare per fidem in cordibus nostris.* Ad Ephes. 3. n. 17. 84. D. Naz. Deus habitat in suis Sanctis, ut in throno. Apoc 4. Rupert. D. Bern. Psal 21 Ephes. 3. 85.

Vidit Joannes Christum D. cum magna majestate, ac corona triumphantem de omnibus gentibus, & ait: *Ecce equus albus, & qui sedebat super eum habebat arcum, & data est ei corona, & exivit vincens, ut vinceret*, Apocal. 6. n. 2. Qui non solum vincebat in præsenti omnes gentes, sed & Victurus; Quinam erat thronus, ac equus albus, in quo exibat? Chorus nempe sacrorum Apostolorum, ac prædicatorum. Richardus Victorin. ait: *Equus albus est primitivorum electorũ numerus ab omnibus pariter peccatis in unda Baptismatis purificatus, & donis spiritualibus super nivem dealbatus, qui Christum in primitivis recenter natis prædicatoribus sessorem habuit, & eum ad emittenda jacula Prædicationis per mundum circumtulit.* Vide quæ dixi citato cap. 6. Apoc. q. 3. n. 40. 41. Apoc. 6.

Actor. 2. n. 4. Et repleti sunt omnes Spiritu S. & cœperuut loqui variis linguis, prout Spiritus Sanctus dabat eloqui iliis.

VERSIONES.

Syrus. Repleti Spiritu sanctitatis, & cœperũt loqui lingua, lingua dans erat ei loqui.

Arabicus. Cœperũt loqui linguas alias, prout concesserat eis Spiritus, ut proferrent.

Æthiopic. Repleti Spiritu, & virtute in sermone omnium Regionum.

D. Augusl. Cœperunt pronuntiare.

EXPOSITIO IV.

86. *Repleti sunt omnes.* Qui erant in illa sacra Congregatione fere 120. non quod omnes recepissent æqualem gratiam, sed majorem, vel minorem pro suo officio, dispositione, ac gradu, ad quem ordinabantur: *Spiritu sancto* eos simul sanctificante, ac movente ad prædicationem, & ad profectum aliorum. *Et cœperunt loqui.* Non dicitur loquuti sunt, sed *cœperunt loqui*, quia Apostoli cœperunt, & ipsi per se, ac suos successores prædicabunt usque in finem mundi Dei magnalia.

Prout Spiritus sanctus dabat eloqui illis. Non loquebantur ex proprio affectu, ut ait D. Chrysostom. 87. homil. 4. apophthegmata, id est, alta, & profunda oracula, ac magnas, & eximias sententias; non erant nudæ voces, sed magnis Mysteriis plenæ, divino afflatu, & cœlesti igne inflammatæ.

QVÆSTIO XII.

Quare hic tam alta, & sublimia Mysteria proponuntur, quæ hic per sequentia notabilia explicantur.

PRimum notabile. Secundum phrasim Scripturæ aliqui dicunt pleni gratia, & hos tantum invenio tres, Christum D. *plenum gratia*, Ioan. 1. n. 4. Sanctissimam Deiparam *plenam gratia*, Luc 1. n. 28. & Stephanam *plenum gratia, & fortitudine*, Act. 6. n. 8. Alii multi dicuntur repleti Spiritu sancto. Sic de Ioanne Baptista ab utero Matris suæ, Luc. 1. n. 11. sic Zacharias ejus Pater repletus Spiritu S. Luc. 1. n. 67. & mater Elizabeth exclamat, ibid, n. 33. sic septem Diaconi pleni Spiritu sancto, Actor. 6. n. 3. & 5. Barnabas Actor. 11. n. 24. Petrus Actor. 4. n. 8. Discipuli Actor. 4. n. 31. Paulus Actor. 9. n. 17.

88. Ioan. 1. Luc. 1. Actor. 6. Luc. 1. Luc. 1. Act 11. Act 4.

89. *Quid sit dici plenum Spiritu sancto.* Respondeo quantum capio, quod illi dicuntur repleti Spiritu S. quando eis communicatur primario, & directè aliquod donum ipsius, ut externis prodeat aliquo visibili signo ad bonum, ac aliorum utilitatem? deinde, ac tanquam secundario ad sanctificationem ipsius recipientis, sic & Ioanni Baptistæ Spiritus Sanctus datus est, ut pararet Domino plebem perfectam, sic & Zachariæ, & Elizabeth, ut decantarent, ac publicarent Christi laudes, & Beatæ Virginis Mariæ; sic & Apostolis, ut in præsenti ad conversionem gentium in prædicatione Evangelica.

90. *Quid dicat plenum gratia.* Illi autem dicuntur pleni gratia, quando gratia ipsa eis datur primario, ac principaliter, ob dignitatem, atque excellentiam personæ, secundario, ob utilitatem, ac bonum aliorum; sic Christo D. tanta gratia ei data est, quia erat Unigenitus Filius Dei, & erat ei debita ratione unionis hypostaticæ. Secundario ad explendum officium nostræ Redemptionis: sic & Beatæ Virgini Mariæ data fuit tanta gratia primo, & primario ob suam supremam dignitatem Matris Dei, secundario, ut esset patrona, & advocata nostra: sic item Beato Stephano tanta gratia data fuit, cùm esset inter Christi Discipulos primus Martyrum ad corroborandum ejus animum: secundario, ut exemplum aliis fieret.

SECUNDUM NOTABILE.

91. S. Leo. *Repleti sunt omnes Spiritu sancto*, ut explicat Sanctus Leo Papa sermon. 3. de Pentecost. cujus antea aliquam gratiam participaverunt, nunc verò ejus plenitudinem cum suis donis adipiscuntur, ut rectè, ac cum puritate, & sanctitate sua ministeria adimpleant, ut jam dixi supra quæstione 19 num. 70.

92. *Repleti sunt Spiritu sancto*, non quod omnes æqualem gratiam recepissent, sed unus majorem, alius minorem, unusquisque secundum suum officium, gradum, dignitatem, ac dispositionem: Unde præclarè Richardus de S. Victore in præclaro sermone de Pentecost. agnoscit differentiam inter hæc tria: Infusionem, diffusionem, & effusionem: *Infusio* dum hominem justificat: *diffusio*, dum ita animam occupat, ut nullam ejus partem vacuam relinquat, sed omnes ejus potentias vivificat. *Effusio* verò, dum superfluere, & in alios derivare facit, ut in præsenti factum à Sanctis Apostolis. Richard *Infusio, diffusio, effusio.*

TERTIUM NOTABILE.

Spiritu sancto.

93. Multa congerunt aliqui Expositores de Spiritu sancto, de ejusque processione à Patre, & Filio, ejusque consubstantialitate, in una, eademque numero Natura Divina, quæ omnia pertinent ad Theologos in materia Trinitatis. Quoad ea, quod ad præsentem Textum spectant, adverto, ut jam notavi ex Ruperto tom. 1. in Evangelia lib. 1. cap. 5. q. 47. n. 142. quod in testamento veteri passim dicitur Spiritus Dei, Spiritus Domini, solum autem in Testamento nostro dicitur Spiritus sanctus Luc. 1. n. 15. & n. 35. & in multis aliis locis: Quia in lege nova maximè ejus sanctitas manifestata est, & valde singulariter in Mysterio Incarnationis, quæ est fons, & origo totius sanctitatis, & inde insigniter ex tam Divino opere ipse Sanctus dicitur. *Solum in novo testamento dicitur.* Rupert.

94. Dicitur Spiritus Sanctus, quod nomen Christus D. dedit: *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti.* Math. 28. n. 19. *Tres sunt, qui testimonium dant in cœlo Pater, Verbum, & Spiritus sanctus.* Ita Ioan. 1. cap. 5. n. 8. Ratio hujus nominis est; quia impulsum, seu motionem vehementem, & subtilissimam solemus Spiritum vocare, sicque ventum Spiritum appellamus: *In Spiritu vehementi conteres naves Tharsis*, Psal. 47. n. 8. Sic per translationem ad res corporeas vox pro *Spiritu* sumitur. Cum autem Spiritus S. procedat à Patre, & Filio per actum voluntatis, amoris; actus autem amoris, voluntaris est quidam impulsus vehemens, quo amans fertur in rem amatam, ut in eam transformetur, ac cum ea uniatur; sicut enim id, quod procedit per intellectum, dicitur verbum, sic quod procedit per voluntatem amantem dicitur impulsus, seu impetus, quo amans per subtilissimam amoris penetrationem cum amante connectitur: Cum autem iste actus sit voluntatis, spiritualis est. Hinc ergo tertia persona merito vocatur Spiritus, quia per modum amoris, seu illius impulsus procedit. Ita D. Tho. 1. p. q. 36. & 37. quæ tota doctrina desumpta est ex D. Aug. lib. 5. de Trinit. c. 11. & lib. 15. cap. ex D. Basil. lib. 5. contra Eunom. Math. 28 *Cur tertia persona dicitur Spiritus?* 1. Ioan. 5 D. Tho. D. Aug. D. Basil.

95. Dicitur *Sanctus* tum quia per ipsam Divinam Naturam est ipsamet Sanctitas: Deinde, cum ex vi suæ processionis formaliter sit amor notionalis purus, immensus, ac Divinus, & ipsemet Deus, & Sanctus: hunc suum amorem nobis communicat, dum semetipsum cum charitate creata, quam in nobis infundit. Hinc ait Paulus Rom. 5. n. 5. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.* *Cur Sanctus.* Rom. 5.

NOTABILE QUARTUM.

Qualiter divinus Spiritus in nobis maneat.

96. Cum ipse divinus Spiritus cum gratia, ac charitate nobis communicatur, ipsamet persona Spiritus sancti nobis physicè, ac realiter donatur cum Patre, & Filio, quod constat ex illo Ioan. 14. n. 23. *Si quis diligit me, sermonem meum servabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.* Notanda illa duo verba *Tres divinæ Personæ verè, & realiter in justo.* Ioan. 14.

Veniemus

Ioan. 14. *Veniemus, & manſionem apud eum faciemus*, quod neceſſariò refertur ad tres Divinas Perſonas: *Manſionem faciemus*, in quo denotatur, quod quandiu juſtus in gratia perſeverat, tres Divinæ Perſonæ conſtituunt in eo ſedem, thronum, ac manſionem; Deus enim ſedit, & requieſcit in anima juſti, ut dixi ſuperiori n. 11. n. 84. 85.

97. Non dico, quod Deus ſit in anima juſti per aliquam unionem, ſed per intimam, & ſingularem ſui præſentiam, ac communicationem, per quam reddimur conſortes divinæ Naturæ, ut ait Petrus, ſicut Deus ſuis Beatis in ſua gloria realiter eſt præſens, eiſque ſuam eſſentiam communicat, & eis poſſidendam exhibet; nam, ut ait Suar. ſtatim citandus, ſi Deus non eſſet præſens in anima juſti per eſſentiam, præſentiam, & potentiam, per gratiam, & ſanctitatem inciperet eſſe ibi realiter præſens. Ita D. Thom. 1. p. q. 43. art. 3. argum. 1. D. Leo, D. Ambroſ. D. Aug. quos citat, ac ſequitur Suarez de Deo Trino lib. 12. cap. 5. n. 8. & cum D. Thom. Caiet. Vaſquez, & cum Mag. in 1. diſt. 14. art. 2. quæſt. 1. Scotus, D. Bonaventura.

Deus in anima juſti per manet.

D. Tho. D. Leo. Suar.

98. Ex quo maximè admiranda, ac veneranda ſumma pietas, atque clementia noſtri ſanctiſſimi Salvatoris Ieſu Chriſti, qui abſens in cœlum talem Paracly-tum, ac Spiritum ipſe cum Patre nobis miſit, ut eleganter ponderat D. Auguſt. ſerm. 185. de tempore, & ait: *Quanta, & quam ineffabilis pietas Redemptoris! hominem portavit ad cœlum, & Deum miſit ad terras. Quanta eſt Auctori cura pro inſtauratione facturæ ſuæ! Ecce iterum nova de ſuperna medecina mittitur: Ecce iterum infirmos per ſe ipſam Majeſtas viſitare dignatur: ecce iterum humanis divina miſcentur, id eſt Vicarius ſucceſſor Redemptoris, & beneficia, quæ Salvator inchoavit peculiari Spiritus ſancti virtute conſumet: & quod ille redemit, iſte ſanctificet, & quod ille acquiſivit, iſte cuſtodiat.*

QUINTUM NOTABILE.

Dominum Linguarum.

99. Hoc excellentiſſimum *donum* quatuor importat, *Primò* loquens in una lingua ad circunſtantes diverſarum Nationum, ab unoquoque auditur, & intelligitur, ac ſi in ſuo proprio idiomate loqueretur, v.g. Prædicat D. Angelus Carmelita, D. Antonius Olyſſiponenſis, D. Xaverius Indiarum Apoſtolus lingua Luſitana v.g. coram Æthiopis, Indis, Iaponenſibus, ab unoquoque auditur, ac ſi in propria lingua Æthiopica, vel Indica loqueretur. *Secundò* habitudinē, facultatem, ac promptitudinem ad loquendum in unaquaque lingua, ac ſi in ea fuiſſet educatus. *Tertiò* intelligentiam, cognitionem, atque ſignificationem vocum, ut audiens Græcum, vel Hebraïcum, intelligat ſignificata per ipſas voces. *Quartò*, ut agnoſcat diſtinctionem Linguarum, qualis eſt Hiſpanica, qualis Gallica, vel Germanica.

100. *Donum linguarū in Beata Virgine.*

Si verò quæras an hoc etiam donum linguarum communicatum fuiſſet Beatæ Virgini Mariæ, & etiam aliis mulieribus ibi aſſiſtentibus? Etſi Caiet. neget, affirmandum nihilominus judico, & de ſanctiſſima Virgine apud me eſt certiſſimum; ipſa enim, ut ſæpe dixi ex Sanctis Patribus eſt Magiſtra Magiſtrorum, & Doctrix omnium Apoſtolorum, ac Evangeliſtarum: ergo donis Spiritus ſancti magis repleta eſt, quam ipſi Apoſtoli. Secundò Deiparæ ſanctiſſimæ datum fuit plus gratiæ, ſanctitatis, & juſtitiæ, quàm ipſis Apoſtolis: ergo etiam plus donorum Dei, quàm aliis. Tertiò ſanctiſſima Virgo ex Dei mandato fugit in Ægyptum, Math. 2. n. 14. & illa cum Ægyptiis locuta eſt lingua Ægyptiâ, quæ valde diverſa erat ab Hæbrea, ut de Ioſeph ait Pſalmiſta: *Linguam, quam non noverat, audivit*, Pſ. 80.

Math. 2.

Pſal. 80.

n. 5. ergo jam à principio habuit aliquod donum linguarum, nunc verò luculentius.

101. *Donum linguarū in aliis ibi ſtantibus.*

Quod etiam dico de Magdalena, quæ Maſſilienſibus in Gallia prædicavit, ac de aliis mulieribus, deque aliis Domini diſcipulis ibi aſtantibus, quod colligo ex verbis præſentibus; ait enim Textus, quod adveniens Spiritus ſanctus *replevit totam domum, ubi erant ſedentes.* Ubi illud *replevit totam domum* non referendum eſt ad parietes, ſeu pavimentum, ſed ad perſonas ibi ſtantes, non quod omnes æqualem gratiam, & dona reciperent, ut jam dixi, ſed unus majorem, pro ſuo gradu, officio, dignitate, ac diſpoſitione.

NOTABILE SEXTUM.

In quibus linguis loquebantur Apoſtoli?

102. *Prima ſententia D. Cypr. Arator. Oecum.*

D. Cyprianus ſerm. de Spiritu ſancto, Arator. Oecumen. & alii ſic tenent, quod Apoſtoli loquebantur una ſua lingua patria, quæ erat Syro-Hebræa, quæ erat Syriaca, & Hæbraïca mixta, & à variis gentibus variarum linguarum audiebantur, tanquam ſi unusquiſque in ſua linqua loqueretur, Hiſpano Hiſpanicé, Germano Germanicè, & favet Textus infra n. 11. *Dixerunt quomodo audivimus eos loquentes linguis noſtris.* Implicat ſimul uno eodemque tempore diverſis linguis loqui.

103. *Secunda ſententia D. Cyrill Ieroſol. D. Naz. D. Leo. D. Ambr. D. Aug. D. Greg.*

Secunda ſententia, quam tenet D. Cyrill. Catech. 17. D. Nazianzenus orat. 44. D. Leo. ſerm. 1. de Pentecoſt. D. Ambroſ. in Pſal. 18. D. Aug. tractat. 93. in Ioan. D. Gregor. homil. 30. in Evangel. (& in quam maximè inclinat Lorinus, & Cornel.) affirmat, quod ſacri Apoſtoli, ac fideles viciſſim, ac ſucceſſivè variis linguis loquebantur, & maximè favet Textus *cœperunt loqui variis*: ergo non una lingua, ſed multiplici, pro quo facit lectio Syriaca, *loquebantur lingua, & lingua*, id eſt modo hac lingua Græca, modo Germanica.

104. *In concordia utraque ſententia vera.*

Videtur mihi in bona concordia, ac ſenſu, utraque ſententia vera; nam loqui in una Lingua, & audiri à diverſis nationibus diverſarum linguarum, eſt prima, & magna excellentia inter eas quas habet donum linguarum, quæ conceſſa fuit Beato Angelo, D. Antonio Olyſſiponenſi, S. Xaverio, D. Vincentio Ferrera: ergo non eſt deneganda ſacris Apoſtolis. Secundo D. Petrus hic habuit unam concionem continuam coram omnibus, qui ſub ſole ſunt, ex quibus appoſita fuerunt ad fidem Chriſti ferè tria millia, ut dicitur infra in hoc capite n. 41. ergo in tam ampla multitudine uno idiomate utebatur Petrus, & audiebatur ab unoquoque in ſua propria lingua.

105. Cum hoc tamen ſtat, quod etiam Petrus, aliique Apoſtoli loquerentur aliis etiam linguis, v.g. Chaldaïca, Syriaca, Indica, ac proinde in hac ſacra die Pentecoſtes reſplenduit in illis domum linguarum ſecundum illas quatuor ſpecies, quas habet, & explicavi ſupra Notabili quinto, ut ſic maximè virtus Spiritûs ſancti in eis clareſceret.

NOTABILE SEPTIMUM.

Quot, & quantæ ſint linguæ in toto Orbe, & an Apoſtoli omnium accepiſſent donum.

106. D. Amb. Hugo.

Sacri Apoſtoli omnium linguarum totius Orbis acceperunt donum, ac cognitionem, & loquelam, quia, ut Magiſtri, & Doctores omnium gentium deſtinabantur, ut ita D. Ambroſ. epiſt. 39. Quot autem eſſent linguæ in Orbe? multi Authores, & Cardinalis Hugo tenent eſſe Septuaginta duas juxta numerum Diſcipulorum Chriſti, ita ut pro unaquaque lingua daretur Prædicator unus, & tot eſſent linguæ quot prædicatores.

107. Ex epiſtolis, quæ veniunt ex India, refertur, quod in una parte Indiæ Occidentalis, numerantur ſeptuaginta Linguæ, ita ut unaquæque Civitas habeat propriam linguam ob continua bella inter ipſas Civitates, ut ita ſecretum unius non cognoſcatur ab altera. An verò harum linguarum, quæ poſt Apoſtolos accreverunt, & inventæ ſunt in Orbe, habuiſſent plenum donum, & notitiam? dubitabis. Reſpondeo, quod talium linguarum notitia, cum tunc non extarent, non eſſe neceſſaria ad prædicationem Evangelicam, ac converſionem gentium; ſi tamen hoc concedatur ob magnam, & excellentem dignitatem Apoſtolorum, & abundantiam donorum eis communicatam, non repugnabo.

QUÆSTIO XIII.

Quare Deus in ſuis Apoſtolis tot, & tantas linguas ordinaverit?

108. RAtio eſt manifeſta: quia omnes gentes vocabantur ad Eccleſiam & fidem, quæ omnium linguis erat prædicanda; nam omnibus Deus aperit viam ad ſalutem, & ideo in illa cœleſti Civitate dicitur: *Ab Oriente portæ tres, & ab Aquilone portæ tres, & ab* Apoc. 21 *Auſtro portæ tres, & ab Occaſu portæ tres.* Apoc. 21. n. 13. vide ibi dicta: Nunc quæro rationes aliquas morales.

109. *Ne interpretibus inniteantur.* Secundò, Apoſtolis Prædicatoribus in toto Orbe donum linguarum confertur, ne interpretibus uterentur, ſub quibus multoties multa falſitas latet. Tertio loquuntur omnium linguis ad publicanda Chriſti magnalia. Vide ſupremum Dei conſilium, ut jam notavi tom. 5. in Evang. lib. 8. cap. 14. q. 7. n. 65. Petrus hic infra n. 12. clamat omnium linguis, ut audiretur ab omnibus gentibus ſub ſole: *Audite viri Iſraëlitæ verba hæc: Ieſum Nazarenum virum probatum à Deo in vobis, virtutibus, & prodigiis, & ſignis*: At vero Caïphas ſuo idiomate clamat contra Math. 26 Chriſtum *Blaſphemavit*, Matth. 26. n. 60. & Iudæi ſuo hebræo ſermone vociferant ad Pilatum: *Si non eſſet hic malefactor non tibi tradidiſſemus eum.* Io. 18. Ioan. 18. n. 30. Iudæi unâ linguâ peſtiferâ dicunt Chriſtum blaſphemum, & malefactorem; at Petrus non una linguâ, ſed omnium idiomate teſtificatur Chriſtum Ieſum virum Sanctum, juſtum, ac probatum à Deo: *Quod una mala lingua finxit variis linguis deletur.* Injuria, quam aliquorum depravata lingua finxit, non una lingua, ſed variis linguis expurganda, ac refutanda fuit, & ideo Paulus ait ad Philipp. 2. n. 11. *Omnis lingua confiteatur, quia Dominus Ieſus Chriſtus in gloria eſt Dei Patris.*

110. Secundo ad fabricandum Tabernaculum cum omni magnificentia mandat Deus Moyſi, Exod. 25. n. 3. Exod. 25 *Hæc ſunt, quæ accipere debetis, aurum, & argentum, & æs.*. Si Tabernaculum adſtruebatur cum tanta ſumptualitate, ad quid cum auro, & argento etiam miſcetur æs? ſicut & Salomon ædificans Templum magnis ſumptibus, ut etiam illius *pavimentum intrinſecùs, & extrinſecùs eſſet ex auro*, 3. Reg. 6. n. 29. *Finxit* 3. Reg. 6. 3. Reg. 7. *etiam duas columnas æreas?* 3. Reg. 7. n. 15. Ad quid ergo, ubi erat tanta auri, & argenti copia, quæ in tempore Salomonis tanquam nullius pretii habebatur, ut dicitur 3. Reg. 10. n. 21. ad quid etiam æs? ſub 3. Reg. 10 ære intelliguntur variæ metallorum ſpecies, ut Ciprum: ſint ergo in tabernaculo, ac templo Dei omnia metalla, aurum, argentum, æs, ciprum; hæc quippe metalla, cùm pulſantur, dant ſonum ad modum vocis; ſint igitur in templo Dei, quia ad ornatum Eccleſiæ maximè pertinet multarum vocum, linguarumque varietas. Origen. homil. 13. in Exod. ait: *Opus* Origen. *eſt ære ad tabernaculi conſtitutionem; puto æs accipi pro voce, audi Apoſtolum: ſi linguis hominum loquar, & Angelorum, charitatem autem non habuero, factus ſum velut æs ſonans, aut cymbalum tinniens.* Ita ergo loqui linguis, & interpretari ex alia in aliam linguam, æris oblatio eſt; neceſſe eſt enim omnia habere tabernaculum Dei, & nihil deeſſe in domo Dei.

Varietas linguarum inſervit ad ornatum Eccleſiæ.

QUÆSTIO XIV.

Sacri Apoſtoli repleti Spiritu ſancto quid loquebantur?

COeperunt *loqui magnalia Dei.* Laurentius de laudibus Mariæ Virginis lib. 1. ait: *Repleti ſunt omnes Spiritu ſancto, ecce plenitudo interior; & cœperunt loqui, ecce redundatio exteriùs.* Quia, ut ait D. Gregor. homil. 33. in Evang. *Certè linguis igneis* D. Greg. *apparuit Spiritus ſanctus, quia omnes, quos repleverit ardentes pariter, & loquentes facit.* Iuxta illud, quod dicitur Sap. 1. n. 8. *Spiritus Domini replevit* Sap. 1. *Orbem terrarum, & hoc quod continet ſcientiam habet vocis.* 111. Lauren.

112. Quid loquebantur Apoſtoli? ait Textus *magnalia Dei*, & quæ erant hæc magnalia? Opera nempe Actor. 1. vitæ Chriſti, & ſic ultima verba, quæ D. Ieſus dixit ſuis diſcipulis, ut illorum eſſent teſtes ſuperiori cap. 1 n. 8. ſic & Petrus cum ageret de eligendo Apoſtolo in locum Iudæ ait eodem cap. 1. n. 21. *Oportet ergo ex his viris, qui nobiſcum ſunt congregati omni tempore, quo intravit, & exivit D. Ieſus, incipiente à Baptiſmate Ioannis uſque in diem, qua aſſumptus eſt à nobis teſtem reſurrectionis ejus fieri unum nobiſcum.* Quod valde prompte diſcipuli adimpleverunt; & ſic D. Petrus in concione, quam habuit in præſenti tota *Magnalia Dei Chriſti opera.* fuit de Vita Chriſti, maximè de ejus paſſione, morte, ac reſurrectione, ut patet ex hoc capite à .14. Opera enim Chriſti pro noſtra redemptione ſunt magnalia Dei. Magnus Dominus, & laudabilis nimis, Pſal. 95. n. 4. de quo multa dixi variis in locis.

113 Illud tamen expendo in præſenti, quomodo loquebantur: Ait D. Chryſoſt. in præſenti *Apophteg-* D. Chryſoſt. *mata cœleſtia*, id eſt verba cum elegantia, ac pompa compoſita, & ardentia ad inflammanda, & compungenda corda audientium; ſic etiam ait Oecumenius Oecum. *cœperunt loqui, erant ſcitæ, breveſque ſententiæ, quas linguis variis proferebant*, brevia, ac compendioſa myſteria oracula eructabant, multo tamen decore, ac pulchritudine ornata, ut animos ad ſe devincirent, ac allicerent. *Verbum elegans efficax ad perſuadendum.*

114 In imminente vitæ totius populi periculo, pro ipſius vita, ac ſalute ingrediens Eſther ad Regem Eſth. 14. Aſſuerum cap. 14. n. 13. ſic ad Deum deprecabatur: *Tribue ſermonem compoſitum in ore meo in conſpectu Leonis.* Maleus apud Bibliam Maxim. legit *ſermonem* Maleus. *bene ſonantem.* Prudens Regina non poſtulat ſapientiam in verbo, nec benevolentiam, ac amorem Regis in animo erga ſe, ſed poſtulat ſermonem politicè cultum, atque eleganter ornatum, ut ferveſcentem Regis animum valeat delinire: Prudens Regina apprimè agnoverat quantum apud aulicos ſermonis cultus, decora loquela, ac pulchra, & elegantia verba pervaleant, pro quo facit illud, quod de altera Regina Amalaſunta ait Caſſiodorus lib. 11. vari. var. 15. *Hanc enim dignißimè omnia regna venerantur: quam videre reverentia eſt, loquentem audire miraculum: qua enim lingua non probatur eſſe doctißima nativi ſermonis ubertate gloriatur, excellit cunctos in propriis, cum ſit æqualiter ubique mirabilis.* Ut omnes arctius devinciret eloquentia, quam potentia. *Eloquens lingua efficax ad perſuadendum.*

Cum

115. Cum Deus apparuiſſet Moyſi, ut eum ad Pharaonem mitteret cum multa poteſtate faciendi ſigna, & prodigia, præ humilitate à tanto negotio ſe excuſans, ait, Exod. 4. numer. 10. *Obſecro Domine, non ſum eloquens.* Chaldaicus habet: *Domine non ſum vir eloquens*: Pagninus, *Non vir verborum ſum* D. Ambroſ. Maurulus: *Non vir gracili locutione ſum.* Si tam ampla poteſtas ei committitur ad perpetranda tanta mirabilia cum virga ſua in manu, ut valeat devorare dracones Ægyptiorum, fruſtranea videtur excuſatio, quam proponit ex eloquentiæ defectu, ubi eſt tanta, & tam eximia poteſtas, ad quid eloquentia? Ut dicat *non ſum vir eloquens, non ſum vir verborum:* Alta conſideratione Magnus Gubernator hanc excuſationem prætendit; optimè enim ſciebat, quod res tam ardua, ac difficilis potius erat vincenda, atque agenda fœcunditate verborum, quam dominantis ferrea virga, & cum ipſe ſe antea non agnoſceret eloquentem, & ex colloquio Dei non fuiſſe datam, inde à tali munere ſe retrahit. D. Auguſt. lib. 1. in Exod. q. 7. *Tanquam oſtendens fieri potuiſſe, ut qui antea eloquens non fuiſſet, repente fieri ex quo cum illo Deus loqui cœpit.*

Exod. 4. Chaldai. Mautul.

Actor. 2. n. 5. Erant autem in Ieruſalem habitantes Iudæi viri Religioſi ex omni natione, quæ ſub cœlo eſt.

N. 6. Facta hac voce, convenit multitudo, & mente confuſa eſt, quoniam audiebat unuſquiſque lingua ſua illos loquentes.

VERSIONES.

Syrus Pariſienſ. Commorantes Iudæi, qui timebant Deum.

Arabicus. Ieruſalem degentes Iudæi.

Æthiopicus. Homines electi.

Arta. Ab omni genere eorum.

Alii. Dei Cultores.

Syrus n. 6. Fuit vox illa, congregatus eſt totus populus, & commotus eſt, eo quod audiens erat homo, quod loquentes ipſorum linguis erant.

Arabicus. Cum factus eſſet prædictus ſonus complures illorum ſimul confluentes.

Æthiopicus. Congregati ſunt omnes illi conturbati.

D. Chryſoſt. Percuſſi ſunt.

EXPOSITIO V.

116. *Erant autem in Ieruſalem viri Iudæi habitantes*, vel quia ibi aliqui habebant domicilium permanens, vel quia in curia regali erant ibi negotii cauſa, vel quia ibi aderant ratione Feſti Pentecoſtes juxta legem Exod. 23. n. 17. *Ex omni natione, quæ ſub cælo eſt.* Hyperbola eſt, id eſt ex multis, & variis terris; Nam Iudæi ob multas perſecutiones maximè Antiochi Epiphanes toto orbe erant diſperſi, & ubique degebant, ut etiam nunc degunt; ut ait D. Nazianzenus orat. 44. quod ſupremo Dei conſilio factum eſt, ut tot mirabilium, ac prodigiorum, quæ hic facta ſunt eſſent teſtes, & per diverſas orbis partes narrarent: ita D. Chryſoſt. in præſenti.

D. Naz. D. Chryſoſt.

117. *Religioſi* Cicero lib. 3. de Natura Deorum circa finem exiſtimat Religionem dici à Religendo, ac ſit virtus, quæ tantum pertractat de Deo, & ſolum Deum prælegit cæteris rebus contemptis; D. verò Auguſt. lib. de vera religione ad finem docet Religionem dici à religando tanquam, ac ſit hæc virtus veluti quoddam vinculum, quod nos Deo alligat, & religat, ut ſoli Deo totis viribus ſerviamus.

Cicero. *Religio à religando.* D. Aug.

Viri Religioſi Syrus vertit *Timentes Deum.* Æthiopicus homines electi, Alii *Dei Cultores*, inter quos numerantur filii, ac diſcipuli Eliæ, & Eliſæi, ita multi antiquiſſimi, & graviſſimi Authores, ut Ioannes Ciminet, Ioannes Groſſi, Venerabilis Pater Soreth, Palæonydor, & alii, quos citat, ac ſequitur M. Leſana tom. 1. Annal. ad annum Chriſti 34. num. 33. fol. 718. quibus accedit ſapientiſſimus Magiſter Ioſephus Andres ex Sacra Societate Ieſu Decor Carmel. Decore 59. num. 324. fol. 432. & maximè facit pro hac ſententia, id, quod legitur in quarta lectione ad matutinum in feſto commemorationis B. Virginis de Monte Carmelo 16. Iulii, quæ ita habet: *Cum Sacra Pentecoſtes die, Apoſtoli Cœlitus afflati variis linguis loquerentur, & invocato auguſtiſſimo Ieſu nomine, mira multa patrarent, viri plurimi, qui veſtigiis Sanctorum Prophetarum Eliæ, Eliſæi inſtiterant, & Ioannis Baptiſtæ præconio ad Chriſti fidem comparati, &c. Evangelicam fidem confeſtim amplexati ſunt.* Quæ lectio multipliciter fuit examinata, & approbata à Sacra Congregatione, & confirmata à ſummis Pontificibus Paulo V. Urbano VIII Alexandro VII. Clemente X. ergo cum aliis viris, qui ad Cœnaculum concurrerunt, fuerunt etiam iſti Diſcipuli Eliæ, & in hujus rei memoria eſt antiquiſſima conſuetudo in Religione Carmelitana, quæ memoriam hominum excedit, quod omnibus diebus ante Miſſæ exordium decantatur Antiphona: *Veni ſancte Spiritus, &c.* cum oratione *Deus, qui corda fidelium, &c.*

118. Syrus. alii. Diſcipuli Eliæ. Ioan. Cim. Ioan. Groſſi. Leſana. Ioſeph. Officium Carmelitan. Paul. V. Urban. VIII. Alexand. VII. Clemens X. *Antiqua conſuetudo.*

Facta autem hac voce, quæ fuit, ut legit Syriacus verſ. 1. tanquam ſonus, & ſeu ſtrepitus vehemens, ſive à vento, ſive ab alia re exciratus, dicitur vox in ſcriptura, ſic quando Deus dedit legem in Monte Sinaï dicitur Exod. 19. cœperunt fulgura, & tonitrua, de quo agens Regius Vates inquit Pſal. 17. num. 14. *Altiſſimus dedit vocem ſuam grando, & carbones ignis* pro tonitru poſuit vocem 115. & 1. Reg. 12. num. 17. convenit nempè ad Cœnaculum *multitudo magna* & valde magna; nam ex ipſa multitudine converſi ſunt ad fidem tria millia *mente confuſa eſt.* Æthiopicus *conturbati ſunt.* D. Chryſoſt. *Perculſi ſunt*, admiratione, ſtupore, ac timore tam inſoliti prodigii, ut inquiunt Vatablus, & Caietanus, neſciebant, & non poterant capere ob quod tam inſolita mirabilia fierent cùm audiretur tantus ſtrepitus in Cænaculo, qui tot mirabilia hominum voluit congregare, tum quia audiebant eos loquentes lingais ſuis.

119. Exod. 19. Pſal. 17. Æthiop. D. Chryſoſt. Vatabl. Caietan.

Actor. 2. n. 7. Stupebant autem omnes, & mirabantur dicentes; Nonne ecce omnes iſti, qui loquuntur Galilæi ſunt?

N. 8. Et quomodo nos audivimus unuſquiſque linguam noſtram, in qua nati ſumus.

VERSIONES.

Arabicus n. 7. Et attoniti erant.

Syrus. Dum diceret unus ad unum.

Æthiopic. Conturbati ſunt, & mirati ſunt.

S. Proſper Nonne ſunt natione Galilæi?

Syrus n. 8. Sumus audientes homo, homo.

Æthiop. In ſermone regionum originis noſtæ

Oecumen. Audivimus eos quiſque in ſua propria lingua.

S. Proſper. Agnoſcimus in eis ſermonem.

EXPOSITIO VI.

120. Caterlin. *Tupebant omnes*: de cordis ſtupore interpretatur Gloſſa Interlinealis, rapiebantur extra ſe tanquam in extaſim, *& mirabantur*, Divina opera, ut etiam Philoſophi non agnoverunt, tum ob ſui magnitudinem, tum quia eorum cauſas, ac fines non poſſumus rimari, cum tranſgrediantur ordinem naturæ: Dicentes *unus ad unum*, ut habet Syriacus, id eſt unus ad alterum. Galilæi ſunt: Lingua Galilæa erat maximè rudis, ac tarda ad pronuntiationem, & valde difficilis ad alias linguas addiſcendas, ac proferendas.

rus.

121. Syrus. Verſ.8. *Et quomodo nos audivimus*, Syriacus *habet homo, & homo*, id eſt quilibet noſtrum, audivimus linguam noſtram, ſubintelligitur loquentes. *In qua nati ſunt*, id eſt vox eorum clarè, & diſtinctè ſonat, ac refert linguam uniuſcujuſque noſtri, cum ſimus tantarum, ac diverſarum nationum.

Actor. 2. *n.*9. Parthi, & Medi, & Ælamitæ, & qui habitant Meſopotamiam, Judæam, & Cappadociam, Pontum, & Aſiam.

*N.*10. Phrygiam, & Pamphiliam, Ægyptum, & partes Libiæ, quæ eſt circa Cyrenen, & Advenæ Romani.

*N.*11. Iudæi quoque, & Proſelyti, Cretes, & Arabes, audivimus eos loquentes noſtris linguis magnalia Dei.

VERSIONES.

*Syrus n.*9. Qui habitant inter fluvios.

Æthiopic. Medium fluminum.

Arabicus. Noſtram inquam nempè linguam Parthorum, &c. & habitantium in Inſula Meſopotamia.

*Oecumen. n.*10. Qui eſt finitima Cyrenæ, illi verſantes Romani.

Syrus. Qui venerunt è Roma.

S. Chryſoſt. Præterea qui hic agunt Romani.

*Arabicus n.*11. Iudæorum huc confugientium

S. Syrus. Mirabilia Dei, ſeu miranda facinora.

D. Chryſoſt. Proſelyti noſtrarum linguarũ proprietatibus loquentes magnificentias Dei.

EXPOSITIO VII.

122. Verſ.9. *Parthi* Incolæ ſunt apud Aſiam Scythicam, grandes Romanorum inimici, arcu, & ſagitta valde potentes, & ſic dicti, quia à Scythis ad Medos profugerunt, indeque nomen acceperunt; quia Parthi lingua Scythica exules dicuntur, ut teſtatur Iuſtinus lib.2.cap.42. & ab exulibus Scytharum, & Parthorum imperium eſſe deductum.

Juſtin.

123. Joſeph. D Hier. *Medi* Habitatores latiſſimæ Regionis Aſiæ, nomen eis ſic inditum à ſuo Authore, ſeu conditore à Medo Medeæ, & Ægæi filio, ut vult Strabo lib.11. cap.1. antiquitatum; ſeu à Mado, Madai filio Iaphet, ut tenet Joſephus lib.1. antiquit.cap.14. & D. Hieronym. in Actis Apoſtolorum, qui ſic ait: *Medi à Madai filio Iaphet appellati; ſunt enim inter flumen Indum, & flumen Tigrim Regiones iſtæ à monte Caucaſo uſque ad mare Rubrum pertingentes, Araciſſa, Parthia, Aſſyria, Perſis, & Media, quas Scriptura Sacra univerſas ſæpè Media nomine vocat.*

134. Ælamitæ ait Pamelius in Tertullian. lib.1. contra Judæos, eſſe Perſas ſic nuncupatos ab Elam filio Sem, & confirmat has tres gentes ſic eſſe ordine diſpoſitas, quia vicinæ ſunt inter ſe, & ut teſtatur D. Hieronym. de Viris Illuſtri. in Thoma. D. Thomam Apoſtolum prædicaſſe Evangelium Chriſti Parthis, Medis, & Perſis Geneſ.10.num.22.& 1. Paralipom. cap.1. num.17. Ælam primus nominatur inter filios Sem.

D Hier. Gen 10. 1 Paralip.1.

225. *Qui habitant Meſopotamiam.* Meſopotamia deducitur à nomine Syriaco, & idem valet, ac *inter fluvios*, ac proinde nominis ethimologia, idem eſt, ac *interamniam*: eſt Regio latiſſima inter Tigrim, & Euphratem, eſtque valde celebris, quia fugiens Abraham de Ur Chaldæorum in ea habitavit, & ibi ex mandato Dei peregrinavit Geneſ.11.n.31.& 32.& Geneſ.12. num.2. in ea etiam habitavit Adamus, ut tenet Perera.

Gen 11. Gen 12.

126. *Judæam*, eſt pars Paleſtinæ inter fluvium Euphratem, & mare Ægyptium valde celebris, de qua ferè ſemper hic agimus. *Et Cappadociam*: Pontica Regio eſt in capite Syriæ ad Septentrionem: ejus Regia Civitas prius Mazaca, poſtea Cæſarea à Claudio Tiberio Cæſare dicta eſt, in ea ſedit D. Baſilius, qui & Cappadox fuit, ſic & Nazianzenus.

D. Baſil. D Nazi.

127. *Pontum* De quo ſic ſcribit D. Hieronym. de locis Hebraïcis: Regio eſt *multarum gentium, juxta mare Ponticum, quod Aſiam, Europamque diſterminat.* In Aſia Minori ſita eſt, & Aſia, quæ tertia pars eſt Orbis, ſua magnitudine duabus aliis Europæ, & Affricæ æqualis, indeque ipſa eſt dimidia pars Orbis, & ideo dividitur in duas partes, Aſiam Majorem, & Minorem: Hugo hic intelligit Aſiam minorem, in qua regnat Turcæ Imperium, & quia hæc pars Minor continet ſub ſe Cappadociam, & Phrygiam, quæ tanquam diſtinctæ partes hic ponuntur, ideo hîc venit intelligenda alia pars major, quæ dicitur Propontica, de qua Ptolomæus lib.5.tabul.1. Aſiæ cap.1. Salmeron, Lorinus, Sanchez, & Cornel.

Hugo. Ptholo. Salmer. Lorinus. Sanch. & Cornel.

128. Verſ.10. *Phrygiam, & Pamphyliam.* Sunt duæ Regiones in Aſia Minori: *Ægyptum*, eſt notiſſima Regio Aſiæ Majoris juxta Africam; *& partes Libiæ*: Libia aliquando ſumitur pro tota Africa; hîc verò ſumitur pro illa, *quæ eſt circa Cyrenem*: Eſt enim *Cyrene* urbs præcipua ejuſdem Libiæ, an verò ab hac civitate fuerit ille Simon Cyrenæus, qui cum Chriſto D. portavit Crucem dubitatur; quia triplex eſt civitas hujus nominis, de quo egi tom.5. in Evangel. lib.8.cap.12. q.9. num.54. Origenes, Franciſc. Lucas dicunt de hac civitate de qua agimus. *Advenæ Romani*, Lorinus, & Cornel. exponunt de Iudæis, qui venerunt Roma, ſed cùm ſequenti verſu de Iudæis advenientibus ex diverſis partibus fiat mentio, & ſicut in præſenti nominantur homines ex variis nationibus, ſic & Romani advenæ ex Roma extranei, maximè quia Pilatus Romanus erat, & Centurio.

Lorin. Cornel.

129. Verſ.11. *Iudæi quoque*: Lyranus, & Caietanus intelligunt illos, qui erant ex tribu Iuda, ſed quia ſupra mentionem fecit de his, *qui habitant Iudæam*, qui in Ieruſalem erant commorantes, hîc ſimpliciter agit de illis Iudæis, qui venerunt ex diverſis partibus, vel religionis, ſeu negotii cauſa, ſive hi eſſent Iudæi, ſive ex Iudæis nati.

Lyran. Caiet.

130. *Proſelyti.* Vox eſt græca, & idem valet, ac Advenæ, ſeu adventitij; & hi ſunt, qui erant ex Gentibus, & Iudæis aggregati ſunt in religione, vel etiam Gentiles, qui adhuc in ſua ſuperſtitione perſeverabant, videntes tanta mirabilia cum cæteris concurrerunt ad Cœnaculum.

131. *Cretes*, Creta Inſula eſt, quæ nunc *Candia* nuncupatur,

patur, mare undique cingitur, centum oppidis illuſtriſſima, & ideo à nomine græco, quod centenarium dicit, Creta appellatur; & ut teſtatur D. Hieronymus de locis ex Actis Apoſtol. Prima hujus metalli inventio utilitas fuit. D.Hier.

132. *Arabes*, hoc eſt ex Arabia, quæ ob ſui amplitudinem triplex eſt, una, quæ dicitur *Petrea* ab ejus principali urbe ſic dicta. Secunda *Deſerta* ob illius latiſſimas ſolitudines. Alia, & tertia Felix Arabia pecorum Camelorum multum abundans, de quo multa abundanter ſcribunt Strabo, Diodorus, Plinius, & alii, ex qua fuerunt Magi, qui venerunt Chriſtum adorare. Strabo Diodor. Plinius.

133. D.Lucas in his nationibus non ſervavit ordinem; nam ponit Cretes, & Arabes, qui valde remoti ſunt à Cretenſibus, ſicut & Perſæ, ac Medi à Judæis, fortè ne eſſet querela, quod unus prior alio nominaretur, & ut denotaret, quod omnes iſtæ nationes promiſcuè erant audientes Apoſtolos loquentes variis linguis.

Act.2.n.12. Stupebant autem omnes, & mirabantur ad invicem dicentes, quidnam vult hoc eſſe.

N.13. Alii autem irridebant dicentes, quia muſto pleni ſunt iſti.

VERSIONES.

Syrus.n.12. Admirantes erant omnes, & obſtupeſcebãt cum diceret unus ad unum: cujus eſt hæc voluntas.

Arabicus. Quid fortaſſis eſt hoc?

Tigurina. Hæſitabant omnes.

Æthiop. Conturbati ſunt omnes, & hæſitaverunt, quid dicerent, & diſputaverunt.

Syrus Regius. Quid hoc res eſt.

Syrus n.13. Iſti multum biberunt, & inebriati ſunt.

Arabicus. Homines autem alii deriſerunt eos, &c. Sanè iſti muſto temulenti ſunt.

D Chriſoſt. Subſannabant eos.

Arias. Cavillantes eos

D. Auguſt. Muſto onerati ſunt iſti.

Aliqui. Uva dulci pleni erant iſti.

EXPOSITIO VIII.

134. Tigurin. Arabicus Syriacus. Verſ.12. *Stupebant autem omnes, & mirabantur* Tigurina, Arabicus *hæſitabant.* Dubitabant tanquam inopes conſilii. *Dicentes*, Syriacus, *unus ad unum*, nempè unus ad alterum: *Quidnam vult hoc eſſe*, quidnam portet, & ad quid tendat tam nova, & inaudita res, non antea in tota Scriptura viſa, ut tam variis, ac diverſis linguis iſti loquantur.

135. D Chryſoſt. Arias. Syrus. Arabicus Verſ.13. *Alii autem irridebant.* D. Chryſoſt. *ſubſannabant*, & fortè hi erant ſcribæ, & Phariſæi, qui ſicut crudeli odio ferebantur in Chriſtum, ſic in ejus Diſcipulos. Arias legit *Cavillantes* quod denotat dicere cum malitia, ac dolo, & fraude. *Muſto pleni ſunt iſti.* Syrus *Inebriati ſunt*, Arabicus *temulenti*, & dicunt *muſto*, non vino, ſed muſto, quod eſt valde turbidum, fœculentum, quod ſolum ab hominibus vilibus, & infimæ conditionis præ multa gula bibitur, & magis inebriati malitia multum obcæcat, pleni muſto, cum eſſet menſe Maij, in quo non ſunt uvæ, nec muſtum.

QUÆSTIO XIV.

Quare iſti maligni dicunt Apoſtolos ebrios per contumeliam, cum diverſo, & altiori ſenſu à Divino ſpiritu dicantur ebrii.

EBrietas dupliciter ſumitur in Scriptura, ut doctè notat Mendoça tom.1. in cap.1. Regum Annotat.11.ſect.1. num.11. in bonam, & malam partem; in malam partem Iſai.28.num.1. *Væ Coronæ ſuperbiæ ebrius Ephraim.* In bonam partem Cantic.5.num.1. *Bibite, & inebriamini chariſſimi*, & aliis in locis ſtatim adducendis. 136. *Duplex Ebrietas.* Iſai.28. Cant.5.

Per contumeliam dicunt Iudæi de Sacris Apoſtolis Ebrii ſunt iſti. D. Cyrill. Hieroſolym. Catecheſ. 17. *Verè dicunt Iudæi, ſed irridendo: Novum enim verè erat illud vinum novi teſtamenti gratia, ſed novum hoc vinum eſt à ſpirituali vinea, quæ jam antea ſæpè in Prophetis fructum ferebat, & in novo teſtamento refloruit.* Et latè proſequitur S. Pater; Paſſim in Prophetis Domus Iſrael dicitur *Vinea Domini Sabaoth*, hæc tamen vinea omnino emarcuit, & arefacta eſt, ſed in novo teſtamento refloruit in Chriſto Ieſu, qui eſt vitis vera, cujus nos palmites ſumus. 137. D. Cyril. *Chriſti inimici contra ſuam intentionẽ vera dicunt.*

Inter Ebrietatem corporalem, & ſpiritualem multæ ſunt differentiæ. Primò D. Cyrillus cit. ait *Ebrietas ſpiritualis omnino contraria corporeæ ebrietati; hæc cognatorum inducit oblivionem, hæc verò ignotorum notitiam donat*, D. Ambroſ. lib. de Elia, & jejunio cap.16. poſt multa de Ebrietate ita: *Hæc ſenſus hominum mutat, & informat, per hanc fiunt ex hominibus equi adhinnientes.* D. Bernard. lib. de modo bene vivendi cap.25. ait: *Ebrietas corpus debilitat, mentem illaqueat, generat perturbationem mentis, Ebrietas auget furorem cordis, Ebrietas nutrit flammam fornicationis, Ebrietas ita alienat mentem, ut homo neſciat ſemetipſum, &c. nec eſt aliud Ebrietas, quam manifeſtus Dæmon.* D. Chryſoſt. homil. 57. ad Populum Antioch. ait: *Ubi ebrietas, ibi Diabolus, ubi turpia verba, ubi ſaturitas, illic Dæmones choreas agunt.* 138. D. Cyril. D.Ambr. *Ebrietas omne malum, ac diabolum ſecũ adducit.*

At verò Ebrietas ſpiritualis valde eſt in oppoſito genere; ſicut enim Ebrius vino eſt incarnatus Diabolus, & totus ſe præcipitat in terram, in eo Diabolus choreas agit: Ebrietas ſpiritualis facit Angelos Iſai.8. num.2. *Ite Angeli veloces* & relinquentes terrena tota mente, ſuiſque omnibus potentiis tendunt in Deum Iſai.6. num.8. *Qui ſunt iſti, qui ut nubes volant, quaſi columbæ ad feneſtras ſuas & cum eis Deus agit diem feſtum, & lætitiæ.* Pſalm.75. n.11. aliquæ tamen ſunt analogiæ inter unam, & alteram ebrietatem, de quibus breviter. 139. *Ebrietas ſpiritualis multum diſtat.* Iſai.18. Iſai.6.

Primò; Ebrietas corporalis privat hominem à mente ſua naturali, ingerit in eo oblivionem omnium temporalium; & veluti inſenſibiles reddunturs, ardentque furore, ac flamma ardoris vino pleni, & de nulla alia re delectantur: Ebrietas verò ſpiritualis divino ſpiritu hæc omnia importat, diverſo tamen genere. Ait Divina ſponſa: *Comedite amici, & bibite, & inebriamini chariſſimi.* Cantic.5. num.1. non bibentes, ſed inebriatos vocat chariſſimos, per quos Caſſiodorus intelligit contemplaturos, qui abſorpti in Dei meditatione, nil temporale cogitant, *Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ* Pſal.35. n.9. 140. Analogi. Cant. 5. Caſſiod. *Contemplatio.* Pſal. 35.

Secundò *Inebriamini* Philo Carpatius intelligit Sanctos Martyres, qui ita Dei gratia erant fortes, ac conſtantes in martyrio, ac ſi forent impaſſibiles *Calix meus inebrians, quam præclarus eſt.* Pſalm.22. num.5. quod de Calice Paſſionis, quem ſancti mar- 141. Philo. Carpat. Martyr. Pſal.22.

tyre-s

D. Lau. Iustinianus. tyres propinant intelligit D. Laurent. Iustin. qui de Triumphali Christi agone cap. 7. ait: *Quomodo non inebriat meditantem, cum amor ipse inebriet patientem.*

142. Orgelit. D. Anselm. Doctores, ac Prædicatores. Mic. 2. *charissimi.* Tertiò *Inebriamini*: Orgelitan. & D. Anselmus intelligunt Doctores, ac Prædicatores, qui flamma Divini amoris succensi ob animarum salutem, per antra deserti, per vias insolitas, & per asperrimos montes incedente, & omni commodo contempto peregrinantur, ut de eis in sensu mistico dicatur illud Mich. 2. num. 11. *Stillabo tibi in vinum, & in ebrietatem*, de quibus ad literam intelligit D. Gregor. Papa citatum Cantic. locum, & post multa scribit: *Quid profecto isti, quid aliud agunt, nisi bibentes inebriantur & dum omnium terrenorum per desiderium obliviscuntur, jure à sponso cœlesti, non tantum amici, sed charissimi vocari mereantur.*

D. Greg.

143. Quartò: *Inebriamini* quod de Sacra Eucharistia, ut supremo omnium Cœlesti epulo, in quo animus satiatur, & impletur omnibus spiritualibus donis. Pabulum Sacra eucharistia. Ita in prædictum Cantic. locum D. Cyprian. epistol. 63. ad Cecilium, & ait: *Quia ebrietas Dominici Calicis, & Sanguinis, non est talis qualis vini sæcularis, cum diceret Spiritus Sanctus in Psalm. Calix tuus inebrians addidit quam peroptimus*, quod scilicet Calix Dominicus sic bibentes inebriet, ut sobrios faciat, ut mentes ad spiritualem sapientiam redigat, ut à sapere isto sæculari ad intellectum Dei unusquisque respiciat, *& quemadmodum vino isto communi mens solvitur, & anima relaxatur, & tristitia omnis deponitur, ita & poto Sanguine Domini, & poculo salutari deponatur memoria veteris hominis, & fiat oblivio conversationis pristinæ sæcularis, & mœstum pectus, ac triste, quod prius peccatis angentibus premebatur, divina indulgentia lætitia resolvatur.* Ebrietas spiritualis ex Sacra Synaxi secum affert omnia bona cœlestia, infert oblivionem terrenorum, confortat animum; & dat jucunditatem cordis.

D. Cypr.

144. Quintò *Inebriamini*: Ebrietas temporalis facit hominem denudari suis vestibus, illasque à se abjicere: Ebrietas spiritualis, de qua loquitur sponsa sancta, juxta D. Bernard. facit hominem amore inflammari, ut mediante divina gratia se valeat denudare, ac mundare à peccatis, & ad hoc tendit id, quod dicitur Tren. 4. num. 21. *Inebriaberis, atque nudaberis.* D. Ambros. serm. 73. de S. Cypriano sic ait: *Ebrietas illa magis sobrium facit, quæ enim inebriatur cœlesti gratia nudatur sarcina peccatoris.*

D. Bern. Tren. 4. D. Ambr.

145. D. Laur. Iustinia *Christus in cruce inebriatus amore.* Gen. 9. Marc. 3. Tandem D. Laurentinus de Triumphali Christi agone cap. 7. *In Noe ebrio à vino, ac nudo in tabernaculo.* Genes. 9. num. 22. Christum Dominum figuratum amore inebriatum; & in cruce nudatum intelligit & sic ait S. Pater: *Amore* ebrius mediator suam coram omnibus exhibuit nuditatem, aliter equidem Noë præfiguratus. Quod confirmatur ex his, quæ scribit D. Marc. cap. 3. num. 20. *quod Christus* Dominus, & discipuli ejus *veniunt ad domum, & convenit iterum turba ita ut non possent, neque panem manducare, & cum audissent sui exierunt tenere eum, dicebant enim, quoniam in furorem versus est.* Ad quæ verba citato loco Marc. tom. 6. in Evangelia varias apposui expositiones, illa verior, quod videntes discipuli Christum D. maximè amore hominum inflammatum, & totum impensum in eorum salutem docendo, illuminando, sanando infirmos, & sui, ac suorum valde oblitus, ita ut jejunus totam transiret diem, inde dicebant vi amoris in furorem esse versum, cum nec de se, nec de suis curaret, sed totus aliorum saluti esset impensus, inde dicebant. In furorem est versus, Syrus legit, dicentes: *Quoniam à se exisse.* Persicus: *Hic quidem est intellectu excessus.* Syrus. Persicus

QVÆSTIO XV.

Quare isti improbi audientes Apostolos magno miraculo in omnium linguis loquentes, dicunt ebrios.

146. *Alij autem irridentes dicebant, quia musto pleni sunt isti.* Magnum, & stupendum miraculum, quod homines Galilæi subito omnium linguis loquerentur, & loquentes unâ suâ linguâ patriâ, ab omnibus nationibus, quæ sub cœlo sunt, ab unoquoque audirentur in sua propria lingua Græca, Germanica, Indica: Quid ebrietatis cum omnium linguarum peritia? quis unquam in ebrio talia animadvertit? potius insaniunt ipsi suâ depravatâ linguâ; & augetur difficultas, quia, ut ait Oecumenius, ipsi bene intelligebant, ibi esse aliquod donum, utpote quod viribus humanis fieri non posset. Ad quæstionem.

147. Primò maximè considerandæ suprema, & alta Dei Providentia, quòd permisit horum iniquorum injuriosa dicteria dicentium; *musto pleni sunt isti*, ut inde data occasione Petro hanc calumniam refutante, maximè Apostolorum virtus patefieret, ac manifestaretur, cum tam variarum linguarum donum, solum ex virtute Spiritus Sancti provenire posset, qui in Apostolis habitabat, ut Apostoli ipsi in omnium æstimatione, atque opinione maximè venerabiles essent, eorumque virtus ore omnium præclara celebraretur; ex sermone enim D. Petri tria millia conversi sunt, & ut dicitur infra: *Fiebat autem omni animæ timor, & metus erat magnus in universis*, & exinde in tanta reverentia erant Apostoli, ut eos non solum boni, sed etiam mali multo timore, ac tremore revererentur, & ut valde honorabiles recolerent, D. Chrysost. homil. 7. in Acta ait: *Neque ut vulgares homines despiciebant, meritaque corrupti sunt metu, & testificabantur dictis signa, quæ videbant.* *Ex maledictis impiorum datur occasio, ut virtus manifestetur.*

148. Secundò dicunt isti maledicti *musto pleni sunt isti*, cur non dicunt vino pleni sunt isti, sed tantum musto? maximè, cum hoc esset dictum mense Maij, in quo uvæ adhuc non sunt maturæ, nec datur mustum, quomodo ergo adstruunt: *musto pleni sunt isti?* Inter vinum, & mustum hæc datur differentia: mustum quid recens, ac modo quid ab uva expressum dicit: at vinum jam notabile tempus interpositum involvit, unde quamvis isti maledicti nescirent quid dicerent, divino tamen afflatu loquuntur; quia Charitas Apostolica, ita pro omni instanti, ac momento erat fervida, ac si tunc esset nova, ac recens, modo incipiens, ut denotat mustum, & nihil in ea extenuatum, ac remissum à suo principio, ut reperitur in vino, ut præclarè notavit Gilbertus Abbas serm. 19. in Cantic. & ait: *Musti præfert amor insigne, quod nativitatis suæ fervore quodam, & velut ætatis lascivia excrescit, & superfluit, cani nescius, & novo semper efferveſcit affectu* mustum hoc habet, quod tanquam quid recens semper efferveſcit, & ideo optime in eo præfiguratur ingens amor, qui semper novis efferveſcit affectibus, perfecta enim charitas nunquam senescit, sed semper novis fructibus refloreſcit. Vide tom. 5. in Evang. lib. 7. cap. 9. q. 3. n. 20. 21. *Perfecta charitas non senescit, sed semper recenter floreſcit.* Gilbert.

149. Oecum. Tertiò Oecumenius in præsenti ait: *Manifestum est quod ipsi irrisores intelligebant, & maximè coram habentes eos, qui rem miraculo adscribebant, & tamen ipsi calumniabantur.* Nota sequentia: *Intellige-*

bant quidem, verùm non placebant eis, quæ dicebantur, multis ſiquidem moris eſt, quibus non arridentquæ dicuntur, ut dicentem inſanire, aut decipere arbitrentur. Magna, & alta myſteria eructabant Sabitrentur. cri Apoſtoli magno, & ſtupendo miraculo, tum ex vehementi ſono facto, tum ex dono tam diverſarum linguarum, quomodo eos dicunt maledicti ebrios, nam talis nihil dicit ad rem, ſed omnia deliramenta: *Non placebant eis, quæ dicebantur*, ea, quæ contra proprium guſtum dicuntur, tanquam in deliramenta converruntur; nam grata, vel ingrata rei plauſibilis officina eſt. *Multis moris eſt, quibus non arridentquæ dicuntur, ut dicentem inſanire, aut decipere arbitrentur.*

Si non placent quæ dicuntur ut inſaniahabeantur.

150. Idem Oecumenius ait: *Malitia, quæ ex nimia pravitate eſt, à nullo alio, quam ab ipſa perverſitate procedit, ut quoquo modo inveniat, quo præſens bonum abſorbet, ac pellat*; Nota ſequentia: *Omne itaque negotium qualitati adſcribunt, dicentes, muſto pleni ſunt iſti*; *Improbitas namque id unum quærit, ut quoquo modo aliquid dicat, non ut rationale quidpiam dicat.* Ut notat citatus Author datus numero antecedenti, Apoſtolos, ut ſapientes, & magno diverſarum linguarum miraculo operantes bene intelligebant, tamen ebrios dicunt; Nam irrationalis malitia fervens, ſemper ad detrahendum aliquid fingit, ad ſuum venenum effundendum, & nunquam etiam in evidenti requieſcit, ſed ſemper quærit aliquid, quod malevole dicat.

Oecum.

Improbitas ſemper quærit quod malevolè dicat.

151. De Caſtiſſimo Joſepho dicitur Geneſ. 37. num. 2. *Accuſavit fratres ſuos apud Patrem crimine peſſimo*: Ita legunt apud Bibliam maximam aliqui. *Detulerunt Ioſeph de peſſimo crimine apud Patrem ſuum Iſrael*: Quomodo hæc poſſunt cohærere, quaſi Ioſeph fratres ſuos non accuſaſſet, ſed fratres eum accuſaverint; ut enim habet Theodoretus; Videntes namque fratres illuſtriſſimas virtutes Ioſeph, & quod in multis eos præcellebat, eorum impatiens invidia multas chimæras fingit, ac fabulas componit, ut aliquid ad calumniam dicat, & obmurmurare valeat. D. Chryſoſt. homil. 61. in Geneſ. ait: Vide malitiæ eminentiam, etiam patris charitatem perturbare intendebat, & quæ non erant fingunt contra fratrem, ſolum, ut invidia ſua expleri poſſit: ſemper malevola lingua contra viros ſanctos armatur, ut quocumque modo obmurmuret, ac aliquid calumnioſum dicat.

Geu. 37.

Malevola lingua ſemper fingit ad murmurandum

D. Chryſoſt.

152. Compone inter Chriſti hoſtes, & Arrianos: Iudæi Chriſtum crucifixerunt, Lancea vulneratunt, flagellis cæciderunt, & malefactorem dixerunt; Arriani ejus Divinitatem negabant, eum puram creaturam affirmantes, & non, quæ Dei ſunt, ſed hominis illi attribuebant: qui crudeliores hoſtes? Noſter D. Cyrillus Alexandrinus in cap. 4. Ioannis: *Quid autem rurſus Arriani, adverſus quos meritò dicere poſſumus: Sodoma juſtificata eſt à vobis, qui Iudæorum inſaniam exceſſerunt, ab illis Chriſtus Crucifixus eſt, ab iſtis ineffabilis naturæ verbum blaſphematur.* Malitia Iudæorum contra Chriſtum, ut hominem ſe oppoſuit, at Arrianorum nequitia contra ipſum ut Deum ſe erexit, ejus Divinitatem abnegans, multa fabricans figmenta, ac contra ipſum Deum armatur multa depravata componens, ut dicere quid habeat: *Ab iſtis ineffabilis natura verbum blaſphematur.*

D. Cyrill. Alexand.

Malevola lingua etiam contra Deũ armatur.

Actor. 2. n. 14. Stans autem Petrus cum undecim levavit vocem ſuam, & locutus eſt eis: Viri Iudæi; & qui habitatis Ieruſalem univerſi, hoc vobis notum ſit, & auribus percipite verba mea.

N. 15. Non enim ſicut vos æſtimatis, hi ebrii ſunt, cum ſit hora diei tertia.

VERSIONES.

Syrus. n. 24. Surrexit Simon Cephas, & extulit vocem, &c. & attẽdite ſermones meos.

Arabicus. Efferens vocem magnam.

Æthiopic. Et clamavit voce magna.

D. Chryſoſt. Auribus percipite.

Syrus n. 15. Ecce cum uſque tres ſunt horæ.

Æthiopicus. Illuſtravit nunc hora tertia regionem.

EXPOSITIO VII.

Verſ. 14. *Stans autem Petrus* tanquam Princeps, ac caput omnium Apoſtolorum, ſtans utpote conſtanter, ac intrepidè cum undecim Apoſtolis, ut notat Lyranus, ut loqueretur magis authenticè *elevavit vocem ſuam, & locutus eſt*, cum magna audacia, ut ab omnibus gentibus, quæ ſub Cœlo ſunt, audiretur. Petrus loquebatur una lingua Hebræa, vel Græca, tamen audiebatur ab omnibus, quo ſignificabatur, quod vox ejus, ac illius ſucceſſorum per totum terrarum ambitum erat audienda: *Viri fratres*, ſic compellat ad magis eorum gratiam reconciliandam, quod ſemper Magiſter, ac prædicator debet intendere, benevolos ſibi facere auditores. *Viri Iudæi, & qui habitatis Ieruſalem univerſi*, hoc dicit propter Iudæos proſelytos, qui denuò advenerant, *Qui habitatis Ieruſalem*; Quia ibi vigebat ſtudium legis, ac Prophetarum, ac proinde major ſcripturarum notitia erat,

153.

Lyran.

Prædicator faciat ſibi benevolos auditores.

Verſ. 15. *Non ſicut vos æſtimatis hi ebrii ſunt*, eorum falſam æſtimationem, ac calumniam non aſperè reprehendit, ſed cum multa modeſtia refutat. *Cum ſit hora diei tertia.* Ab ortu nempe ſolis in diebus feſtivis ſolebant Iudæi (ut ex Ioſepho tenet Baronius) à cibo, & potu abſtineri uſque ad ſextam horam.

QVÆSTIO XVI.

Quare D. Petrus ſtans refutat calumnias Iudæorum, atque inimicorum?

154. *STans Petrus ait viri fratres.* Petrus incipiens hic publicare legem Evangelicam, pedibus ſtat, & Chriſtus D. incipiens eam promulgare ſedet, ut ſcribit D. Matthæus cap. 5. num. 1. Cum ſediſſet, accеſſerũt ad eum diſcipuli ejus, *& aperiens os ſuum, docebat eos. Beati pauperes ſpiritu.* Chriſtus ſedens loquebatur cum ſuis Apoſtolis amicis, ac familiaribus, atque amicabiliter, Petrus ſtans refutat calumniam iniquorum, & confundens perverſos inimicos: fervor animi, ac amor honoris Divini quietis impatiens eſt. *Stetit Deus in Synagoga Deorum* Pſalm. 81. num. 5. Quomodo nũd dicitur ſtare Deus, cum paſſim dicatur Deus ſeder? *Qui ſedes ſuper Cherubim*, & iterum apud Iſaiam. num. 2. *Vidi Dominum ſedentem ſuper ſolium excelſum, Seraphim ſtabant ſuper illud.* Quomodo nunc dicitur ſtare *Stetit Deus in Synagoga Deorum.* Deus ſedet inter Angelicos ſpiritus tanquam ſupremus eorum Dominus, quem venerantur. Stat verò per magnum zelum, ac fervorem ad refutanda falſa dogmata Scribarum, ac Phariſæorum, quos per Deos ibi interpretantur Nicephorus, Caſſiodorus, & Cardinalis Hugo.

Math. 5.

Zelus vehemẽs quietis impatiẽs.

Pſal. 81.

Iſai. 6.

Nicepb. Caſſiod. Hugo.

Petrus elevavit vocem ſuam, Petrus pro Ieſu 152. Chriſto

Christo alta voce clamat, ut caput, ac Princeps Apostolorum in conspectu hostilis multitudinis, qui eum antea negaverat coram ancilla, non mirum ostendebatur ibi ardor, ac efficacia gratiæ Divini Spiritus, quo agebatur, D. Chrysost. homil. 4. in Acta: *Id Petrus fecit, ut cognoscerent Spiritus esse gratiam, cum is, qui vilis puellæ non tulerat percunctantionem, nunc in medio populi cunctis vociferantibus, tanta cum fiducia differat.* Theophilactus ibi ait: Qui non sustinuerat interrogationem vilis puellæ, hic in medio multitudinum ad cædem inclinatarum cum tanta fiducia verba facit.

D. Chrysost. *Spiritus Sancti gratia valde fortem reddidit Petrum.*

154. Magis in hujus rei argumentum considera, quod post Resurrectionem apparens Christus suis discipulis: *At illi conturbati, & conterriti existimabant se spiritum videre*, Luc. 24. numer. 38. & Actor. 1. numer. 5. dicitur, *Quibus præbuit se ipsum vivum post passionem suam in multis argumentis, per dies quadraginta apparens, & loquens de regno Dei*; Et tamen cum tanta Dei visione, ac allocutione, nullus Apostolorum audebat Christum prædicare, eumque hominibus annuntiare: ast ubi Divinus Spiritus eorum corda inflammavit: *Stans Petrus elevavit vocem suam, & loquutus est eis.* Quid illustrius Dei visione? quid sublimius, quam Deum propriis oculis aspicere; ejus vocem audire, ac cum eo habere colloquium? Et tamen viso Christo cum gloria ac majestate resurgente, adhuc timidi discipuli è Cœnaculo non exibant; At ubi descendit Divinus Spiritus, & eorum corda implevit, tamquam fortes milites prosiliunt in campum alta voce coram omnibus Gentibus Christum prædicantes.

Luc. 24. Actor. 1.

Plus roboris dat Spiritus Sanctus quã Dei visio.

Guerricus Abbas serm. 1. de resurrect. ait: *Apostoli, qui prius dubitabant, etiam post intuitum corporis viventis, post gustum Spiritus vivificantis virtute magna reddebant testimonium Resurrectionis: adeo plus est Iesum corde concipere, quàm oculis videre, & auribus de ipso audire.*

Guerric.

157. Apparet Deus Moysi in illa admirabili visione, in qua rubus ardebat, & non comburebatur, eum Deus alloquitur, quod ipsum mittit ad Pharaonem, ut educat populum Israeliticum de ejus potestate, & introducat in terram fluentem lac, & mel. Multis se excusat Moyses, dicens: *Quis sum ego, ut vadam ad Pharaonem, & educam filios Israel de Ægypto.* Deinde ut Moyses quiesceret Divinis mandatis, ei imperat Deus, ut proiicat virgam, quam tenet in manu, in terram, quæ versa est in colubrum, & iterum apprehensa virgæ formam reassumpsit. Deinde præcipit Deus, ut manum suam mittat in sinum, quæ exinde leprosa educta est. Secundò imperat Dominus, retrahe manum in sinum tuum, quam sanam, & alteri carni similem protulit: adhuc Moyses non quiescit, & se excusat dicens, *non sum eloquens.* Tandem, ut ei Deus silentium imponat, ait ei: *Ego ero in ore tuo*, Exod. 4. numer. 12. Statim ne unum quidem verbum amplius locutus est Moyses, sed statim ad mandata exequenda progreditur. Quid est hoc, quod Moyses vidente Deo, ac ejus locutione, totque prodigiis ostensis adhuc se excusat, ubi verò ei dicitur, quod Deus erit in ore ejus, nempe per gratiam Spiritus Sancti, cujus est linguam mutare, statim ab omni excusatione desistit. Procopius ad cap. 11. Genes. ait: *Non Angeli: non Creaturæ: sed Creatoris est novas formare linguas, Spiritus Sancti opus est linguas mutare.* Et quod nec Deus apparens, nec ejus miracula, ac prodigia efficiunt, una Divini Spiritus gratia perficit, & absolvit.

Exod. 3

Exod. 4.

Plus operatur Spiritus Sancti gratia quam Dei visio, ac eius miracula. Procopi.

QVÆSTIO XVII.

Quare D. Petrus ad Apostolorum defensionem terciam diei horam esse proponit?

AIt D. Petrus: *Non sunt hi ebrii, ut vos æstimatis, cum sit hora diei tertia.* Apud Iudæos dies duodecim horas continebat, quas in quatuor dividebant, scilicet, primam, tertiam, sextam, & nonam, & unaquæque tres horas in se claudebat; Prima erat ab ortu solis inclusis tribus horis usque ad tertiam, & hæc totidem horas secum involvebat usque ad sextam, quæ ad meridianum usque tempus tribus etiam inclusis horis pertingebat, postea vero sequebatur nona totidem horis. 158.

Spiritus Sanctus venit hora tertia, quia in illa hora homines frequenter sunt jejuni, & sensus puriores, aptiores ad recognoscenda, contemplanda, atque recipienda Dei dona; & in ea erant Sacri Apostoli in altissima oratione, ut notat Rupertus lib. 10. officior. cap. 18. Et forte lex antiqua fuit data Moysi hora tertia, & in eadem hora venit Spiritus Sanctus ad promulgandam legem gratiæ, in quo nobis magnum datur documentum, antiqua non omnio contemnenda, sed quantum fieri possit recolenda, sic ait Christus Dominus non veni solvere legem, sed adimplere. Tandem, ut ait D. Cyrill. Ierosolymit. Catech. 17. Simbolice *hora tertia significat dari Orbi tertiam legem, Prima enim fuit lex naturæ, secunda Moysis, tertia Christi.* 159.

Cur tertia hora.

D. Cyril.

Refutat Petrus calumniam adversariorum, qui dicebant *ebrii sunt isti* quod exinde probat illud esse falsum *cum sit hora diei tertia*, quia, ut referunt ex Iosepho Baronius, M. Lesana, Iudæi erant soliti in omnibus festis cibo, & potu abstinere usque ad sextam horam, & illa dies Pentecostis erat maximè festivus, ut dixi q. 1. Deinde testatur Beda. Illa hora tertia erat quotidie maximè destinata orationi apud Iudæos, sicut nunc apud nos Christianos; mane enim recitamus Matutinum, Primam, tertiam, & sextam, ut advertit citatus Rupertus. 160.

Refutat D. Petrus.

Iosephus, Baronius Lesana. Beda.

Tertio ex eo probat Petrus fieri non posse Apostolos esse ebrios, quia diei tertia erat hora; in ea enim Christus crucifixus est, illamque Sacri Christi Apostoli in memoriam passionis ejus multis lachrymis, ac cordis dolore recolebant, & ex eo fieri non poterat, ut in tali hora ebrietati indulgerent. D. Cyrill. Ierosolym. cath. 17. sic loquitur in nomine D. Petri: Si autem non confiditis mihi, ex ipso tempore intelligetis, verum esse, quod dicitur; hora enim tertia crucifixus est Iesus, ut inquit D. Marc. cap. 15. n. 25. 161.

Passio Christi nos excitat ad fletum.

D. Cyrill.

D. Marc. 15.

Scribit Paulus 2. Corinth. 5. n. 14. *Charitas Christi urget nos æstimantes hoc, quoniam si unus pro omnibus mortuus est, ut qui vivunt, jam non sibi vivant, sed ei, qui pro ipsis mortuus est.* Arabicus *Ut vita vivant non sic post hac sibi ipsis*, sic Christus passus, mortuus, & crucifixus pro omnibus nobis proponitur, ut ejus præclarissima Charitas urgeat nos, ut in nobis omnis mundialis, ac terrena vita pereat, *ut vita vivant non sic post hac sibi ipsis.* Christus passus ante oculos jam consequens est, ut nullus sibi vivat, sed tota nostra vita sit in Christo, ut ei soli serviamus, extincto, & abolito in nobis omni terreno affectu, cum ipse pro nobis vitam dederit. D. Bernard. epist. 143. Et si cætera taceam, hoc solo certè non immerito sibi vendicat vita nostra, quia pro ea posuit Dominus suam: nemo igitur sibi vivat, sed ei, qui pro nobis mortuus est. Vide multa de hoc tom. 5. in Evangelia lib. 8. cap. 1. per totum. 162.

2. Cor. 5.

Arabicus

D. Bern.

QUÆSTIO XXVIII.

Quare D. Petrus contra hos maledicos aliquam rigidam pœnam non fulminat, ut fecit Eliſæus contra pueros illudentes, ſed modeſte cum ratione reſpondet.

163. MAligni iſti, ac perverſi auditores grandem calumniam componunt,& dicunt contra Sacros Apoſtolos. *Ebrii ſunt iſti*:Petrus eorum malitiam refutat, nunc ratione poſtea auctoritate ſcripturæ, ut videbimus in ſequentibus, cur, quæritur, Petrus non utitur ſua poteſtate, & tam injurioſam blaſphemiam graviter punit?Cum pueri illudentes dicerent
4 Reg.2. Eliſæo: *Aſcende Calve, egreſſi duo urſi laceraverunt ex eis quadraginta duos pueros* 4.Reg.2.n.24.Gravior calumnia erat ebrios dicere, quam Calvum appellare; Cur ergo ſimiliter D.Petrus tam injurioſa verba nõ caſtigat,ut cæteri cautiores fierent,ſed diſſimulat?

164. *Operandum non potentia, ſed ratione.* Reſpondet primo Oecumenius, & ait: *Ratione illis viam muniebat ad converſionem, & pœnitentiam.* Volebat D. Petrus eos adducere, ad fidem, ac pœnitentiam, ideo non poteſtate, ſed forti, atque efficaci ratione alliciebat, quod didicerat Petrus à ſuo Sanctiſſimo Magiſtro Chriſto Ieſu, ut notat D. Paſchaſius lib.4.in Matthæum; nam cùm ſuperbia Phariſaica multa contra eum blaſphemo ore jactaſſet, ipſe non caſtigatione, ſed manſueto, & efficaci verbo confundebat; non poteſtate, ſed ratione utendum eſt, pro quo vide multa in omnibus meis libris in Sybillario verbum *Ratio*.

165. Secundo Pater Eliſæus punit,Petrus diſſimulat,& patienter ſuſtinet; Eliſæus miniſter ideo rigidus,& abſtervus; D.Petrus verò Paſtor,& præſul, ideo lenis,ac ſuavis;magis enim trahitur,ac devincitur animus dulcedine, ac affabilitate, quam aſperitate,ac rigore.Oſtenditur Ioanni in Cœlo liber ſignatus ſigillis ſeptem, *& nemo poterat aperire librum*, clamant Angeli: *Vicit leo de tribu Iudæ*; & tamen ſcribitur: *Ecce in medio throni, & quatuor animalium, & in medio ſeniorum Agnum ſtantem; & cum aperuiſſet librum.* Apoc.5.n.6.Chriſtus acclamatur, ut Leo, tamen in medio throni ſedet ut Agnus, nam etſi habeat potentiam, & fortitudinem, ut Leo, tamen in throno ad regendum, ac gubernandum eſt mitis, & lenis, ut agnus, & non aperit librum, ut leo, ſed,ut Agnus,plus enim devincitur, ac obtinetur ſuavitate,
Richard. atque manſuetudine agni, quam aſperitate,& ferocitate Leonis. Richardus Victorin. ſic ait: *Redemptor eſt Leo per potentiam Maieſtatis; Agnus per manſuetudinem, Leo fortitudine, Agnus pietate, Leo in promiſſione, ut ſpes firma ſe roboret; agnus exhibitione, ne pavida conſcientia formidaret, quem videlicet vidit in medio throni.*

166. Fecit Rex Salomon Thronum admirabili diſpoſitione fabricatum, ut de illo dicatur: *Non eſt factum tale opus in univerſis regnis*, ad cujus aſcenſum ordinati erant ſex gradus, *& duodecim leunculi ſtantes ſuper ſex gradus, hinc, atque illinc.*
3 Reg.10 2.Paral. 9. 3.Rex. 10. numer. 20. tamen, ut ſcribitur 2.Paralip.9.numero decimo octavo *Duo altrinſecus brachiola*, quæ erant ad ſedis latera, & extenſa, ac
A Rege furor abigatur & benignitas amplectatur. cor Regis ambiret: ad quid tendit talis architectura, Leones per gradus ad aſcenſum, brachiola vero ad cor Regis amplectendum,ac tenendum, Salomon dicitur Rex pacificus, de cujus lenitate, ac clementia multa ſcribunt Authores Joſephus, Strabo, Joſephus Strabo. & Salianus, proindeque in gradibus, per quos aſcenſum erat ad Thronum Leones, at vero juxta cor Salianus. appareant brachiola extenſa; nam Rex pacificus, ac benignus, ut ſedeat in throno dominationes debet pedibus conculcare ac conterere furorem, rabiemque Leonis, in corde verò patientia brachiola ad omnes amplectendos benignè, ac clementer fovendos, ac recreandos.

Actor.2.n.16. Sed hoc eſt, quod dictum eſt per Prophetam Ioël.

N.17. Et erit in noviſſimis diebus(dicit Dominus)effundã de ſpiritu meo ſuper omnem carnẽ,& prohetabunt filii veſtri,& filiæ veſtræ,& juvenes veſtri viſiones videbũt & ſeniores veſtri sõnia ſomniabũt.

N.18. Et quidem ſuper ſervos meos; & ſuper ancillas meas in diebus illis effundam de ſpiritu meo, & prophetabunt.

VERSIONES.

Oecumen.n.16. Hoc dictum fuit.

Syrus n.17. oſtendam ſpiritum meum ſuper omnem carnem, & vaticinabuntur.

Arabicus. Supra omne animal.

Antioch. Inundare faciam ſpiritum meum ſuper univerſos homines.

Arabi. Alexandr. Inundabo de ſpiritu meo ſuper omnes homines.

Chaldaic.Septuag.n.18. Etiam ſuper ſervos & ancillas effundam de ſpiritu meo.

EXPOSITIO. X.

Verſ.16.& 17. REfutat D.Petrus caluminiam impiorum,ac maledicentium teſtimonio Ioelis Prophetæ 2.n.28.Poſtquã egit de Chriſto D.omniũ ſupremo Doctore n.23.agit de advẽtu Spiritus Sancti,& ait: *Effundam de ſpiritu meo.* Illud *effundere* ſignificat dare cum magna abundantia, ac largitate,& ita vertit Antiochenus *Inundare faciam*, quod indicat multam exuberantiã *de ſpiritu meo*,qui à Patre,filioque procedit,quæ miſſio peculiariter videtur referri ad Chriſtum;de ipſo enim ut omniũ Doctore agit Propheta, ut notant Expoſitores, Cornelius, & alii ibi. 167. Joelis 2. Antioch. Cornel.

Super omnem carnem. Per Synecdochen intelligũtur homines. D.Chryſ.ſolos Judæos intelligit,tamen aptius D.Hieron.Theodoret.Albertus Mag.intelligunt omnes homines tam Judæos,quam gẽtiles,& in hoc oſtenditur ſuprema Divinitas Spiritus Sancti,qui ad omnes extendit dona ſua,& neminẽ excludit,& cum multa energia dicitur *ſuper omnẽ carnem*, ut advertũt Rabbi,Salan.& Lyra,ſuper illos venit Spiritus Sanctus,qui habẽt cor tenerum ad modum carnis,& nõ obduratum in peccatis tanquã lapideum:Inde dicit Deus per Ezechielem 11.n.9. *Auferam cor lapideum de carne veſtra, & dabo vobis cor carneum.* 168. D.Chryſoſt. D.Hier. Theod. Albertus Magnus. Rabbi. Lyran. Ezechie. 11.

Et prophetabunt filij veſtri, & filiæ veſtræ, ut fecerunt Sacri Apoſtoli, Beata Virgo Luc.1.n.46.Elizabeth. Luc.1.n.38.Zacharias, Simeõ Anna prophetiſſa Luc. 2.n.29.& 36.& quatuor filiæ Philippi Diaconi prophetãtes Actor.21.n.9.& Agabus ibid.n.10.& Ioannes in ſua Apocalypſi,& multi alii in primitiva Eccleſia,de quo multa Rozius de ſignis Eccleſiæ lib.6 cap.12.conſidera magnam, & alram prudentiam Petri, ut ex dono ac honore exhibito filiis alli ciantur Patres ad credendum ea quæ dicuntur. 169. Luc.1. Luc.2. Act.11. *Patres maxime alliciuntur honore filiorum.*

Senes veſtri ſomnia ſomniabunt, & juvenes veſtri viſiones videbunt. Senibus,utpote ætate feſſis in ſomnum propẽſis,tribuit ſomnia;at verò juvenibus excitatis,& vigilibus viſiones,quæ in vigilia fiunt Deo, ſua infinita ſapientia ſe Deus accommodat uniuſcuiuſque genio. Revelationes Divinæ fiebant, vel per vioſines, vel per ſomnia, quia tunc ſenſus magis 170. *Deus ſe accommodat genio uniuſcujuſque.*

gis placati, & quieti sunt ad divina percipienda juxta illud Moysis Num. 12. num. 6. si quis fuerit inter vos Propheta Domini in visione apparebo ei, vel per somnium loquar ad illum.

Num. 12.

Vers. 18. *Super servos meos, & ancillas.* Chaldæus habet. *Etiam super servos, & ancillas.* Deus, ut dicitur Roman. 2. non est acceptator personarum, sed in omnes, sive Dominos, sive servos effundit, & communicat dona sua. D. Cyrill. Ierosolym. Cathech. 17. Rufinus à Castro, & alii, per servos, & ancillas accipiunt gentiles; nam in lege veteri Iudæi erant tanquam Filii Dei adoptivi, gentes quasi servi, sed per Christum in filios sunt adoptati. Ita Rupert. Hugo Sticher, & alii. Moraliter etiam dicam esse servum Dei est quid valde honorosum, & honorificum de quo multa dixi ad cap. 1. Apocalyps. q. 5. n. 33. 34. & q. 5. n. 64. & cap. 5. q. 25. n. 227.

177.

QUÆSTIO XIX.

Quare D. Petrus ad confutandam calumniam iniquorum, nunc post rationem scripturam proponit.

178. Efficaci ratione refutavit D. Petrus objectam calumniam, quod Apostoli ebrii essent, quia fieri non poterat cum esset *hora diei tertia*; Nunc efficaciter argumentatur ex Sacra Scriptura, quod est omnium fortissimum telum ad omnem falsitatem destruendam. Thophilact. *Cum igitur aliqua quæstio est inexplicabilis ne confugias ad rationes; rationes enim excogitatæ tam evertuntur, quam approbantur, sed Dei vocem quis solvit. Ratio solvitur, scriptura non solvitur.*

Argumentum efficax non ratione, sed scriptura.

Theoph.

199. Accedit Diabolus ad Christum Dominum tentandum, & semper producit rationes miracula exquirens: *Si Filius Dei es, dic ut lapides isti panes fiant.* Matth. 4. num. 3. Secundo ait Diabolus, *si Filius Dei es mitte te deorsum, Angelis suis mandavit de te, in manibus portabunt te.* Tertio accedit ostendens omnia regna mundi, dicens: *Hæc omnia tibi dabo si cadens adoraveris me.* At Christus D. inimici protervi tela semper repercussit Scripturæ Sacræ testimonio: *Non in solo pane vivit homo, non tentabis Dominum Deum tuum. Dominum Deum tuum adorabis:* Quid est quod Christus Dominus Dei sapientia argumentans, Diabolus opponens rationes, cur eas aliis rationibus non diluit, sed scripturæ gladio eum comprimit; sciebat præclarissimè Christus Dominus quod frequenter maximè à malignis contra rationes, rationes opponuntur, at contra testimonia scripturæ comprimendum os, & solum illi auscultandum, atque obtemperandum. Caietanus ait: *Ut dicamus arma nostra esse Sacras Scripturas, nulla enim poterit nos suasio ad malum trahere, si consultis Sacris Scripturis actiones nostras, & omissiones direxerimus.*

Math. 4.

Christus se defendit, non ratione, sed scriptura.

Caiet.

180. Ait D. Petrus sua 2. epist. cap. 1. num. 19. quod cum esset cum Christo D. in monte in illo Transfigurationis Mysterio, audivit illam vocem è Cœlo allatam ab æterno Parente. Hic est Filius meus dilectus, ipsum audite, & subdit, *habemus firmiorem propheticum sermonem*, quomodo hoc dicitur, potestne aliquid esse fortius, quam ipsa Æterni Parentis vox, quomodo ait Apostolus, *habemus firmiorem propheticum sermonem?* Et nil sane verius, ac fortius, quam illa cœlestis vox, & contra testimonium poterat aliquis dicere, quod Petrus non bene audivit, nec bene referebat; At contra propheticum sermonem, ac scripturam nihil poterat

2. Petr. 1.

oblatrari, nec contradici. D. Augustinus serm. 27. de verbis Apostol. cap. 4. ait. *Quis nostrum non miretur delata voce de Cœlo certiorem propheticum sermonem ab Apostolo dictum esse! Certiorem esse dixit, certiorem, non meliorem, non veriorem. Tam verus ille sermo de Cœlo, quam sermo Propheticus, tam bonus, quam utilis, quid est ergo certiorem, in quo magis confirmatur Auditor, quare hoc? Quoniam sunt homines infideles, qui sic detrahunt Christo, ut dicant eum magicis artibus fecisse, quæ fecit: possent ergo infideles etiam isti ad vocem de Cœlo delatam per conjecturas humanas, & illicitas curiositates ad magicas artes referre, sed Prophetæ antea fuerunt, non dico antea ante istam vocem, ante Christi carnem nondum erat homo Christus, quando misit Prophetas, Ecce quare Apostolus Petrus ait habemus certiorem propheticum sermonem. Vox de Cœlo, qua fideles admoneantur, propheticus sermo, quo fideles convincantur.*

D. Aug.

Aliquid contra verba opponitur, non contra scripturam.

Similiter Beda ait: *Si quispiam nostro testimonio discredendum putaverit, quid in secreto gloriam Redemptoris nostri conspeximus divinam, quod vocem Patris ad eum factam audierimus, certe sermoni prophetico nemo contradicere, nullus hoc ambigere audebit, quem Divinis scripturis iam olim insertum omnes verum esse testantur.* Similiter Oecumenius, si quispiam malignus de sermone, ac testimonio Petri audeat detrahere, nullus audebit contradicere testimonio prophetico.

181. Beda.

Ait Christus D. Ioan. 5. n. 39. *Si crederetis Moysi, crederetis forsitan & mihi, de me enim ille scripsit,* idemque est sensus, quia non creditis Moysi, mihi non creditis: Ecce hic Christus D. prius credulitatem tribuit verbis scripturæ, quam verbis sui ipsius; nihil verius poterat excogitari Christi verbis; cùm enim ipse sit ipsemet Deus, est ipse pura veritas, in cujus ore non est inventus dolus; tamen, ut dixerunt perfidi Iudæi: *Tu testimonium das de te ipso, testimonium tuum non est verum*: At verba scripturæ contemnere, ac refutare, nullus erit tam fatuus, tamque mentis inops, qui hæc audeat facere. Theophylact. ait: *Si scriptis non creditis, quomodo verbis meis credetis.*

182. Ioan.

Plus deferendum scripturæ, quàm verbis.

Actor. 2. n. 19. Et dabo prodigia in Cœlo sursum, & in terra deorsum, sanguinem, & ignem, & vaporem fumi.

N. 20. Sol convertetur in tenebras, & Luna in sanguinem, antequam veniat dies Domini magnus, & manifestus.

N. 21. Et erit: omnis quicumque invocaverit nomen Domini salvus erit.

VERSIONES.

Syrus n. 19. Dabo virtutes super terram.

Arabicus. Dabo portenta, & atritatem fumi.

Æthiopicus. Dabo miracula in terra.

Syrus n. 20. Sol convertetur in caliginem, &c. dies magnus, & tremendus.

Æthiop. Sol obscurabitur, & Luna fiet sicut sanguis, &c. & dies Domini glorioſus,

Goth. Dies horribilis.

Syrus n. 21. Nomen Domini uniet, *Vatabl.* ut servetur. *Alij* erit illustris.

EXPOSITIO XI.

Vers. 19 & 20. *Dabo prodigia*, ut tenent Origenes in Ioan. & Cardinal. Hugo, hic

hic *prodigia vocantur, quæ præter opinionem ſunt, & humanam conſuetudinem excedunt.* Amonius verò in
Amon. Catena græca, illud dicitur ſignum, quod aliquid ſignificat, & oſtendit maximè futurum. Tamen apud Authores hæc duo confunduntur; & idem ſignificant. *In cælo*, nempè Sol *convertetur in tenebras, & Luna in ſanguinem*, & addit etiam Textus. Et terra *in ſanguinem, & ignem, & vaporem fumi.* Ad quæ hæc referantur variæ ſunt ſententiæ, probabilius ad diem judicii, quæ ſigna latiſſimè explicavi tom. 4. in Evangelia cap. 50. per 26. quæſita, & de his, ac cohærentia textus ad præſens dicam quæſtione ſequenti 20. & 21.

Verſ. 21. *Et erit* in illo, nempe die judicii, ac hor-
184 rore, & tremore tantorum ſignorum præcedentium: *Omnis quicumque invocaverit* ex toto corde, ac fide, ſive verbo, ſive opere prædicando, ac docendo *nomen Domini*, nempe ejus potentiam, virtutem, atque adjuvamen, hæc omnia veniunt intelligenda ſub Dei nomine, ſic ait ſanctiſſima Virgo, *Fecit mihi magna qui potens eſt, & ſanctum nomen ejus.* Luc. 21. *Salvus erit*, nempeab omni malo, & vitam æternam aſſequetur; *Invoca me in die tribulationis, eruam te, & honorificabis me.* Pſalm. 49. num. 15. Et ratio eſt, quia
Pſal. 49 invocat Deum, Dei potentiam fatetur, & ſuam agnoſcit inopiam.

QUÆSTIO XX.

Quare poſt varias expoſitiones circa literam textus Ioëlis, ultima de finali iudicio amplectitur?

185 CIrca expoſitionem Prophetæ Ioelis capite ſecundo quam in præſenti refert D. Petrus, va-
Rabbini. riæ ſunt ſententiæ. Primo Rabbini dicunt hæc prodigia facta eſſe tempore Ezechiæ Regis, quando Angelus Domini percuſſit in ejus exercitu Sennacherib 180. millia hominum; hoc tamen eſt fictitium; nam nec Ioſephus, nec alius antiquus Author de talibus prodigiis meminit.

186 Secundo jam ex Catholicis D. Hieronym. D. Re-
D. Hier. D. Remi. Hugo. mig. & Hugo hæc de tempore Chriſti exponunt, & tunc talia prodigia facta ſunt, nam in ejus nativitate Angeli canunt gloriam, Stella Magos ducit, in ejus morte Sol obſcuratur, è latere ejus fluit Sanguis, & aqua, quæ ignem charitatis in diſcipulis accendit, & hæc omnia facta ſunt ante diem Reſurrectionis, qui fuit dies horribilis Iudæis, & in die Pentecoſtes Spiritus venit in igne, & ideo D. Petrus in præſenti hanc prophetiam refert; & hanc ſententiam ſequitur Sanchez, eſtque probabilis; tamen non adæquatè, ac plane explicat omnia, maximè quiſnam ſit ille dies Domini magnus, & horribilis, & multa exponit in ſenſu allegorico, nos autem ſenſum literalem quærimus.

187 Tertio D. Chryſoſt. Oecumenius, Lorinus, Bar-
D. Chryſoſt. Oecum. Lorin. Bardo. do in Ezechiel. capite decimo verſ. 1. exponunt locum Prophetæ de deſtructione Ieroſolymis per Titum, ubi multum ſanguinis Iudæorum effuſus eſt, templum, civitas, & omnia combuſta ſunt; redactaque in fumum, & in cineres; tamen illa prodigioſa ſigna in Sole, & Luna non legimus ibi facta.

179 Quarta, & vera ſententia tenet, quod Propheta ad literam loquitur de ultima die judicii; nam poſtquam Propheta cum his ſignis de Sole, & Luna
Ioelis 2. Ioelis. 3. terminavit caput ſecundum, ſtatim incipit: Caput Tertium num. 1. & 2. *Ecce in diebus illis* in tempore, de quo immediatè antea locutus fuerat: *Congregabo omnes gentes, & reducam illas in Vallem Ioſaphat, & diſceptabo cum eis.* Ecce dies magnus, & horribilis, quem talia ſigna præcedunt, ut prædixit Chriſtus D. Matth. 24. num. 29. Luc. 21. num. 25. *Erunt ſigna in Sole, & Luna, nam Sol obſcurabitur, Luna non dabit lumen ſuum, Stellæ de Cœlo cadent, Luna tunc vertetur in ſanguinem* Iſai. 24. num. 23. multus ſanguis Sanctorum Martyrum cum SS. Elia, & Henoch effundetur ab Antichriſto Apocalypſ. 11. n. 7. & ipſe Antichriſtus concremabit civitates, *Cuius fumum viderunt amici eius.* Apocalypſ. 18. n. 9. & ut ait Apoſtolus Petrus epiſt. 2. cap. 3. n. 7. poſt diē iudicii: *Omnia iſta igne conſumenda ſunt.* Hanc ſententiam, ut valde communem; tenent Tertullian. lib. 4. contra Marcionem cap. 39. Origenes tract. 30. in Matth. D. Thomas in cap. 24. Matth. & ad citatum locum Ioelis Theodoretus, Rupertus, Lyra, Vatabl. Arias, à Caſtro, Cornelius, imo & D. Chryſoſt. in Acta in præſenti.

Math. 24. Luc. 21. Iſai. 24. Apoc. 11. Apoc. 18. 1. Petr. 3. Tertull. Origen. D. Tho. Theod. Rupert. Lyran. Vatabl. Arias, Ribera, à Caſtro, Cornel. D. chryſoſt.

QUÆSTIO XXI.

Quare D. Petrus in die tam feſtivo, ac ſolemni commemorat diem iudicij univerſalis?

SUperiori quæſtione locum Ioelis in præſenti ad- 190
ductum à D. Petro, dè extremo, ac horrendo finali judicio expoſuimus, & exinde magna ſuboritur dubitatio: Cur à Principe Apoſtolorum, in die tam feſtivo, ac ſolemni, mentio fit de tremendo judicio finali?

Reſpondeo primo, quod eſt alta, & ſuprema ſa- 191
pientia Divina, quod ſemper in memoria, ac ante oculos in omni feſtivitate habemus extremum diem judicii. In ſolemni, ac glorioſo die Aſcenſionis Chriſti duo Angeli in veſtibus albis pro tanta feſtivitate Sacris Apoſtolis adſtitere, qui & dixerunt eis: *Hic Ieſus, qui aſſumptus eſt à vobis in Cœlum, ſic veniet, quemadmodum vidiſtis eum euntem in Cœlum.* Act. 1. n. 11. Expende illud *ſic veniet*, nempe ad judicium finale, ut eſt omnium interpretatio; & cur ipſum judicium commemorant? ne tanta feſtivitas periret ſine illius diei memoria. 192

In omni feſtivitate die iudicii ante oculos obſervatur.

Secundò, ut ipſe D. Petrus teſtatur Act. 10. n. 42. dicens: *Præcepit nobis prædicare populo, & teſtificari, quia ipſe qui conſtitutus eſt à Deo iudex vivorum, atque mortuorum.* Et D. Petrus, ut præſtantiſſimus Chriſti diſcipulus, & caput Eccleſiæ, omnibus præbens exemplum ſtatim in prima concione adimplet Domini mandatum, prædicans, & teſtificans populo ejus ſupremam poteſtatem judiciariam.

Petrus exequitur, Magiſter mandat.

Tertiò, altiſſima, & ſuprema ratione ſe agit D. Pe- 193
trus in hac re, tanquam ſi dicat: O Iudæi hodie advenit Spiritus Sanctus in igne ad inflammanda corda fidelium, eaque implenda omnium cœleſtium donorum abundantiâ, qui eum tanquam fideles verè recipiunt ejus mandata exequentes, tamen ſcitote, quod, qui eius mandata contemnunt, & non recipiunt, duriſſimum eius iudicium finale experientur, magnis prodigiis ipſos damnando ad ignem æternum, quod facit Apoſtolus, ut iudicio finali ipſi contremiſcant, & convertantur: Quis audito horrendo iudicio finali non timeat, & ad meliorem frugem ſe recipiat?

Scribens D. Paulus ad Corinth. epiſt. 1. cap. 4. 194
numer. 25. videns eos à via Domini declinantes; & peccatis indulgentes, ait eis. *Quid vultis in virga veniam ad vos!* B. Paulus flagrabat charitate, ac ſumma indulgentia in ſuos diſcipulos, ut diceret, *Omnia ſuſtineo propter electos*, quomodo ergo virgam minatur? & unde illi virga? ipſe non erat Prætor, nec Conſul, nec iudex, unde ergo illi virga? Erat admonitio iudicii venturi, quæ tanquam rigida

1. Cor. 4.

Iudicii memoriâ revocamur ad bonum.

virga somnolentos, ac demersos in peccatis excitat, & ad viam salutis reducit. D.Hieronym.in Psalm. 2. ait: *Nunquid Paulo jus prætorium erat, ut virga comminaretur?* Non utique ita opinandum est, sed quia omnis Dei sermo, quo per comminationem, terrorem-que judicii ad innocentis vitæ viam regimur, virga est nuncupatus, per quem providentis Rectoris monitu coërcemur. D Hier.

Postquam Deus locavit primum Parentem posuit eum in Paradiso, & *Præcepit dicēs: De omni ligno Paradisi comede.* Genes.2.n.16. Determinat Deus cibos Adamo de fructibus arborum, at verò de carnibus, & piscibus nullus est sermo, nec aliqua concessio facta legitur, ut larga manu se Deus habuit cum Noe, cui dictum est à Domino Genes.9.num.3. *Omne, quod movetur, & vivit erit vobis in cibum, quasi olera virentia tradidi vobis omnia.* Cur, quæso, Adamo totius Orbis Principi fructus arborum taxantur in escas. At Noe, omnia animalia tam volatilia, quàm terrestria, ac aquatilia ad mensam conceduntur. Unde tanta differentia in summa largitate Divina? Ut modo tam amplas escas homini porrigat, qui tam paucas antea concesserat. Cum limitatione fructus dātur, ne pastus tanta multitudine ciborum inde ei daretur occasio, ut à lege exorbitaret in tanta felicitate positus: Talis vero occasio non dabatur in Noe, cum ipse præ oculis habuisset diluvium, in quo præfigurabatur universale judicum, cujus umbra efficacissimum frænum est, ut homines contineat in lege Dei, ne ab illa recedant: Unde non mirum quod multa concedantur, ut judicium est ante oculos, quæ denegātur ubi nulla illius est memoria. Tertullian.lib.contra Psychicos ait. *Post diluvium reformatione generis humani, suffeciſſe unam interim legem à sanguine abstinendi, permisso usu cæterarum, iam enim judicium Dominus ostenderat per diluvium.* Ubi demonstratum fuit judicium, ibi imposita fuit magna, ac rigida catena, ne homines in peccata præcipitarentur. *Iam enim iudicium Dominus ostenderat per diluvim.*

195

Genes.2 n.16.

Genes.9.

Iudicii conspectus homines refranat à peccatis.

Act.2.n.22. Viri Israelitæ audite verba hæc. Iesum Nazarenum virum approbatum à Deo in vobis, virtutibus, ac prodigiis & signis, quæ fecit Deus per illum in medio vestri, sicut vos scitis.

N.23. Hunc definito consilio, & præscientia Dei traditum per manus iniquorum affligentes interemistis.

N.24. Quem Deus suscitavit solutis doloribus inferni juxta quod impossibile erat teneri illud ab eo.

VERSIONES.

Syrus.n.22. Qui à Deo apparuit apud vos præclaris factis.

Æthiopicus. quem monstravit vobis Deus signis, & miraculis.

Oecumen. Pagni. A Deo designatum, *Tertul.* destinatum, *Vatabl.* Exhibitum à Deo.

Syrus n.23. Hunc, qui selectus erat sibi ad hoc ex præscientia, & voluntate Dei solutis finibus, &c. crucifixistis, & occidistis

Arabicus. Hunc iuxta mentem Deo præfinitam, &c. & postquam illusistis ei.

Æthiopicus. In ordinatione consilii eius, & providentia suspēdistis eum; & trucidastis.

Aliqui codices Affligentes interemistis.

Syrus n.24. Et solvit dolores, quia non possibile erat, ut detineretur.

Arabicus. quem liberavit à doloribus mortis.

EXPOSITIO XII.

Vers.22. *Viri Israelitæ.* Antea vers.14. eos dicit Petrus *Viri Iudæi*, quia sic à Iuda filio Iacob dicti erant, nunc verò eos appellat Israelitas, qui à Iacob, seu Israel dicti erant, cum eos Israelitas nuncupat juxta suum primarium significatum, viros fortes vocat, ut non moveantur dictis impiorum hominum. *Audite verba hæc*, ut notat Hugo, quæ ego dico vobis, nam quod impii, & iniqui dicunt, quod *ebrii sunt isti.* Iesum Nazarenum D.Chrysostomus, *statim patriam dicit, quæ sane videbatur contemptibilior esse*: quod esset contemptibilis bene probatur ex illo Ioan.1.n.46. de Nathanaële dicitur: *A Nazareth poterit aliquid boni esse*, & dicit Nazarenum. Communiter sic vocabatur à Iudæis Marci 10.n.47. Luc.18.n.17. Ioan.18.n.5. à Pilato Ioan.19. n.19. ab Angelis in Resurrect. Marci 16.n.6. & passim in toto Evangelio, de quo multa in citatis locis dicebatur Nazarenus, vel ex Patria, vel ex significato, quod juxta radicem Hebraicam, idem est, ac flos, ipse autem dicitur *flos campi.* Cantic. 2. n. 5. 196

Hugo.

D.Chrysost.

Ioan.1.

Marc.10. Luc. 18. Ioan.19.

Cant.2.

Virum approbatum à Deo exhibitum, demonstratum, designatum à Deo juxta varias lectiones, virum dicit, id est fortem, ac generosum. Syrus legit: *Qui à Deo apparuit vobis*, ut missus, exhibitus, demonstratus, designatus à Deo, quod efficaciter ostenditur. *Virtutibus, prodigiis, & signis*; per virtutes Lyranus intelligit præclarissima opera virtuosa Christi, quæ fuerunt in supremo omnium virtutum apice, alii, etiam per virtutes intelligunt miracula, quæ Dei virtute fiunt. Expositio Lyræ videtur accommodatior prodigiis, & signis, hæc idem significare jam supra dixi, vel dic prodigia denotare magna, & stupenda, ut mortuos suscitare; signis à significando, ut Dæmones expellere; quod altius explicabo q. 23. in limine n..... *In medio vestri*, id est vobis videntibus, & agnoscentibus. 197

Lyran.

Vers. 23. Hunc definito consilio, & præscientia Dei traditum. D.Chrysost.in præsenti sic ait: D. Petrus tentat liberare eos à crimine, ut quondam fratres suos Ioseph, à quibus venditus fuerat dicens, non vestro consilio, sed Dei voluntate huc missus sum Genes. 45. n. 8. quia ipsam venditionem vertit Deus in bonum, ut exaltaretur Ioseph, *& salvos faceret multos populos*, ut dicitur Eccles.50. numer.19. *simulque ostendit*, ait Oecumenius, *quam Christus libenter, ac libere passionem subierit, & à Deo prædefinitis cooperatus est.* Et ait Textus, *definito Consilio.* Totius sanctissimæ Trinitatis, *ac præscientia Dei*, qua prævidit impias Iudæorum voluntates resolutas contra Christum Iesum eorum peccata arguentem, ut eum crucifigerent, *Traditum*, id est expositum in tota Trinitate, *per manus* impiorum judicum, ac ministrorum, ut crucifigeretur. 198

D.Chrysost.

Genes. 45.

Eccl. 50.

Vers.24. *Quem Deus suscitavit*, virtute sua propria, ut verus Deus *solutis doloribus Inferni.* Dolores mortis, & Inferni methonimicè sunt gravissimi dolores, qui mortem afferant, & animam demergant in Infernum: sensus est Deus suscitavit Christum superatis doloribus, ac cruciatibus concomitantibus mortem, & infernum; *juxta quod erat impossibile teneri eum*, cum sit innocentissimus, ac verus Deus expers omnino totius pœnæ mortis, ac inferni seu sepulchri. 199.

QUÆSTIO

QVÆSTIO XXII.

Refutantur deliramenta hæreticorum præſentem Textum prævertentia.

200 Calvinus Beza. AIt D. Petrus; *Hunc definito conſilio, & præſcientia Dei traditum.* Impie, ac imperitè Calvinus, & Beza, & alii hujus furfuris pro *præſcientia* legunt *providentia* ad ſuos errores, ac falſitates ſeminandas; dicuntque Deum eſſe Auctorem omniũ operum, ſive bonorum, malorumve, Deumque eſſe cauſam tam peccatorum, quam virtutum, & ſicut fuit Auctor pœnitentiæ Petri, ſic perditionis Judæ, ac crucifixionis Chriſti.

201 O impia, & impudica, crudeliſque blaſphemia contra Divinam bonitatem? Et imprimis juxta radicem græcam legendum, *præſcientia Dei*, & ſic habent antiquiſſimi codices, & Patres ante Calvinum, & Bezam: ſed hi impij ad ſuos errores ſuſtinendos corrumpunt hic Sacram Scripturam, ut in multis aliis faciunt.

202 Sancta, vera, ac Catholica Doctrina eſt Deum non eſſe cauſam, nec Auctorem alicujus peccati, nec alicujus actionis moralis malæ, ſed eſſe authorem omnium bonorum operum, quod de rurſum eſt deſcendens à Patre luminum, concluſio eſt de fide Oſeæ 13. num. 9. *Perditio tua Iſrael tantummodo in me auxilium tuum.* Alij codices habent: *Perditio tua ex te Iſrael.* Pſalm. 5. num. 4. *Non Deus volens iniquitatem tu es.* Ieremiæ 19. numer. 5. *Ædificaverunt excelſa Baalim, quæ non præcepi, nec locutus ſum, nec aſcenderunt in cor meum.* Habacuc 1. num. 13. *Mundi ſunt oculi tui, ne videant malum, & reſpicere ad iniquitatem non poteris.* Eccleſ. 15. numer. 21. *Deus nemini mandavit impie agere.* Luc. 13. numer. 27. *Quibuſdam* ait Chriſtus: *Neſcio vos, diſcedite à me operariis iniquitatis.* Iacob Apoſtol. capite primo numero decimo tertio ait: *Nemo cum tentatur, dicat quoniam à Deo tentatur, Deus enim intentator malorum eſt, ipſe autem neminem tentat, unuſquiſque verò tentatur à concupiſcentia ſua.* Et multa alia loca.

Oſeæ 13. Pſal. 5 Jerem. 19 Habac. 1 Eccl. 15. Luc. 13. Iacob.

203. Explicatur Dei præſcientia, ac eius divinum decretum Totam hanc catholicam doctrinam altiſſimè confirmat D. Petrus in præſenti dicens: *Hunc definito conſilio præſcientia Dei traditam.* Cum decreto Dei conjungit ejus præſcientiam; nam, ut docent communiter Theologi Deus ab æterno per ſuam omniſcientiam prævidit Scribas, & Phariſæos impios in tali tempore, loco irruere contra Chriſtum Ieſum ejus nequitias reprehendentem, ut eum crucifigerent, tunc Deus decrevit ponere Ieſum in tali tempore, & loco, & ejus mortem in ſalutem generis humani ad recompenſandam injuriam ſibi factam per peccatum Adami; ac proinde in Deo præſcientia extitit ex malitia Iudæorum, decretum verò ordinans ipſam Chriſti mortem in noſtram Redemptionem fuit ex bonitate Divina.

204 Prævenitur obiectionibus hæreticorum. Et ita in quoddam æternitatis ſignum objectum fuit intellectui Divino illud peccatum crucifigentium Chriſtum, ut futurum, Deuſque illud præſcivit ſuo infinito lumine, & itaque non quia Deus præſcivit illud futurum erat, ſed quia illud in ſe erat futurum, ideo Deus illud præſcivit: Unde illa præſcientia nullam ponit neceſſitatem in rebus, quia ipſa Dei præſcientia non facit rem futuram, ſed illa, quia futura, ideo prænoſcitur à Deo.

205 D. Aug. D. Proſp. Communiter Sancti Patres, D. Auguſt. in ſententiis n. 311. ait: *Multa bona fecit Deus in homine, quæ non facit homo, nulla vero facit homo, quæ Deus non facit, ut faciat homo.* D. Proſper ad capitula Gallorum cap. 7. ſic ait: *Gratia Dei non prius eos* (ſcilicet reprobos) *deſeruit, & quia hoc ipſos voluntariè facturos defectione prævidit, ideo illos in prædeſtinationis electione eos non habuit.* ſic D. Aug. multis in locis, D. Hier. D. Bern. D. Fulg. D. Chryſ. Noſter. D. Cyril. Alex. quos ad longum citant, ac ſequuntur omnes Theologi cũ D. Th. 1. 2. q. 79. art. 3. & ſent. cũ Magiſtro in 2. diſt. 7. ſoſt. D. Dam. D. Hier. D. Bern. D. Chry- D. Cyril. Alexand. D. Tho.

Tandé hæc veritas definita eos in multis Conciliis Arauſic. 2. can. 25. anno 529. ſub Felice IV. Tandem in Trident. ſeſſ. 6. can. 6. ſic ait: *Siquis dixerit non eſſe in poteſtate hominis vias ſuas malas facere, ſed mala opera, ita ut bona Deum operari non permiſſive ſolum, ſed etiam proprie & per ſe, &c. Anathema ſit.* 206. Arauſic. Trident.

Et ad hanc veritatem confirmandam fortiſſimas, ac graviſſimas rariones, adducunt citati Thologi, & doctiſſime explanant, & ex eo maximè quia ſententia hæreticorum multum repugnat cum bonitate Divina, & ex tali hæreſi ſequuntur graviſſima abſurda, quod, ſcilicet, Deus ſit peccator, malefactor, injuſtus. & iniquus, quia condemnat hominem ad Infernum ob peccata, quæ ipſe fecit, ut homo faceret, quæ ſunt impudica, blaſphemia quas piæ aures horreſcunt audire. Hæc breviter pro præſentis Textus explanatione.

QUÆSTIO XXIII.

Quare D. Petrus per tam altiſſima media probat Chriſtum D. verum eſſe Meſſiam promiſſum in lege, verumque eſſe Filium Dei?

AIt D. Petrus: *Ieſum Nazarenum virum approbatum à Deo virtutibus, prodigiis, & ſignis,* quæ omnia clare, & aperte monſtrabunt ipſum eſſe verum Meſſiam in lege promiſſum, nam de eo ſcribens Iſaias ait cap. 35. n. 5. *Deus ipſe veniet, & ſalvabit vos, tunc aperientur oculi cæcorum, & aures ſurdorũ patebunt: tunc ſaliet ſicut cervus claudus, & aperta erit lingua mutorum.* Quæ omnia abundantiſſimè ſunt adimpleta in Chriſto ſua ſanctiſſima, ac puriſſima vita in ſupremo omnium virtutum genere præclariſſimo. *Prodigiis* magnis, & ſtupendis mirabilibus, ſuſcitans mortuos, quinque panibus ſatians pluſquã quinque millia hominum, ambulans ſuper mare, aperiens oculos cæcorum, & aures ſurdorum, mundans leproſos, dans manus, & pedes claudis, & arefactis, ſanansque infirmitates incurabiles. *In ſignis*, veluti à ſignificando dictis, ut imperare Dæmonibus, eoſque à corporibus expellere, quo evidenter demõſtrabatur, quod ipſe faciebat miracula, virtute Dei, & non Dæmonis, ut ipſemet Ieſus confundens malitiam Phariſæorum dixit Luc. 11. n. 17. *aperiens, & revelans cogitationes cordium* ibidem, & Matth. 10. n. 4. Luc. 7. n. 40. quod eſt opus ſolius Dei, ut ex Ieremiæ, & aliis locis ſcripturæ dixi ſupra cap. 1. expoſit. 12. n. 254. Deinde Chriſtus D. ſæpe condonavit, ac remiſit peccata, ut patet ex locis proxime citatis Matth. & Lucæ, quod eſt tantum Divinæ omnipotentiæ opus. 207 Isai. 35. Evidẽter demonſtratur Chriſtũ D eſſe verum Meſſiam. Luc. 11. Math. 10 Luc. 7.

Et licet aliqui Prophetæ fecerint aliqua miracula, fuerunt pauca, & in parvo numero, ut ait D. Petrus Actor. 10. numer. 38. *Ieſus à Nazareth qui pertranſit bene faciendo, & ſanando omnes oppreſſos à Diabolo, quoniam Deus erat cum illo.* Ut patet ex tota Evangeliſtarum ſerie, & Ioannes 21. numer. 25. ait: *Quod ſi per ſingula ſcriberentur, ipſum mundum libros capere non poſſe.* In tam ampla multitudine ſunt, & valde diſſimilia opera Chriſti ab aliorum operibus; nullus enim Prophetarum penetravit cordium ſecreta, nec potuit remittere peccata, ut fecit Chriſtus D. in quo univerſa, quæ prædixit Iſaias citato loco abũdãtiſſime ſunt adimpleta quæ omnia etiã luce meridiana clarius oſtendebant ipſum 208 Ioan. 21. Actor. 10

Ieſum verum eſſe Meſſiam, ut multis in locis latè oſtendi.

209 Oſtendit etiam D. Petrus apertè, & clarè Chriſtum D. verè eſſe Filium Dei, cùm eum appellat Ieſum; Hoc ſacratiſſimum nomen ob ſuam ſupremam celſitudinem nulli alteri poteſt convenire, niſi tantum Unigenito Filio Dei. D. Bernard. ſerm. 1. de Circunciſ. ait loquens de Chriſto, *Circunciditur ut verus filius Abrahæ, Ieſus vocatur, ut Filius Dei,* pro quo ſatis ingeniosè notat idem S. Doctor ſerm. 2. de Circunciſ. verba D. Luc. 2. n. 21. agens de Chriſti D. Circunciſione: *Vocatum eſt nomen ejus Ieſus, ut vocatum eſt ab Angelo*: ſic ait Sanctus Doctor: *Vocatum planè, non impoſitum, nempe hoc ei nomen eſt ab æterno, à natura propria habet, ut ſit ſalvator, innatum eſt ei nomen hoc, non inditum ab humana, vel angelica creatura.* Non dicitur quod Angelus, vel ſanctiſſima Virgo Maria, vel Ioſeph impoſuerint Chriſto nomen Ieſus, ut dicitur, quod *Præpoſitus Eunuchorum impoſuit nomen tribus pueris, &c.* Daniel. 1. numer. 7. Non ſic dicitur de nomine Ieſu, quod non impoſitum eſt, ſed vocatum, ſeu dictum, ſeu evulgatum; quia tam ſublime, & altum nomen imponere, ac dare erat ſupra vires intellectus creati, ſive Angelici, ſive humani, ſed ſolus Æternus Pater ſuo infinito lumine potuit ab æterno tam præexcelſum nomen Unigenito Filio ſuo cum ipſa natura dare, ac communicare; Innatum eſt nomen hoc, non inditum ab humana, vel Angelica natura.

Nomen Ieſus proprium Filii Dei.

Luc. 2

D. Bern.

Daniel. 1

Ieſus nomen à ſolo Æterno Patre datũ

210 Apparet Angelus ſancto Ioſeph, ut ei aperiat Myſterium Incarnationis, ut ſic ab eo removeatur omnis anxietas, & ait de Virgine Maria: *Quod in ea natum eſt de Spiritu Sancto eſt, pariet autem Filium, & vocabis nomen ejus Ieſum, ipſe enim ſalvum faciet populum ſuum à peccatis eorum.* Math. 1. n. 21. Quod Angelus revelet Ioſeph, quod Filius in utero Virginis conceptus erat ex Spiritu Sancto, & quod erat datus in ſalutem populi, multum per omnem modum inducebat, ut Ioſeph fieret certior de Myſterio Incarnationis, ſed ad quid etiam manifeſtat nomen? *Vocabis nomen ejus Ieſum.* Præclariſſimè ſe habuit Angelus, manifeſtat nomen Ieſus, ut ex tanta illius ſublimitate dictis Angeli abſque ulla dubitatione acquieſceret, quod ut Filius Dei ſit conceptus ex Spiritu Sancto, & ſit Salvator totius generis humani, tam admirabile nomen ſolùm Unigenito Filio Dei poterat convenire. Pulchrè D. Chryſoſt. homil. 4. in Matth. ait: *Nec nomen quodcumque dici, ſed quod eſt infinitorum bonorum theſaurus, & ex hoc ad credendum, quod dicebatur, inducit.* Expende ultima verba.

Math. 1.

Ex nomine Ieſus fit manifeſtus Filius Dei.

D. Chryſoſt.

Iterum in eiſdem verbis Angeli perſiſto, ait Angelus Matth. 1. n. 22. *Vocabis nomen ejus Ieſum, ut adimpleretur, quod dictum eſt à Domino per Prophetam, Ecce virgo in utero habebit, & pariet filium, & vocabitur nomen ejus Emmanuel, quod eſt interpretatum nobiſcum Deus.* Iſai. 7. n. 14. Quomodo hæc poſſunt ſtare? Angelus ait, quod puer vocabitur Ieſus. & in hoc adimpletum eſt vaticinium Prophetæ, quod dicendus ſit Emmanuel, optima eſt cohærentia: Emmanuel interpretatur nobiſcum Deus, Ieſus nomen proprium Dei, ipſe veniens in mundum adimpletum eſt nobiſcum Deus, quod ſignificatum importat Emmanuel, & ex hoc intelliges, quod multis facit magnam difficultatem, cur D. Matthæus Hebraice ſcribens exponit nomen Hebraice Emmanuel? voluit Evangeliſta cavere, ne huic nomini Emmanueli aliquæ ſiniſtræ expoſitiones darentur, & ideo ipſe expreſſit veram; & germanam, quæ eſt nobiſcum Deus, quod ſignificatum etiam inportat nomen Ieſus, & ita cum tali nomine optimè vaticinium Prophetæ cohæret.

211 Math. 1.

Iſai 7.

Ieſus nomen idẽ valet, ac nobiſcum Deus.

D. Chryſ. D. Chryſoſt. ad hunc locum Matthæi ait: *Mos ſcripturæ eſt, eventus rerum ponere nominum loco, quid enim aliud eſt vocabitur nomen ejus Emmanuel, niſi videbunt oculi mortalium Deum inter homines verſantem*, Ieſum, ſcilicet, Dei Filium.

QVÆSTIO XXIV.

Quare Chriſtus D. dicitur reſurgens ſolutis doloribus Inferni, & quid per tales dolores Inferni intelligatur?

212 PRimò impudicè Calvinus ait, Chriſtum D. in ſe ſuſcepiſſe pœnas, anxietates, ac deſperationes damnatorum nobis debitas, ut pro eis ſatisfaceret, & ſic eas ſolviſſe, & inde infert hæreticus Chriſtum in Cruce deſperaſſe, cùm clamavit *Deus Deus meus, ut quid dereliquiſti me.* O impia, & barbara blaſphemia, Filium Dei facit peccatorem, immo in ipſa Cruce ait Paulus Hebræorum 5. n. 7. *Supplicationes cum clamore valido, & lachrymis offerens exauditus eſt pro ſua reverentia.*

Calvini blaſphemia.

Hebræ. 5

213 Secundò alii Hæretici dixerunt Chriſtum ſolviſſe dolores Inferni, tanquam ab effectu, ſolviſſe nempe damnatos à pœnis Inferni, quomodo hoc fieri poteſt, cum ipſi ſint obſtinati in malo, & in illa ſancta civitate nihil coinquinatum ingreditur, & ſi Chriſtus damnatos liberavit à Pœnis, cur non etiam Dæmones?

Chriſtus non liberavit damnatos.

214 Tertiò Caietanus docet pœnalitatem quandam animæ Chriſti fuiſſe à corpore ſeparari, & eſſe in inferno, ſeu Lymbo Patrum, corpori autem etiam eſſe ſine anima in ſepulcro: At illa mutua ſeparatio inter animam & Corpus Chriſti non fuit impoſita tanquam in pœnalitatem, & ſatisfactionem alicujus peccati; quia omnis illa in morte Chriſti eſt abſoluta, ſed fuit conſequens ex debito naturæ, quam, ut verus homo, ſuſtinuit, immo ad magnam animæ Chriſti gloriam, quæ animas Sanctorum Patrum ſecum adduxit in gloriam.

Cajetan.

Chriſti corpus in ſepulchro nulla pœnalitas.

215 Quartò alii cenſent Chriſtum D. ſolviſſe dolores, ſeu funes, ut habet Syriacus, qui ipſum Chriſtum, ſuoſque fideles conſtringebant, ipſoſque rupit, & diſſolvit non ſolum in ſe; ſed etiam in ſuis fidelibus, dum animas detentas in Purgatorio, vel Lymbo liberavit, & ſecum aſportavit in gloriam, ita D. Aug. epiſt. 99. Gloſſa interlinealis, & hæc ſententia eſt probabilis.

Liberans animas Purgatorii.

D Aug.

216 Quintò Oecumenius ait, *Quiamors illum detinens, doluit, ipſe verò à periculo ejus*, quod, ait, Chryſoſt. *periculum vocatur dolor mortis, liberatus eſt, ſic reſurgens tanquam jam non moriturus, nec ullum amplius dolorem mortis, aut conditionis mortalis experturus.* Tanquam ſi dicat Chriſtum mortuum, mors, & infernus tantum pondus in ſuo utero non poterant ſuſtinere, ſed magnum dolorem patiebantur, à quo dolore Deus reſuſcitans Chriſtum ruptis vinculis mortis, ipſam mortem, & infernum liberavit; hæc ſententia plus habet ingenii, quàm literæ, in qua eſt Theophilactus.

Oecum. D. Chryſ

217. Ad veram intelligentiam, ac ſententiam duo ſupponenda ſunt; Primum, quod graves, ac vehementiſſimi dolores dicuntur dolores mortis, & Infernii Pſalm. 17. n. 5. & 6. *Circundederunt me dolores mortis, & dolores Inferni circundederunt me, præoccupaverunt me laquei mortis.*

Pſal. 17.

218 Secundum ſupponendum eſt frequentiſſimè in Scriptura Infernũ ſumi pro ſepulchro, ut ait D. Auguſtin. ad cap. 37. Geneſ. numer. 35. *Deſcendam ad Filium meum lugens in Infernum*, & ibi vertit Pagnin. in foveam, ſeu ſepulchrum. Iob. 17. numer. decimo tertio. *Infernus domus mea eſt.* Lyra, *ſepulchrum domus mea eſt.* Geneſ. 42. numer. 38. ait. Iacob

D. Aug. Gen. 37. Pagnin. Iob. 17. Lyra. Gen. 42.

Jacob *Deducetis canes meos cum dolore ad Inferos*, id
3.Reg.2. eſt ad ſepulchrum, ut legit Pagnin.3.Reg.2.n.6.Ait
David filio ſuo Salomoni de Joab : *Non deduces ca-*
nitiem ejus pacificè ad Inferos. Hoc eſt, ſepulchrum:
Pſal. 6. Pſalm. 6. n. 6. *In Inferno quis confitebitur tibi?* Ex-
D. Hier. plicat D.Hieronymus in ſepulchro.

Ait D.Petrus de Chriſto D. *Quem Deus ſuſcitavit*
219. *ſolutis doloribus Inferni* Per dolores mortis, & Infer-
ni intelliguntur acerbiſſimi, ac graviſſimi dolores,
quæ ſunt cauſæ mortis, ac ſepulchri,quæ ſcilicet ho-
minem deducunt ad mortem, & ſepulchrum: Deus
ergo ſuſcitans filium ſuum Unigenitum Jeſum ſol-
Verus, & genuinus ſenſus. vit deſtruens omnes dolores, quos pertulit in ſua
paſſione,agonia in horto, flagellis, ſpinis, cruce, &
clavis, qui ipſum deduxerunt uſque ad mortem, &
ſepulchrum, juxta quod ait D. Petrus : *Impoſſibile*
erat teneri eum, in ipſa nempe morte,ac ſepulchro,
cum ſit Agnus innocentiſſimus, unigenitus Dei Fi-
lius, Deus verus, & ipſamet vita, victor ac triu-
phator *ſedens ad dexteram Patris*, ut connaturalis,
ac eſſentialis ſui locus, ut communiter explicant
Pſal 109 Sancti Patres, & Doctores ad illa verba Pſ.109.n.1.
Marc.16 *Sede à dextris meis.* Et Marci 16. n 19. *Sedet ad*
*dextris Dei.*Ut ipſa vita non poterat teneri à morte,
& ſolvit illius dolores,ut ſedens ad dexteram Patris,
dolores nempe,qui eum in ſepulchro repoſuerunt.

Actor. 2.*n.*25. David dicit in eum: Providebam Dominum in conſpectu meo ſemper,quoniam à dextris eſt mihi ne commovear.

Num. 26. Propter hoc lætatũe ſt cor meum & exultavit lingua mea, inſuper & caro mea requieſcet in ſpe.

Num. 27. Quoniam non derelinquet animam meam in inferno, nec dabit Sanctum ſuum videre corruptionem.

*Num.*28.Notas mihi feciſti vias vitæ, & replebis me jucunditate cum facie tua.

VERSIONES.

*Syrus.n.*25. David dicit de eo: Fui proſpiciens Dominum in omni tempore ad dexteram.

Æthiopic. Semper proſpiciebam eum, *Arias* ut ne concutiar.

*Syrus n.*26.Exultavit lingua mea,etiam corpus meum commovebatur in ſpe.

Arabicus. Habitavit ſuper ſpem. *Æthiopic.* Adhuc in ſpe.

*Arabic.n.*27. Quod non deſeres animam in præcipitio, neque dabis innocenti ſuo corruptionem. *Oecumen.* Nec ſines.

Syrus n. 28. Revelaſti viam vitarum, & replebis me lætitia.

Arabic. Exultatione per vultum tuum.

Æthiopic. Et deliciæ in dextera tua in perpetuum.

EXPOSITIO XIII.

220. Caiet. Syrus. Verſ.25. *David dicit in eum*, Syrus legit *in eo*, alij *pro eo.* David, ut notat Caietan. loquitur in perſona Chriſti,retenta verò noſtra vulgata dicit *in eum*,hoc eſt in laudem, & gloriam Chriſti,ac nomine ejus *providebam Dominum in conſpectu meo ſemper*, hoc eſt à primo inſtanti meæ Incarnationis, in tota mea vita, in omni actione mortis, paſſionis,ac dolorum ſemper mente tota defixa eram proſpiciens in Deum, à cujus intuitu, ac viſione, etiam ut homo nunquam me ſeparavi per ſcientiam beatam infuſam, certa, ac firma ſpe, quod ab omni tribulatione, ac morte me liberaret, & ideo ſubdit *à dextris eſt mihi*, non quocumque auxilio, & potentia, ſed valde ſingulari, forti, ac vehementiſſimo, quod per dexteram frequenter in Scriptura ſignificatur. *Ne commovear*, Arias *ne concutiar.* D. Aug. noſter Incognitus,ab eo ſcilicet, ſed in eo ſtabiliter, ac perſeveranter permanſit. Arias. D.Aug. Incogn.

221. Verſ.26. *Propter hoc lætatum eſt cor meum* magna, & interiori lætitia, *& exultavit lingua mea*, ut ait Lyranus Prorumpens exterius in laudes Divinas, ſicut ſcribit D.Lucas 10.n.11. *In ipſa hora exultavit Ieſus in Spiritu ſancto*, ſubdit Textus *inſuper*,Syrus legit *etiam*,& ait, *& caro mea*, uſque ad tertium diem ſecura, & certa requieſcet in ſepulchro, & in infallibili *ſpe* futuræ glorioſæ Reſurrectionis. Lytan. Luc.10. Syrus.

222. Verſ.27. *Quoniam non derelinques animam meam in inferno.* Ex hoc loco apertè colligitur id, quod fides Catholica docet Chriſtum D. deſcendiſſe ad Inferos, ut habet Symbolum Apoſtolicum, & docent Sancti Patres. D.Ambroſ. ſerm. 74. de Marty. D.Hieronym.in Pſal.15.D. Auguſt. epiſt. 99. & alij Patres apud Bellarm. de anima Chriſti cap.12. ubi latè impugnat errorem hæreticorum Calvini, Bezæ, & aliorum articulum Fidei denegantium,qui varias corruptelas faciunt in hoc textu,ſicut in aliis ad ſuos errores ſeminandos.Vide citatum Bellarm. Symbol. Apoſt. D.Ambr. D. Hier. D.Aug. Bellarm.

223. Et quamvis anima aliquando ſumatur pro toto homine, ut dicitur *Egreſſæ ſunt de femore Iacob ſeptuaginta animæ.* Exod.1.num.5. & ſæpe alibi; aliquando verò pro hominis parte informante corpus, ut, hic,ſicut Infernus,aliquando pro Sepulchro,aliquando pro Lymbo, ut modo hic ſequens D.Petrus ſenſum Pſalmographi. Exod. 1.

224. Senſus ergo eſt: *Non relinques animam meam in inferno, nec caro mea videre ſepulchrum.* Primum refertur ad Chriſti animam deſcendentem ad Lymbum, ut deduceret animas Sanctorum Patrum; ſecundum ad corpus in ſepulchro, ut nullam corruptionis læſionem patiatur, & ideo ſubdit, *Non dabis Sanctum tuum videre corruptionem*, cum ipſe ſit Sanctus Sanctorum, non ſolum animâ, ſed etiam corpore, ut quæſtione ſequenti attingam.

225. Verſ. 28. *Notas mihi feciſti vias vitæ.* Revelaſti viam vitarum, me revocando ex morte,ac inferno ad vitam per reſurrectionem, ipſamque vitam tribuam Patriarchis, & Sanctis meis in Lymbo, tum in fine mundi in judicio *Univerſali* meis fidelibus, ducens eos ad novam reſurgentium vitam, & ideo Syriacus legit *Vitarum*, & ſubdit Textus *replebis me jucunditate cum facie tua*, hoc eſt præſente facie tua. Nam licet Chriſtus à primo ſuæ Conceptionis inſtanti viderit Deum, hoc tamen fuit corpore paſſibili, itaut ipſa gloria animæ non redundaret in corpus.At verò poſt Reſurrectionẽ gloria animæ redundat in ipſum corpus glorioſum cum impaſſibilitate, & claritate, cæteriſque dotibus corporis glorioſi, quibuſcum ſedet ad dexteram Patris in excelſis.

QUÆSTIO XXV.

Quare corpus, & caro Chriſti dicenda eſt Sancta? explicatur quid ſit Sanctum.

AIt Textus: *Non dabis Sanctum videre corruptionem*,quod de toto Chriſti compoſito intelligunt communiter Doctores, ac ſi dicat:Non dabis 226.

Christum tuum: tamen existimo referendum esse ad ipsum corpus, seu cadaver Christi in sepulchro; de anima enim ait: *Non relinques in Inferno*, de corpore, Non relinques in corruptione, *Non dabis videre corruptionem.*

227. Granedi. Mendoz. Hurtad

Multi, & graves Theologi, ut Granado, Mendaza, Hurtado tenent, quod Sancti tres in suo conceptu abstractivo sit propria creaturæ intellectualis: fundamentum unicum est; quia Sanctitas dicit supernaturalem bonitatem, ad quam amor Divinus terminatur, & ipsa creatura sit capax inire amicitiam cum Deo. Hæc ratio petit principium.

228. D. Bonaventura Mairon Valent. Bur. Toletus. Nazar. Saavedra.

Econtra vero multi graves Doctores, ut D Bonaventura, Mairon. Jacobus de Valentia, Suarius, Toletus, Nazar. & alij, quos citat, ac sequitur Saavedra de B. Virgine Maria vestig. 4. disp. 24. sect. 3. n. 53. aliàs fol. 225. & missis multis rationibus istorum Authorum ego hac una ratione sic probo: Illud est quinamento, ac macula, & à Deo supernaturali fatum, nam per talem supernaturalitatem jam res manet supra omnem naturæ vim constituta in quodam ordine Divino, ac proinde ex illa supernaturalitate habet participationem à Deo, ut Authore supernaturali, ac fonte totius Sanctitatis, v. g. unio hypostatica, quæ datur inter Verbum D. & corpus Christi etiam ex parte corporis, & prout in corpore subjectatur est supernaturalis, & sancta, & inde ipsum corpus Christi, & caro est sancta, & in præsenti dicitur de corpore Christi: *Non dabis sanctum tuum videre corruptionem*, ubi corpus sumitur prout condistinguitur ab anima, de qua scribitur *Non relinques animam meam in Inferno*, & hac ratione potest dici sanctus, & gratia, ut est habitus, sancta.

Quid sit Sanctū?

229. *Corpus & caro Virginis sancta.*

Idem dico de corpore, ac carne B. Virginis Mariæ, quæ ipsum Deum verè, realiter, ac substantialiter in se suscepit, uteruque ejus factus est sacrariū totius Trinitatis, & ex ejus sanguine cooperante Spiritu sancto formatum est corpus Christi, ipsaque, ut ait D. Thomas, attigit fines Divinitatis, & ideo ex tanta conjunctione cum Deo constituta est in quodam superiori ordine, & quamdam rationem sanctitatis corpus, & caro ejus participavit, & ita ut refert D. Damascenus de dormitione Virginis Sancti Apostoli illud sacrum cadaver venerantes adoraverunt.

D Tho.

D. Damasc.

230 *Peculiaris providētia.*

Ad nostrum redeamus scopum: *Non dabis sanctum tuum videre corruptionem*, quam licet, ut debitam unio hypostatica requireret, tamen præter ipsam expostulabatur actio physica Divinitatis, quæ illud conservaret, ac tueretur ab aëre, ac humoribus, aliisque qualitatibus, quæ in corpore mortuo generant corruptionem, ut docent D. Tho. 3. p. q. 51. art. 3. ad 2. & Gabriel, Herveus, & alij in 3. dist. 20.

D. Tho. Gabriel. Herveus

231 *Sanguis effusus non est corruptus.*

Quod etiam ad sanguinem Christi effusum in passione extendunt Gabriel. Durand. quos citat, ac sequitur Suar. tom. 2. in 3. p. disp. 47. sect. 2. sanguinem à Christo effusum non fuisse corruptum, ut contingit in sanguine effuso ab alijs hominibus, à qua corruptione eum præservavit Divinitas Verbi, cui, ut antea, erat hypostaticè unitus, ac conjunctus, & ait Soar. hoc videri definitum à Clemente VI. & Pio II.

Soar. Cle. VI. Prius II

QUÆSTIO XXVI.

Quare tantus est Christus in præsenti in referendis ac recensendis beneficijs à Deo Patre acceptis?

332 MUlta dona à Deo Patre sibi communicata repetit Christus, primo *à dextris est mihi, ne commovear*: Secundo, *Caro mea requiescet in spe.* Tertio, *Non relinques animam meam in inferno*: Quarto, *Non dabis sanctum tuum videre corruptionem.* Quinto, *Notas mihi fecisti vias vitæ.* Sexto, *Replebis me jucunditate cum facie tua.*

Multa beneficia à Deo Patre.

233 Tot, & tanta beneficia sibi à Deo Patre collata commemorat, ut semper ea in memoria tenens, & pro eis gratias Deo habens, qui non solum in eo tot, ac tanta beneficia impertivit nempe quod in ipsis ingruentibus malis liberaverit, sed etiam in ipsis eum sublimaverit, & exaltaverit, ut ejus anima non solum non esset in Inferno, sed etiam ab illo exiret magno Sanctorum Patrum comitatu. quod non solum ejus corpus esset à corruptione liberum, sed & sanguis à corpore separatus, perque varias partes dispersus (ut dixi superiori quæstione ad finem) totus exultaret gloriosus, ac facei Dei præsentiâ jucundaretur.

Sancti ex malis exaltantur.

234 In persona Christi ait Regius Vates Psal. 9. n. 15. *Qui exaltas me de portis mortis.* Perbelle notat Chrysost. *Non dixit* (inquit) *qui liberas me, sed qui exaltas me; non enim in eorum malis solvendis tantum subsistit Dei beneficium, sed facit eos etiam admirabiles, insignes, ac clariores, non dixit autem in porta, sed ex portis multa pericula significans à quibus*, scilicet non solum est liberatus; Deus enim sæpe multa mala contra Sanctos, ac justos fieri permittit, ut ipsi clariores appareant.

Psal. 9. D. Chrysost. *A laboribus exaltantur Sancti.*

235 Quod præclarissimè confirmat, & prosequitur citatus Chrysost. ad prædictum Psalmum dicens: *Potest enim Deus in rebus, vel difficillimis, & impeditissimis exitum invenire.* Et post pauca subdit: *Ideo nec pueros eripuit à principio, sed postquam conjecti fuerunt in fornacem, nec Danielem antequam esset immissus, sed septem post diebus: Hoc jam ostendens Psalmographus, audi quod subjungat: Omnes gentes circumierunt me, vidicti periculum inevitabile statim, sunt tamen omnia confracta ab ipso Deo, & ideo addit, & in nomine Domini ultus sum in eos*, Syriacus legit *exarcuit in eos*, Arabicus *dissipavit eos*; Non enim liberavit pueros antequam mitteretur in fornacem, nec Danielem antequam ille in lacu Leonum descendisset, nec Davidem, antequam omnes gentes ad eum deglutiendum convenissent, sed postquam pericula ipsa in eos irruerunt, ut sic illis superatis gloriosiores, ac illustriores fierent, & sic ait David: *Ultus sum in eos*, Psal. 117. n. 10. Arabicus *dissipavit eos.* D. August. Nostre Incognitus, Genebrardus, ut gloriosus Victor, ac triumphator exhiberetur.

D Chrysost. Syriac. Arabic. *Iusti de periculis triumphatores.* D Aug. Incogn. Genebr.

Magna seditio, murmurque populi cum exottum esset contra Moysen, & Aaron, tumultusque maximè increscret, ut jam veluti ad eos interficiendos populus armatus conveniret, Moyses, & Aaron pro tanto discrimine evitando *fugerunt ad tabernaculum fœderis*: Tunc Deus rem valde mirabilem perpetravit: *Postquam ingressi sunt, operuit nubes, & apparuit gloria Domini*, Num. 16. n. 43. Res sanè admirabilis, cùm ex tumultuante populo Moyses, & Aaron fugiunt ad tabernaculum, seque ad illud recipiunt tunc nubes lucida cooperit tabernaculū, & ipsa Dei Majestas descendit, ut ab universo populo disnoscatur. Quid illustrius, aut majus fieri poterat, quam propulsato periculo, ut servi Dei exaltarentur, ac sublimarentur, quam quod ipsa Dei Majestas descenderet in eorum protectionem, & inde permissum est periculum ad eorum illustriorem gloriam. Origenes citatus in Glosa ait: *Non legimus quod antea obtexerit nubes tabernaculum, & apparuerit Majestas Domini, & receperit inter nubem Moysen, & Aaron, nisi tunc cùm surrexit in eos populus, & voluit lapidare: Discamus ex hoc quanta sit utilitas in persecutionibus Christianis, quantum gloriæ conferantur quando*

236. Num. 16.

Ex periculis, ac persecutionibus maximè exaltantur Sancti.

quando propugnator ſiat Deus, & Spiritus infunditur.

237. Poſtquam tres illi pueri egreſſi ſunt è fornace abſque læſione, *Tunc Rex promovit Sidrach, Miſach, & Abdenago in Provincias Babylonis*, Dan. 3. n. 93. Captivi erant morti traditi, flammis dati, & inde ad Principatum, & gubernaculum totius Imperij Babylonici exaltantur, elegantiſſimè D. Chryſoſtom. epiſt. 5. ad Theodor. ait: *Flamma corrupit mortalia corpora, & ab immortalibus abſtinet, integrumque reddit depoſitum, indeque multo cum ſplendore, nam quemadmodum ex Regibus Reges, ita de camino egreſſi ſunt pueri.* Expende præclara ultima verba. Quemadmodum Reges generant Reges, ſic fornax caminus ardens, ac ærumna affligens generant Reges, ac Principes.

Dan. 3. *Labor generat reges.* D. Chryſoſt.

Actor. 2. n 29. Viri fratres, liceat audenter dicere ad vos de Patriarcha David, quoniam defunctus eſt, & ſepultus, & ſepulchrum ejus eſt apud nos uſque in hodiernum diem.

Num. 30. Propheta igitur cum eſſet, & ſciret, quia jurejurando juraret illi Deus de fructu lumbi ejus ſedere ſupra ſedē ejus.

Num. 31. Providens locutus eſt de Reſurrectione Chriſti, quia neque derelictus eſt in Inferno, neque caro ejus vidit corruptionem.

Num. 32. Hunc Jeſum ſuſcitavit Deus, cuius nos teſtes ſumus.

VERSIONES

Syrus n. 29. Permittitur dicere ad vos palam de priore Patrum David & domus ſepulchri eius, &c.

Arabic. Æthiopic. Sanè licebit vobis apertè dicere, *Syrus Regius* monumentum eius.

Syrus n. 30. De fructu ventris ſui ſedere ſupra ſolium ſuum.

Arabicus. Quod ſuſcitaturus eſſet Chriſtum de fructu lumbi eius, quantum ad carnem, ut ſederet. *Oecumen.* ſuper thronum.

Syrus n. 31. Et vidit ante, & locutus eſt de reſurrectione Chriſti, nec corpus eius. *Caietanus* Prævidens. *Oecumen.* Præſcius.

Arabicus. Cum hoc præſciviſſet, quod anima ipſius nempe Chriſti non eſſet deſerenda in præcipitio.

Syrus n. 32. Hunc Jeſum ſuſcitavit.

EXPOSITIO XIV.

238. Verſ. 29. *Viri fratres liceat audenter dicere ad vos*, Syriacus *Permittitur dicere apud vos.* Magnus Magiſter Petrus modeſtiæ cauſa ſic loquitur tanquam benevolentiam, & dicendi facultatem expoſtulans. *De Patriarcha David*, Syrus *de priore Patrum David*, Probat citata verba Pſalmi: *Non dabis ſanctum tuum videre corruptionem*, non poſſe intelligi de David; quia *ſepulchrum ejus eſt apud vos uſque in hodiernum diem*; Vos enim hujus rei teſtes eſtis, quia ſepulchrum ejus, in quo ipſe mortuus, ac corruptus, redactuſque in pulverem jacuit, poſt tot ſæcula uſque ad præſēs extat apud vos, intelligenda ſunt de Chriſto Jeſu, qui ſolū per 36. horas jacuit in ſepulchro, ut inde abſque ulla corruptionis læſione glorioſus ſurrexerit, cujus rei teſtes ſumus, proindeque in ejus perſona loquitur David.

Syriac. Syrus.

Verſ. 30. *Propheta igitur cum eſſet* prævidit, & agnovit futura; *quia iurejurando juraſſet illi Deus*: Dicitur jurare, ut nos certiores, ac firmiores redderet de immobilitate ſui conſilij, ac voluntatis, ut patet ex Paulo ad Hebræos 6. n. 17. & ait: *In quo abundantius volens Deus oſtendere pollicitationis hæredibus immobilitatem conſilij ſui interpoſuit iusiurandum.* Valde difficiles ſunt homines ad credenda ea, quæ ſunt Dei. *De fructu lumbi eius*: de lumbo facit mentionem; lumbus enim eſt origo generationis. *Sedere ſuper ſedem eius.* Hoc autem Chriſti regnum non fuit temporale, in quo falluntur perfidi Iudæi: Chriſtus regnat in Eccleſia per totū Orbem, & ejus regnum non ſolum eſt, ut filij Davidis, ſed etiam Dei Patris excellentius, ac illuſtrius regno Davidis; hoc enim fuit temporale, Chriſti verò ſpirituale, David terrenum, Chriſti cœleſte, Davidis finibile, & periit, Chriſti verò æternum, & perenne.

239. Hebræ. 6. *Magna differentia inter Chriſti & Davidis regnum.*

Verſ. 31. *Providens locutus eſt* hîc repetit Apoſtolus, quæ ſupra dixerat verſ. 27. & ibi explanata ſunt quæ valde neceſſaria ſæpe veniunt repetenda, ut Chriſtus D. fecit in Evangelio recommendans ſemper vigilandum, Verſ. 32. Hunc Jeſum, quem ſuſcitavit Deus, *cuius nos teſtes ſumus.* De hoc teſtimonio Reſurrectionis jam egi cap. 1. n. 21.

240.

QUÆSTIO XXVII.

Quare referens D. Petrus Davidis magnalia, de eius ſepulchro facit mentionem?

COmmuniter graves Patres, ac Doctores advertunt quod cautè loquitur Apoſtolus in præſenti loquens de Davide dicens: *Sepulchrum eius eſt apud nos*, non ait ejus corpus, ejus cadaver; quia videtur quod ipſe David cum aliis Patribus, Adamo, Abel, Abrahamo ſurrexiſſet in ſuo corpore cum Chriſto, Matth. 27. n. 5. proindeque eorum corpora non iterum rediiſſe ad ſepulchrum, ſed omnes, qui ſurrexerunt, hoc eſt fuiſſe eis datum ad vitam æternam & immortalem, ac cum Chriſto triumphantes glorioſos cum ſuo corpore cœlos aſcendiſſe; hoc maximè decebat magnificentiam Chriſti, cujus dona in ſuos electos non ſunt revocabilia, atque hoc ipſum maximè expediens erat ipſis Sanctis ne iterum cogerentur mori, ac diſſolutionem corporis ab anima pati. Ita D. Hieronym. Origenes, Beda, D. Anſelm. D. Epiphan. Hæreſi 75. Clemens Alexandr. lib. 6. Strom. Euſebius lib. 4 de Mont. 12. D. Thom. ad cap. 27. jam citatum, ubi ego etiam hanc ſententiam amplector tom. 5. in Evang. lib. 8. cap. 19.

241. Math. 27 *Surrexerunt ad vitam immortalem.* D Hier Origen. Beda. D. Anſel. D Epiphan. Clem. Alex. D. Tho.

Maximè pō derandum, quod agens Apoſtolus de Magnalibus Davidis dicat quod ſit Chriſti Pater, & de magno ejus regno quod dandum eſt Chriſto D. *De fructu lumbi eius ponam ſuper ſedem eius*, tuncque Apoſtolus agit de morte, ac ſepultura ipſius Davidis, nil glorioſius, ac magnificentius homini, quàm mors juſtorum, ut erat David; nil illuſtrius, ac honorificentius homini, quam ſepultura, cum Chriſtus ſit ſepultus; ideo poſtquam D. Petrus egit de ſepultura Chriſti: *Non dabis ſanctum tuum videre corruptionem*, ſtatim facit mentionem de illa David: *Cuius ſepulchrum eſt apud nos.* Cum Chriſtus Ieſus eſt ſepultus, jam ſepultura non eſt pondus, ſed honor, & gloria. Eleganter D. Ambroſ. lib. 10. in Lucam. c. 96. ait: *Vnde te invocem Petre, ut doceas me quæ flens cogitaveris, unde, inquam, te invocem? de Cœlo, ubi iam choro inſertus Angelorum, an etiam de tumulo; quia non putas iniuriam ibi eſſe, unde Dominus reſurrexit.*

242. *Mors, & ſepultura ſummus honor.* D. Ambr.

ſurrexit. Anceps eſt Sanctus Doctor invocans Sanctum Petrum, an, dum ipſe eſt in cœlo, an dum ipſe currens ad Chriſti monumentum aſtat; juxta illud, Marc.16. quod ſcribit D.Marcus 16.n.5. Quod euntes mulieres ad monumentum viderunt *revolutum lapidem, & iuvenem ſedentem à dextris.* Ad quæ verba ſic ait D. Chryſoſt. Chryſoſt. in Pſalm.2. *Vt oſtenderent Angeli Deum fuiſſe ſepultum, ad ſepulchrum tanquam ad cœlum manebant.*

243. Cœlum eſt ad requiem Sanctorum, ſic ſepulchrum D. Gaud. fuit requies Chriſto D. ut expendit D. Gaudent. ſerm. 10. ubi ait: *Requievit Dei filius ab omnibus operibus ſuis, quæ cœperat Deus facere, quando conſummatis mirabilibus univerſis, & impleto ſexto die omni opere paſſionis, die ſeptimo, id eſt die Sabbathi requievit ſepultus: ſed quoniam operoſa Dei quies eſt, ipſa quies otioſa eſſe non potuit; nam corpore in ſepulchro depoſito, Divinitas cum anima hominis ad inferos deſcendens vocavit de locis ſuis animas Sanctorum.* Confringens vectes ferreos Inferni, & cum Pſal.23. ſuprema, altaque poteſtate. in quo ſenſu illud Pſal.23. D. Epiphan. n.6 *Attollite portas Principes veſtras* explicans Epiphanius ſerm. in præſenti ait ſic: *Non quaſi Dominus, qui hic præſto clauſis januis, ſi vellet ingredi non queat, verum quia vobis fugitivis ſervis, æternarum portarum ſublationem, comminutionem imperare mavult, quam perſe ipſum aperire.* Requieſcit Chriſtus in ſepulchro, ſed ejus quies eſt ſemper in noſtrum bonum, ac gloriam Sanctorum; & bene poterat Dominus ingredi clauſis januis, ipſaſque portas aperire, qui tot, & tanta mirabilia eſt operatus, tamen ad ſuam ſupremam poteſtatem oſtendendam, è ſepulchro mandat, ut ipſæ hoſtiles poteſtates ad ſui ſtragem, & ruinam eas aperiant.

Summa Chriſti poteſtas è ſepulchro.

244. Summa Chriſti poteſtas maximè veneranda in ſepulchro: ad alia Chriſti myſteria in ſua Paſſione vocantur communes homines, ſic ad portandum Chriſti crucem *angariaverunt quempiam Simonem.* Marci 15. n. 21. *Chriſto ſepulto miniſtri Principes.* *Vnus militum latus eius apruite.* Ioan.19. ad miniſterium ejus ſepulturæ Nicodemus, qui Ioan.3.n.1. dicitur Princeps Iudæorum, & *Ioſeph ab Arimathea nobilis Decurio*, Marc.15.n.43. nam miniſtrare Chriſto ſepulto ſolum magnorum, ac Principum eſt.

QUÆSTIO XXVIII.

Quare D. Petrus tam reverenter loquitur de Davide?

245. MAximè expendendus modus loquendi D. Petri: *Viri fratres liceat audenter dicere ad vos de Patriarcha David*, Syrus legit *de primore Patrum David* maximè ponderandum, quod habiturus ſermonem de Davide, quanta cum reverentia loquitur, captanſque benevolentiam verba facit, ipſumque Patriarcham, ac primorem Patrum appellat; cum enim ipſe eſſet Rex, nobis documentum præbet Apoſtolus, quod de Principe, ac Rege cum eximia reverentia, atque cautela agendum ſit: dicitur Eccleſ.10. Eccl. 10. n.20. *In cogitatione tua Regi ne detrabas*, non ſolum mente, neque verbis detrahas Regi, ſed nec etiam D. Atha. cogitatione: Cum S. Athanaſius accuſaretur, eo quod ei imponeretur malè contra Imperatorem Conſtantium Arianorum fautorem loquutum fuiſſe, ſic reſpondit Sanctus Pater: *Non inſanio, Imperator, neque immemor ſum divinæ vocis ita eloquentis: In conſcientia tua legem ne execreris*, in tanta apud viros cordatos Reges ſunt reverentia!

246. Quanta vero reverentia Regi exhibenda ſit, conſtat 1.Pet.2. ex his, quæ Petrus monet epiſt.1. cap. 2. n.13. *Subjecti eſtote omni humanæ creaturæ propter Deum, Regi quaſi præcellenti*: Græcus *quaſi eminenti*, & *excellenti*, ut ex ejus celſitudine deprehendatur illius ſumma reverentia. Inde Achior incipiens loqui cum Holoferne ſe totus proſtravit in terram, ut ibi exponunt graves Interpretes: Iudith.5.n.5. Et cum ipſamet Iudith introducta eſſet ad Holofernem, *& cum in faciem ejus intendiſſet adoravit eum proſternens ſe ſuper terram*, cap.10.n.20.

Græc. Cũ Rege *multa cum reverentia loquendum* Iudith.5 Iudith 10

Ex adulterio cum Bethſabee naſcitur filius David, 247. qui puer ſtatim ad magnum vitæ diſcrimen devenit, quo magno dolore affectus David multas preces pro parvuli ſalute Deo obtulit: *Deprecatus eſt David Dominum pro parvulo, & ieiunavit David ieiunio, & ingreſſus ſeorſum iacuit ſuper terram*, 2.Reg.12.n.16. & tandem moritur puer: Cur deprecationes tanti Regis, & jam pœnitentis vitam non conſequuntur puero; cum de orationibus juſtorum erga Deum ſcriptum ſit: *Aures eius in preces eorum*, Pſ.33.n.16. Theodoret. ibi q.26. proponens difficultatem ſic ait: *Quamobrem infantem recens natum morti tradidit Deus.* Reſpondet: *Vivus erat futurum argumentum ſceleris, ac iniquitatis pij Regis, qui erat etiam Propheta, curam gerens Dominus non ſinit eum vivere*: Erat perenne monumentum adulterij, ac criminis Davidis, moriatur ergo Puer, ut conſulatur honori, atque authoritati Regis Davidis, ne quis habeat anſam ad aliquid de eo detrahendum: In tanto honore, ac reverentia vult Deus Reges haberi, ut non ſolùm falſo, ſed etiam nec verè de eis malè dicatur, atque habeatur.

Actor.2.n.33. Dextera igitur Dei exaltatus, & promiſſione Spiritus ſancti accepta à Patre, effudit hunc, quem vos videtis, & auditis.

Num.34. Non enim David aſcendit in Cœlum, dixit autem ipſe: Dixit Dominus Domino meo ſede à dextris meis.

Num.35. Donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum.

Num.36. Certiſſimè ſciat omnis domus Iſraël, quia, & Dominum meum, & Chriſtum fecit Deus, hunc Ieſum, quem vos crucifixiſtis.

VERSIONES.

Syrus n.33. Qui per dexteram Dei exaltatus, accepit à Patre promiſſum, quod de Spiritu ſanctitatis, & donum.

Arabicus. Quando accepit à Patre hoc, quod vos modo vidiſtis.

Æthiopic. Spiritum pretioſum hunc.

Syrus n.34. Sede à dextera mea. *Arabicus* ad dexteram meam.

Syrus n.35. Suppeditaneum pedibus tuis.

Arabicus. Quoad uſque & ſub ſcabello.

Æthiopicus. Vſque referam.

Arabic.n.36. Sciat ſcientia certa, quod Deus conſtituerit Ieſum hunc metipſum, inquam, Dominum, & Chriſtum.

Æthiopic. Manifeſtè ſciat, quod Dominum, & Meſſiam.

EXPOSITIO XV.

248. Verſ. 33. *Dextera Dei*; Alta nempe Dei potentia, & virtute, *Exaltatus*, n morte magnis ſignis, & prodigiis; in Reſurrectione magno triumpho, & ſplendore, ſuaque etiam Aſcenſione in Cœlum multa majeſtate, & *promiſſione Spiritûs S. accepta à Patre*. Ex hoc etiam oſtenditur quomodo Chriſtus ſit exaltatus à Patre, à quo accepta poteſtate promittendi, & mittendi Spiritum S. pretioſiſſimum, ut habet Æthiopicus: *Quem vos vidiſtis, & audiſtis.* Per os noſtrum variis, & diverſis linguis ſimul magnalia Dei prædicante, ac etiam per ſonum advenientis Spiritus vehementis, qui vos ad hunc locum convocavit.

Æthiop

249. Pſalm. 109. Verſ. 34. *Non enim David aſcendit in Cœlum.* Efficaciter probat Apoſtolus Pſalm. 109 citandum, *Sede à dextris meis*, non proferri à Davide in propria perſona; quia ipſe non aſcendit in cœlum, ſed de Chriſto D. qui gloriosè in cœlum aſcendit, & ſedet à dextris Dei Patris. Dixit autem *Dominus*, nempe Deus Pater, *Domino meo*, nempe Chriſto, qui non ſolum eſt Dominus, qua Deus, ſed etiam qua Homo, tum ratione unionis hypoſtaticæ, tum titulo Redemptoris totius generis humani, ac etiam per reſpectum ad Angelos titulo glorificatoris, *Sede à dextris meis.* In eodem nempe ſolio mecum, cum ſumma, atque æquali poteſtate mecum, ut latius explicabo infra quæſt. 31.

Quid ſedere ad dexteram.

250. Verſ. 35. *Donec ponam inimicos tuos* infideles, & hæreticos tanquam *ſcabellum pedum tuorum.* Hoc eſt, eos tanquam vile ſcabellum, ſeu, ut habet *Syriacus* ſuppeditaneum, quo ſignificatur ſumma, & alta ſubjectio cum ſumma, & perfectiſſima ratione, quia tantum Dominum noluerunt recipere, nec adorare: Illa vero particula *Donec* non ſignificat quod uſque ad illud judicii tempus Chriſtus ſedeat ad dexteram Patris, quaſi deinceps non ſit ſeſſurus, ſed potius contrarium ſignificat, ac ſi dicat Æternus Pater, Sede apud me regnans ſuper populum Chriſtianum, donec ſubiiciam tibi inimicos tuos infideles, ſcilicet, & tunc latius, & longè magis regnabis in toto Orbe, omnibus te recognoſcentibus, & ut verum Deum adorantibus, ſicut dicitur de B. Joſeph, Math. 1. n. 25. Non cognovit eam, donec peperit *filium ſuum*, id eſt non cognovit eam uſque ad partum, multoque minus poſt partum.

Syriac. *Explicatur particula* Donec.

Math 1

251. Verſ. 36. *Quia Dominum eum, & Chriſtum fecit.* Quia Deus Pater ſic evexit Jeſum ad ſupremum dignitatis faſtigium, ut ſit univerſorum Dominus; & Chriſtus, veruſque Meſſias unctus gratiæ plenitudine, de qua nos omnes accepimus, & tantum evexit, eò quòd ejus naturam humanam Divinæ Perſonæ in Incarnatione unierit. Perperam Arrius efformat argumentum contra Chriſti Divinitatem, quia non eſt Dominus per naturâ, ſed quia à Deo Patre eſt factus. Hæreticus apertè errat; quia D. Petrus in præſenti non loquitur de Chriſto D. qua Deus, ſed qua Homo, ut à Judæis cruci affixus erat, & à Deo Patre exaltatur, ut rectè notarunt noſter D. Cyrillus lib. 9. Theſaur. cap. 3. D. Baſil. lib. 4. contra Eunom. & alii

QUÆSTIO XXIX.

Quare Chriſtus D. dicitur Dei Patris dexterâ exaltatus in ſua paſſione.

252. AIt D. Petrus de Chriſto D. *Dexterâ Dei exaltatus*, non tantum ait, quod fuit exaltatus, ſed ſignatè ait *Dextera Dei*, cum dicitur opus manus dexteræ, ſignificatur opus ſummæ fortitudinis, potentiæ, ac majeſtatis, ut notat D. Bernard. ſerm. 7. in Pſalm. 9. ad illa verba verſ. 7. *Cadent à latere tuo*, id eſt, ſiniſtra, *mille, & decem millia à dextris tuis.* Et deinde dicitur Chriſtus dexterâ Dei exaltatus, hoc eſt ſummâ ejus potentiâ, ac fortitudine omnipotentis Dei.

D. Bern. Pſal. 9.

253. Joan. 8. Primò Chriſtus D. exaltatus eſt à Patre, in ſua paſſione, ac cruce, Dixit Chriſtus D. Ioan. 8. n. 28. *Cum exaltaveritis filium hominis, tunc cognoſcetis, quia ego ſum.* Quid ſignificat modus hic loquendi *cognoſcetis quia ego ſum?* D. Aug. tract. 40. in Ioan. ſic ait: *Recolite illud ego ſum, qui ſum?* Exod. 3. n. 14. *& cognoſcetis quid ſit dictum: ego ſum.* Ac ſi dicat: Cum exaltatus fuero in Cruce cognoſcetis quod *ego ſum, qui ſum*, quod eſt proprium nomen Dei, ac *tunc cognoſcetis quia ego ſum.* Valde mirum, quod Chriſtus operans tot mirabilia, ſuſcitans mortuos, dans cæcis oculos, claudibus pedes, imperans Dæmonibus, adhuc planè non cognoſcitur, ut Deus, ſed cum exaltatus fuerit, tunc cognoſcetis quod ego ſum, expende illud *Tunc* ac ſi in tali eventu, in tali occaſione pleniſſimè cognoſcetis, *quòd ego, ſum, qui ſum*, quia inter tot, & magna opera, quæ Chriſtus patravit ſic in ſua morte, ac paſſione eum Æternus Pater exaltaverat, ut ibi valde peculiariter, ac inſigniter declaraverit, & manifeſtaverit ſuam Divinitatem, ac majeſtatem, & idcò ſuam paſſionem, ac mortem in Cruce exaltationis nomine nobilitavit. Citatus Aug. *Exaltationem autem Crucis dixit, quia ibi exaltatus eſt, quando pependit in ligno.*

D. Aug. Exod. 3. *Chriſtus in paſſione, ac Cruce maximè manifeſtavit ſuâ Divinitatẽ.*

254. Valde ſollicite anima ſancta ſuum dilectum ſponſum Chriſtum Ieſum requirebat, de quo multa magnalia prædicabat, unde à filiabus Ieruſalem quæritur: *Qualis eſt dilectus* ac ſi poſtularent ſigna, ut exponunt Richardus, Rupertus, & alii de ipſo ſponſo, de quo tam illuſtria publicabantur. Reſpondet ipſa: *Dilectus meus candidus, & rubicundus*, Cant. 5. n. 10. & tantum hæc ſigna exhibet ad eum dignoſcendum, ſi candidus, quomodo rubicundus: candidus per Divinitatem, quæ dicitur *candor lucis æternæ*, rubicundus per indumentum ſanguinis ſuæ paſſionis: D. Chryſolog. ſerm. 31. ait: *Texebatur autem regium eius veſtimentum, quod in purpureum furorem cruor tinget Paſſionis.* Ac ad cognoſcendam ſupremam celſitudinem Divinitatis nullum majus, ac efficacius ſignum, quam indumentum purpureum eius ſanguinis: Paſſio enim Chriſti index ſuæ Divinitatis eſt.

254. Richard. Rupert. Cant. 5. D. Chryſ. *Paſſio Chriſti index eius Divinitatis,*

255. Luc. 24. Cum D. Ieſus iter faceret cum diſcipulis ſuis in Caſtellum Emaüs, & ad metam ſederet cum eis, gratiaſque agens frangeret panem, ſcribit D. Luc. 24. n. 35. *Cognoverunt eum in fractione panis*: & cur potius non cognoſcunt eum, cùm ſuprema, & alta ſapientia aperiret, & explicaret Scripturas in via? Unde & ipſi dixerunt: *Nonne cor noſtrum ardens erat in via, dum aperiret Scripturas?* Vel cur potius eum non agnoſcunt, quando in manibus pacem accepit, benedixit, & gratias egit cum admirabili, & altiſſima, ſummaque erga Patrem reverentia, ſed ſolum in fractione panis agnoſcunt. Per panem caro Chriſti, corpus Chriſti per illam fractionem denotabatur, quod dum corpus Chriſti fuit apertum, & perforatum, flagellis, clavis, lancea, per illas aperturas, ac perforamina maximè paruit, & manifeſtata eſt latens Divinitas ſuper omnes alias actiones. Pulchrè Abbas Drogo ſerm. de Sacrament. Domin. Paſſion. ſic ait: *Et verè non cognoſceris Domine, niſi in fractione panis: panis caro tua, fregiſti manibus tuis corpus tuum, quia poteſtatem habebas ponendi animam tuam, & iterum ſumendi eam: fregiſti corpus, quod foris apparebat, & oſtendiſti medullam, qua intus latebat, niſi autem patiaris non cognoſceris, ibi*, inquit, *abſcondita*

Per aperturas paſſionis cognoſcitur Divinitas. Drogo.

abscondita est fortitudo tua. De hoc mula dixi variis in locis, vide in Sybillario verbo *Passio*, & maximè tom.5.in Evang.lib.8. cap.1.per totum.

QUÆSTIO XXX.

Quare Christus D. dicitur dextera Dei exaltatus: in sua Resurrectione?

156. CUm Apostolus Petrus ait de Christo D. *Dextera Dei exaltatus*, de Resurrectione loquitur, de qua immediate versu antecedente tractavit dicens: D. Dion. Psal.56. *Hunc Iesum suscitavit Deus* cum multa gloria, & majestate. Unde de Resurrectione noster D.Dionys. Alexand.epist.contra Paulum Samosat. illud Ps. 56. *Exaltare super cœlos Deus, & supra omnem terram gloriam tuam.* Inde dies Resurrectionis dicitur dies summæ exultationis, & lætitiæ Christi.

257. Psal 44. Ait Regius vates Psalm.44.ad Christum loquens *Dilexisti justitiam, & odisti iniquitatem, propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis.* Quæ verba licet Agellius referat ad oleum D.Hier. D. Aug. Paschas. Incogn. sanctissimi nominis JESU, *oleum effusum nomen tuum*; tamen communiter Patres D.Hieron.D. Aug. D.Paschas. noster Incognitus de Resurrectione interpretantur *Dilexisti justitiam.* Pro qua Æternus Pater pro salute hominum, *& odisti iniquitatem*: pro qua delenda mortem subivisti: *Propterea Deus, Deus tuus*; quæ geminatio magnum indicat affectum, *unxit te oleo lætitiæ præ consortibus tuis.* D. Hieronym. Symmac. Chald. Cajet. oleo exultationis, Symmach. oleo nitoris, ac splendoris. Chaldaïcus *Abundantius, quàm consortibus*, Caiet. *sociis tuis.* Tanta lætitia exultationis extitit in die Resurrectionis; non solum Æterno Patri Christo D. & Spiritui sancto, qui ad ejus laudes publicandas hodie inspiravit Apostolis ad publicandam tantam lætitiam, ut legit Chaldaïcus extitit abundantissima in cœlo, & in terra, ut legit Caiet. sub quibus non solum intelligo Sanctorum animas, sed etiam nos omnes fideles, obstupescentibus Dæmonibus, ut ait D.Paschas. De his multa dixi tom.5. in Evang.lib.9 cap.1.

Dies Resurrectionis dies magnæ exultationis.

258. 2 Cor. 5. Vide quanta Majestas sit Christo D. in sua resurrectione? Ait Paulus 2.ad Corinth.5.n.16. *Et si cognovimus secundum carnem Christum, sed nunc iam non cognovimus*, Egregiè gentium Doctor, ad quid hæc verba tendunt? per omnes tuas epistolas doces te de Christo magnam habere cognitionem, & ut de eo habes amplissimam agnitionem super omnes puras creaturas, utpote qui ad tertium Cœlum raptus es, cur in præsenti dicis: *Sed nunc iam non cognovimus.* Loquitur de Christo in sua resurrectione, & si antea eum cognoscerent, ut hominem passibilem secundum carnem. At vero postquam devicta morte resurrexit, tanta excellentia, fulgore, ac majestate resplendebat, ut jam non videretur idem, sed alius, & inde ait: *Iam non cognovimus*, D.Leo Magnus serm.1. de resurrectione Christi: *Qualitas transiit, non natura defecit, & factum est corpus impassibile, quod potuit crucifigi, factum est immortale quod potuit occidi.* Nota sequentia: Merito dicitur Caro Christi in eo statu, quo fuerit, nota, nescisi, quia nihil in eo passibile, nihil remansit in eo infirmum, ut ipsa sit per essentiam, & non sit ipsa per gloriam.

Christus post resurrectionem sic resplendet, ut non videatur idem. S. Leo Mag.

259. Apoc.5. Vidit Ioannes cœlum apertum, & Agnum stantem in Throno, ac in circuitu Throni millia millium Angelorum, & viginti quatuor seniores Agnum adorantes, & acclamantes dignissimum esse Agnum, ut de eo decantetur, ac celebretur eius Divinitas, fortitudo, ac sapientia, & subdit Ioan. Apocalyps.5.n.14. *Et omnem creaturam*, quæ in Cœlo est, & super terram, & sub terra, *quæ sunt in mari; & quæ in eo omnes audivi dicentes sedenti in throno, & Agno, benedictio, & honor, & gloria, & potestas in sæcula sæculorum.* Ad quæ verba sic ibi ait Ruperrus in hoc loco ibi à me datus: *Antequam Agnus librum aperuisset, id est antequam per passionem suam adimpleret veritatem Scripturarum, prater paucissimos, hoc est, præter tres Magos ab Oriente venientes, & præter illum à Nativitate cæcum, ferè nullus invenitur procidens adorasse Agnum, sed postquam librum aperuit, id est post mortem, & passionem suam obedientiam confirmavit, omne genu curvatur cœlestium, terrestrium, & Infernorum.* Antequam Christus D. adimpleviſſet suæ passionis mysterium, ac è mortuis resurrexisset, tantum quatuor procidentes Christum adoraverunt, ejus Divinitatem recognoscentes, ac recolentes, postquâ redemptionis opus cõsummavit, atque resurrexit, omnes, qui sunt in cœlo, in terra, ac subtus terra, & mari, submisse ejus majestatem venerantes ipsum adorant. Vide proximè citatum lib.9. cap.5. Ruperr.

QVÆSTIO XXXI.

Quare Christus D. dicitur sedere ad dexteram Dei?

260. *Difficultas quæstionis.* AIt in præsenti D.Petrus de Christo D. *Sede à dextris meis*, sic & in Psalm.109.Marc.16.n 9. Ex quo insurgit difficultas quid per hunc modum dicendi significetur; nam si Christus est ad dexteram Patris, Pater est ad sinistram Christi, & deinde Christus est in meliori loco? cur ergo Christus D. dicitur sedere ad dexteram Dei? Iam explicavi to.5. in Evang.lib.9.cap.10.q.20. sed ne hic Textus maneat insatisfactus ad propositam difficultatem.

261. Bruno. Rectè 1.respondet Bruno qui ad citatum Ps.109. ait: *Dicitur in principio sede à dextris meis, si ipse ad dexteram Patris sedet, quomodo rursum Pater sedet ad dexteram filij, ut æqualis Filio Pater ostendatur.* In primo versu scribitur *dixit Dominus Domino meo*, dixit Pater Filio *sede à dextris meis*, & versu 5. ait, quod Pater sit ad dexteram Filii: *Tu es Sacerdos in æternum Dominus à dextris tuis*, ut æqualis Filio *Pater ostendatur.* Christus ut Deus æqualis est Patri, ut homo minor est Patre; dicitur sedere ad dexteram Patris, ut in loco valde sublimi, & honorifico, Deus Pater est purus Spiritus, ac proinde nec habet oculos, nec manus, nec pedes, & quia ob limitationem nostri intellectus non possumus intelligere Divina prout sunt in se, ea per ordinem ad res creatas explicamus, & quia in creatis locus dexter illustrior est, ac excellentior cæteris, ideo ad sublimem Christi majestatem declarandam, dicimus quod sedet à dextris Dei.

Ratio genuina.

261. Hebr.2. *Christus exaltatus propter passionem.* Psal.109 D.Aug. Qui locus dexter tam sublimis & excelsus fuit illi debitus ob mortem, & passionem suam, sic ait Paulus Hebræ.2.n.9. *Vidimus Iesum propter passionem mortis gloria, & honore coronatum.* Quæ verba Apostoli componit D.Aug.cum illlis Psalm.109.n.7. *De torrente in via bibet*, sic ait Sanctus Doctor: *Quia ergo de torrente bibit, propterea exaltavit caput; id est quia humiliatus est & factus est subditus usque ad mortem, mortem autem Crucis, propterea eum Deus exaltavit à mortuis.*

263. Secundò, & hic maximè venit expẽdenda Psalmographi mens citato Psal.109. Dixit *Dominus Domino meo sede à dextris meis*, significans æqualitatem cum eo, ut est Deus. *Scabellum pedum tuorum.* Quod omnes inimici ei erant subiiciendi. *Virgam virtutis tuæ*, proclamat summam eius potestatem judiciariam. *Ex utero ante luciferum genui te*, quod ex suamet

substantia

Chriſtus inter ſua magnalia gloriatur de dignitate Sacerdotii.

ſubſtantia eum ante ſæcula genuerit: & ſubdit. *Tu es Sacerdos in æternum ſecundum ordinẽ Melchiſedech:* Celebrat ejus Sacerdotium, res ſanè mirandas! David totus erat intentus in publicãdis Magnalibus Divinitatis Chriſti, quod erat æqualis Patri ſupremam cũ eo habens poteſtatem, utpote ex eademmet ſubſtantia genitus; ad quid igitur David divertit ſermonem ex ipſa Divinitate, & incipit tractare de Chriſti Sacerdotio, quod, ut homini illi competit: D. Auguſt ad citatum Pſalm. ſic ait: *Iſte ergo Dominus, qui à dextris, de quo juraſti, dicens: Tu es Sacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech, ipſe utique Chriſtus D. à dextris tuis.* Tam ſuprema, & alta dignitas eſt Sacerdotium, quod dum ſublimia Chriſti magna de ejus Divinitate publicantur, ipſe maximè gloriatur, de ſuo Sacerdotio, & quod Sacerdos ſit, ac dicatur, & inter ipſos Divinitatis ſplendores, pro magno habet, quod ut Sacerdos honoretur.

D. Aug.

264. Ait D. Paulus 7. n. 8. de Melchiſedech: *Aſſimilatus filio Dei manet Sacerdotium in æternum.* Magni, & excellentiſſimi fuerunt Patres antiqui; nullus tamen eorum dicitur aſſimilatus filio Dei, nec innocens Abel, nec Enos, qui cœpit invocare nomen Domini Geneſ. 4. n. 26. nec Abrahamus Pater fidei, nec Moyſes omnium mitiſſimus, nec David pœnitentia illuſtriſſimus, ſed tãtum Melchiſedech dicitur aſſimilatus filio Dei? Rationem indicat Textus: *Manet Sacerdotium,* Syriacus vertit, *ſed in ſimilitudinem filij Dei permanet Pontificatus in æternum.* Tam illuſtris, & præclara Sacerdotalis dignitas eſt, ut inter omnes qui magnis gratiæ donis præfulſerunt, ſola illa homines exiſtentes in terra faciat ſimiles Dei filio in Cœlis.

Dicitur Prov. 9. n. 1. *Sapientia ædificavit ſibi domum immolavit victimas ſuas, miſcuit vinum, propoſuit menſam ſuam; miſit ancillas ſuas, ut vocarent ad arcem, & mœnia Civitatis.* Maximè expanſione dignum, quod ipſa æterna Dei ſapientia per ſe ipſam immolat victimas, proponit menſam, & miſcet vinum, quod tantum ad ſervos, & ancillas videbatur ſpectare: Ipſa per ſemetipſam totum quod ad menſam præſtat, cur non aliis committit, ut deſtinavit ſervos ad vocandum ad arcem, & mœnia Civitatis! D. Greg. lib. 17. Moral. c. 17. *Immolavit Dominus Ieſus victimas, ſe ipſum offerendo pro nobis: miſit ancillas ſuas, Apoſtolorum videlicet animas in ipſo ſuo initio infirmas, ut vocarent ad arcem, & mœnia Civitatis; quia dum æternam vitam denunciant ad alta mœnia ſuperna Civitatis nos elevant.* Chriſtus D. ſapientiâ delegavit ſuos Apoſtolos ut omnes gentes vocarent ad Eccleſiam, & ad alta æternæ Patriæ mœnia, at Sacerdotales functiones facere, atque ad menſam ſacræ Euchariſtiæ miniſtrare, nulli alteri commiſit, ſed per ſe ipſum totum exequitur, & adimplet: *Mactavit victimas ſuas, miſcuit vinum, propoſuit menſam.*

265. Prov 9.

Ad Sacerdotales functiones. Euchariſtia Chriſtus ſe ſolus exhibet.

D. Greg.

Actor. 2. *n.* 37. His auditis cõpuncti ſunt corde, & dixerunt ad Petrũ, & ad reliquos Apoſtolos, quid faciemus viri fratres?

Nu. 38. Petrus verò ad illos, pœnitentiam, inquit, agite, & baptizetur unuſquiſque veſtrum in nomine Ieſu Chriſti, in remiſſionem peccatorum veſtrorum, & accipietis donum Spiritus ſancti.

Num. 39. Vobis eſt promiſſio, & filiis veſtris, & omnibus, qui longè ſunt, & quoſcumque advocaverit Dominus Deus noſter.

Num. 40. Aliis autem verbis plurimis teſtificatus eſt, & exhortabatur eos, dicens: Salvamini à generatione iſta prava.

VERSIONES

Arabicus n. 37. Humiliaverunt ſe in cordibus ſuis.

Æthiopic. Apertum eſt cor eorum.

Bibli. Goth. Viri fratres oſtendite nobis.

Syriacus n. 38. Baptizemini homo, & homo in vobis.

Vatabl. Delictorum pœnitentiam agite.

D. Chryſoſt. Reſipiſcite.

Syriac. n. 39. Vobis enim fuit promiſſum, &c. & omnibus, qui remoti ſunt, quos vocaverit.

Arabicus. Qui ſunt in diſtantia remotiſſima.

Syriac. n. 40. Atteſtabatur eis & à generatione perverſa.

Arabicus. Deprecatus eſt eos evadere ab iſta generatione aſpera.

Æthiopic. Et erudivit eos, ſervate animam veſtram ab hoc mundo malo.

EXPOSITIO XVI.

Verſ. 37. *His auditis à D. Petro, compuncti ſunt corde,* quòd Chriſtum crucifixiſſent, ac ſpreviſſent; hæc autem compunctio fuit ex ſpeciali gratia Spiritus ſancti, quæ eorum corda plena odio in Chriſtum, in ejus amorem commutavit, recognoſcentes mala opera ſua, ut illa deteſtarentur, & hic maximè apparet effectus gratiæ Dei, qui ſtatim de remedio adhibendo ſunt ſolliciti, & inde dixerunt Divo Petro, & reliquis diſcipulis. *Quid faciemus viri fratres,* & in hoc valde prudenter ſe habent, dum remedium quærunt, non ab aliis, ſed tantum ab Apoſtolis petunt, quos tanto zelo de eorum ſalute, ac gratia Spiritus ſancti donis repletos videbant. *Viri fratres.* Alia lectio habet: *Viri fratres attendite nobis.* Ut tanquam fratres debetis nobis conſulere, ac de noſtro bono agere. 266. *Quærunt remedium à quo habere poterant.*

Verſ. 38. *Petrus vero ad illos:* Tanquam bonus Prælatus, & optimus Medicus opportunam Medicinam applicat: *Pœnitentiam agite,* ex quo apertè probatur in adulto neceſſarium eſſe dolorem peccatorum, ſive perfectum, ut contritionem, ex mero Dei amore, ſive dolorem imperfectum, ut attritionem ex metu gehennæ. *Baptizetur unuſquiſque veſtrum.* Cum fide vera, ac profeſſione ex corde, & virtute meritorum Chriſti, credendo, & profitendo Chriſtum eſſe unicum Mediatorem, ac Salvatorem generis humani, conſtitutum à Patre propitiatorem pro noſtris peccatis. *In nomine Ieſu Chriſti.* Forma Baptiſmi eſt: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti.* Fortè in illis primis temporibus ad magis inſinuandum nomen Jeſu Chriſti in cordibus fidelium, & ad majorem venerationem illi reconciliandam, hac forma utebatur: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij Ieſu Chriſti, & Spiritus ſancti.* De quo communiter Theologi, cum agunt de forma Baptiſmi, de quo ſatis latè Vaſquez diſp. 143. cap. 3. 267.

Accipietis Spiritum ſanctum. Ipſummet Spiritum donum Dei immenſum, & increatum, de quo ſupra verſ. 4. Vel accipietis, ipſam gratiam, juſtitiam, æ- 268.

cætera dona Spiritus ſancti, vel ut etiam Soarez to. 3 Soar. n. 3. p. diſp. 32. ſect. 1. Per hoc donum Spiritus ſancti exponit donum ſacramenti Confirmationis; hoc enim ſacramentum Confirmationis tribuit Scriptura Act. 8. Spiritui ſancto, Actor. 8.

269. Verſ. 39. *Vobis enim eſt repromiſſio*: Occurrit Apoſtolus infidentiæ eorum de gratia conſequenda, eo quod tam grande peccatum commiſiſſent in morte Chriſti: *Vobis eſt enim repromiſſio facta.* Per Prophetam Ioëlem, de quo ſupra in hoc cap. n. 16. utpote filiis Abrahæ, ad quos pertinet promiſſio de vocari Gentiles. Chriſto, ac donis ejus, qui in fide Ieſu Chriſti fuerint, *& omnibus, qui à longè ſunt*, à Deo, Eccleſia, ac ejus fide, utpote gentilibus, & quos advocaverit ad Eccleſiam, & fidem ſuam, eoſque dicit ob conſolationem gentium, quæ tunc aderant.

270. Verſ. 40. *Aliis autem verbis plurimis* tam perſuaſoriis, ac ex teſtimoniis Scripturæ *teſtificatus eſt* ea omnia, quæ ad credendum in Chriſto pertinebant, & maxime, quæ ad talem fidem Chriſti ſpectabant, *& ſalvamini à generatione iſta prava.* Syriacus *perverſa.* Æthiopicus *aſpera*, id eſt fugite à conſiliis, ac perverſitatibus Iudæorum, qui vos deducunt in perditionem, ac damnationem: Iniquæ, ac perverſæ converſationes frequenter tot, & tanta mala Eccleſ. parturiunt: Unde optimè admonet Eccleſiaſt. 13. num. 1. *Qui tetigerit picem inquinabitur ab ea; & qui communicaverit ſuperbo induet ſuperbiam:* tamque fortis eſt ipſa converſatio, ac conſuetudo, ut dicat D. Cyprianus lib. de ſpectac. D. Cypr. *Omne vitium ſui generis vitium parit, non modo neſcientibus, & non advertentibus, ſed ſæpe etiam invitis.*

QUÆSTIO XXXII.

Quare D. Petrus non rigidè, ſed blandè, ac ſuaviter ſe habet cum circunſtantibus pro graviſſimo peccato mortis filii Dei?

271. CIter nota, quod auditis verbis D. Petri, ait Textus: *Compuncti ſunt corde.* Et dixerunt Petro ſuam compunctionem, ac dolorem publicè manifeſtantes, aliter ait David Pſalm. 4. n. 5. Pſal. 4. *Quæ dicitis in cordibus veſtris, in cubilibus veſtris compungimini.* Dolorem, & compunctionem tantum in cubiculo aſſignat; erat enim peccatum occultum *Quæ dicitur in cordibus veſtris*: At horum peccatum in morte Chriſti fuit valde publicum, & notorium, ideoque valde publicam, & notoriam pœnitentiam, ac dolorem exigebat; & quia peccatum David tam in adulterio, quam in morte Uriæ fuit apertum, ac manifeſtum, ideo Deus dedit illi pœnam, & ſupplicium in oculis ſolis hujus 2. Reg. 12. n. 12.

Publica peccata publicâ pœnitentiam requirunt.

2. Reg. 12.

272. Ad quæſtionem reſpondet primo D. Chryſoſtom. homil. 7. in Acta, & ait: *Reveriti ſunt Petri manſuetudinem, quia his, qui Dominum ſuum crucifixerunt, & contra ipſos clamarant, tanquam Pater, & Magiſter curam gerens loquebatur non ſimpliciter, obedierunt, ac ſe ipſos condemnarunt, ſenſeruntque, quod fecerant.* Maximè conſideranda ſublimis, & alta D. Petri prudentia agebat cum his, qui Dominum ſuum crucifixerunt, ac etiam cum his, qui contra ipſum Petrum, ac alios Apoſtolos malè locuti ſunt, dicentes eos ebrios, & tamen Princeps Apoſtolorum non duris, & aſperis verbis in eos invehitur, ſed leniter, ac ſuaviter, & ita ſua manſuetudine eos devincit, ac compuncti corde ad pœnitentiam convertuntur, & quos antea ebrios dixerant, fratres nunc vocant: Quid faciemus viri fratres, reveriti ſunt Petri manſuetudinem.

D. Chryſoſt.

Qui cum manſuetudine parcit devincit.

Ait Regius vates Pſalm. 117. n. 10. *Omnes gentes circuierunt me, & in nomine Domini, quia ultus ſum in eos.* Alia lectio habet: *Debellavit, devinxit eos.* Sed quanam ultione? forſitan iræ, ac furoris, an gladio ferreo, vel lancea? minimè, *in nomine Domini*, nempe ultione charitatis, omni gladio vehementiori ad penetranda corda, ut proferant pœnitentiæ fructus. Magiſter ſententiarum ibidem ait: *In nomine Domini ultus ſum in eos, dum ipſi converſi pœnas ſuſtinent pœnitendo.* 273. Pſal. 117. *Per charitatem eos trahit ad pœnitentiam.*

Multus eſt Regius vates in deſcribenda ſuprema adoratione, quæ danda eſt Chriſto Domino Pſal. 71. num. 8. *Et dominabitur à mari uſque ad mare, & à flumine uſque ad terminos Orbis terrarum, & adorabunt eum omnes Reges terræ, omnes gentes ſervient ei.* Unde Chriſti D. tam magnificus dominatus in totum Orbem terrarum, ac in omnes gentes? forſitan ex multa majeſtate, qua apparens ad ſui cognitionem ſubjecit populum Iſraëliticum cum daturus eſſet legem ut dicitur, Exod. 19. n. 16. *Ecce cœperunt audiri tonitrua, ac micare fulgura, & nubes denſiſſima operire montem, & clangor buccinæ vehementius perſtrepebat.* Ad unum populum ad ſe convocandum tot, & tanta majeſtatis ſigna: At verò ad omnes gentes, omnes Reges terræ idololatras, ac in cunctis erroribus enutritos ad ſe trahendos, aliquid fortius fuit adhibendum, hoc promiſerat Pſalmographus citato Pſal. n. 6. *Deſcendet ſicut pluvia in vellus, & ſicut ſtillicidia ſtillantia ſuper terram.* Magnis prodigiis, & ſignis unum populum potentia, ac fortitudine devinxit: ac blandimento ſuavitatis de omnibus gentibus, ac Regibus triumphavit. Incogn. Ad hoc tendit noſter Incognitus, & ait: *Sicut pluvia in vellus, ſcilicet ſuaviter deſcendet in uterum Virginis. quia in humilitate ſumma, & lenitate veniet: & in utero Virginis exiſtens totum mundum circumeundo continebat.* 274. Pſal. 71. Exod. 19. *Plus trahitur manſuetudine, quam fortitudine.*

275. Secundo ad quæſtionem, Petrus efficacia, ac fortitudine ſuæ doctrinæ eos devinxit, & ad ſe traxit, tamen leniter, ac ſuaviter eos diſponit, eos fratres vocans, eiſque repromiſſionem ſalutis factã, inculcat eos ad pœnitentiam, baptiſmum, atque animæ ſanitatem valeat allicere; D. Petrus efficaciâ ſuorum verborum fortiter adduxit, tamen tanquam recenter advenientes benignè, ac benevolè refovet. Ille, qui incidit in latrones multis vulneribus affectus, in quo peccatoris effigies depingitur, ut dixi tom. 3. in Evangel. cap. 21. multis iniquitatum plagis cruentatur, veniens cœleſtis Medicus: *alligavit vulnera ejus, infundens oleum, & vinum*, Luc. 10. num. 34. Magno myſterio talia adhibet medicamenta, vinum ſignificans gratiæ fortitudinem, qua eum traxit, oleum vero, ſuavitatem, ac lenitatem, qua eum diſponi præceperat, ac ducit, D. Bernard. ſerm. 16. D. Bern. in Cantic. ſic ait: *O ſapientia, quanta arte medendi in vino, & oleo animæ meæ ſanitatem reſtauras, fortiter ſuavis, & ſuaviter fortis, fortis pro me, & ſuavis mihi.* Luc. 10.

Qui recenter veniunt benignè fovendi ſunt.

QUÆSTIO XXXIII.

Quare D. Petrus annunciat hic Iudæis gentium converſionem, quas maximè odio habebat?

AUditis verbis Petri, qui aderant, *Compuncti ſunt corde*, & dixerunt, ad Petrum, & reliquos Apoſtolos: *Quid faciemus viri fratres?* Tunc D. Petrus ait illis: *Pœnitentiam agite; vobis enim eſt repromiſſio, & filiis veſtris, & omnibus, qui longè ſunt* 276. *quoſcumque*

Difficultas quæſtionis.

quoſcumque advocaverit Dominus. Per eos *qui longè ſunt* communiter Interpretes gentes intelligunt. Quæſtio ergo eſt cur Princeps Apoſtolorum cum Iudæis agens eis proponit gentium converſionem, cum inter eos eſſet inſatiabile odium, deinde cum Iudæa gens maximè invidia laboraret?

277. Charitas vult ſecum ſocios.

Poteſt primò reſponderi, quod cum *compuncti eſſent corde*, de aliorum converſione non tractabantur, ſed maximè de illa gaudebant, quia perfecta charitas omnes vult ſocios ſecum habere, de quo vide multa verbo charitas in meis libris, & ſupra cap. 1. q. 34. n. 243. 244. 245. & 246.

278. Oecum.

Secundo Oecumenius in præſenti ſic ait: *Conſidera vero quod tunc gentium fidem innuit, quando compunctos invenit Iudæos, ac ſe ſe condemnantes; Vbi enim ſe ipſam anima condemnaverit, jam invidere non poteſt.* Petrus alta ſua prudentia, qua pollebat, cum Iudæos de ſuo ſcelere compunctos, ſequemetipſos

Qui ſe agnoſcit peccatorem non invidet.

accuſantes conſpicit, tunc gentium converſionem exponit, quæ modo ex omnibus, quæ ſub cœlo ſunt, aderant, pro eorum conſolatione aperit, abſque ullo invidiæ Iudæorum ſtimulo, *ubi enim ſe ipſam anima condemnaverit, jam invidere non poteſt.*

279.

Valde infeliciſſima, & horribilia denuntiantur Heli circa domum ſuam, quod ab ea ſit auferendum Sacerdotium, quod in ea non erit ſenex, & quod duo filii una die morientur ambo, & quod videbit æmulum ſuum in Templo, in cunctis proſperis Iſraël, quod valde durum, ac grave cuilibet homini eſt, eo quod filios ſuos non emendaverit, ſed permiſerit iniquè agere, & tamen tantas calamitates patienter ſuſtinet, & ait: Dominus eſt: quod bonum eſt in ocu-

1. Reg. 3. lis ſuis faciat, 1. Reg. 3. n. 18. Unde illi tanta patientia, car aliqua invidia, vel odio non commovetur, cum audit æmulum ſuum in ſua ſede repoſitum dominantem in cunctis proſperis Iſraël. D. Chryſoſt.

D. Chryſoſt.

lib. de Providentia ait: *Heli ſua culpa conſcius, poſt ingentes illas, & terribiles minas, dixit: Dominus eſt, quod bonum eſt in oculis ſuis faciat.* Qui ſe tantis criminibus illaqueatum agnoſcebat, nullius invi-

Heli ſui conſcius non invidet.

diæ morbo laborabat: Invidia eſt æmula alieni boni pœnitudo, & qui ſe ſceleratum, ac inde indignum alicujus boni fatetur, de alterius incrementi nulla

280. pœnitudine premitur.

Inexecrabili odio Saul perſequebatur Davidem; timebat enim quod ipſe ad regnum Iſrael eſſet exaltandus, hacque de cauſa totis viribus intendebat eum interficere, unde dixit filio ſuo Ionathæ: *Omnibus diebus, quibus filius Iſai vixerit ſuper terram, non ſtabilieris tu, neque regnum tuum ſuper terram. Itaque iam nunc mitte, & adduc eum ad me, quia filius mortis eſt*, 1. Reg. 20. n. 31. Tamen tempore elapſo

1. Reg. 10 cum vidiſſet Saül magnam benignitatem, ac Clementiam, qua David erga eum uſum eſt, & quomodo eum à morte cuſtodierit, flens alta voce clamat Saul ad David: *Iuſtior tu es, quam ego, tu enim tribuiſti mihi bona, ego autem reddidi tibi mala, & nunc ſcio, quod certiſſimè regnaturus ſis, & habiturus in manu tua regnum Iſrael*, 1. Reg. 24. n. 18. & 21. Magna in-

1. Reg 24 vidia æſtuabat Saul in David, & impatiens non poterat ſuſtinere, quod ipſe ad clavum regni elevaretur, ideoque omni conatu, & affectu ejus mortem moliebatur: At vero nunc ad eum ait: *Iuſtior es tu, quam ego*, ut ibi notat Abulenſ. *ſe invitum, ac iniquum fatetur*, indeque omni depoſita invidia ejus

Abulenſ. regnum proclamat certiſſimè. Quandiu Saul ſuam nequitiam non agnoſcebat, igneâ ferebatur invidiâ in Davidem, ut ejus regnum impediret, & ubi ſui præſcius ſuam injuſtitiam confitens, ſimul & ejus regnum profiteretur.

Actor. 2. n. 41. Qui ergo receperunt ſermonem ejus baptizati ſunt, & appoſitæ ſunt die illa animæ circiter tria millia.

Num. 42. Erant autem perſeverantes in doctrina Apoſtolorum, & communicatione fractionis panis, & orationibus.

Num. 43. Fiebat autem omni animæ timor? multa quoque prodigia, & ſigna per Apoſtolos in Ieruſalem fiebant, & metus erat magnus in univerſis.

VERSIONES.

Syrus n. 41. Et homines ex eis promptè exceperunt ſermonem ejus, & addita ſunt in eo die circiter tria millia animarum.

Arabicus. Receperunt libenter, & addita fuerunt inter fideles, &c.

Syrus n. 42. In doctrina Apoſtolorum, & in fractione Euchariſtiæ.

Arabicus. Et in communione fractionis panis, *Græcus* illius panis.

Vatabl. Continuo perſeverabant in doctrina, &c.

Æthiopic. Manſerunt perſeverando in doctrina, &c. & benedicendo menſæ.

Syrus n. 43. Et fuit timor in omni anima, &c. & virtutes fiebant per manus Apoſtolorũ.

D. Chryſoſt. Obortus eſt timor.

Æthiopic. Timuerunt Apoſtolos omnia animalia.

EXPOSITIO XVII.

Verſ. 41. *QVicumque receperunt ſermonem ejus,* ſcilicet Petri, ſeu, ut habet Syriacus 281. *promptè.* Arabicus libenter, cum fructu, & effectu in die illa, ſcilicet Pentecoſtes *Baptizati ſunt.* Unde, ut teſtatur Lyra, quod in ſignum hujus rei antiquitus Lyra. in die Pentecoſtes fiebat generalis Baptiſmus, *& appoſitæ illa die animæ circiter tria millia*: Et unde in verbis Apoſtoli tanta vis ad tot hominum millia trahenda; dicuntur animæ per Synecdochen. Ratio à priori eſt gratia divini Spiritus; tamen ſumma paupertas Apoſtolica, abnegatio omnium rerum; divitiarum contemptus, nec quiſquam aliquid ſuum eſſe dicebat, omnium corda valuit inescare. Mens eſt D. Chryſoſt. homil. 7. in 1. Corinth. ſic ait: *Tunc igitur nemo quicquam proprium ſibi vendicabat, ſed omnia erant communia, & pro ſingulorum neceſſitate, ſua cuique pars conferebatur, & vitam vivebant Angelorum; quid ſi in præſentia fieret, univerſum ſanè orbem, & ſine ſignis converteremus.* D. Chryſoſt. *Paupertas in Chriſti miniſtris efficax ad trahendum.*

Verſ. 42. *Erant autem perſeverantes.* Explicatius 282. Vatablus: *Continuo perſeverabant*: quod denotat Vatabl. perdurationem, non per unum, vel alterum diem, ſed per multum tempus. *In doctrina Apoſtolorum*, probe, & exactè percipiendis, meditandis, ac exequendis, & in *communicatione fractionis panis.* Arabicus legit, & *in communione*, Græcus *illius panis*, cum articulo, quod magis explicat Syriacus, *& in fractione Euchariſtiæ*; nam ut notat Lyranus, in primitiva Eccleſia Chriſtiani quotidie communicabant, & dicitur *in fractione panis*; quia Divinus ille panis, frangebatur, ac diſtribuebatur per fideles, ut ait Paulus, *panis, quem frangimus, nonne participatio corporis Chriſti eſt?* ex quo patet, quod ſæcularibus danda ſit tantum ſacra Euchariſtia ſub ſpecie panis, ut tenet ſancta Eccleſia Romana.

Vrſ. 43. *Fiebat autem omni animæ timor*, Qui re- 283.

verentialis erat erga Sanctos Apoſtolos, qui tot, & tanta mirabilia faciebant, ac proinde tanquam quid Divinum omnes in eis verebantur; ſic & viſis Chriſti miraculis paſſim turbæ timebant, Luc. 5. n. 26. & c. 7. n. 16. *Multaque ſigna, & prodigia* per Apoſtolos fiebant, ut Chriſtus eis promiſerat. Marc. ult. n. 17. hæc autem miracula fuerunt neceſſaria ad plantandam Chriſti fidem in mundo, ut ait Paulus Hebræ. 2. n. 3. & 4. & 2. Corinth. 12. n. 12. Unde ad reformandos hæreticos nova dogmata proferentes ſimilia, peroptimè Richardus Victorinus lib. 10. de Trinit. cap. 2. ait: *Si error eſt, quod credimus, à te decepti ſumus: iſta enim in nobis in ſignis, & prodigiis confirmata ſunt, quæ non niſi à te fieri potuerunt.*

Luc. 5. Luc. 7. Marc. 6. Hebr. 2. 2. Cor. 12 Richard

Et metus magnus erat in univerſis. Hæc verba non habentur in Græco, quia fortè idem eſt cum eo, quod prius dictum eſt: *Fiebat autem timor omni animæ.* Sed hic in priore dictione ſermo eſt de timore reverentiali in fidelibus. Secundo cum dicitur *metus magnus* agitur quoad perfidos Iudæos, qui viſis tot ſignis Apoſtolorum, quos antea ut viles contemnebant, nunc vero leonibus fortiores, aquilis velociores timebant.

284. Græc. Syrus.

QUÆSTIO XXXIV.

Quare participatio corporis Chriſti dicitur communicatio?

285. Græcus. De *quo pane ſit ſermo.* Caiet. Iyran. Hugo. D Ant. Aurel.

AIt Textus in præſenti: *Erant perſeverantes in communicatione*, ſeu ut habet Græcus, *in communione fractionis panis.* De quo pane hic agatur dubitatur, Caietanus communem panem, & cibum intelligit, Gloſſa Interlinealis, Lyranus, Hugo de utroque pane, tam ſancto, quam communi exponunt. Tertia ſententia ſimpliciter interpretatur de ſacro Euchariſtico pane. Ita Ioza, Aurelian. lib. 3. de Imag. Ioannes Harlemius in Indice Biblior. D. Anton. 1. p. Hiſtor. tit. 6. cap. 2. §. 1. Lorinus, Cornelius, Menochius, & Tirinus.

286. *De cœleſti pane.* Syriac. D. Luc.

Hæc tertia ſententia vera mihi eſt. Primò, quia textus Syriacus habet *in fractione Euchariſtiæ.* Secundo D. Lucas hic deſcribit modum vivendi ſpiritualem, nam inter perſeverantiam in doctrina Apoſtolorum, ac orationem interponit D. Lucas communicationem fractionis panis, & à verſ. 44. agit Evangeliſta de his, quæ pertinent ad modú vivendi temporalem. Deinde cum ſuperiori verſ. 41. eos adduxiſſet Petrus ad Baptiſmum, ſtatim nunc agit de communicatione ſanctiſſimi panis; nam in illa primitiva Eccleſia baptizatis immediatè miniſtrabatur ſacra Euchariſtia, ut teſtantur D. Cyrill. Ieroſolym. Catech. Myſtag. D. Ambroſ. lib. de iis, qui myſteriis initiant. c. 7. Tertull. lib. 4. contra Marc. D. Hieron. contra Lucif. D. Auguſt. epiſt. 23.

D. Cyril. Ieroſ. D. Ambr Tertull. D. Aug.

287. *In Euchariſtia triplex unio.*

Ad quæſtionem, dicitur quod erant perſeverantes *in communicatione*, pro communicatione Græcè habetur *communio*, id eſt *communis unio.* In hac cœleſti menſa datur triplex unio, unitur Deus cum homine, homo cum Deo, & homines inter ſe; nam ſi homines uniuntur cum Deo, uniuntur etiam inter ſe, quæ enim ſunt eadem uni tertio ſunt idem inter ſe.

288. 1 Cor. 5. Syriac. *Per Euchariſtiæ omnes unum ſumus in Chriſto.*

Ait D. Paulus 1. Corinth. 5. n. 6. juxta celebrem lectionem Syriacam, & Græcam in hac re: *Parum fermenti totam conſperſionem fermentat* & juxta Æthiopicum. *Modicum fermentum quam multam farinam fermentat.* Quæ verba elegantiſſimè de ſacra Euchariſtia. Noſter D. Cyrill. Alexand. lib. 4. in Ioan. cap. 17. exponens ait: *Sicut parum,* (ut inquit Paulus) *fermenti totam maſſam fermentat, ſic parvula benedictio totum hominem in ſe ipſum attrahit, & ſuâ gratiâ replet, & hoc modo in nobis Chriſtus manet, & nos in Chriſto, verè enim totum fermentum in totam Maſſam pertranſit.* Optima ſanè ſimilitudine res tota explicatur: ſicut enim fermentum in farina miſcetur, & maſſa, ſen farina totum fermentum ad ſe attrahit, & fermentum totas farinæ partes in ſe ipſis diviſas copulat, ac conjungit in unum, ſic per panem conſecrationis verborum benedictione, tanquam fermentum Divinitas Chriſti adunitur homini, & homo Chriſto, & Chriſtus ſic omnes charitate coadjungit inter ſe, ut unum efficiatur. D. Chryſoſt. homil. 88. in Matth. ait: *Nos per communicationem cum Chriſti corpore fieri maſſam unam*, ſicut ipſe Dominus Ieſus ait: *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem in me manet, & ego in illo.* Ioan. 6. n. 57.

D Chryſoſt. Ioan. 6.

289. Ioan. 17. D. Hilar. D. Ambr. Ianſen. Toler. D. Aug. D. Chryſoſt.

Orans Chriſtus in Cœnaculo ad ſuum Æternum Patrem ait: *Ego claritatem, quam dediſti mihi dedi eis, ut ſint unum, ſicut & nos unum ſumus*, Ioan. 17. num 22. Per claritatem D. Hilar. lib. 8. de Trinit. D. Ambroſius lib. 5. de fide cap. 4. Ianſen. Toler. in Commentario intelligunt gloriam Divinitatis; D. Auguſt. Beda, Rupert. Carthuſian. & alii gloriam immortalitatis Reſurrectionis, & Aſcenſionis; D. Chryſoſtom. Euthymius, Theophylactus, quos omnes citavi tom. 5. in Evangel. lib. 7. cap. 2. quæſt. 14. & 15. interpretantur de gloria, quam Chriſtus Dominus comparavit ex ſua doctrina, ſignis, ac prodigiis, quæ omnia ſuis communicavit, ac eos participes effecit, cum eis dedit poteſtatem filios Dei fieri, ex quo ad Divinam bonitatem eleganter exclamat noſter D. Cyrill. Alexandr. lib. 11. in Ioan. c. 27. & ait: *Nexus igitur unionis noſtræ ad Deum Patrem Chriſtus eſt, nobis quidem, ut homo, Deo autem Patri, ut Deus naturaliter unitus.* Nota ſequentia *Mirari ergo debemus Divinæ naturæ benignitatem, quæ creaturæ, quæ ſibi propria ſunt, communicare dignetur.*

D. Cyril. Alex. *Divina bonitas omnia ſua nobis communicat.*

290

Ad rem noſtram: *Ut ſint unum, ſicut & nos unum ſumus*, ac ſi dicat Chriſtus, ut ipſi nempe homines unum ſint inter ſe mecum ad ſimilitudinem, qua ego, & Pater unum ſumus per naturam, ſic illi unum ſint mecum per gratiam, & charitatem, ideoque claritatem, quam dediſti mihi ex majeſtate Divinitatis, & gloria Reſurrectionis, Aſcenſionis; ac ex ſublimitate doctrinæ, ac ſignorum, de dis per participationem in Euchariſtia, ut ita totum, quod eſt in me, ſit in eis, & totum, quod in eis eſt in me ſit, ita ut ego, & illi unum ſimus D. Cyril. Alexandr. lib. 11. in Ioan. cap. 27. ait: *Hanc claritatem, & gloriam Pater, quam mihi dediſti, quæ eſt ut tecum unum ſim, dedi eis ut ſint unum, ſicut & nos unum ſumus.*

Chriſtus in Euchariſtia omnia ſua nobis dat. D. Cyril. Alex.

291.

Addit Chriſtus citato Ioannis loco: *Ego in eis, & tu in me, ut ſint conſummati in unum.* Maximè explicat Chriſtus, quomodo ipſe omnibus ſuis, ſit unum in nobis, ait: *Tu Pater es in me, & ego in eis*, exinde ego & Pater cum eis, *conſummati*, ſeu ut legit Syriacus *perfecti in unum ſint* ſumma charitatis unione, & inde per Euchariſtiam maximè refulget in homine Divinitatis imago, ut ait D. Chryſoſtom. hom. 45. in Ioan. *Hic ſanguis* (inquit) *facit, ut imago in nobis regia floreat, hic ſanguis pulchritudinem, & nobilitatem animæ, quam ſemper irrigat, & nutrit, langueſcere non ſinit.*

Ex Euchariſtia *floret in nobis imago Regia.*

292.

Qui hanc unionem non habent inter ſe hujus divini convivii non eſſe poſſunt participes, quia illos tantum recipit hæc menſa, qui ſunt charitate unanimes, & pace concordes. Ait D. Paulus 1. Cor. 11. n. 20. *Iam non eſt Dominicam Cœnam manducare.* Et cur non eſt tempus illo cœleſti cibo fruendi, ſed ab illo omnino abſtinendum, rationem præmiſit Apoſtolus:

1 Cor. 15

Audio

vbi non eſt unio non datur participatio huius menſæ.

Audio *ſciſſuras eſſe inter vos.* Partialitates, diviſiones, ac fractiones, & in quibus tanta ſeparatio, ac partitio eſt, non poteſt eſſe conjunctio in unionis Euchariſticæ menſa, & quid inde provenit ſubdit Doctor gentium: *Oportet hæreſes eſſe*: ex tali irreverentia ad ſacram menſam conſequens eſt ut naſcantur hæreſes, ac errores, & falſa dogmata in fide, ac vera Eccleſiæ doctrina. D. Anſelmus ibi ait: *Maximum omnium malorum eſt apud vos quod in conventu veſtro fuerint ſchiſmata, ubi vinculum charitatis eſſe debebat, unaquæque voluntas, & ſumma concordia, ad quod unus locus vos invitat, & admonet*: Nempe locus menſæ Dominicæ.

D. Anſel.

QUÆSTIO XXXV.

Expenditur vivendi modus ſpiritualis in Eccleſia primitiva.

293. Cant. 3. DIcitur Cantic. 3. n 9. *Ferculum fecit Rex Salomon de lignis Libani: columnas ejus fecit argenteas, reclinatorium aureum, aſcenſum purpureum, media charitate conſtravit.* Ferculum dicitur compoſitum ex lignis Libani, ubinam ſunt iſta ligna? Nam cum ſigillatim deſcribuntur ferculi partes nulla ligna apparent, columnæ dicuntur argenteæ, reclinatorium aureum, aſcenſus purpureus, medium charitate adornatur, ubi ergo ſunt ligna? Verum eſt, quod erant ligna deformata, & incompoſita, quando deſignabantur, ac eligebantur, at ubi advenit Divini artificis manus, jam eſt aurum, argentum, purpureum, ac charitativum. D. Nicænus homil. 7. in Cantic. ait: *Nos ergo fuimus aliquando ligna Libani, ut qui in illo radices egiſſemus per malam vitam, & per fraudem Dæmonum, ſed poſtquam illinc à ratione participe ſecuri exciſi ſumus, & fuimus in manibus artificis, is nos ſuum fecit ferculum tranſmutata ligni natura per regenerationem in argentum, & aurum, & florentem purpuram.* Illi primitivi Chriſtiani olim & fraude Dæmonum fuerunt agreſtia, & incompoſita ligna, at poſtquam divinus Spiritus in eis fecit ſuum ferculum, ſtatim conſtituræ ſunt columnæ argenteæ in perſeverantia: aſcenſus purpureus in Divinis mandatis obſervandis, ignita charitas ad ſumendam ſacram Euchariſtiam, & reclinatorium aureum in contemplatione, ac meditatione.

Per gratiam transformamur in novã vitam, ac Dei ſervos.

D. Nic.

Perſeverantia.

294. *Perſeverandum in bono obere incæpto.* Eccleſ. 2. Tigurin.

Primò perſeverantia. Superius dictum eſt, quod auditis verbis D. Petri *compuncti ſunt corde* pœnitentiam agentes: nunc ſubdit Textus *erant perſeverantes* in ipſis bonis operibus, quod omnino neceſſarium eſt ad perfectam, & conſummatam virtutem; hinc Eccleſiaſt. monet cap. 2. n. 1. *Fili accedens ad ſervitutem Dei, ſta in juſtitia, & timore & prapara animam tuam ad tentationem.* Tigurina: *Fac ut in juſtitia ſollicitè perſiſtas*, & ex hoc Dominus monet Epiſcopum Philadelphiæ. *Tene quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam*, Apoc. 3. n. 10. Et ideo anima ſancta cum inveniſſet ſuum dilectum Jeſum ait: *Tenui eum non dimittam*, Cantic. 3. n. 4. Totum ſalutis negotium in ipſa perſeverantia uſque ad finem vitæ; dicitur Proverb. 1. n. 20. *Sapientia foris prædicat.* Quæ verba D. Hilarius, & Salvianus Maſſilienſis ſic legunt: *Sapientia in exitu canitur.* Quod vulgo dicitur *Al fin ſe canta la gloria.* D. Hilar. in Pſal. 14. ſic ait: Idcircò ad Salomonem omnis laus in exitu canitur, quia in iis, quæ promiſſa ſunt Deo, non eſt aliquando fallendum, ſed tendit uſque ad conſummationem perfecta admonitio cœleſtis. Similiter Salvian. lib. 4. ad Eccleſiam.

Graviter arguitur ab Hugone Victorino in Allegorijs Gotſ. lib. 11. cap. 13. Pilatus interrogans Jeſum Joan. 19. Quid eſt veritas, Joan. 19. n. 38. ſtatimque non expectato reſponſo egreſſus eſt ad Judæos: Optimum fuit in eo principium ſciendi veritatem, tamen ſua ipſius malitia impellente non expectat finem, ac ſolutionem quæſtionis; ſic ait Hugo: *Fecit ergo quæſtionem, & non expectavit ſolutionem, ſic multi tranſitorio fervore, converſi ad Deum vana bona deſiderare incipiunt, ſed eadem mentis mutabilitate, iterum ad tranſitoria effugiunt affectu in mentis propoſito non perſiſtunt.* 295.

Parum prodeſt bene incipere ſi non perſiſtas. Hugo.

Obedientia.

Secundo prompta eorum obedientia dicitur: *Erant perſeverantes in doctrina Apoſtolorum*, ita ut in hac prima die ad Petri verbum baptizati ſunt tria millia, & egerunt pœnitentiam, & ſubjecti erant doctrinæ Apoſtolorum, ut ſcribit Bozius, de ſignis Eccleſiæ: *In illis primis Chriſtianis tota eorum vivendi ratio ab Apoſtolorum nutu pendebat, & ſine mandato, quæ perfecta intelligebant.* In quo conſiſtit perfecta obedientia, ut ait D. Tho. 2. 2. q. 104. art. 4. in corpore: *Voluntas enim ſuperioris quomodocumq; innoteſcat, eſt quoddam tacitum præceptum, & tanto videtur obedientia promptior, quanto expreſſum præceptũ obediendo prævenit voluntate tamen ſuperiori intellecta.* Similiter D. Hieron. in Reg. Monach. c. 10. ait: *Subdit autem ſinebantur juſſa implere, quam forent emiſſa, & quibuſdam quodammodo indicijs, nitebantur prophetare de voluntate mandantis.* 296. Bozius. D. Tho. D. Hier. *Perfecta obedientia Prævenit voluntatem ſuperioris.*

In perſona Chriſti ait David Pſalm. 39. n. 8. *Tunc dixi. Ecce venio, in capite libri ſcriptum eſt de me, ut facerem voluntatem tuam Deus meus volui & legem tuam in medio cordis.* Ait Chriſtus rejectis ſacrificiis, & holocauſtis legis antiquæ, in primo inſtanti ſuæ conceptionis dixit: *Ecce venio* per mei ſacrificium ad redemptionem generis humani, ut explicant D. Aug. D. Ambroſ. D. Remig. noſter Incognitus, & ſubdit: *In capite libri*, ut legit Symmachus *tuæ diffinitionis, ut facerem voluntatem tuam*, de morte ſubeunda, ut exponunt citati Patres, ipſe tamen ut perfectè obediens æterno paterno decreto præveniens ait: *Ecce venio* ad ipſum ſacrificiũ, & holocauſtum, ac ſi non expectaret Patris decreti intimationem, ut ejus voluntati correſponderet; nam ante ejus voluntatem intimatam, dixit: *Ecce venio*, deinde pergens, inquit: *Legem tuam in medio cordis mei.* Cor eſt fons vitæ, in eoque conſiſtit hominis vita, & in eo erat lex Dei, in obſervatione legis Dei totam ejus vitam conſecrabat, ſic ei erat dedicata, & conſecrata. 297. Pſal. 39. D. Aug. D. Ambr. D. Remig. Incogn. Symmac. *Chriſtus prævenit voluntatem Patris.*

Sacra Euchariſtia.

Tertio in communicanda ſacræ Euchariſtia, ait Textus, *& erant perſeverantes in communicatione fractionis panis*, ſeu, ut habet Syriacus, Euchariſtiæ, cum eſſent ferventes amore in Chriſto, & ab eo nunquam ſeparari vellent, ſacra Euchariſtia ſe movebant. Percuſſo Chriſti latere exivit *ſanguis, & aqua*, Ioan. 19. n. 34. quod in Chriſti pectore eſſet ſanguis, hoc planum eſt, ſed quod etiam ibi eſſet aqua, res ſanè valde mira præter naturæ ordinem plena miſterio: ſicut ſanguis denotat ſacram Euchariſtiã, ſic aqua populos; & illi de populo retinentur in corde Chriſti, qui cum ejus ſanguine uniũtur, ac illius fiũt participes. D. Paſchaſ. lib. de corpore Chriſti cap. 11. ait: *In Apocalypſi Angelus aquas populos interpretatur, & ideò rectè proviſum eſt, quia cum ſanguine fluxit, ut hoc in myſterio veri ſanguinis admiſceatur, quatenus nos in illo ſumus, ut per hoc ſalutis Sacramentum divinis obtutibus, illico uniti myſticè offeramur.* 298. *Illi perfecti qui uniuntur cum Euchariſtico ſanguine.* Ioan. 19. D. Paſch.

Dicitur Proverb. 9. n. 1. *Sapientia adificavit ſibi domum excidit columnas ſeptem, immolavit victimas* 299. Prouv. 9.

suas, miscuit vinum, proposuit mensam, misit ancillas suas, ut vocarent ad arcem, & mœnia Civitatis. Hæc mensa de sacra Eucharistia communiter à Patribus, & Doctoribus interpretatur, & cum convocandum esset ad mensam, & arcem, & mœnia Civitatis vocatur; quia hæc sacra mensa ad hostes, ac inimicos debellandos est turris fortissima, & murus insuperabilis, miscet vinum cum aqua, ad notandum tam sacrificium altaris, quam ad innuendum, quod illi, qui ad hanc mensam volunt accedere sic debent uniri, ac incorporari cum Christo, sicut aqua unitur, & incorporatur cum vino. D. Paschas. proximè citatus cap. 21. sic ait: *Invenimus in Salomone, quod sapientia miscuerit vinum suum, quod sanè vinum est illud, quod effunditur ad altare, ideo fit, ut sanguis Christi inde pro nostris exhauriendis peccatis quotidie rursus in pretium sumatur redemptionis, & interior homo noster per hoc plenius innovetur, & conjungatur Christo; nec modo moribus, & vita, verumetiam & unitate naturæ per corpus, ut hinc inde in illius forma inveniamur.*

Eucharistia turris fortissima.

Summa unio nobiscum. D. Pasch.

Oratio.

300. Ait Textus erant perseverantes in orationibus: Cum enim illi primitivi Christiani multum jam accepissent de Deo, quod pœnitentiam egissent, ac essent baptizati perseverantes in doctrina Apostolorum ac in participatione sacræ Eucharistiæ, ideo in orationibus erant perseverantes, ac instantes, ut inde aliquid majus à Deo acciperent. Ait anima sancta ad suum dilectum, Cantic. 1. n. 1. *Osculetur me osculo oris sui, quia meliora sunt ubera sua vino fragrantia unguentis optimis.* Illa toto mentis affectu labia divini Sponsi exoptat attingere, tamen ibi non sistit, sed ultra ad ubera sponsi multis cœlestibus donis repleta magno desiderio fertur, & ideo non labia, sed ubera maximè commendat, & ait *meliora sunt ubera tua vino fragrantia.* Quid facit ad rem, quod ubera tot, tantisque commendata donis repleantur, cum ipsa sola labia pertingere exoret? bene noverat ipsa, quod si aliquid à Deo acciperet, simul totū ipsum Deum cum omnibus suis donis acciperet; nam aliquid de Deo participare pignus est ad totum Deum possidendum ac habendum, D. Ambros. lib. de Isaac, & anima cap. 3. ait, *quia bona*, inquit, *ubera tua super vinum, & odor unguentorum supra omnia aromata, illa osculum poscit, Deus Verbum se ei totum infundit, & nudavit ei ubera sua.*

Cant. 1.

Qui de Deo cupit aliquid habere totum accipiet.

D. Ambr.

301. *Erat Jonas* cap. 2. n. 9. *in ventre piscis tribus diebus, & tribus noctibus, & oravit Jonas ad Dominum Deum suum de utero piscis, & dixit: Clamavi de tribulatione mea ad Dominum, & exaudivit me.* Magna quæstio est, Jonas adhuc detinebatur in periculo, adhuc erat inclusus in utero piscis: oratio autem ejus erat, ut ab illo carcere incolumis, & salvus exiret, si adhuc in belluinis visceribus immorabatur, unde agnovit suam orationem exauditam? *Et exaudivit me.* Ex eo quod Jonas experimento cœpit agnoscere in se aliquid de benignitate Divina, quod per tot dies eum salvum, & incolumem servavit, pro certo credidit suam orationem exauditam de prospero, ac felici exitu. Theophylact. ibi ait: Per hoc, quod in cete servatus est, incipit credere, quod vitam denuo sit recuperaturus, eam ob rem hoc exoptat, non utique exoptaturus, nisi ex illo hoc possibile Deo credidisset.

Jon. 2.

Ex divina clementia aliquid accipiūm habebit.

Theoph.

Actor. 2. n. 44. Omnes etiam, qui credebant, erant pariter, & habebāt omnia cōmunia.

Num. 45. Possessiones & substantias vendebant, & dividebant illa omnibus, prout cuique opus erat.

Num. 46. Quotidie quoque perdurantes unanimiter in templo frangentes circa domos panem sumebant.

Num. 47. Collaudantes Deum, & habentes gratiam ad omnem plebem: Dominus autem augebat, qui salvi fierent quotidie in idipsum.

VERSIONES.

Syrus n. 44. Simul erant, & omne id, quod eis erat communitatis erat.

Arabicus. Omnes concordes, & omnes res erant iis publicæ, & communes. *Pagninus* erant conjuncti.

Æthiopicus. Simul manebant, & mixta fuit tota familia, & possessio eorum.

Syrus n. 45. Et ij, quibus erat possessio vendentes erant homini secundum id, quod necesse erat.

Arabicus. Vendebant supellectiles suas, & dividebant inter turbam. *Æthiopicus* dabant pauperibus.

Syrus n. 46. Perseverantes erant in una anima, & frangentes edictum munus, exultantes in puritate cordis.

Arabicus. Cum hilaritate laudantes Deum.

Æthiopic. Perdurabant simul in domo sancta, & benedicebant mensæ, & præbebant cibum cum gaudio.

Syrus n. 47. Donati in amicos coram omni populo.

Arabicus. Habebantque honorem apud omnem populum: Dominus autem in Ecclesia augebat salvandos quotidie. *Vatablus* gratiosi in Ecclesia.

Æthiopicus. Et ex decreto adjiciebat Deus, super illos, qui crederent, & salvi essent. *D. Chrysost.* Addebat eos Ecclesiæ.

EXPOSITIO XVIII.

302. Vers. 44. *Omnes, qui credebant erant pariter.* Syriac. Æthiop. Pagnin. Tigurin.

Syriacus erant simul, Æthiopicus *simul manebant.* Pagninus, Tigurina *erant conjuncti*, non quod simul in eadem domo habitarent; multitudo enim credentium erat in magno numero, ita ut prima die Pentecostes circiter tria millia fuerint baptizati supra n. 41. quotidieque credentium numerus augeretur, ac proinde impossibile erat quod omnes eadem in domo habitarent, maximè cum multi uxorati, alij castè, & religiosè viventes; erant omnes pariter in certo aliquo loco ad quem conveniebant ad orationem, concionem, ac ad exercitia spiritualia, simulque ad sanctam synaxim, & ita dicitur infra cap. 5. n. 12. *Erant unanimiter omnes in porticu Salomonis*, qui erat valde amplus, & magnificus, & ita dicitur infra n. 46. *Perdurantes quoque in templo.* Act. 5.

303. *Habebant omnia communia*, quod maximè pertinet ad perfectam unionem, concordiam, ac pacem excluso illo frigido verbo *meum*, ac *tuum*, quod est totius discordiæ, ac iniquitatis, & perturbationis fomentum. habebant omnia communia quoad rerum substantias, non quoad uxores, nam concubitus vagus est contra legem naturæ. & contra certitudinem prolis, ac debitam educationem.

304. Vers. 45. *Possessiones, & substantias vendebant.* Cajetanus Caietan.

tanus tenet quod non vendebant domos, in quibus habitabant, tamen ſimpliciter, quod omnia ſua tam mobilia, quam immobilia venderent, eſt communis ſententia. Ita Gloſſa Interlin. Lyranus, Hug. Carthuſian. & maximè pugnat quod dicitur infra cap.4. n.34. *Quotquot poſſeſſionum, agrorum, aut domorum erant vendentes offerebant pretium eorum, quæ vendebant.*

Gloſſa Lyran Interlin. Hugo. Carthuſ. Act. 4.

305. Poſſeſſiones agrorum, aut domorum; nam poſſeſſio, ut ait Faſtus idem valet, ac pedum ſeſſio, aut poſitio, quia in eis pes ponitur, ut in re propria, & ita ſub poſſeſſionibus intelliguntur bona immobilia, *& ſubſtantias*, bona nempe mobilia, pecora, ſupellectilia, vinum, & triticum, *vendebant* per manus eorum, qui ad hoc erant deputati, ut patet ex cap. 4. & 6. vendebant contemptu terrenorum, amore paupertatis, ſtudio charitatis, ut per egentes diſtribuerentur, & fortè antequam in poteſtatem Iudæorum, & inimicorum venirent, in cœleſtes theſauros pauperum manus deportarunt, ut fecerunt S. Laurentius, Vincentius, Sixtus, & alii.

Verſ. 46. *Quotidie quoque perſeverantes in templo.*

306. Ad orationem, ac conciones Apoſtolorum: *Frangentes circa domos panem.* Aliqui ut D. Antonin. Baronius, Ganeius exponunt de pane Euchariſtico; alii ut Caiet. Lyran. Carthuſ. exponunt de pane uſuali, de utroque pane, Gloſſa Interlinealis, Hugo, & quod hic non ſit ſermo de ſacta Euchariſtia; inde mihi probatur, quia ſupra n.4. de communione ſacræ Euchariſtiæ fit mentio: deinde non videtur decens, quod cœleſtis panis deferretur per domos ad communionem fidelium. Aptius videtur exponendum de certo genere panis, qui dicebatur *Agape*, & ſumebatur poſt ſacram Euchariſtiam in memoriam ultimæ Cœnæ, ac communionis Chriſti ad ſymbolum, & ſtimulum charitatis: In hanc ſententiam maximè inclinant D. Chryſoſt. Oecumenius, & eam tenent Lorin. Cornelius à Lapide, Menoch. Tirin.

D. Antonin. Ganeius. Baron. Interlin. Hugo

D. Chryſoſt. Oecum. Lorin. Cornel. Menoch. Tirin.

Circa domos: Oecumen. per domum intelligit templum, vel diſtribuebant per ſingulas domos ob creſcentem magnum numerum fidelium *cum exultatione* ob mutuam unionem, ac charitatem, & ſpiritualem conſolationem ex ſumptione talis panis. *Et ſimplicitate cordis*, ſincerè, candidè, ac benevolè, ſine ullo dolo, ac malitia, vel fraude.

307. Oecum.

Verſ. 47. *Collaudantes* Deum pro tot, ac tantis beneficiis acceptis, ut referuntur in hoc capite, quod eos in fide illuminaverit, eoſque ſui corporis participes faceret, in eiſque tantam charitatem, ac unionem infuderit: pro his omnibus gratias agebant, ut ait Apoſtol. ad Epheſ. 5. n. 19. *Loquentes vobiſmetipſis in Pſalmis, & Hymnis, & Canticis ſpiritualibus cantantes, gratias agentes*, & 1. ad Timoth. 4. n. 4.

308.

Epheſ. 5.

309. *Habentes gratiam ad omnem populum.* Arabicus: *Habentes honorem.* In toto populo erant multum grati, amabiles, & honorati propter Sanctos, & inculpabiles mores, ac cœleſtem mittendi modum; omnium enim animos conciliabat *beneficentia eleemoſyna, & morum candor, ac ſimplicitas.* Ait D. Chryſoſt. *Dominus autem augebat*, nempe numerum eorum, ut advertit Lyran. non ſolum in die Pentecoſtes, ſed etiam aliis diebus. Chryſoſtom. legit *addebat*. Eccleſiæ, ſeu cœtui Eccleſiæ multos fideles *Quotidie in idipſum*. Hoc eſt in eandem ſocietatem, in eandem fidem, & rationem vivendi.

Arabic.

D. Chryſoſt.

Epheſ. 5.

QUÆSTIO XXXVI.

Quare in primitiva Eccleſia tanta erat obſervantia communis vitæ; De illius excellentia agitur?

310. *Vita cõmunis cœleſtis, & Angelica.*

COmmunis vita, beatam, atque Angelicam imitatur, nam ſicut Angelica uno alimentatur pabulo, uno lumine gloriæ veſtitur, & ornatur, iiſdemque dotibus viſionis, fruitionis, ac gaudii exultat, ſic & vita communis una unanimi charitate alitur, uno fraterno amore ordinatur, iiſdemque facultatibus illuſtratur, & cum à ſe abiiciat frigidum verbum *meum*, ac *tuum* nulli diſcordiæ, ac contradictionis eſt occaſio, nullum ambitionis, aut cupiditatis fomentum; nulliuſque invidiæ ſtimulus, ſed omnia ſuggerunt mutuæ charitatis incitamenta, meritorum fructus, & conſcientiæ pacem, & tranquillitatem; meritò hic vivendi modus vocatur à Divo Laurentio Juſtiniano citando: *Inchoatio cœleſtis vitæ*, & à D. Chryſoſt. *vita Angelica* juxta illud Chriſti D. *Si vis perfectus eſſe vende, quæ habes, & da pauperibus, & habebis theſaurum in Cœlo.* A Caſſiano appellatur *perfectionis norma.*

D. Laur. Juſtin. – D Chryſoſt. Math. 19. Caſſian.

311. Religionum inſtitutores hunc vivendi modum vitæ communis ſunt amplexati, cujus Deus jam aliquod initiavit principium in lege veteri, ac poſuit in magno Parente Elia, Eliſæo, ac filiis Prophetarum, qui Conventualiter vivebant in Carmelo Galgalis, Hierico, quos antequam Elias raptus eſſet in Cœlum, tanquam ſuos Conventus viſitavit 4. Reg. 2 n. 2. eodem: pabulo ac cibo utebatur 4. Reg. 4. n. 39. De quibus multa dixi in Opuſculis opuſc. 3. reſol. 3.

Elias. Eliſæus. 4. Reg. 2. 4. Reg. 4.

312. Poſtea ſecuti ſunt Eſſeni, de quorum eximia obedientia, paupertate, caſtitate, oratione, ſilentio, ac clauſura, communi veſte, & cibo latè agunt Authores antiquiſſimi ipſis Eſſenis contemporanei, ut Philo liber *Quod omnis probus ſit liber*, & lib. de vita comtemplativa. Joſephus lib. 2. de Bello Judaico cap. 7. Prophirus apud Euſebium de præparatione Evangelica lib. 9. cap. 3. de quo latè egi in opuſculis opuſc. 3. reſol. 3. q. 4.

Eſſen. Philo. Ioſeph. Prophir.

313. Nunc vero adveniens Spiritus Divinus illuminans, ac inflammans corda diſcipulorum, ab ipſis religioſa, ac religioſus vivendi modus ad ſublimiorem, ac excellentiorem ſtatum, maximè elevatus, ac in ſua conſummata, ac altiſſima perfectione conſtitutus, atque ordinatus eſt: ab hiſque perfectiſſimæ vitæ religioſæ jacta ſunt fundamenta, ut ſcribunt D. Hieronymus lib. de viris illuſtribus in Marco, D. Baſilius in regula. Fuſieri. regul. 19. eundem poſtea maximè ſuſcitaverunt circa annum 100. D. Antonius, D. Baſilius, D Auguſt. edocti ab Apoſtolis, ac primis Chriſtianis, in quibus omnia erant communia, & juxta etiam illud vulgare Proverbium: *Amicorum omnia ſunt communia*, in quo conſiſtit tota religioſæ vitæ perfectio. Ait Hugo de clauſtro animæ perfecto.

D. Hier. D. Baſil. D. Aug. Hugo.

314. Ait anima ſancta ad ſuum dilectum ſponſum: *Trahe me poſt te, & curremus in odorem unguentorum tuorum*, Cant. 1. n. 3. Si ipſa ſe ſola poſtulat trahi, cur etiam invitat, & ut ſodales currant, cur non poſtulat & ut trahantur, & ut currant in odorem unguentorum tuorum? Quia ſi ipſa optabat trahi poſt ſponſum, ut de tantis donis cœleſtibus gauderet, non ſolum hoc ſibi vult, ſed etiã ut ſodalibus communicetur dum currunt, & ne aliquid ipſa prius participet, ideo cum ipſa trahitur, poſtulat ut & alii trahantur, ſed ut currant. D. Gregor. Papa ait: *Cur, quæ dixit ſingulariter* trahe, *dicat pluraliter curremus, id inquit eſſe in cauſa, quia in odore charitatis Perfecta charitas vult omnia communia.*

Cant. 1. D. Greg.

Dei, quam currens percipit, etiam præceptum dilectionis proximi advertit, propter communicationem ſcilicet mutuam Sanctorum in bono; Nam etſi illa ſola pro ſe rogat trahi, tamen ex præcepto charitatis, quod omnia communia intendit, illis omnes repleri
1.Petr.2. deſiderat. Ait Petrus Epiſt.1.cap.2.num.8. *Vos eſtis genus electum, regale Sacerdotium, gens ſancta, populus acquiſitionis.* Græcus reddit: *Populus in acquiſitionem*, ad communicandum cum eis veſtrum genus, regale Sacerdotium, ac ſanctitatem eis datam.
Græcus.

315. Ait Apoſtolus Paulus 1.ad Theſſal.3.num.8. *Nunc vivimus, ſi vos ſtatis in Domino.* Tam ingenti Charitate fervebat Apoſtolus, ut omnia ſua gratiæ dona
1 ad Theſſal. à Chriſto ſibi communicata vellet etiam aliis eſſe elargita, ut ipſi firmi, & ſtabiles in Deo eſſent, tunc
3. *Iuſtus tunc vivit, cum habet alios ſecum in donis.* D Chryſoſt. ipſe reputabat cum eis vivere. At verò ſi ipſi à Chriſto deficerent, & mortui eſſent in fide, tunc non vitam, ſed mortem eum apprehendere judicabat. D. Chryſoſt. homil. 1. de S. Romano; ſic ait: *Vide quantopere ſtudebat, ut res fratrum recte ſe haberent, qui nec ſe vivere exiſtimabat, ſi illi ſalvi non eſſent. Homo, qui ad tertium Cælum raptus fuerat, atque in paradiſum delatus tantamque fiduciam apud Deum aſſecutus fuerat, illorum bonorum ſenſum non accipiebat, niſi etiam fratres ſecum ſalvos eſſe vidiſſet.* Paulus in tanto rerum apice ſublimatus, ut ad tertium Cœlum eſſet evectus, ut audiret Dei arcana, nihil tamen ſe habere reputabat; *Niſi etiam fratres ſecum ſalvos vidiſſet.* Vide tom. 2. in Apocalypſ.cap.12.q.31.n.240.242.243.& in omnibus meis libris in Sybillario verb.*communicare.*

QUÆSTIO XXXVII.

Quare in iſtis primitivæ Eccleſiæ tanta erat perfectio?

316. UT eſſent perſeverantes in doctrina, ac obedientia Apoſtolorum, in oratione, in frequentatione Sacræ Euchariſtiæ, in gratiarum actione, in abnegatione omnium temporalium, & omnia, quæ habebant, à ſe alienabant vendentes, & pretia ad Apoſtolorum pedes deferebant, totiſque viribus in Cœlum deferebantur. *Illa mulier peperit filium maſculum, qui recturus erat omnes gentes, raptus eſt Fi-*
Apoc.12 *lius eius ad Deum, & ad thronum ejus.* Apocalypſ. 12.n.5.ſicut ſatis clara ſententia eſt, quod hæc mulier ſignificet Eccleſiam, ſic & filius ejus animam fi-
Cæſari. delem ſeu cœtum fidelem. Ita Andreas Cæſari. Ri-
Richard chardus, Albertus, quos citavi tom.2. ad cap. 12.
Albertus Apocalypſ.q.46.num.364.Magnum ſane myſterium in hoc declaratur, nam qui verè gignitur, ac naſcitur, ut proprius filius Eccleſiæ, omni nexu, ac conatu tendit in Deum, ac fertur in thronum ejus. Huc advoco id, quod dixit D.Athanaſ. Sinaita lib.
D Atha. 7.Examer.ubi ſic ait: *Exeuntes de aquis volucres ſtu-*
Sinaita *pens Iſaias clamabat: qui ſunt hi, qui ut nubes volant, hæ ſunt volucres, quæ rapiuntur in nubibus obviam Domino in aëra.* 1.Theſſal.4.num.16.verè fide-
.Theſſ.4 les, etſi de terrenis aquis hujus ſæculi prodeant, tamen non ibi inhærent, ſed ad ſuperna altâ contemplatione volant, ut digni inveniantur, qui Domino
Qui vo ce fidelis naſ i ur cæleſtia petit. venienti ad judicium cum poteſtate magna, in nubibus occurrant, ut ab ipſo gloriæ diademate coronentur.

Quam felix,& fœcunda novitas virtutis ad magnos progreſſus ſcribit Joan. 10. num. 22. *Facta ſunt*
317. Ioan 10 *encœnia in Ieroſolymis, & hyems erat.* Maxime ponderandum, quod encœnia, id eſt renovare, ſeu innovare quotidie hyeme fierent, cur non potius veris tempore, in quo omnia innovantur, & ad ejus exordium totus fabricatus eſt mundus; in hyeme vero frigore, gelu, ac ſæviente tempeſtate omnia tabeſcunt, ac opprimuntur; Cur innovationes non in vere, ſed in hyeme Deus in templo ſuo fieri diſpoſuit? Ex his cauſis hoc providit; ut adverſus debaccantes, ac furentes tempeſtates, atque hoſtiles incurſus, & inſurgentes tentationes, homines fortiores, ac validiores exiſterent; tanquam novellæ plantationes in virtute innovantur, ut præſidio novitiæ, ac primævæ virtutis ſævientes ventos valeant repercutere, & immobiles in virtute conſiſtere. Theodor.apud Caten. D.Thomæ ait: *Sata, as tu quo-* Theod.
que dum hyems imminet, id eſt vita præſens turbinibus iniquitatis concuſſa, ſpirituales encænias tui templi celebrare, ſemper renovando te ipſum, & aſcenſiones in corde tuo diſponens, tunc Ieſus erit præſto tibi. Ad procelloſas iniquitatum tempeſtates ſuperandas multum prævalet innovatio vitæ, & tunc tibi aderit Jeſus; & ambulabit ibi.

Resumit via virtutis novitatem ſortis ad vincendum.

Ingrediens Jeſus ad ſuæ paſſionis conflictus, ad 318.
ſuſtinendas Iudæorum contradictiones, mandat diſcipulis ſuis, ut tendant in Caſtellum: *Et inveniens aſinam alligatam, & pullum cum ea, ſolvite, & ad-*
Math.21 *ducite mihi*: Matth.21. num.2. Diſponebat Dominus ingredi ad ſuos hoſtes, non pedibus, ſed veluti in equo, ad hoc ſufficiebat aſina, ad quid inſuper pullus? qui imo potius poterat eſſe impedimentum in via, ad quid ergo? Ad inſinuandum, quod ad enervandas hoſtium vires multum prodeſt, quod novella virtus reaſſumatur, ut illius fervore armatus Chriſti miles, omnem adverſariorum furorem extinguat, & conſumat. Ad quod tendit noſter D.
D.Cyril. Cyrill. Alex. lib.4.in Ioan. cap.36. ſic ait: *Quando*
Alexand *autem ad ſalutarem ibat paſſionem, tunc non occulte, ſed pullo invectus aſinæ in figuram populi novi.* In pullo ſignificabatur novus populus reaſſumendus cum fervore novæ virtutis. D. Chryſoſt. homil. 67. D Chry-
in Matth. ait: Gentium enim obedientia in pullo ſi- ſoſt.
gnificatur, & repentina in meliorem vitam mutatio.

Novella virtus valde fervida.

CAPVT III.

1. *PEtrus autem, & Ioannes aſcendebant in templum ad horam orationis nonam.*
2. *Et quidam vir, qui erat claudus ex utero matris ſuæ, bajulabatur: quem ponebant quotidie ad portam templi, quæ dicitur ſpecioſa, ut peteret eleemoſynam ab introeuntibus in templum.*
3. *Is, cùm vidiſſet Petrum, & Ioannem incipientes introire in templum, rogabat, ut eleemoſynam acciperet.*
4. *Intuens autem in eum Petrus cum Ioanne, dixit reſpice in nos.*
5. *At ille intendebat in eos, ſperans ſe aliquid acceperum ab eis.*
6. *Petrus autem dixit: argentum, & aurum non eſt mihi, quod autem habeo hoc tibi do; in nomine Ieſu Chriſti Nazareni ſurge, & ambula.*
7. *Et apprehenſa manu ejus dextera, allevavit eum, & protinus conſolidatæ ſunt baſes ejus, & plantæ.*
8. *Et exiliens ſtetit, & ambulabat: & intravit cum illis in templum ambulans, & exiliens, & laudans Deum.*
9. *Et vidit omnis populus eum ambulantem, & laudantem Deum.*
10. *Cognoſcebant autem illum, quod ipſe erat, qui ad eleemoſynam ſedebat ad ſpecioſam portam templi, & impleti ſtupore, & extaſi in eo, quod contigerat illi.*
11. *Cum teneret autem Petrum, & Ioannem, cucurris*

rit omnis populus ad eos, ad porticum, quæ appellatur Salomonis, ſtupentes.

12. *Videns autem Petrus, reſpondit ad populum: Viri Iſraelitæ quid miramini in hoc, aut nos quid intuemini, quaſi noſtra virtute, aut poteſtate fecerimus hunc ambulare.*

13. *Deus Abraham, & Deus Iſaac, & Deus Iacob: Deus Patrum noſtrorum, glorificavit filium ſuum Ieſum, quem vos quidem tradidiſtis, & negaſtis ante faciem Pilati, judicante illo dimitti.*

14. *Vos autem ſanctum, & iuſtum negaſtis, & etipiſtis virum homicidam donari vobis.*

15. *Auctorem verò vitæ interfeciſtis, quem Deus ſuſcitavit à mortuis, cuius nos teſtes ſumus.*

16. *Et in fide nominis eius, hunc quem vos vidiſtis, & noſtis, confirmavit nomen eius: & Fides, quæ per eum eſt dedit integram ſanitatem iſtam in conſpectu omnium veſtrum.*

17. *Et nunc fratres, ſcio, quia per ignorantiam feciſtis, ſicut & Principes veſtri.*

18. *Deus autem quæ prophetavit per os omnium prophetarum, pati Chriſtum ſuum ſic implevit.*

19. *Pœnitemini igitur, & convertimini, ut deleantur peccata veſtra.*

20. *Ut cum venerint tempora refrigerij à conſpectu Domini, & miſerit eum, qui prædicatus eſt vobis, Ieſum Chriſtum,*

21. *Quem oportet quidem Cœlum ſuſcipere uſque in tempora reſtitutionis omnium, quæ locutus eſt Deus per os ſanctorum ſuorum à ſæculo prophetarum.*

22. *Moyſes quidem dixit: Quoniam prophetam ſuſcitabit vobis Dominus Deus veſter de fratribus veſtris, tanquam me, ipſum audietis iuxta omnia, quæcumque locutus fuerit vobis.*

23. *Erit autem: omnis anima, quæ non audierit Prophetam illum, exterminabitur de plebe.*

24. *Et omnes prophetæ à Samuel, & deinceps qui locuti ſunt, annuntiaverunt dies iſtos.*

25. *Vos eſtis filij Prophetarum, & teſtamenti, quod diſpoſuit Deus ad Patres noſtros, dicens ad Abraham: Et in ſemine tuo benedicentur omnes familiæ terræ.*

26. *Vobis primum Deus ſuſcitans Filium ſuum, miſit eum benedicentem vobis: ut convertat ſe unuſquiſque à nequitia ſua.*

ARGVMENTVM.

CAput hoc potiſſimum in duas dividitur partes: In prima deſcribitur præclariſſimum miraculum claudi ex utero matris jam ſanati. Ex ejus occaſione In ſecunda parte ſermo D. Petri de virtute nominis Jeſu.

Actor. 3. num. 1. Petrus autem, & Joannes aſcendebant in templum ad horam orationis nonam.

VERSIONES.

Syrus. Factum eſt autem cum Simon Petrus, & Ioannes ſimul aſcenderent tempore precationis hora nona.

Arias Græcus. In idipſum aſcendebant.

EXPOSITIO I.

1. Græcus. Verſ. 1. PEtrus autem, & *Ioannes*: Græcus habet: *In id ipſum*, aſcendebant: Unde multi connectunt hæc cum fine ſuperioris capitis, ut vult Caietanus, quod hæc eodem die Pentecoſtes contigerint: *In id ipſum*, id eſt ad idem tempus, ut poteſt patrocinari; quia Spiritus Sanctus advenit hora tertia; hæc facta ſunt hora nona. Tamen contra hoc pugnat; quia in illa die Pentecoſtes Petrus poſt longam concionem tria millia hominum baptizavit, & nunc poſt ſanatum claudum, aliam habuit concionem, quæ omnia vix fieri poſſunt eodem die. ergo in diverſo die hæc ſunt facta, ut etiam placet Lorino, id quod habet Græcus: *In id ipſum* idem eſt, ac ſimul, ſeu ut exponit Hugo: ad eumdem finem, ſeu intentionem.

Caietan. *Non eadem die Pentecoſtes.*

Lorin. Hugo.

2. *Petrus, & Ioannes.* Nam inter hos duos, ut notat D. Chryſoſt. erat magna familiaritas, ut patet ex Evang. Joan. 20. num. 3. & infra in Act. cap. 8. num. 14. *Aſcendebant.* Templum conſtitutum erat in monte Sion, ut à tota urbe eſſet conſpicuum, ad illudque per gradus aſcendebatur, inde aliqui ſuſpicantur, quod dicuntur Pſalmi graduales, quod in gradibus aſcendentibus recitarentur. In templo autem tres erant partes diſtinctæ. Prima *Atrium*, in quo orabant ſæculares, & ad hoc ſe conferebant *Petrus*, & *Ioannes*. Secunda *Sanctum*, quod ſolis Aaronicis Sacerdotibus erat datum, Tertia pars *Sanctum Sanctorum*, ad quod ſemel in anno poterat ingredi ſummus Sacerdos.

2. Ioan. 20. Actor. 8.

In templo triplex pars.

In Templum, tanquam in proprium orationis locum; quia Deus ibi peculiariter habitadat tanquã in loco ſancto, & oratio unius adjuvabatur precibus aliorum, ac etiam ſanctorum, qui ibi venerantur, ac quorum reliquiæ ibi ſunt: Unde dicitur Pſalm. 21. num. 23 *In medio Eccleſiæ laudabote*, & n. 26. ſubdit: *Apud te laus mea in Eccleſia magna*, & multis aliis in locis.

3. *In Eccleſia orandum.*

Pſal. 21.

Ad horam orationis nonam; quæ reſpondet horæ tertiæ poſt meridiem, de computatione horarum apud Hæbræos ſæpe jam dixi: Judæi autem tribus horis in die orabant: *Daniel tribus temporibus in die orabat contra Ieruſalem* cap. 6. num. 10. ſcilicet, mane, hora nona, & veſperi; Deinde ad horam aſcendebant; quia ſacrificium agni bis in die offerebatur; mane, veſperi Exod. 29. num 38. & potiſſimum in memoriam Paſſionis Chriſti, qui pro omnium ſalute hora nona expiravit in Cruce, & ad Inferos deſcendit. Ita Clemens Rom. de conſtitut. cap. 34. D. Cyprianus de Orat. Domini. S. Athan. de Virgine. D. Baſil. ſerm. 1. de Inſtit. cap. 3. Rupertus lib. 1. de offic. cap. 5.

4. *Cur hora nona* Dan. 6.

D. Clem. D. Cypr D. Atha. D. Baſil. Rupert.

QUÆSTIO I.

Quare ante miraculum claudi deſcribitur oratio Petri, & Ioannis?

PEtrus, & Joannes aſcendebant in Templum, ibant bini tum ob intimam amicitiam, tum quia D. Ieſus miſit eos binos Luc. 10. num. 1. ex quo de-

5. Luc. 10.

ſumpta eſt conſuetudo, ut Religioſi bini incedant, ut docent D.Ambroſ. ad citatum locum Lucæ, D. Gregor. Papa homil. 17. in Evangelia D. Auguſt. in reg. unde D. Thom. religioſum ſolum ambulantem, Dæmonem ſolitarium vocabat, ut refertur in Chronicis D.Dominici lib. 3. cap. 37.

D.Ambr. D. Greg. D.Aug. D.Tho.

6. Quæſtio tamen inquirit: Cur ante hoc miraculum claudi perpetratum à Petro, & Joanne deſcribitur, quod ipſi ibant in templum ad orationem? Ad quod reſpondet primo D.Baſilius Seleucienſ. orat. 21. & ait. *Orationis appendix erat claudi curatio, & captus ad orationem curſus jacenti claudo inopinatum curſum attulit.* Magno myſterio denotatur, quod Petrus, & Joannes irent ad orationem, ut innuatur magna orationis efficacia, quod non ſolum ipſa oratio, ſed curſus ad illam, valuit claudo impetrare ſanitatem. De juſto ait Regius vates Pſal. 10. num. 13. *Præparationem cordis eorum audivit auris tua*: Non ſolum ipſam juſti orationem audit Deus, ſed etiam ejus præparationem (ut in præſenti curſus ad illam) ac proinde antequam oratio fiat à juſto, Deus prævenit annuens optatis.

D.Baſil. Seleucien. *Præparatio ad orationem impetrat,* Pſal. 10.

7. Secundò reſpondet idem D. Baſilius Seleucienſ. citato loco, & ait: *Id primum in dictis cognitis, neceſſarium eſt, quod in tantam dignitatis celſitudinem evecti Apoſtoli, orationem minimè neglexerint; Nam homines cum eſſent, hinc quoque petitio præſidio egebat: Quod ſi Apoſtoli precationis opem non excutiunt, ſed perpetuis rerum uſibus neceſſariam ſupplicationem oſtendunt, quantum nos crimen incurrimus, qui per incuriam tam ſalutare proricimus viaticum.* Apoſtoli in tam ſublimi ſanctitatis faſtigio ad communem orationem, quæ fiebat hora nona, ſe conferunt, & inde ſalutem claudo impetrant; Unde merito Seleucus citatus orationem vocat *ſalutare viaticum*, quo fideles, qui à Cæleſti patria peregrinantur in terris, victitant, ac ſe componunt, ut feliciter, ac ſecure degant, omniaque obtineant, dum ſunt in hac via, & in hac conſideratione Baſilius ante citata verba ait: *Vidimus igitur hodie poſt Salvatorem diſcipulos, miraculorum artem delibantes.* Oratio communis ars miraculorum dicitur; nam ſicut in arte ſunt documenta, ac media ad perfectam ſcientiam comparandam, ſic in oratione, ac per orationem dantur efficaciſſima media ad miracula, multaque mirabilia operanda.

D.Baſil. Seleucie. *Oratio communis viaticum dicitur.*

8. Docens nos Dominus orare ait: *Sic orabitis: Pater noſter, qui es in Cœlis, ſanctificetur nomen tuum.* Matth. 6. num. 9. cur cum unuſquiſque pro ſe orat, non docetur ſic orare: *Pater meus*, quod magis affabilius, & attractius videtur? Sed dicendum eſt: *Pater noſter* per quod denotatur communis cum aliis fraternitas, atque etiam gratia adoptionis ab Spiritu Sancto accepta cum aliis communis; ac proinde cum pro nobis rogamus, dicimus *Pater noſter*, & orationem communem facimus pro nobis, & aliis, & inde magis accepta, & grata fit Deo. D. Chryſoſt. homil. 20. in Matth. ſic ait: *Qui patrem dicit, & peccatorum remiſſionem, & adoptionem, & hæreditatem, & fraternitatem quæ eſt ad unigenitum, & ſpiritus largitionem, per unam hanc confeſſus eſt nuncupationem.* Cum patrem, dicit & fraternitatem, hæreditatem cum aliis dicit ſe habere, pro quibus orat, & rogat.

Math 6. *Cum oratio ſit pro omnibus, inde magis grata Deo* D Chryſoſt.

9. Ait Chriſtus D. Matth. 18. num. 19. & 20. *Dico vobis; quia ſi duo ex vobis conſenſerint ſuper terram, de omni re quamcũque petierint fiet illis à Patre meo, qui in Cœlis eſt; ubi enim ſunt duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorum.* Non ait in medio eorum ero, ſed ſum, ubi primum duo convenerint ſimul ad orandum; ſtatim in ipſomet inſtanti, ac puncto Chriſtus eſt in medio eorum, ut exaudiat eorum orationem, eorumque precibus annuat. Origen. tract. 6. in Matth. ſic ait ad prædicta verba: *Non dixit, in medio eorum ero, ſed ſum, mox enim, ut aliqui conſenſerint, Chriſtus invenitur in eis*, ex quo ſubdit Origenes maxime notandus: & iſta eſt cauſa, propter quam non exaudimur orantes; quia non conſentimus nobis per omnia ſuper terram. Vide quæ dixi ſupra de hac re cap. 1. q. 18. n. 190. & 191.

Actor. 3. num. 2. Et quidam vir, qui erat claudus ex utero matris ſuæ baiulabatur, quem ponebãt quotidie ad portam templi, quæ dicitur ſpecioſa, ut peteret eleemoſynam ab introeuntibus in templum.

N. 3. Is cum vidiſſet Petrum, & Ioannem incipientes introire in templum, rogabat, ut eleemoſynam acciperet.

VERSIONES.

Syriacus num. 2. Et ecce claudum virum unum bajularunt homines illi, qui ſoliti erant eum afferre.

Æthiopic. Qui claudus pedibus erat.

Arabicus num. 3. Intendentes ingreſſum in Templum.

Pagninus Ingreſſuros. *Arias* futuros introire.

Græcus. Rogabat eleemoſynam.

EXPOSITIO. II.

Verſ. 2. *Vidam vir.* Non exprimit illius nomen, ut pote quod erat homo vilis, & infimæ notæ, & habens ætatis amplius quadraginta annorum, ut dicitur cap. 4. num, 22. *Claudus ex utero matris ſuæ.* Ex quo illuſtrius commendatur miraculum, ut notat Lyranus, quam ſi fuiſſet claudus ex aliquo accidenti. *Bajulabatur.* Ita erat contractus, ut non poſſet per ſe ipſum incedere. *Quem ponebant ad portam templi*, conſuetudo erat apud Iudæos conſtituere pauperes ad portas templi ad mendicandum, ut fit hodie apud multas nationes: *Quæ dicitur ſpecioſa.* Hæc erat principalis porta, & ſic dicta ob ſuam pulchritudinem, ac elegantiam. 10. Actor. 4. Actor. 4.

Verſ. 3. *Is cum vidiſſet Petrum, & Ioannem incipientes introire.* Pagninus *Ingreſſuros.* Arias *futuros introire*: Cum ergo hos vidiſſet, non petebat, *ſed rogabat*, quod indicat cum magna inſtantia eleemoſynam accipere. D. Chryſoſt. ait: *Illos ingredientes, & miracula*, facientes talia pios ex ipſo habitu judicavit. Pauperes ex his, quæ patiuntur commiſerationem habent in alios pauperes, non ſic divites in multa abundantia. Neque dolent ſuper contritionem Ioſeph. Amos. 6. n. 6. 11. Pagnin. Arias. Amos. 6.

QUÆSTIO II.

Expenditur huius hominis ſumma calamitas, ac miſeria.

CLaudus *ex utero matris ſuæ*, quod expendens D.Baſilius Seleucus orat. 21. ait: *Sic in natura officina provenerat. Vitium nativitatem non expectavit, ſed nixum anticipavit noxa.* Sic calamitatis miſeria ante lucana fuit, ac evigilavit in homine, ut antequam videret lucis radios, ægritudinis miſeria ipſum opprimeret, antequam partu editus eſſet, jam adverſa 12. D.Baſil. Seleucus

Mala maxime invigilant contra hominem.

adverſa nequitia eum tenebat, Vitium nativitatem non expectavit, ſed celerato pede, ut pedes impediret, *nxum anticipavit noxa.* Bonus ſeminator dum ſeminat: *Aliud cecidit ſecus viam, & conculcatum eſt, & volucres Cœli comederunt illud.* Luc. 8. num. 5. Antequam granum Cæleſtis doctrinæ naſceretur, & pullularet in ariſtas, conculcatum eſt à malis moribus, ac ſuggeſtu Dæmonis. D. Bonaventura ibi ait: Unde hic non eſt locus fructificationis, quia non eſt in eo retentio ſeminis, & ideo adjungit conculcatum eſt à pedibus hominum, & volucres Cœli comederunt illud, in quo intelligitur Dæmonum mors.

Luc. 8.

D. Bona.

13. D. Baſil. Seleu.

Secundo idem D. Baſilius Seleuc. citatus ait: *Cum naturæ paupertate pecuniarum inopia coniuncta erat, & miſeri calamitates ita partitæ; natura enim male pedatum genuit, inopia verò rogatorem fecit.* Duplex calamitatis egeſtas miſerum hominem opprimebat, una, qua natura male pedatum generat ſine pedibus, altera, qua eum facultatibus denudatum conſtituerat, una greſſu privaverat, altera rogatorem, ac petitorem fecerat, ac ſi æqualis eſſet ei calamitas, quod pedibus eſſet privatus, ac quod facultatibus neceſſario eſt privatus, ut inde cogeretur petere, ac rogare; *Erat quidam mendicus nomine Lazarus, qui iacebat ad ianuam divitis, ulceribus plenus, cupiens ſaturari de micis, quæ cadebant de menſa divitis, & nemo illi dabat.* Luc. 19. num. 20. & 21. Iacebat ulceribus plenus, ut non poſſet ſe movere, deinde fame premebatur, ut cogeretur petere, cum nemo illi daret. D. Gregor. homil. 40. in Evangel. ait: *Quantas, hunc egenum vulneribus obſeſſum, tentationes credis in ſua cogitatione toleraſſe, cum ipſe egeret pane, non haberet etiam ſanitatem*: Semper labores catenatim veniunt.

Luc 16.

Labores catenatim veniunt.

D. Greg.

14. D. Baſil. Seleuc.

Tertiò D. Baſil. Seleuc. citatus, ait: *Manus alienas de more mutuabatur claudus, biſque ut pedibus incedens agritudine prapeditus, uno circunſcribebatur loco, velut ſaxum aliquod in veſtibulo poiectum.* Quem ponebant quotidie ad portam templi, ut exanimalem aliquam naturam, *claudum ibi collocabant, ut oneroſum quid in porta iactabant.* Non dicitur ducebatur, ſed tanquam graviſſimum onus, non manibus, & humeris, & tanquam exanimalis aliqua natura, ac ponderoſum aliquod ſaxum, non ponebant, ſed proiiciebant in portam *claudum ibi collocabant ut oneroſum quid in porta iactabant.* Et unde iſte homo rationalis tanquam exanimalis natura, ac ſaxum valde graviſſimum reputatur: Erat pauper mendicus, ac omnibus deſtitutus, ipſaque nuditas illum valde moleſtum, atque omnibus multum ponderoſum effecerat, ſicut purpura valde gratum, ac levem divitem ſublevat.

Pauper valde moleſtus, & gravis.

15. Danie. 14

Cum Propheta Habacuc iter faceret in Judæam portans panes, pulmenta in alveo meſſoribus ſuis, apparet illi Angelus præcipiens, ut illa deferat in Babylonem ad Danielem in lacum Leonum; ille ſe excuſat: *Lacum neſcio, Babyloniam non vidi: Tunc apprehendit eum Angelus Domini in vertice eius, & portavit eum capillo capitis ſui.* Daniel. 14. num. 32. ſecus factum legimus cum Lazaro, qui cum mortuus eſſet: *Portatur ab Angelis in ſinum Abrahæ.* Luc. 16. num. 22. Unde tanta differentia, Propheta homo annoſus portans panes, & carnes in Cabacho ab uno Angelo in uno crine aſportatur, Lazarus à multis Angelis defertur: Propheta, ut notant D. Dorotheus, & Epiphanius in ejus vita dives erat, habebat prædia, ac ſegetes, & meſſores; Lazarus vero pauperrimus, omnibuſque denudatus; bonorum plenitudo ſublevabat prophetam, omnium eſuries multum gravabat Lazarum, ut neceſſe fuerit à multis bajulari D. Chryſoſt. homil. de divite ait: *Non ſuffecerat ad portandum pauperem unus Angelus, ſed plures veniunt*; Cum eſſet pauper non unus Angelus, ſed multi veniunt.

Luc. 16.

Pauper ponderoſus, dives levis, ac ſuavis.

D Doro. D. Epip.

D. Chryſoſt.

QUÆSTIO III.

Quare ante orationem Petrus, & Ioannes dant ſaluum claudo?

AD horam orationis nonam Petrus, & Ioannes cum aſcenderent in templum oranti claudo dant ſanitatem; cur in his immorantur, & non potius exhibent ſuam orationem, ipſaque abſoluta, tunc preces exaudiu nt pauperis. 16.

Diſſi ultas.

Reſpondet D. Chryſoſt. homil. ſuper illud ſapientiæ: *Ius deprecari, ſed preces claudi, non poterant ſperni, præveniuntur precibus preces, rogantem claudum, rogaturi ante audiunt, quam precentur: ô glorioſum meritum Apoſtolorum, qui ante in templo ſperantur, quam ipſi Dominum deprecentur: ante virtus oſtenditur, quam oratio ad Dominum præmittatur.* Apoſtoli antequam ſuas effundant preces ad Deum, pauperculi rogatum prius exaudiunt, & inde orationis vigor non retardatur, ſed potius multum excreſcit; nam ex bono opere præmiſſo valentior, ac fortior fit oratio: *Ante virtus oſtenditur, quam oratio ad Dominum præmittatur*, & data ſanitate inde Apoſtoli ad orationem accedunt. 17. D. Chryſoſt.

Oratio ex præmiſſo bono opere efficacior

Eccleſiaſticus 18. num. 23. ait: *ante orationem præpara animam, & noli eſſe quaſi homo, qui tentat Deum*: ante orationem anima præparanda, ac diſponenda eſt multis operibus, aliàs infructifera eſt oratio D. Nicænus lib. de orat. 2. ait: *Docet nos igitur Dei ſervus, ne prius aliquid petamus à Deo, quàm aliquod ei munus acceptum, & gratum obtulerimus; vovere enim prius oportet, deinde orare; proinde ac ſi quis dicat, ſementem prius fieri, quam fructus percipi oportere: ergo voti ſemina prius deiicere, atque ita ex dejectis ſeminibus, adultas jam, atque maturas fruges percipere oportet per orationem.* Satis eleganter in ruſticam agriculturam totam orationis rem depingit, in qua ante meſſem multo labore terra præparatur, ut ſic jam compoſitæ ſemina mandentur, & inde fructus percipiantur, orationiſque fructus colligantur, ante illam aliarum virtutum ſemina præmittantur. 18. Eccleſi. D. Nicæ.

Ante orationē ſemina aliarum virtutū.

Rogantibus Judæis pro eis orat Ieremias 42. num. 7. *Cumque completi eſſent decem dies, factum eſt Verbum Domini ad Ieremiam.* At verò de Danielis cap. 10. num. 12. oratione dicitur: *Exaudita ſunt verba tua*: Oratio magni Prophetæ Ieremiæ non exauditur niſi poſt decem dies completos: at verò Danielis, ſtatim in primo die exauditur: Cur Ieremiæ tam morosè poſt decem dies? De Ieremia tantum ſcribitur oraſſe ad Deum; at vero Danielis oratio concomitata fuerat virtutum operibus afflictionis, ac mortificationis: *Vt te affligeres in conſpectu Dei*, & de tanto virtutum apparatu conſequens erat, ut ejus oratio eſſet efficacior, ac velocior ad Deum, dicitur de Daniele 9. num. 3. *Et poſui faciem meam ad Dominum Deum rogare, & deprecari in jejuniis, ſacco, & cinere.* Ad quæ verba ſic ait eleganter Theodoretus. *Hæc edoctus Beatus Daniel ieiunio, & ſacco, & cinere, quaſi alis inſtructas preces Deo offerebat.* Perpende illa verba *quaſi alis inſtructas preces*; ac ſi jejunium, & ſaccus inſerviant orationi tanquam alæ, ut velociſſime ferantur ad Dei Thronum. 19. Jere. 42. Dani. 10. Daniel. 9

Bona opera orationi tāquā alæ.

Theod.

QUÆSTIO IV.

Quare primum miraculum, quod de D. Petro ſcribitur, ſanitas eſt huius claudi?

20 DIvus Petrus forſitan multa alia miracula edidit antecedenter, tamen multo myſterio plenum eſt; cur primum ejus miraculum, & valde celeberrimum eſt ſanitas hujus claudi, ad quod

21. D. Amb. Eleganter reſpondet D. Ambroſius ſerm. 69. & ſic ait: *Si ergo Petrus petra eſt, ſupra quam ædificatur Eccleſia, recte prius pedes ſanat, ut ſicut in Eccleſia fidei fundamentum continet, ita in homine membrorum fundamentum confirmet.* In planta pedis hominis incæpit Petrus ſuam miraculoſam poteſtatem oſtentare, erat ipſe fundamentum totius Eccleſiæ, ut in mirabile, ac divinum ædificium exurgeret, voluit etiam in hominis fundamento ſe exercere: In Eccleſia fidei fundamentum continet, ita in homine membrorum fundamentum confirmat.

Petrus Eccleſiæ fundamentum ab hominis fundamento incipit.

22. Cum primùm veniſſet Petrus ad JESUM, qui intuens eum ait illi: *Tu es Simon filius Iona, vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus.* 1. Ioan. 1. num. 41. Si ex eo dicitur Petrus, quia futurus erat Eccleſiæ fundamentum, quod hoc nomen deducitur à petra. *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram.* Matth. 16. ſi ita dicitur ob ſtabilitatem, & firmitatem, cur non dicitur columna ferrea, murus æreus, ut factum eſt ad Jeremiam 1. num. 18. quæ fortiora, & validiora ſunt, ſed tantum ei imponitur nomen deductum à petra. Chriſtus Dominus nuncupatur 1. Corinth. 10. num. 4. *Petra autem erat Chriſtus.* Volens ipſe Dominus expolire, ac præparare Petrum, ut eſſet Eccleſiæ fundamentum, à ſuo proprio nomine eum vocat Petrum, ut tanquam à fundamento exurgat ædificium proportionatum Domino ſuo. D. Paſchaſ. lib. 6. in Matth. ſic ait: *Non ex aliunde nomen Petro datur, niſi à petra, quæ dicitur Chriſtus Ieſus, ut ab ipſo ſuo principio diſcat Chriſto adhærere, eumque ſemper imitari.* Cum ergo Chriſtus ſit Eccleſiæ fundamentum, ut ait Apoſt. & ab ipſo Petrus conſtituitur fundamentum illius, inde ab ejus nomine nuncupatur.

Ioan. 1. Matth. 16. Ierem. 1. 1. Cor. 10. *Petrus Eccleſiæ fundamentum ob hominis fundamento incipit.*

QUÆSTIO V.

Quare tam celeriter huic claudo datur ſanitas perfecta?

23. AD portam ſpecioſam ſedebat claudus eleemoſynam poſtulans, cui Petrus dat ſanitatem valde conſummatam, ac perfectam ut ſtatim dicitur: *Apprehenſa manu eius dextera allevavit eum, & protinus conſolidatæ ſunt baſes eius: & planta, & exiliens ſteterit, & ambulabat.* Non ſolum firmus, ac validus ad greſſum, ſed etiam expeditus ad ſaltus: Unde tanta celeritas in ſanitate iſtius, cum ſæpe videamus, quod Chriſtus Dominus in ſuis miraculis perpetrandis aliquam moram interpoſuit, Cæcum à nativitate miſit in natatoriam Siloe Ioan. 9. n. 7. Leproſum ad Sacerdotes Luc. 17. Cæco in Bethſaida bis imponit manus Marc. 8. num. 23 & huic homini etiam ante ejus preces datur perfecta, & omnimoda ſalus?

Difficultas quæſtionis. Ioan. 9. Luc. 17. Marc. 8.

24. Richard. Præclarè reſpondet Rhicard. de S. Laurentio l. 10. de laudibus Mariæ, titulo, *In eo Templo.* Sic ait de Virgine Maria. *Ipſa deſignatur per portam templi, quæ dicitur ſpecioſa,* Act. 3. *ad quam debemus ſedere, & mendicare exemplo illius claudi, quem ſanavit ibi Divus Petrus, dicens et. In nomine Ieſu Chriſti Nazaræi, ſurge; & ambula.* Cum illa porta ſpecioſa præfiguraret Sanctiſſimam Virginem, ibi ſalus facilior, ac promptior; at ubi umbra hujus Virginis deeſt ſemper aliquando ſalus tardior, ut ex hoc diſcamus, quantum ex præſentia Mariæ omne malum propulſatur, & omne bonum velociſſime protegens, & defendens currit.

Velociſſima ſalus per Mariam.

Dicitur Pſalm. 77. num. 23. *Ianuas Cæli aperuit, & pluit illis ad manducandum, & panem Cæli dedit eis, panem Angelorum manducavit homo, Cibaria miſit eis in abundantia.* Et unde tanta ſaturitas, ac affluentia panis, aliarumque rerum, à Regina Cæli Virgine Maria, quæ ibi præfigurabatur, ita ait Rupertus lib. 1. de gloria, & honore filij hominis, *quando factum eſt, quod dixit Angelus Mariæ, concipies, & paries filium, & vocabis nomen eius Ieſum, tunc ianuas Cæli aperuit, & pluit illis manna ad manducandum, panem Cæli, & panem Angelorum manducavit homo.* Ecce ubi Virgo Maria Dei Mater facta eſt, Cœleſtibus nos ſaturavit panibus. Tamen nunc in quæſtionem voco, quod quando Cœleſtis panis miniſtratur per manus Virginis Mariæ dicitur pluere: *Pluit illis ad manducandum*; at quando ſcribitur à Deo datum, dicitur deſcendere; *Cumque deſcenderet nocte ſuper caſtra ros, deſcendebat pariter, & manna.* Num. 15. num. 9. In deſcenſu moras trahit, pluvia vero rapidiſſimo impetu fertur; inde quæ veniunt per manus Mariæ pluviæ comparantur, quia aliquando velocius, quam quæcumque alia veniunt. D. Anſelm. lib. de excellentia Beatiſſimæ Virginis Mariæ cap. 6. in fine ſic ait: *Velociorque nonnunquam ſalus memorato nomine Mariæ, quam invocato nomine Domini IESU unici filii ſui.*

25. Pſal. 77. Rupert. *Salus aliquando velocior nomine Mariæ, quàm nomine* Num. 15. D. Anſel.

De ſuo dilecto Sponſo clamat Anima ſancta: *Ecce iſte venit ſaliens in montibus, tranſiliens colles.* Cant. 2. num. 8. tamen David adhuc clamat, & rogat. Surge Domine in requiem tuam tu, & Arca ſanctificationis tuæ Pſalm. 131. num. 8. Si ipſe venit tam celeriter, ac feſtinanter: *Saliens in montibus tranſiliens colles*, cur David poſtulat, ut exurgat ipſe, & Arca ſanctificationis, ac ſi quieſceret, & non veniret: exorat tamen, ut veniat ipſe cum Arca ſanctificationis ſuæ, quæ eſt Sanctiſſima Virgo Maria, D. Heſychius Hieroſolymit. homil. 2. de Deipara ait: *Surge in requiem tuam, tu, & Arca ſanctificationis tuæ, quæ eſt haud dubiè Virgo Deipara; ſi enim tu es gemma, merito illa eſt Arca*, etſi Divinum Verbum velociter veniret in ſalutem generis humani: *Saliens in montibus, tranſiliens colles*, tamen exurgens cum Arca ſanctificationis ſuæ Deipara velociſſimus eſt curſus, ut multo antea, ut omnia ſua Cœleſtia dona per manus Sacratiſſimæ Mariæ diſpenſentur, ac diffundantur; nam, ut ait: D. Bernard. ſæpe citatus: *Omnia nos voluit habere per manus Mariæ*: & inde Divina Providentia factum eſt, ut cum meus JESUS penderet in Cruce. *Ipſa ſtabat iuxta Crucem* Ioan. 19. n. 25. Carthuſianus de laudibus *Mariæ* lib. 2. ait; *ut per ipſam, hoc eſt. per preces eius, ac merita, virtus, ac meritum Paſſionis Chriſti communicetur hominibus.*

26. Pſal. 131. Heſych. *Per Virginem omnia Cœleſtia dona velociter communicantur.* D. Bern. Ioan. 19. Carthuſ.

Act. 3. *n.* 4. Intuës autem in eum Petrus cum Ioanne dixit: Reſpice in nos.

N. 5. At ille intendebat in eos ſperans ſe aliquid accepturum ab eis.

VERSIONES.

Syriacus n. 4. Et reſpexerunt in eum Petrus, & Ioannes, &c. nos tuere.

Arabicus

Arabicus. Dixerunt ambo: reſpice in nos.
Æthyopic. Converſi ſunt Petrus, & Ioannes
Græcus. Fixis oculis.
Syriacus n. 5. Cum ſperans eſſet, ut aliquid acciperet.
Æthyopicus. Quod darent ei ſecundum deſiderium ſuum,

EXPOSITIO III.

27. Verſ. 4.  *Intuens autem in eum Petrus cum Ioanne.* Hi duo Apoſtoli intuiti ſũt eos, ut exprimunt Syriac. Arabic. Æthyop. & fixis, ac immobilibus oculis, ut legit Græc. & videre, ac aſpicere ſemper in bonam partẽ ſumitur, ut dicã quæſtione ſequenti in limine, *Dixit*, ſcil. Petrus, ut notat D. Chryſoſt utpote ſenior ætate, ac gravior dignitate ſẽper his major, ac primus eſt dicẽdi locus, *Reſpice in nos*, Interlinealis, Hugo *reſpice in nos*, ut in pauperes, à quib. nihil eſt ſperandũ, merito improbat Lyranus, quia ſi Petrus ita reſpondiſſet, nullam haberet claudus ſpẽ recipiendi aliquid ab eis, cũ contrariũ conſtet ex verſu ſequẽti.

Syriac. Arabic. Æthyop Græcus. D. Chryſoſt. Interlin. Hugo. Lyran.

28. Et ideo melius dicendum eſt cum Iſidoro Claro, Lyrano, Lorino, quod D. Petrus dixit: *Reſpice in nos*, ut claudum attentiorem faceret ad magnitudinem miraculi, & ut cogноſceret, quod miraculum operabatur non virtute ipſorum Apoſtolorum, ſed ſanctiſimi nominis Iesu, ut ita gloria miraculi, ut ait Carthuſianus, non tribueretur Apoſtolis, ſed ſanctiſſimo nomini Iesu: *Non nobis Domine, ſed nomini tuo da gloriam.*

Iſidorus. Lotinus. Lyranus. Carthuſ. Pſalm.

29. Verſ. 5. *At ille intendebat in eos.* Syriacus *intuitus eſt eos*, & ratio ſubditur: *Sperans ſe aliquid acceptu-rum ab eis*; nam ex illo verbo Petri claudus concepit ſpem aliquid recipiendi; ſed Petrus, ut Chriſti diſcipulus plus dat, quam claudus conceperat, ac cogitaverat, ſanitatem nempe.

Syriac.

QUÆSTIO VI.

Quare cum ſolus Petrus loquitur, non ait claudo, reſpice in me, ſed reſpice in nos?

30. NOtandum in limine quæſtionis, quod hoc verbum *reſpicere, videre, & aſpicere*, frequenter in ſcriptura ſumitur in bonam partem Pſalm. 83. n. 20. *Protector noſter aſpice Deus.* Pſal. 79. n. 15. *Reſpice de Cœlo, & vide, & viſita vineam iſtam.* Pſalm. 21. n. 1. *Deus, Deus meus reſpice in me.* Sic reſpexit Deus Abel. Geneſ. 4. n. 4. ſic Matth. in telonio Matt. 9. n. 9. ſic Petrum, Andream, Ioan. & Iacob. Matth. 4. n. 18.

Pſal. 83. Pſal. 79. Pſal. 21. Geneſ. 4. Math. 9 Math. 4.

31. Quæſtio tamen inquirit: Quare cum D. Petrus ſolus, loquatur cum claudo, cur ait *reſpice in nos*, nempe in ipſum, & Ioannem: Si Petrus diſponebat dare ſalutem claudo, cur ſua voce, vel manu apprehenſa totum hoc non præſtat, cum ſola ejus umbra multi incolumes facti fuerint, cur tanquam quid prævium miraculo præcipit: *Reſpice in nos*? ad quid intuitus oculorum antecedens ad miraculum? literalem rationem jam dedi in expoſitione, moralem quæro.

Difficultas quæſtionis.

32 Primo D. Baſil. Seleucus orat. 21. ſic ait: *Petrus inquit Reſpice in nos obolorum captator deſidioſum claudum jubet nonnihil lucelli curam remittere. Ne inquit obolos modo quæſieris: gratia mendicus eſto, non pecuniæ.* Petrus cæleſtium donorum diſpenſator, ut cæleſtem ſanitatis gratiam huic claudo concedat accepturo imperavit in ſe, ac Ioannem (quarũ præſentia quid divinũ odore exhalabat) attentius oculos defigere, & ita nonnihil lucelli *curam remittat*, ut cæleſtem ſanitatis gratiam valeat recipere. Cupiditas radix eſt omnium malorum, obſtaculum ad divina munera recipienda, cumque illam teneret claudus *cæleſtis gratia.* petens pecuniam, ut cæleſtis beneficii fieret capax, jubet Petrus *nonnihil lucelli curam remittere.* Dixit Deus ad Abraham Geneſ. 12. n. 1. *Egredere de terra tua, & cognatione tua, faciam te in gentem magnam*, id eſt: Egredere de terra tua, ut ingrediaris in magnalibus Dei, & ſic legit Pagnin. *Vade tibi à terra tua.* Quæ phraſis, ut notat Caiet. ſignificat præceptum in utilitate Abrahæ. Gen. 12. Pagnin. Caiet.

Lucrum pecuniæ impedimentum

Secundo idẽ D. Seleucus ad citata verba: *Reſpice in nos obolorum captator deſidioſum claudum jubet nonnihil lucelli curam remittere*, & poſt pauca ſubdit: *Ne pecuniam quæſieris, quam dare non habeo: roga malis exolvi, cujus rei gratia mecum communicata eſt.* Magnalia divinæ gratiæ, quæ in die Pentecoſtes facta ſũt in Petro, ac cæteris Apoſtolis, & multa prodigia, & ſigna, quæ faciebãt, ut dicitur ſupra Act. 2. n. 43. Vnde ipſi Apoſtoli habeant magnã gratiam, ac laudem apud omnem populum citato c. 2. n. 46. quæ omnia totam civitatẽ Hieroſolymam impleverant, quæ ſine dubio ad aures claudi pervenerunt cum ipſe ſederet in foribus templi mendicans; *ne pecuniã quæſieris, quã dare nõ habeo, roga malis exolvi, cujus rei gratia mecũ cõmunicata eſt.* Sic cæca auri cupiditas humana corda tenet, ut magis anxiata curis defatigentur in pecuniis acquirẽdis, quam in ſalute corporis, & animæ comparanda. Deſidioſus claudus, nõ de ſalute curat, ſed de pecunia acceptãda; hanc omnibus aliis præferens miſer Iudas agnoſcens ſuum grande, & execrabile nefas: *Proiectis argenteis in templo receſſit, & abiens laqueo ſe ſuspendit.* Matth. 27. n. 5. miſer ſui oblitus ſe ipſum perdidit laqueo ſtrangulatus, de pecunia curat ponens eam in templo tanquã in loco ſacro, & tuto. Drogo Hoſtienſis de Sacramento Paſſionis ſic ait: *Ecce infelix qualiter excæcatus eſt, maluit ſe ipſum perdere, quam denarios perire: denarios in templo, ſe ipſum laqueo addixit.*

33. Baſilius Seleucus *Homines magis ſtudioſi ſunt de denario quam de propria ſalute.* Matth. 27. Drogo Hoſtien.

Tertio idem D. Baſilius Seleucus citata orat. 21. ſic ait: *Reſpice in nos recte communis; ſiquidem cum utroque miraculi effectio, ex utroque curationis profecta eſt gratia, etſi enim ſolus loquitur Petrus, tamen adiutor eſt Apoſtolus. Reſpice in nos.* Nota utriuſque Apoſtoli comitatem: Joannes primas cedit Petro, ut ſeniori, ac Apoſtolorum Principi, ut dicat claudo, *& ſurge, & ambula in nomine ✝ ESV Nazareni*, & Petrus ſingulari urbanitate Ioannem manifeſtat cooperatorem miraculi dicens *Reſpice in nos.* Oſtendens miraculi gratiã ab utroque manare, & ita alter erga alterum decertat comitatem, ſicque duo hi Apoſtoli cæleſti urbanitate, ac divina policia ſe invicem honorant, ac reverentur. Sic ait D. Paulus Roman. 12. n. 10. *Honore invicem prævenientes*, juxta præceptum charitatis, de quo Apoſtolus immediate antea egerat, ut unuſquiſq; alteri viciſſim præveniat honorãdo, tanquam concedentes in honore impendendo, D. Anſel. ibi. *Vnuſquiſque feſtinet alium magis honorare, quam honorari ab illo, & maiorẽ ei reverentiam exhibere, ſibique illum præferre, & ille ſimiliter huic faciat.*

34. D. Baſil. Seleucus *Mirifica urbanitas Apoſtolica.* Rom. 12. D. Anſel.

Quarto idem Divus Baſilius ad citata verba ſic ait: *Recte communis; ſiquidem cum utroque miraculi effectio, ex utroque curationis profecta eſt gratia.* Ad quid ait Petrus claudo *Reſpice in nos.* Ipſe ſolus ſufficiens erat ad miraculum perpetrandum, multa majora ipſe per ſe ſolum ediditꝰnec enim ad hoc ullius ope indigebat, cur oſtẽdit ſuã poteſtatem hic, & ait reſpice in me, ſiquidẽ ipſe ſolus dedit claudo manum, eique dixit: *Surge, & ambula.* Tamen Petrus bonus Chriſti diſcipulus, & ejus lacte enutritus, non vult ſolũ eſſe in laudibus, ſed in eis coapoſtolũ ejus Ioannem ſecum habet ſocium, ut gratiæ, & excellentiæ utriſque referantur, indeque ait: *Reſpice in nos*, ut notat D. Chryſoſt. homil. 8. in acta

35. D. Baſi. Seleucus *Petrus non vult ſolus eſſe in laudibus.*

Apoſtolorum, ſic ait: *Vide æquitatem quomodo oſtendit Petrus ſtatim, & dixit, Vide nos.* Pondera æquitatem, quam declarat Petrus cum aliis.

36. Cant. 4. Laudat Divinus Sponſus in ſua Eccleſia unum oculum: *Vulnerasti cor meum in uno oculorum tuorum.* Cantic. 4. numer. 9. tamen in ea celebrat duo ubera cum duobus gemellis: *Duo ubera tua ſicut duo hinnuli capreæ gemelli, qui paſcuntur in liliis.* Ecce in Eccleſia commendatur unus oculus, per quem magna Doctorum pars intelligit lumen fidei, quod unum tantum eſt in Eccleſia; at in ea duo ubera decantant à quibus pendent, non diverſi, ſed duo hinnuli gemelli; quia verus filius Eccleſiæ Dei, ſic de ejus uberibus, ac bonis impletur, ut ſecum patiatur, ac velit, ut alius etiam de ejus donis impinguetur, tanquam gemellus frater; & dicunt ſicut hinnuli capreæ, quia, ut notat Griſlerius, dum hinnuli ſugunt matris lac, unus non pugnat cum alio, ſed potius congaudet: ſic Eccleſiæ filij, dum illius bonorum fiunt participes, alios conſortes eſſe gaudent tanquam gemelli fratres. Gilbertus Abbas ſerm. 27. in Cantic. ſic inquit: *Ideo dicuntur gemelli, quia fides nullis gradibus ſeparat, quos æque regenerat; Alioquin qui neſciunt eſſe gemelli, effecti ſunt nulli, & in convivio locum occupantes primum, jam nec habent noviſſimum.* Vide cap. 1. quæſtion. 34. num. 243: 244. & 245.

Iuſtus vult alios habere ſocios in dignitate. Griſter.

Gilbert.

QUÆSTIO VII.

Quare in hoc claudo depingunt ſancti Patres malos Eccleſiæ miniſtros.

37. D. Chryſoſt. *Ex temporalium affectu damnãtur Sacerdotes Synagogæ.* IN hoc claudo conſiderat D. Chryſoſtomus in præſenti mores Sacerdotum Synagogæ, & ſic ait: *Tales quidem erant, & Iudæi claudicantes, & opus erat illis petere ſanitatem, ipſi magis opes petebant, humi jacentes, qui & propter hoc templo aſſidebant, ut ditarentur.* Illi in templo aſtabant, templo ſerviebant, non ob ſalutem animæ, ſed propter temporalia lucra, & verè tanquam hic miſer claudicantes, humi jacentes, & à recta ſalutis via deficientes.

38. *Reprobãtur Sacerdotes, qui non de ſpiritu, ſed de lucro agunt.* Iſaï. ca. 1 D. Ambr. Proh dolor! tales ſunt hodie multi Chriſtiani miniſtri, qui in templo verſantur, & ſerviunt, non ut Deo ſerviant, ſed ut ſuæ cupiditati, ac avaritiæ inſerviant; non de ſalute animæ cogitant, ſed de terrenis poſſeſſionibus comparandis, vere à cœleſti via claudicant toto animo in terrenis demerſi. Hos maximè arguit Iſaïas juxta ſeptuaginta capite primo, numero 22. *Caupones tui miſcent aquam vino.* Quæ verba expendens Divus Ambroſius ſerm. 78. ait: De illis Cauponibus loquitur, *qui præſunt Eccleſiis, non tabernis. Iſtos ergo Caupones Propheta arguit, & objurgat, & queritur eos vino aquæ ſpeciem permiſcere. Hoc increpat in eis, cùm functionum Divinarum eſſent Præſides, ſectatores facti ſunt humanarum.* Qui nempe Vinum Divinæ Charitatis permiſcent cum aqua temporalium rerum.

38. 1. Cor. 9. Valde enim alienum eſt à Dei miniſtris, ut terrena ſapiant, & quærant, ait Paulus 1. Corinth. 9. nu. 13. *Neſcitis, quoniam qui in Sacrario operantur, quæ de Sacris ſunt edunt, & qui altari deſerviunt, cum altari participant.* Ecce Dei miniſtri de Sacrario, ac altari dicuntur participare ad corporalem ſuſtentationem: At cur Doctor gentium tanquam magnus Magiſter clarius non dixit, quod debent alimentari de rebus oblatis in ſacrificiis à fidelibus, ſed tantum de Sacrario, ac altari mentionem facit, ne offendere Dei miniſtros videretur, ſupponens quod in eorum cogitatu aliquid temporale eſſet, præter id, quod erat Divinum, ac Sacrum, & quod in ipſis oblationibus prius intendebant id, quod erat in Dei obſequium, quam id, quod erat ad eorum obſequium temporale? Eleganter Theophylactus ait: *Non dixit autem ex offerentibus edunt, ſed ex Sacrario, ne accipientes pudefiant, ut qui ab hominibus alantur.* Theol.

Alienum ab Eccleſiæ miniſtris pecunias intendere.

Actor. 3. n. 6. Petrus autem dixit: argentum, & aurum non eſt mihi, quod autem habeo, hoc tibi do: In nomine Jeſu Chriſti Nazareni ſurge, & ambula.

VERSIONES.

Arabicus. Sane, argentum & aurum, non inveniuntur apud me, ſed quod mihi eſt, quodque poſſideo.

Æthyopicus. Quod habemus dabimus tibi.

Syriacus. In nomine Domini noſtri ſurge, & ambula.

EXPOSITIO IV.

Verſ. 6. *PEtrus autem dixit, argentum, & aurũ non eſt mihi,* ut notat Gloſſa, ut bonus diſcipulus, ſervans ſui Domini mandatum: *Nolite portare aurum, & argentum.* Matth. 10. n. 9. quod autem habeo ex poteſtate, ac facultate à Domino Jeſu Chriſto, Marc: 16. *In nomine Ieſu Chriſti, in virtute hujus ſanctiſſimi nominis ſurge, & ambula.* Hanc autem poteſtatem faciendi miracula habebat D. Petrus non per modum habitus (nullus enim habitus poteſt phyſicè miracula perpatrare.) Sed per Dei potentiam aſſiſtentem, ſibique paratam, ut quoties ipſe vellet, miracula operaretur. 40. Gloſſa. Matth. 10. Marc. 16

QUÆSTIO VIII.

Quare D. Petrus antequam claudum à ſua miſeria ſublevaret teſtatur ſe aurum, & argentum non habere?

EX quo motivo D. Petrus antequam claudo ſanitatem impetret, de ſe teſtificaret ſe ipſum vacuũ eſſe argento, & auro, & de illo nihil omnino ſe habere, ut largiretur, quia terrenis facultatibus careret, eaſq; ſub pedibus conculcaret, veluti ſi aſſerat, quia argentum, & aurum non eſt mihi, habeo cæleſtia, ut tibi donem. Balduinus in Allegor. apud Tilman. ſic ait: *Digna vox principatu Principis Apoſtolorum, Principis Eccleſiæ. Quid Petro, & auro? nonne Petrus dixit: nos reliquimus omnia, quid ergo erit nobis? de mercede quærenti, non aurum promittitur, & argentum; hac enim contemnebat, quia in gloria gentium ſuperbiebat. Vnde & agrorum pretia ad pedes ipſius, ac cæterorũ à fidelibus ponebantur; meritoque ante pedes, quaſi pedibus conculcanda, quæ indignum erat, vel manibus tractare ſumma paupertas Apoſtolica, ita ut ne valorem ipſius pecuniæ bene agnoſceret, ideoque prius nominat argentum, quam aurum.* 41. Balduin. *Summa paupertas Apoſtolica.*

Ad idem perbellè Chromatius ſerm. 1. de hac re: *O verè beata paupertas, quæ cum nihil de mundi facultate habeat, tantum de Cœlo largitur: non dat quidem argentum, vel aurum, ſed quod plus eſt divitiis omnibus, reddit corporis ſanitatem.* Vnde tanta poteſtas, ut det homini ſanitatem, quæ quidem pretioſior eſt omnibus temporalibus divitiis, non ex auro, & argento, ſed ex eorum contemptu, ac paupertate. 42. Chroma. *Mundi paupertas dat cæleſtem poteſtatem.*

Ait Regius Vates Pſalm. 118. verſ. 37. *Portio mea Domine,* ſcilicet *Tu es.* ad quæ verba ſic ait elegan-ter Divus Ambroſius. *Cui portio eſt Deus, totius naturæ poſſeſſor. eſt effectus, videlicet totus quidem cum Domino Dominus,* quam ſententiam præclare expẽdit 43. Pſal. 118 D. Ambr.

Sanctus

Sanctus Pater, Divi Petri exemplo, qui tanquam Dominus naturæ claudo dat ſanitatem, & ſic proſequitur Sanctus Doctor: *Dixit Petrus quod habeo tibi do: In nomine Jeſu Chriſti ſurge, & ambula: Ecce Petrus ſub Chriſti nomine, quaſi unus Chriſtus, ac omnium Dominus factus, qui naturæ damna reparabat, quomodo ergo poterat naturæ damna ſentire.* Sponte pauper, qui abdicatis omnibus, ejus tantum portio ſolus eſt Dominus, cum Domino omnium dominus, *locuples totius naturæ poſſeſſor factus eſt*, & ſub Chriſti nomine, quaſi unus Chriſtus.

Cui Dominus portio erunium Dominus.

44. Cantic. 5. num. 11. dicitur: *Caput eius, aurum optimum.* D. Ambroſius ſerm. 15. in Pſalm. 11. legit: *Caput eius aurum Cephas.* Valde vulgare eſt, quod Principi Apoſtolorum impoſitum eſt nomen à Chriſto D. Cephas. Joannis 1. numer. 42. & quia ipſe omnia terrena reliquit: *Reliquimus omnia*, elevatus eſt, ut eſſet caput aurum habens claves Cœli: Ad hoc pertinet, quod ait D. Zeno lib. 1. ſerm. 14. *Vos eſtis aurum vivum Dei, Chriſti vos argentum*, vos Spiritus Sancti divitiæ, vos ſi terrena metalla contempſeritis, vobis auro conſtructa ætherea illa civitas, deſtinata eſt.

D. Amb. Ioan. 1. *D. Petrus reliquit terrena, cœli claves habet.* D. Zeno.

45. Pſalm. 10. num. 9. dicitur: *Oculi Domini in pauperem reſpiciunt* D. Chryſoſtomus, Theodoretus, Euſebius, ex Bibliis Sixtianis legunt: *Oculi Domini in totum orbem reſpiciunt*; ac ſi pauper, qui Dei amore totum mundum contempſit, totius mundi Dominus, ac poſſeſſor conſtituatur. Eodem fere modo idem Propheta Pſalm. 183. num. 17. ait: *Nimis confortatus eſt Principatus eorum.* Theodoretus legit: *Nimis corroborati ſunt pauperes eorum*: Ac ſi pauperes totius orbis creati ſint Principes, D. Auguſtinus ſerm. 28. de verbis Apoſtolis: *Non tibi diſpliceat paupertas tua, nihil ea poteſt ditius inveniri. Vis noſſe, quam locuples ſit, Cœlum emit. Quibus theſauris conferri poſſit, quod videmus paupertati indultum.*

Pſal. 10. D. Chryſoſt. Theod. Euſebius. Pſ. 183. Theod. D. Aug.

QUÆSTIO IX.

Quare Divus Petrus ait ſe non habere argentum, & aurum, cum ad eius pedes agrorum pretia quotidie à Chriſtianis afferrentur?

46. VT dicitur infra cap. 4. num. 34. quod in illa primitiva Eccleſia: *Quotque poſſeſſores agrorum, aut domorum erant, vendentes afferebant pretia. & ponebant ante pedes Apoſtolorum*, & præcipue ante pedes Petri, utpote, qui erat caput, ac Princeps, quomodo ergo dicit ſe non habere, quæ tam plenè ſub ſua poteſtate habebat?

Actor. 4. *Difficultas quæſtionis.*

47. Reſpondetur primo; quia, ut dicitur proxime citato loco: *Dividebatur autem ſingulis, prout cuique opus erat.* Illa autem pretia dividebantur inter ipſos baptizatos, ac Chriſtianos; ad hoc enim afferebantur ante Apoſtolorum pedes; Cumque claudus adhuc non eſſet Chriſtianus, ſed in Iudaiſmo, ideo ex illa pecunia non erat illi aliquid dandum, & inde recte, ac vere ait Petrus: argentum & aurum non eſt mihi ad tibi impendendū, ſicut Chriſtus dixit filiis Zebedæi petentibus primas ſedes: *Non eſt meum dare vobis*; quia illud dandum erat per merita, non affectu ſanguinitatis, vel ex alio capite.

Bona dividenda iuxta intentionē dantis.

48. Secundo dici poteſt, quòd D. Petrus, aliique Apoſtoli, cum eſſent occupati in ſpiritualibus miniſteriis, prædicando, baptizando, dando fidei doctrinam, ac documenta, conſtituerunt alios miniſtros; qui illa bona dividerent juxta uniuſcujuſque neceſſitatem, indeque recte ait Divus Petrus, quod non habet, nolebat enim in officio aliis commiſſo ſe intromittere, vel potuit dicere non habeo, quia non habebat ad manum.

Minister non eſt impedi-dus in ſuo officio.

Tertio, alto, & ſupremo dictamine ſe habuit D. Petrus in hac re; prævidit ſua eminenti ſcientia, quod claudus ſanatus magna præconia Chriſti, ac ipſorum Apoſtolorum erat acclamaturus; ut patet infra v. 8. ne ergo teſtimonium de potentia Chriſti, ac virtute Apoſtolorum dandum, inde minuatur, ac debile fiat. (nam ab homine munerato, ac obligato laus valde ſuſpecta, ac debilis habetur) Ut ergo proclamatio laudatoria hominis ſanati à nemine corrodi poſſit, ideo D. Petrus abſtinet ſe ab omni eleemoſyna, ut aperte deprehendatur, quod pedes ſanati, & miraculum factum proclamant, non vero alicujus temporalitatis affectus, cum nullus præceſſerit.

49. *Eximia laus non ab homine obligato.*

Dicitur Pſalm. 67. verſ. 26. & 27. Prævenerunt, ſeu ut legit D. Hieronym. *Præceſſerunt Principes coniuncti pſallentibus in Eccleſiis benedicite Deo Domino de fontibus Iſrael.* Quod ſe anticipaverunt Principes, ut Deum laudarent ob fontes, quos in Iſrael conſtituit: Tamen inquirendum eſt, qui ſunt iſti Principes, & qui fontes? Aptiſſimè dices Principes eſſe capita tribuum filiorum Iſrael, Præfigurati in duodecim fontibus in deſerto ut ait D. Nicænus lib. de vita Moyſis; fontes vero ſunt Sacri Apoſtoli aquæ ſalientes in vitam æternam. Ita Ruffinus, D. Auguſt. D. Hilarius, Rupertus, Noſter Incognitus; Tamen in quæſtionem venit cur ad præconia ſacrorum Apoſtolorum decantanda non convocantur Chriſtiani primitivæ Eccleſiæ, qui de ſalutiferis aquis Apoſtolorum in tot, & tantis beneficiis animæ, & corporis hauſerunt, ſed ad hoc Patres veteris teſtamenti invitantur: *Prævenerunt Principes*, qui de aquis Apoſtolorum non fuerunt participes? Ut inde laus glorioſior, ac excellentior appareret decantata, non ex beneficiis acceptis, ſed reſpectu, ac veneratione meritorum, quæ maximè in Sacris Apoſtolis reſplendebant.

50. *Gloriosa laus quod non ex donis acceptis ſed ex meritis ſit.*

Cum Abrahamus victor quinque Regum reverteretur, occurrit ei *Melchiſedech Rex Salem, proferens panem, & vinum, erat enim Sacerdos Dei Altiſſimi; benedixit ei, & ait: Benedictus Abraham Deo excelſo, qui creavit Cœlum, & terram: Benedictus Deus excelſus, quo protegente, hoſtes in manibus tuis ſunt, dedit ei decimas ex omnibus.* Gen. 14. n. 18. 19. 20. multa ſane hic ſunt notanda; nam in præſenti videtur totus communis ordo offerendi in Eccleſia inverſus, in qua cōmuniter fidelis devotus ſua dona Deo offert, à ſacerdote accipit benedictionem, & inde ſacrificium pro eo Deo offert: At vero è contra totum hic factum eſt; nam primo omnium Melchiſedech pro Abrahamo offert Sacrificium: *Præferens panem, & vinum*; deinde benedixit ei: *Benedictus Abraham Deo excelſo*: Tandem decantat ejus laudes. *Quo protegente, hoſtes in manibus tuis ſunt*: tandem, & ultimo Abraham, *Dedit ei decimas ex omnibus.* Cur ſic invertitur ordo, ut notavit Primaſius in capite quinto Epiſtolæ ad Hebræos, & ait: *Benedictione accepta dedit ei decimas*; quod alta, & ſuprema Dei providentia diſpoſitum eſt, ad ſublimorem & illuſtriorem gloriam Abrahæ, nequis oblatraret tot, ac tanta præconia à Pontifice proclamata, mercata fuiſſe decimis datis, ideoque antecedenter ejus gloria decantatur: *Benedictus Abraham Deo excelſo, quo protegente, hoſtes in manibus tuis ſunt*, & poſtea decimas offerre.

51. Gen. ſ. Primaſ. *Suſpecta laus ex donis acceptis.*

52. Semper ex donis acceptis gloria laudis enervatur; Hinc Abrahamus devictis quinque regibus, offerenti regi Sodomorum omnia ſpolia reſpondit:

Levo manum meam ad Dominum Deum, quod à filo ſubtegminis uſque ad corrigiam caligæ non accipiam ex omnibus quæ tua ſunt. Geneſ. 14. num. 21.

Gen 14 Suſceptio mercedis triumphum minuit. D. Amb.

D. Ambroſ. lib. 1. de Abraham ait: *De præda victoriæ nihil voluit contingere, nec oblatum ſumere; minuit enim fructum triumphi mercedis ſuſceptio, & beneficii accepti arrodit gratiam.* Plurimum enim refert: utrum pecuniæ, aut ſpe gloriæ movearis, alter mercenarij loco ducitur, alter dignus habetur conſervatoris gloriæ.

QUÆSTIO X.

Quare cum Divus Petrus dixiſſet claudo reſpice in nos, ſcilicet ipſum Petrum, & Ioannem, tamen ſolus Petrus miraculum operatur, & ait, ſurge, & ambula?

53. CUm Petrus, & Joannes vellent intrare in Templum, dixit Divus Petrus claudo: *Reſpice in nos*; quia virtus ad ipſum ſanandum à Petro, & Joanne exibat, Joanneſque erat cooperator miraculi, ut ſupra dixi quæſtione 6. tamen cum venitur ad operationem miraculi, ſolus Petrus loquitur, & imperat: *ſurge, & ambula*, & ipſe ſolus extendens manum. *Apprehenſa dextera elevavit eum.*

Difficultas quæſtionis.

54. Reſpondeo quod licet Divus Petrus dixerit claudo: *Surge, & ambula*, tamen prius ei dixit *reſpice in nos*, in ipſum, & Ioannem, ut auctores miraculi: poſteaque cum de ipſo miraculo omnes admiratentur, dixit Petrus infrà, numero decimoſecundo: *Viri Iſraelitæ quid miramini, aut nos quid intuemini, quaſi noſtra virtute, aut poteſtate fecerimus hunc ambulare?* Ac proinde non ſolum ſibi, ſed & Ioanni adſcribit, & utrique populus adſcribit eoſque ambos agnoſcit miraculi operatores, & ideo; ut dicitur infra n. 11. *Cum teneret autem Petrum, & Ioannem, cucurrit omnis populus ad eos.*

Petrus declarat Ioannem cooperatorẽ miraculi.

55. Quod autem Petrus dixerit claudo: *ſurge, & ambula*, ſic frequenter quamvis in Sacris Apoſtolis eſſet ſuprema, & altiſſima virtus ac poteſtas ad multa mirabilia operanda: tamen pro omnibus eis ſemper Petrus loquitur non ſolum in terra, ut patet ex toto Evangelio, & ex hoc libro Actorum, ſed etiam in ipſa Cœleſti patria: Vidit Ioannes capite quinto, numero quinto in ſua Apocalypſi in manu ſedentis in throno, in cujus circuitu erant viginti quatuor ſeniores, in quibus deſignabantur duodecim antiqui Patriarchæ, & duodecim Apoſtoli, ut ibi cum communiori ſententia dixi; In manu ſedentis erat liber ſignatus ſigillis ſeptem, ipſeque Ioannes flebat multum, quia nemo poterat aperire librum: *Tunc unus de ſenioribus* (qui, ut vult Lyranus, erat Divus Petrus) dixit mihi ne fleveris: Ecce vicit Leo de tribu Iuda, radix David, aperire librum, & ſolvere ſeptem ſignacula.

Petrus prima vox eſt in terra, & in Cœlo. Apoc. 5. Lyranus

56. Ecce ſicut Petrus eſt prima vox, & pro omnibus loquitur in terra, ſic & in Cœlo eſt prima vox, & pro omnibus loquitur; Nam ſicut ipſe eſt fundamentum, Eccleſiæ militantis, ſic eſt primum fundamentum Eccleſiæ Triumphantis in Cœlo. Apocalyſ. 21. n. 19. de Sancta Civitate dicitur primum *fundamentum Iaſpis*, qui eſt Divus Petrus, ut late explicavi tomo ſecundo in Apocalypſ. citato capite 21. quæſtione 24.

Petrus fundamentum utriuſque Eccleſiæ.

QVÆSTIO XI.

Quare primum miraculum, quod legitur factum ab Apoſtolis eſt invocato ſanctiſſimo IESV nomine?

57. AIt Divus Petrus in præſenti: *In nomine IESV Chriſti Nazareni, ſurge, & ambula.* De quo Sacratiſſimo nomine multa in multis iam dixi locis. Additur *Nazaræi*, id eſt habentis originem ex oppidulo Nazareth, & Iudæi per contemptum dicebant Nazaræum, juxta illud Ioannis 1. numero 46. *A Nazareth poteſt aliquid boni eſſe?* Vnde titulus in Cruce præfixus habebat. *IESVS Nazaræus Rex Iudæorum.* Hanc Chriſti humilitatem ſic Deus Pater exaltavit, ut ſub nomine Nazaræi tot, & tanta mirabilia fierent, quod alta prouidentia indicat nomen ipſum; *Nazaræus* enim ex Hebræo, idem eſt, ac floridus, in Chriſto Domino omnia Cœleſtia dona floruerunt in toto mundo, ipſeque per reſurrectionem ſuam totus floridus factus eſt, juxta illud Pſalmi 27. n. 7. *Reſtoruit caro mea.*

Ioan. 1. Chriſti humilitatem Deus Pater exaltavit. Pſal. 27.

58. Quæſtio præſens eſt, Poſt Chriſti Reſurrectionem, ac Aſcenſionem Sacri Apoſtoli miſſi ſunt ab eo ad prædicandum Evangelium in toto mundo cum plenaria poteſtate edendi miracula: Poſt hanc commiſſionem factam hoc fuit primum miraculum patratum ab Apoſtolis, ac D. Petro, & in hoc legimus expreſſe invocatum nomen Iesu, quod in multis aliis non legimus, ut in reſuſcitata Tabitha Act. 9. numer. 40. & in multis aliis, quos D. Petrus umbra ſua ſanabat; Cur ergo inſigniter in hoc invocatur nomen Iesu.

Difficultas quæſtionis.

Actor. 9.

59. Reſpondeo hoc fuiſſe primum miraculum factum ab Apoſtolis; ideo in eo expreſsè invocatur nomen Iesu, ut denotaretur, quod inde omnia miracula facienda ſub virtute, ac invocatione hujus ſanctiſſimi nominis fiebant, juxta illud Chriſti D. Marc. 16. num. 17. *Signa autem eos, qui crediderint, hæc ſequentur: In nomine meo Dæmonia eiicient: linguis loquentur novis; ſerpentes tollent etſi mortiferum quid biberint, non eis nocebit: ſuper ægros manus imponent, & bene habebunt.*

Omnia miracula facta invocato nomine IESV, Marc. 16.

60. Cùm in nuptiis Cana Galilææ adeſſet Chriſtus, ac ſanctiſſima Mater ejus Maria, cum diſcipulis, jamque vinum non eſſet in vaſis, dixit Sacratiſſima Deipara ad filium ſuum: *Vinum non habent.* Cuius interventu Iesus convertit aquam in vinum, & ſubdit Evangeliſta Ioannes 2. num. 11. *Hoc fecit initium ſignorum IESVS in Cana Galilææ.* Richardus de S. Laurentio lib. 7. *fecit IESVS, cujus perpetua prece, omnia nobis futura proveniunt.* Non caſu, ſed alta Dei providentia ordinatum, quod cum Iesus ſuum primum miraculum erat facturus, ibi adeſſet Virgo Sacratiſſima, ut ejus interventione fieret, ac ut exinde ſecutura mirabilia, ejus precibus, ac rogationibus, quibus ſemper eſt exorans pro nobis fieri agnoſceremus: *Cuius prece perpetua omnia nobis futura provenirent.*

Richard. à S. Laurentio. Omnia miracula ex Virginis interceſſione.

61. Primum verbum Geneſ. cap. 1. n. 1. *In principio creavit Deus* ex Hebræo legitur: *In principio creavit Dii*, ſeu juxta alios *Creavit judices.* Quomodo Moïſes contra leges Grammaticæ nomẽ pluralis numeri copulavit cum verbo ſingularis numeri? Moyſes Divino Spiritu ductus ſtatim in prima fronte Scripturæ nobis proponit Sacroſanctũ Trinitatis Myſteriũ, in plurali multitudinem Perſonarũ, in ſingulari unitatẽ Divinæ eſſentiæ in tribus Divinis Perſonis, quod

Geneſ. 1.

poſt

Lyran. Burg.

post Lyranum notavit Paulus Burgensis Archiepiscopus,& sic ait: *quia opera Trinitatis ad extra indivisa sunt, idcirco Moyses ad insinuandum omnes tres Divinas Personas Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum simul ad mundi creationem concurrisse, Elohim in plurali dixit, sive El, id est Deus unus.* Ex

Sancta Trinitas auctor totius Scripturæ.

divino afflatu, primum Verbum totius scripturæ altum Trinitatis mysterium nobis proponit, ad insinuandum, quod ipsa Trinitas totius Scripturæ est auctor, inspirator,ac illuminator,& quod ad ipsam tanquam suum primum auctorem omnia illius referenda.

QVÆSTIO XII.

Expenditur summa D. Petri paupertas, illiusque eximia charitas.

61. Oecum.

PEtenti claudo ait D. Petrus: *Argentum, & aurum non est mihi.* Ad quæ verba sic ait Oecumenius: *Hoc ipsorum omnimodam auri inopiam demonstrat, nec enim, quemadmodum nos frequenter dicimus hoc loco, aut illo tempore, non habeo, sed non est mihi, significans omnino se non possidere aurum.* Ipso loquendi modo indicat Apostolus summam ejus paupertatem, quod non habebat aurum,

Summa D. Petri paupertas.

nec unde illi posset subvenire, nec est mihi, unde ex aliqua parte veniat.

63.

Apostolus ait: *Argentum, & aurum non est mihi, quod autem habeo, hoc tibi do, surge, & ambula.* Si tantam potestatem, ac donum habet, ut det sanitatem, cur etiam non habet aliquid auri? bonus discipulus, quia illud non accepit à Magistro suo

D. Amb.

Jesu. D.Ambrosius libro septimo in Lucam sic ait in nomine Petri: *Itaque non habeo, quod non dedit IESVS, sed quod dedit habeo: In nomine IESV, surge, & ambula.* Bonus minister, ultra id, quod ei dedit Dominus, nihil aliud habet: Considera, quod Petrus quod habet, spontanèe elargitur, at vero ex

Caveant Ecclesiastici ne retineant pecuniã urgente fame.

auro, & argento ex eo negat talem eleemosynam dare, quia nec aurum, nec argentum habet: O Cœlestis nobis eruditio, professus est auro, & argento carere, quando inopi misero, nec aurum, nec argentum impertiebatur, piaculum namque est ratus Ecclesiasticum aurum, & argentum habere, & roganti misero, vel famescenti non elargiri.

64.

Cum multitudo magna quinque mille hominum sequeretur Iesum in deserto, jamque esset valde famescens, agens Dominus de eis subveniendis: *Dixit Andreas Apostolus: Est puer unus hic habens quinque panes, & duos pisces*, qui juxta communem sententiam erant, ut suo loco dixi ex Apostolis: *Accepit IESVS panes, distribuit discumbentibus, similiter, & ex piscibus quantum volebant.* Joann.6.

Ioan.6.

numero undecimo Christus Dominus sua divina potentia illos panes, ac pisces multiplicavit in

Panis Ecclesiasticus dividendus in famescentes.

suis manibus; sed cur potius eos non creavit, cum sit opus solius Divinæ Omnipotentiæ, magis inserviebat ad ostentationem miraculi; sed ex panibus Apostolicis,ac Ecclesiasticis multiplicat,ac destribuit in magnum documentum nostrum, quod famescente populo, ac penuria laborante, panis Ecclesiasticus non sit recondendus, sed distribuendus per pauperes, ac miseros. Euthymius capite decimo-quarto Divi Matthæi ait: *Iussit panes, ac pisces afferri docens quod illa pauca etiam oporteat præbere indigentibus, eosque cibis ipsis præponere.*

Actor. 3. *num.*7. Et apprehensa manu ejus dextera allevavit eum, & protinus consolidatæ sunt bases ejus, & plantæ.

*N.*8. Et exiliens stetit, & ambulavit, & intravit cum illis in templum,ambulans,& exiliens, & laudans Deum.

VERSIONES.

*Syriacus n.*7. Et erexit eum, & eadem hora confirmati sunt pedes ejus.

Arabicus. Et musculi adiacentes calcanei eius.

Pagninus. Plantæ illius,ac tali. *D.Chrysost* suscitavit eum.

Æthiopicus. Confirmatus est pedibus eius, & lumbis eius.

*Syriacus num.*8. Surrexit, & ambulavit,&c. & saliens, glorificans Deum.

Æthyopicus. Et abiit cum eis capiens pisces.

EXPOSITIO. V.

Vers. 7. *Et apprehensa manu ejus dextera:* Hugo ait: *Voce elevavit*, manu confirmavit. *Protinus*, id est in eodem instanti, ac momento,ut videatur sanitas divinitus data, & non ope naturæ, mediis dispositionibus comparata. *Solidatæ sunt bases eius*, crura, & tibiæ,quibus tota corporis moles fulcitur, ac sustentatur, *& plantæ*, nempe pedes, ita integra sanitas data est infra num.16. 65. Hugo.

Vers. 8. *Et exiliens*: Hic adimpletum est, quod dictum fuerat per Isaïam 35. numero sexto, *Tunc saliet, sicut cervus claudus*, ut notavit Divus Cyrillus Catech. 17. *Exiliens*, prius exilit, deinde *ambulat*, & iterum exilit, id est præ gaudio, & lætitia, modo exiliebat, modo ambulabat, ut ita vera, ac perfecta sanitas, & non fictitia, ac momentanea ostenderetur, ut notant Divus Chrysostomus ac Oecumenius, & maguum miraculũ fuit, quod homo ab utero claudus, qui nunquam ambulaverat, statim sciat expeditè ambulare,& saltare; qui enim diu est incarceratus ex longa dissuetudine ambulandi, expedite incedere nequit. Id autem, quod Æthyopicus addit: *Abiit cùm eis pisces capiens*; quia forte claudus iste exercuit artem piscatoriam, quam olim tenuerant Apostoli. 66. Isai. 35. D.Cyril. D Chrysost. Oecum. Æthiop.

QUÆSTIO XIII.

Quare postquam Divus Petrus dixit claudo surge, & ambula, apprehensa manu elevat eum?

MAnu apprehendere, ac tangere signum magnæ benignitatis, ac clementiæ est. Sic Christus Dominus puellam à se suscitatam manu tenuit. Matthæi 8. numero 22. Petrum naufragantem manu extensa apprehendit Matth.14. num.38. *Oculos cæci* tetigit.Ioan.9.num.6.sic & socrum Petri febricitantem. Matth. 8. numer. 15. auriculas, & linguam surdi, & muti. Marc,8. num.33.& aliis in locis similia. Ex his 67. Matt. 8. Marci 4. Ioan.9. Matt. 8. Marc. 8.

Primo respõdeo ad quæstionẽ:Petrus imitatus,& secutus est sui sãctissimi Magistri morẽ,ut apprehensa

manu ſanaret, ac miracula operaretur, ut in præſenti cum hoc Claudo, & Thabitha. Actor. 9. 40. Secundo ſic divinâ providentiâ diſpoſitum eſt ad evidentem Apoſtolorum virtutem, nam ſi Petrus vo-
Cum incredulis, ac inimicis cautè agendum.
ce tantum dixiſſet: *Surge, & ambula*, poterant aliqui maligni dubitare à quo factum fuiſſet, an interveniente hoc ſigno externo, ac manu apprehenſa, à nemine in dubium poterat revocari ex gratia Apoſtolorum tam mirabile opus emanaſſe. Cum incredulis, ac inimicis cautè agendum.

69. Tertiò Chriſtus D. altiſſima ſcientia prævidit futurum, ut Petrus ſua dextera apprehenſa claudum à tanta miſeria ſublevaret, ac ſanum redderet; inde Petrum naufragantem manu porrecta à tempeſtuoſo mari liberat. Matth. 14. ſolet Divina bonitas anticipato beneficio remunerare obſequia ſibi præſtita: Fugiens Jonas à facie Domini in Tharſis exorta tempeſtate, à nautis in mare præcipitatur: Præparavit Dominus piſcem grandem, ut diglutiret Jonam, & erat Jonas in ventre piſcis tribus diebus, & tribus noctibus. Jonas 2. 1. Theophylactus: Vivus ſervatur ad aliorum vitam, tam mirabiliter vivum Jonam Deus liberat à morte, quia ipſe ſua prædicatione multos erat liberaturus à morte peccati adducens eos in vitam.

Chriſtus ſua obſequia anticipatè remunerat. Ioan. 2. Theoph.

70. Quartò D. Petrus priùs dixit claudo: *Surge, & ambula*, deinde *apprehenſa manu elevavit eum.* Verbis opera adjungit, & miraculum perficit, Petrus ore miraculoſæ ſanitatis auſpicium præbet, manu, & opere ſanitatem confert, & miraculum conſummat, ac perficit. Ad hoc tendit D. Baſilius Seleucus orat. 21. & ait: *O claude prædica pedibus, quæ nos lingua ſine adſenſu prædicamus*, ac ſi dicat Apoſtolus, quod nos lingua prædicavimus, tu pedibus, ac greſſibus oſtende.

Verbis opera adjungenda.

71. Tres ſancti illi pueri ſtantes in conſpectu regis generoſo, ac conſtanti animo dixerunt: *Deus noſter, quem colimus, poteſt nos eripere de camino ignis ardentis, & de manibus tuis, Rex liberare.* Tunc *Nabuchodonoſor repletus eſt furore*, & miſſi ſunt pueri in fornacem ignis ardentis, in medio cuius pueri apparēt illæſi abſque ulla macula laudantes Deum. Tunc Nabuchonoſor ad oſtium fornacis ignis ardentis ait: *Sidrach, Miſach, Abdenago ſervi Dei excelſi egredimini.* Daniel. 3. numer. 93. Antea auditis verbis Sanctorum, Rex plenus erat furore in eos excandeſcens: Unde nunc verò tam benignus, ac benevolus, ut non ſolum eos jubeat exire, ſed etiam gloriosè conſtituat Principes ſuper Provincias Babyloniæ: Unde tanta mutatio: Antea ſolum verbis Dei potentiam prædicabant, nunc verò miraculoſis operibus oſtendunt. Eleganter D. Chryſoſt. homil. 6. ad Populum ſic ait: *Antea quando dixerunt Diis tuis non ſerviemus, fornace ſævius accenſus eſt; poſtquam verò per ipſa opera hoc oſtenderunt, laudavit, & admiratus eſt.* Nuda verba nihil proficiunt, at adjuncta opera totum perficiunt, & ſummam Dei potentiam declarant. De quo etiam aliqua dicam infra.

Daniel 3.

Verba iuncta operibus animos devincunt. D. Chryſoſt.

QUÆSTIO IV.

Quare in hoc claudo tanta Dei dona reſplenduerunt?

72. D. Amb. Beda. QVamquam allegoricè poſt D. Ambroſium Beda in hoc claudo intelligat populum Iſraeliticum, qui non ſolum à Chriſti Incarnatione, ſed etiā à tempore, ac exordio legis rebellis quaſi ex utero matris claudus fuit: *Cum Iacob cum Angelo luctaret, & claudicante* Geneſ. 32. num. 14. *figurabatur, quia populus Chriſto in Paſſione prævalens, in quibuſdam per fidem benedictus, in aliis ex infidelitate eſt claudus.* Iſte ut claudus Iudæos, ac hæreticos denotabat clandicantes à fide, ut verò ſanus Iudæos, ac hæreticos, ut verè ſanatos, ac converſos ad fidem virtute nominis IESU innuebat.

Iudai, & hæretici claudicantes.

73. Multa dona ex Dei gratia accepit, & quia, ut notat D. Baſilius Seleucus orat. 21. cum corporis ſanitate ſanitatem animæ cum vera fide impetravit, inde, ut advertit D. Chryſoſt. homil. 8. in Acta, *Laudabat Deum, ut ora aſtantium obturaret, & ſuos quidem benefactores gratus comitatur, non tamen illos, ſed Deum, qui per illos benefecerat.* Exiliens, laudans, ac ambulans ora detrahentiū, ac calumniātium obturat, & non Apoſtolos, ſed Deum laudabat, ut Auctorem ſuæ ſalutis, qui Apoſtolis tantam dederat virtutem, à quo velut à fonte tota ipſa virtus manabat, & laudabat Deum verbo, & opere; verbo dum ejus magnalia publicabat, opere miraculoſa ambulatione, & ſaltibus.

D. Baſil. Seleucus. D. Chryſoſt.

Deus laudatur verbo, & opere.

74. Secundo D. Niſſenus orat. de S. Stephano ſic ait *Is, qui à nativitate claudus fuerat ſpecioſam portam templi reverſus, iis, qui ſalvi fierent à pœnitentia, cui aſſidens ſuæ ſanationis miraculo, animas claudicantes ad fidem adduxerat.* Cum fide conjungit eximiam charitatem, qua ſocios ſuos ad portam ſpecioſam docebat, & inſtruebat de ſuæ ſanitatis miraculo, ut ſi ſalvi fieri vellent, ad Apoſtolos aſcenderent, ejuſque doctrinam percipientes, qua ſalutem conſequerentur?

D. Niſſenus.

Charitas vult omnes donorum participes.

75. Tertiò Hugo: Perfectus ordo ſurgit à miſeria, viam virtutum arripit, & templum ſanctum Dei intrat, non vadit in domum ſuam, ut fecit ſanatus paraliticus Luc. 5. num. 25. vel ad ſuos cognatos, & amicos, ſed cum Apoſtolis intrat in templum gratias Deo agens, D. Chryſoſt. homil. 8. in Acta ait: *Et qui ſanatus eſt, deinde cum Apoſtolis, & ingreſſus eſt cum illis, ambulans in templo. Vide quomodo non ſolus erat.* Cum homo vidiſſet in Apoſtolis tantam poteſtatem, virtutem, ab eiſque tantum beneficium accepiſſet, ut eorum dona recognoſceret, ac gratificans ab illis non diſcedebat.

Hugo. Luc. 5. D. Chryſoſt.

Gratus vult eſſe cum ſuo benefactore.

76. Clamat D. Sponſus ad ſuam dilectam: *Surge amica mea, ſpecioſa mea, & veni, columba mea in foraminibus petræ, in caverna maceriæ.* Cantic. 2. n. 14. Cur non invitatur ipſa Divina matrix, ut habitet in amæno horto, florido campo, ſeu vinea odorifera, ſed in foraminibus, illius nempe cæleſtis petræ Chriſti Jeſu, in cujus vulneribus, ac percuſſionibus, fontes gratiæ invenit, & remedium redemptionis, & munimen ſalutis, ideo ibi immorari vult, habitaculum conſtituit, ut ab eo nunquam ſeparari valeat. Beda ex Caſſiodoro, & ait: *In foraminibus, columba, id eſt, Eccleſia moratur, quia totam ſpem ſuæ ſalutis, in paſſione ſui Redemptoris conſtituit, & ibi ab inſidiis malignorum ſpirituum ſecum deliteſcit, ibi nidificat, & fœtus bonorum operum congerit.*

Cant. 2. Caſſiod. Beda

Eccleſia cū vulneribus Chriſti.

77. Quartò: Aliud magnum bonum habuit claudus, quia per quadraginta annos, quos habebat ætatis, ab introeuntibus in templum ſemper mendicare, & ſemper petere abivit; Vbi tamen à Petro ſuum donum accepit, nunquam aliquid ab alio petivit, ut notat D. Baſilius Magnus homil. 15. de fide dicens: *Cum ex multis aurum acciperet, nihilominus rogabat. Ex Petro gratiam cum ſuſcepiſſet, rogare amplius deſtitit, veluti cervus proſiliens, & laudans Deum.* Cum claudus ab aliis acciperet, quotidie erat poſtulans neceſſitate oppreſſus: at ubi ex Chriſti nomine accepit à Petro, non jam poſtulat amplius, cum jam ab omni calamitate, ac indigentia abſolutus maneat, integra ſanitate à Deo data, quæ omnium rerum abundantiam ſecum importat.

D. Baſil. Magnus.

Dona Dei ampliſſima.

Dilectrix

78. Dilectrix anima ait ad ſuum divinum Sponſum. *Emiſſiones tuæ Paradiſus malorum punicorum cum pomorum fructibus*, Cantic. 4. n. 13. Ejus divinæ manus, ac cœleſtia dona, non cum una, vel altera arbore, nec cum decem, vel viginti, ſed cum toto Paradiſo, cum omni genere arborum, florum, ac germinum. D. Bruno de laudibus Eccleſiæ cap. 1. ait: *Magna tunc munera tua; alij partem mittunt, & quod eis eſt vile tribuunt; Tu vero totum hortum das, & omnia meliora tuis filiis larga manu mandas.* Cæteri cum ad dandum conveniunt, partem, vel fragmen dant: At verò Deus cum largitur utraque manu plena univerſa ſuperabundanter præbet: Multum ampla Dei dona in omnibus meis libris; Vide in Sybillario donum.

Cant. 4. Dei dona abundant. D. Brun.

Actor. 3. n. 9. Et vidit omnis populus eum ambulantem, & laudantem Deum.

Num. 10. Cognoſcebãt autẽ illum, quod ipſe erat, qui ad eleemoſynã ſedebat ad ſpecioſam portã templi: & impleti ſunt ſtupore, & extaſi in eo, quod contigerat illi.

Num. 11. Cum teneret autem Petrum, & Joannem, cucurrit omnis populus ad eos ad porticum, quæ appellatur Salomonis, ſtupentes.

VERSIONES.

Syrus n. 9. Cum ambularet; & glorificaret Deum.

Syrus n. 10. Et cognoverunt, quod ille mendicans ſedens, &c. impleti admiratione, & extaſi.

Æthiopic. Obſtupuerunt, & admirati ſunt, propter quod factum fuerat ſignum ſuper eum.

Pagnin. Tiguri. Stuporem, & admirationem, *Lucifer.* Pavore.

Biblia Gothi. Stupore, & mentis conſterna- *apud Marian.* tione.

Arabic. n. 11. Et dum Claudus ille ſanitati reſtitutus, &c. accurrit populus ſtupore attonitus.

D. Chryſoſt. Ad veſtibulum Salomonis obſtupeſcebat.

Alii Codices. Cum viderent, *Alii*, cũ tenerent.

EXPOSITIO VI.

79. Verſ. 9. *ET vidit omnis populus*, qui tunc erat ad horam orationis nonam in Templo, in quod claudus ambulans, & exiliens introivit cum Apoſtolis etiam Deo gratias agens.

80. Verſ. 10. *Cognoſcebant autem illum, quod ipſe erat.* D. Chryſoſt. Chryſoſt. *Recognoſcebant*, id eſt, optimè, & apprimè cognoſcebant eum; quia per ferè quadraginta annos ætatis ſuæ erat mendicans ad portam Templi. *Et impleti ſunt ſtupore.* Syriacus *admiratione.* Admiratio aliquando provenit ex gaudio, aliquando ex timore: Hæc poſterior fuit in præſenti in his, in quibus non Interlin. erat fides, ut tenet Gloſſa Interlinealis, & ita multi apud Lucam cap. 5. n. 16. *Stupor*, ſeu *timor apprehendit omnes.* Caiet ait: *Stupor magnitudinem admirationis ſignificat, extaſis effectum eius, hoc eſt alienationem à ſe ipſo*: proindeque extaſis in præſenti, ut Montan. etiam tenet Montanus, dicit mentis alienationem; quia neſciebant quid dicerent, loquerentur, aut cogitarent; & ad hunc ſenſum pertinet id, quod legit Syriac.

Gothi. *Mentis conſternatione.* Subdit Textus in eo, quod contingat, id eſt propter id.

Verſ. 11. *Cum teneret autem* Reiicienda eſt lectio aliquorum, qui legunt cum tenerent, vel cum viderent, ſed retinenda eſt lectio noſtræ vulgatæ cum Syriaco, Græco, & Arabico, quæ habet in ſingulari *teneret*, ſcilicet Claudus. Cur autem tenuit Petrum, & Joannem dubitatur? Oecumenius ait, ex timore, ne ſi ab eis diſcederet, rurſus claudus fieret, maximè quia Petrus eum tangendo, & manu data eum elevavit, quæ ratio non placet, nec convenit homini tam feſtivè ſuam ſanitatem celebranti, & pro ea Deum laudanti. Secundo Caietanus: Tenuit, eos populo oſtendens ipſos fuiſſe ſui ſanatores, à quibus habuit ſalutem. Tertiò, & genuinè D. Chryſoſt. exiſtimat id factum fuiſſe ex vehementi amore, benevolentia, ac gratitudine, ut ſuis ſanatoribus ſemper aſſiſteret, eis obſequeretur, ab eis nunquam vellet ſeparari, atque etiam ut omni populo ſuos ſanatores oſtenderet. 81. Noſtra, Oecum. Caietan. D. Chryſoſt.

Ad porticum quæ appellatur Salomonis. Circa templum erant tria attia: Primum, in quo orabant Sacerdotes filii Aaronis. Secundum, in quo Judæi, In tertio Gentiles: Porticus autem Salomonis erat pars illa, & ſatis lata, quæ ex Chaldaïco templi incendio ſuperſtes permanſit, ut tradit Oecumenius; eratque in fine atrij Gentium, ut ex Joſepho tenet Villalpandus lib. 3. de Templo, cap. 9. & ibi erat Claudus. 82. *Tria ae tria.* Ioſeph. Villalp.

Actor. 3. n. 12. Videns autem Petrus reſpondit ad populum: Viri Iſraëlitæ quid admiramini in hoc, quaſi noſtra virtute, aut poteſtate fecerimus hunc ambulare.

Nmm. 13. Deus Abraham, Deus Iſaac, Deus Patrum noſtrorum glorificavit Filium ſuũ Ieſum, quem vos quidem tradidiſtis ante faciem Pilati, judicante illo dimitti.

Num. 14. Vos autem ſanctum, & juſtum negaſtis, & petiſtis virum homicidam vobis dari.

Num. 15. Auctorem verò vitæ interfeciſtis, quem Deus ſuſcitavit à mortuis, cuius nos teſtes ſumus.

VERSIONES.

Arab. n. 12. Affatus eſt ad populum, &c. Aut noſtra laudabili cõverſatione fecerimus.

D. Chryſoſt. Noſtra pietate effecerimus. *Pagnin.* religione.

Æthiopic. Quaſi juſtitia noſtra. *Alii ex Græco.* Noſtro imperio.

Syrus n. 13. Cum ipſi Pilatus juſtificans eſſet, eum ut abſolveret.

Alter Syrus. Cum ipſe æquum iudicaret.

Æthiopic. Quem vos ſpreviſtis, &c. Nolentes ſervare eum.

Arabic. n. 14. Vt concederetur vobis.

Syrus n. 15. Et illum Principem vitarum, &c. quem ſuſcitavit à domo mortuorum:

EXPOSITIO VII.

Verſ. 12. *Videns autem Petrus.* Concurſum, ac admirationem populi, reſpondens eorum tacitis interrogationibus: *Viri Iſraëlitæ*, tanquam eorum benevolentiam captans: *Quid miramini in hoc, aut quid nos intuemini*, de quo antecedenti 83.

Pagnin. Græc. Lyran. Hugo. Carthus. versu dixi, *quasi nostra virtute, aut potestate.* Pagninus. *Religione,* Gæcus *imperio nostro,* Lyra, Hugo, Carthusian. *Pietate*; quia pietas, & sanctitas causa est, ut operentur miracula. De errore Calvini dicam quæst. 16.

Vers. 13. *Deus Abraham.* Sic se Deus frequenter appellat in veteri testamento, Exod. 3. n. 6. & 15. & sæpe aliis in locis. Unde ait D. Bernard. serm. 15. in Cantic. *Currite gentes, ad manum est salus, effusum est nomen, quod quicumque invocaverit, salvus erit, Angelorum Deus etiam se hominum nominat.* Et subdit Textus: *Glorificavit Filium suum Iesum.* glorificare intelligit Lyranus de Resurrectione, & sessione ad dexteram Patris; Chrysost. Interlinealis de sanitate Claudi nomine ipsius; uterque sensus bonus: *Indicante illo dimitti.* Innocentem judicante, & dimittere conante.

84. Exod. 3. D. Bern.

Lyran. C. Chrysost.

Vers. 14. *Vos sanctum, & justum.* In his duobus consistit tota summa perfectio, ut dicam quæstione sequenti, & maximè hæc duo nomina conveniunt Christo; nam ipse formalissimè est sanctus, & justus, substantialiter per unionem hypostaticam, & accidentaliter per gratiam habitualiter, & etiam effectivè; quia ipse est causa totius sanctitatis, ac justitiæ in nobis. *Negastis* eum esse justum, & sanctum, quando vocastis seductorem, Matth. 27. n. 63. & malefactorem, Ioan. 18. n. 30. & tanquam criminosum postulastis ad mortem, *& petistis virum homicidam vobis donari,* scilicet Barrabam. Matth. 27.

85. Math. 27. Ioan. 18.

Vers. 15. *Auctorem vitæ interfeciſtis.* Præclara exaggeratio, ac antithesis. Virum homicidam, ac morti dignissimum, & omnium malefactorum auctorem postulastis ad vitam, & Christum justum, & sanctum totius vitæ auctorem postulastis ad mortem. *Quem Deus suscitavit.* D. Chrysost. Oecum. advertunt denotari in præsenti, quod Christus D. ut verus Deus se ipsum suscitaverit, & quamvis hoc verum sit, cum opera ad extra sint indivisa toti Trinitati; tamen communiter Deus sumitur pro Æterno Patre, ad quem Christus referebat omnia. *Pater clarifica filium tuum. Suscitavit à mortuis.* Bene notat Cardin. Hugo, & ait: *Melius dicitur Christum resurrexisse à mortuis, quàm à morte; quia pro omnibus mortuus est, & per eum alii surrexerunt, & quilibet alius debet resurgere à morte, non à mortuis,* & subdit: *Cuius nos testes sumus,* quod explicatum est suprà cap. 2. vers. 32.

86. D. Chrysost. Oecum. Hugo.

QUÆSTIO XV.

Quare D. Petrus in hac secunda concione maiora prædicat de Christo mirabilia, quam in prima.

87. IN prima Concione dixit D. Petrus Iesum Nazarenum cap. 2. n. 22. & suprà n. 6. Hic vero Filium Dei appellat: *Glorificavit Filium suum Iesum.* Glossa Interlinealis. *Filium* Dei dicit naturalem *consubstantialitatem* cum Patre, verumque Deum, verumque Messiam. D. Chrysost. ait: Non amplius Nazarenum, quod videbatur nomen contemptûs, sed Filium Dei, quod est supremæ Majestatis.

D. Chrysost.

88. *Secunda diversitas à prima concione.* Luc. 1. Theoph. Euthym. In prima Concione dixit Petrus: *Iesum virum approbatum à Deo virtutibus, & signis,* cap. 2. n. 22. Hic verò eum appellat *sanctum, & justum,* quæ duo nomina summam totius perfectionis seriem demonstrant. In Cantico Zachariæ Luc. 1. n. 75. In sanctitate, & justitia coram ipso: Ubi Theophylactus, & Euthymius observant. Vox prima *Sanctitas* Decalogi primam partem respicit; secunda autem *Iustitia* homines. Sanctum autem valde proprium Christi D. epithetum est, & frequenter illi in Scriptura attribuitur, imò & ab ipso Dæmone, Marc. 7. n. 14. & ab Angelo, Luc. 1. 35. *Quod nascetur ex te sanctum vocabitur Filius Dei.* Sanctum est præclarissimum, & altissimum epithetum Dei, ut dixi tom. 1. in Evang. lib. 1. cap. 5. q. 10. per totam.

Marc. 7. Luc. 1.

Respondeo primo; quòd D. Petrus prudentissimè se habuit; nam cùm in prima concione adhuc Iudæi essent multum rudes & multi paulò ante in odio, ac ira contra Christum D. fuerint accensi, ita ut eum ad mortem postularent, paulatim igitur fuerunt educendi à suis erroribus, atque in Christi magnalibus informandi. Primò dixit Apostolus magna, & alta de Christo, postea verò sublimiora, & altiora prædicat, scilicet, quod sit consubstantialis Dei Filius, justus, & sanctus, in hoc imitatus vestigia sui sacratissimi Magistri qui dixit suis discipulis: *Multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo.* Ioan. 16. n. 12.

89. *Paulatim ad magna disponendum.* Ioan. 16

Secundò: Tam magna, & alta Petrus prædicat, quod Christus sit Filius Dei sanctus, & justus; aderat quippe in præsenti præclarissimum opus, ac perillustre testimonium ejus Divinitatis; in ejus enim nomine, Claudus, qui in omnium oculis erat, sanus factus est; & opus magnum resplendens aperit os ad magna loquendum, & adversariorum linguas comprimit, ac obturat.

90.

Pilatus cum esset præses in toto regno Iudææ, multis, & toto conatu intendit Christi innocentiam ostendere, ut eum è manibus Iudæorum liberaret, dicens: *Ego nullam invenio in eo causam mortis,* & iterum: *quid mali fecit.* Et ad ostendendam Christi innocentiam aquâ manus lavat à tali morte. Meus Iesus pendens in Cruce à Iudæis crucifigitur, milites custodiunt; prætereuntes blasphemant: *Vah qui destruis Templum,* & similiter Principes Sacerdotum illudebant, dicentes: *Alios salvos fecit, se ipsum non potest salvum facere,* Matth. 27. n. 40. 41. & inter hæc moriente Christo clamat Centurio: *Verè Filius Dei erat iste,* Matth. 27. n. 54. Audiunt hoc Iudæi crucifigentes, & prætereuntes Principes Sacerdotum, & seniores populi, nullusque contradicit, nec insurgit contra Centurionem, sed omnes tacent, & obmutescunt. Coram Pilato eius innocentiam testificante contra se se opponunt, & insurgunt; at verò contra Centurionem majora clamantem, esse *verum filium Dei,* nullus se opponit, sed tacent omnes? Coram Pilato adstabat innocentissimus Agnus nulla suæ celsitudinis signa præbens; at in Calvario ipso moriente: *Tenebræ factæ sunt super universam terram, Sol obscuratus est, terra tremuit, petræ scissæ sunt.* Visis tot signis cum magno impulsu, ac audacia protestatur Centurio: *Verè Filius Dei erat iste,* & Iudæi erubescentes tacent, & quorum linguas Præfidis verba non potuerunt refrænare, compounnt prodigia proclamantia. Ad hoc respicit D. Paschas. lib. 12. in Matth. & ait: *Gentiles Deum timentes, aperta voce Deum glorificant; verè Filius Dei erat; Iudæi silentes, ac erubescentes in domum revertuntur.*

91. *Iniquorum ora non verba, sed opera comprimunt.* Math. 27 Math. 27

QUÆSTIO XVI.

Quare D. Petrus negat sua virtute, ac potestate sanasse Claudum, cum Christus D. dederit ei potestatem sanandi infirmos?

QUomodo ait D. Petrus ad populum: *Quid intuemini in nos, quasi nostra virtute aut potestate fecerimus hunc ambulare.* Ubi videtur in se hanc potestatem denegare, cùm Deus dederit talem potestatem suis Apostolis, Matth. 10. n. 1. *Dedit illis*

92. *Difficultas quæstionis.* Math. 10

potestatem

Marc. 3. *poteſtatem curandi infirmitates.* Et ſimiliter Marc. 3. num. 15.

93. *Solus Deus, ut principalis facit miracula.*

Reſpondetur. Cum miracula ſint ſupra conſuetum, ac uſitatum naturæ concurſum non poſſunt fieri ab aliqua creatura virtute propria; hoc enim eſt ſolius Dei, qui cum ſit ſupremus omnium Dominus, poteſt naturas mutare, propriaque virtute miracula facere, ut dicitur Pſalm. 71. n. 18. *Tu facis mirabilia ſolus,* & ipſe cùm ſit ſupremus Dominus, poteſt hanc virtutem alicui creaturæ communicare, ut communicavit Moyſi, cùm dixit Exod. 7. n. 1. *Conſtituo te Deum Pharaonis.*

Pſal. 71.

Exod. 7.

94. *In aliis communicata.*

Unde D. Petrus ait: (pondera verba) *quaſi noſtra virtute, ac poteſtate fecerimus hunc ambulare*; negat in ſe propriam virtutem; hoc enim eſt ſolius Dei, in ſe autem erat communicata tanquam in miniſtro ipſius Dei: Unde malè Calvinus torquet hæc verba D. Petri contra invocationem Sanctorum, ac ſi nulla in eorum precibus, ac reliquiis poteſtas ſit ad ſanandum, hoc valde longè eſt à mente D. Petri, qui docet omnem poſtetatem faciendi miracula eſſe à Deo tanquam à cauſa principali, & ab eo ſibi, ac aliis communicatam gratis.

95. Hoc autem faciunt Sancti, tum ob ſuam humilitatem, tum ob majorem gloriam, ac Dei honorem manifeſtandum; & ſic ait D. Petrus in præſenti: *Quid intuemini in nos*: Volebat enim ne in ipſos oculos figerent, ſed tantum eos ad Deum elevarent. D. Gregor. Magn. homil. 3. in Ezechiel. ait: *Signum quippe faciens, intuentium oculos miraculi lumine perſtrinxit, ſed humilitatem cuſtodiens, laudem Auctori reddidit.* De omni verò bono, quod faciunt, idcirco viri Sancti ſemper laudem Creatori reddunt, ut vera ſtabilitate perſiſtant in ea virtute, quam accipiunt.

D. Greg

96. Matth. 6 Theoph.

Ait Chriſtus D. Matth. 6. n. 1. *Attendite, ne juſtitiam veſtram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis.* Theophylact. *Caveto, quaſi de mala beſtia dicat, attende ne dilaceret te.* Idem Dominus ait Matth. 5. n. 16. *Sic luceat lux veſtra coram hominibus, ut videant opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum.* Rectè D. Chryſolog. ſerm. 9. ait: *Quomodo juſtitiam vult celari, cujus opera ſic vult elucere,* Quomodo hoc? virtutes videndæ, eorum artifex, & auctor non videndus. Ita quidem, virtutes ſic quoad circunſtantes ſe debent gerere, ut ſolus Deus ſit ſpectandus, eique omnis gloria tribuenda, non vero potenti, qui ita ſe habeat, ac ſi nihil feciſſet, cum totum ſit acceptum à Deo, quid ergo gloriaris. Theophylact. Non dixit: *Vos oſtentetis virtutem; hoc enim non eſſet bonum, ſed illa ſola luceat, ut & inimici veſtri admirentur, & glorificent, non vos, ſed Patrem veſtrum*: Sicut enim umbra ſequitur hominem ambulantem, vel fugientem, ſic gloria, & honor concomitatur opus ſanctum, & miraculoſum. Gloria, & honor, vero ſoli juſtitiæ Deo tribuitur, umbra vero operanti, ut ſub illa abſcondatur. D. Hilar. can. 4. in Matthæum ait: *Pari fulgere, Apoſtolos monet lumine, ut admiratione operis eorum Deo laus impertiatur, non quod ab hominibus oporteat gloriam quærere; quia omnia in honorem Dei agenda ſunt, ſed ut diſſimulantibus licet nobis, opus noſtrum iis, inter quos vivimus, eluceat.*

Matth. 5.

D. Chryſ.

Deo gloria, operanti humilitas aribuenda.

Theoph.

D. Hilar.

97. Num. 17. *Non nobis, ſed Deo gloria tribuenda.*

Ad deſignaram Sacerdotalem ſupremam dignitatem mandat Deus Moyſi ſumere virgas ex duodecim tribubus filiorum Iſraël, & uniuſcujuſque nomen ſcriptum in virga ſua, & pones in tabernaculo fœderis: *Quem ex his elegero germinabit virga ejus.* Num. 17. n. 5. ſequenti die inventa eſt *germinaſſe virga Aaron turgentibus gemmis eruperant flores, qui foliis dilatatis, in amygdalas deformati ſunt.* Sed cur Deus electionem Summi Sacerdotis, per quem multa mirabilia erant facienda in populo, oſtendit, & declarat per virgas præciſas à ſua radice, & ab arbore ſeparatas? Ut denotaretur, quod ſicut flores, & fructus ab eis pullulantes non perveniebant à natura, ac vigore, quæ in virgis inerat, ſed à magnifica Dei gratia; ſic fulgor Sacerdotalis dignitatis ad magna, & alta operanda, non erat ab eorum natura, ac influxu, ſed à Dei gratia, ac virtute, cui omnia tribuenda, ac referenda ſunt. D. Ambroſ. epiſt. 82. ait: *Virga autem illa quid aliud oſtendit, niſi quod nunquam Sacerdotalis marceſcat gratia, & in ſumma humilitate, habeat in ſuo munere commiſſæ ſibi florem poteſtatis.* Expende illa verba *in ſumma humilitate,* non de ſua virtute aliquid recognoſcētes, ſed omnia de Dei gratia, ac potentia, cui omnia tribuenda ſunt.

D. Amb.

Actor. 3. *n.* 16. Et in fide nominis ejus, hunc, quem vos vidiſtis & noſtis, confirmavit nomen ejus; & fides quæ per eum eſt dedit integram ſanitatem iſtam in conſpectu omnium veſtrum.

Num. 17. Et nunc, fratres, ſcio, quia per ignorantiam feciſtis, ſicut, & Principes veſtri.

Num. 18. Deus autem quæ prænuntiavit per os omnium Prophetarum, pati Chriſtum ſuum, ſic implevit.

VERSIONES.

Syrus n. 16. Confirmavit, & ſanavit.

Arabicus. Et per fidem in nomine ejus, conſolidatus eſt hic, fides ejus in ipſo tribuit hujuſmodi integritatem in præſentiâ cætus ve ſtri.

Syrus n. 17. Per errores feciſtis, ſicut primores veſtri.

Arabicus, Fratres noſtri ſcierunt quod non cognoſcēdo feciſtis. *Alius Syrus* primates.

Arabic. 18. Verum Deus promiſſa, quæ pollicitus eſt de paſſione Chriſti implevit hoc modo.

Æthiopic. Quod Chriſtus trucidaretur.

EXPOSITIO VIII.

Verſ. 16. *ET in fide nominis eius,* ſeu, ut legit Arabicus *per fidem,* ac invocationem nominis Chriſti, ait Petrus, ut nos credimus: Hunc, quem *vos noſtis confirmavit nomen eius,* declaravit, manifeſtavit virtutem ſui nominis ipſum ſanando, & ita confirmavit nomen ejus. *Et fides, quæ in eo eſt.* Hoc eſt fides in eum, ſcilicet, Chriſtum Jeſum: fides autem hic non intelligitur ea, quæ erat in Sancto, ut ſæpe legimus, Evangelio, *fides tua te ſalvum fecit,* ſed intelligitur fides, quæ erat in Petro, qua dixit: *In nomine Ieſu Chriſti ſurge, & ambula,* quibus verbis auditis veriſimile eſt, quod ipſe credidit; ab Apoſtolis nolebat diſcedere, ut ſupra dixi: Quod antea crediderit nullum ad hoc aſſerendum habemus fundamentum.

98. Arabicus

Dedit integram ſanitatem, ut ſurgere, ambulare, ac ſaltare promptè, & expeditè, Ita Gloſſa Ordinaria, & Interlinealis. De utraque ſalute animæ, & corporis exponit Hugo, tamen videtur hoc textui repugnare. Ait D. Petrus *ſanitatem iſtam in conſpectu omnium veſtrum,* quod videtur denotare ſanitatem corporalem, nec enim omnes, quos Chriſtus ſanavit corpore, ſanavit & anima, Malchus ſervus Pontificis ſanatus eſt à Chriſto, Ioan. 18. n. 10. & tamen juſtificatus

99. Ordinat Gloſſ. Interlin. Hugo.

Ioan. 18.

stificatus non creditur; ex decem leprosis, novem, qui non venerunt dare gloriam Deo ex sua ingratitudine non existimantur justificati, Luc. 17.

Luc. 17. Tyrano. 10.

Vers. 17. *Nunc scio fratres.* Duleiter alloquitur, ut ait Lyran. ut verbum ejus magis recipiatur: *Scio quia per ignorantiam fecistis, sicut & Principes vestri*; qui multo minus excusabiles sunt quam plebs, cum eorum ignorantia fuerit valde crassa, imò, & maxime affectata; quia audientes veritatem, cùm non possent contradicere, malitiosè tamen nolebant sibi persuadere, quod latè tractavi tom. 5. in Evangelia lib. 8. cap. 15. q. 4. Et quamvis hoc non excuset à gravissima culpa, ut notant Lorinus, Cornelius à Lapide, Tirinus, minuit tamen aliqualiter, & ex parte sceleris gravitatem; multo enim gravius peccassent, si persuasi rem ita se habere, nihilominus in patrando scelere tenaciter perstitissent. Unde Petrus in præsenti per ignorantiam: *Scio quia per ignorantiam*, & Christus in Cruce: *Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt.* Et Paulus 1. Cor. 2. n. 8. *Si enim cognovissent nunquam Dominum crucifixissent.* Unde ignorantia allegatur ad extenuandum crudele facinus.

Lorin. Cornel. Tirin.

Ex ignorantia aliqualis excusatio. 1 Cor. 2.

101. *Principes vestri*, ut jam notavi tom. 5. lib. 9. cap. 3. q. 9. n. 54. Petrus hic dicit *Principes vestri.* Discipuli in Emaüs, *Principes nostri tradiderunt*, Luc. 24. n. 20. quia hîc discipuli cum essent rudes adhuc, & multa stultitia laborantes, *O stulti, & tardi corde*, impios, & iniquos agnoscunt, ut Principes, ac Dominos, Petrus verò ab Spiritu sancto illuminatus eos non dicit Principes suos, sed vestros; Quamvis enim iniqui splendidissimis perfulgeãt titulis, apud justos, & sanctos ut erant Apostoli, in nulla dignitate habentur

Luc 43. *Iniqui in nulla dignitate sũt apud iustos.*

Vers. 18. *Deus autem, quæ prænuntiavit per os Prophetarum*; Dicitur in singulari *per os Prophetarum*, & non in plurali per ora; quia licet Prophetæ fuerint multi, omnes uno spiritu, ac cohærenti sermone de Christo D. sunt loquuti: *Pari Christum suũ sic implevit*, tanquam si diceret: Deus vestra ignorantia depravata usus est sua infinita bonitate in bonum; nam per illam implevit, seu perfecit, quæ de morte, ac passione Christi prædixerant oracula Prophetarum,

102.

Prophetæ etsi multi, tamen ore loquuntur.

QUÆSTIO XVII.

Quare tantus est D. Petrus in præsenti in sublimanda præstantia virtutis, ac efficacia fidei?

103. D. Tho. *Quæ causæ intervenient in opere miraculoso.*

NOtandum est ex D. Thom. de potentia q. 6. ad 19. quod in aliquo opere miraculoso, v. g. in sanitate hujus claudi, causa principalis Physica est Deus, causa principalis meritoria Christus D. ejusque merita, causa tãquam instrumentalis justus operans, v. g. Petrus sua manu erigens claudum; fides autem est tanquam causa nobis applicans Christi merita, & veluti quædam oratio tacita, vel expressa ad impetrandam sanitatem, non de condigno, sed de congruo, ita ut omnia per fidem impetrentur à Deo juxta Christi promissum: *Omnia quæcumque orantes petitis, credite, quia accipietis, & eveniet vobis.* Marc. 11. n. 24.

Marc 11

104. In exordio fidei Catholicæ, ac Christianæ in hoc primo miraculo totus est D. Petrus in explicanda, ac declaranda fidei efficacia, & quod sanitas hujus hominis à fide manavit, & ideo non semel, sed bis eam tribuit: *In fide nominis eius*, & iterum: *Et fides, quæ per eum est* Ut ex tanta virtute, ac præstantia fidei omnes ad illam exhortaretur; cum illa enim omnia nobis sunt in promptu, & cuncta sunt secura, & tuta: *Cum exarserit in brevi ira eius: beati, qui confidunt in eo*, Psalm. 2. n. 14. Cum divina ira districta fuerit, ut in brevi, ac momento cuncta destruantur, ac pereant, inquiunt D. August. & noster Incognitus, *beati qui confidunt in eo.* In tanta rerum desolatione, ac devastatione, qui habent fidem in Deo, sic sunt quieti, & securi, tanquam beati, ac si essent in Beatitudine.

Psalm. 2. *Fides nos facit securos in omni pressura.* D. Aug. Incogn.

Mulier Chananæa rogat ad Christum pro filiæ sanitate, & cum semel, & iterum esset repulsa; Respondit ei Domines: *O mulier magna est fides tua, fiat tibi sicut vis*; Math. 15. n. 28. Maximè notandum, quod non dixit Christus. Ego sanitatem do filiæ tuæ, vel sanata sit filia tua: sed, fiat tibi sicut vis, ac si tanta sua fide promeruerit ut matris voluntati relinqueretur, ut ipsa salutem filiæ impenderet. Ubi tanta resplendebat fides, sine alterius ope puellæ sanitatem poterat impertire. D. Chrysostomus homil. 17. ex variis in Matth. sic ait: *Non dixit sanetur filia tua, sed fiat sicut vis, tu, inquit, eam cura, esto medicus, tibi committo medicamentum, ut imponas ei. Fiat tibi, sicut vis, voluntas tua curet eam.*

105. Math. 15. *Fides ministrat id, quod qui bat deest ei.* D. Chrysost.

Cum Christus D. esset cum discipulis suis in mari: *Ecce motus magnus factus est in mari, ita ut navicula operiretur fluctibus, ipse dormiebat. Et accesserunt ad eum discipuli, & excitaverunt eum dicentes: Domine, salva nos perimus, & dicit eis: quid timidi estis modicæ fidei?* Math. 8. n. 26. In tanta rerum commotione, debacchantibus ventis, sæviente tempestate, tumescentibus fluctibus, ita ut pene navicula mergeretur, culpatur eorũ timiditas ex modica fide? & quis prudens in tanta rerum discrimine non timeret? cur eorum modica fides arguitur? Merito sanè, quia ubi est vera fides, nulla crearurarum adversitas timetur, omnibus contrarietatibus superior est fides, à nullo potest impugnari, sed de omnibus valde secura triumphat. D. Basil. Seleucus orat. 22. ait: *O dignas Domini voces, vule fidei vim rebus conditis esse valentiorem, & ad fidei præsentiam omnem ab anima desperationem eliminari.*

106. Math. 8. *Vbi fides nullius rei est timor.* D. Basil. Seleu.

QUÆSTIO XVIII.

Quare D. Petrus non ait, quod iste claudus sanatus sit virtute potentiæ Iesu, sed exprimit in nomine Iesu?

NOmen Jesus, est nomen dicens, ac significans Deum; nam hoc nomen Jesus datum est Christo D. in primo Incarnationis instanti, in quo instanti per unionem hypostaticam naturæ humanæ unitæ cum Divina verus est Deus. Ita D. Athanas. lib. 6. de Incarnat. D. Ambros. cap. 1. Luc. Tertullianus lib. de Trinitate cap. 17. S. Thom. in epist. ad Philippens. ad illud *super omne nomen.* S. Hilarius, Gaudentius, & alii.

107. D. Atha. D. Ambr. Tertull. D. Tho. D. Hilar. D. Gaud.

Paulus Apostolus agens de sanctissimo nomine Jesu ad Philipp. 2. n. 10. ait: *Dedit illi nomen, quod est super omne nomen, ut in nomine Iesu omne genu flectatur cœlestium terrestrium, & infernorum.* Ex quo rectè inferunt Abulensis q. 7. in cap. 2. Exodi, Cornel. Tirinus, & alii ad citatum locum Pauli, quod nomen Iesu majus, sanctius, & venerabilius sit, quam ipsum nomen Dei *Tetragrammaton* Iudæis, & ineffabile, quod dicitur *Iehova*, & indicat Paulus *super omne nomen.* Et ratio fundamentalis est; quia Deus significat Deum; ut Dominus, ac omnium Creator; Iesus vero significat Deum, ut Salvator, ac omnium Redemptor est; sicut enim majus fuit beneficium Redemptionis, quam Creationis; inde majus est nomen Iesu, ut Redemptoris, quam sit

108. Philip. 2. Cornel. Tirin. *Nomen Iesu magis venerabile, quã aliud Dei nomen.*

nomen

nomen Dei, ut Creatoris: *Vnde conſuetudo laudabilis eſt in Eccleſia, quod magis honorat nomen Ieſus, quam nomen Deus: unde audito nomine Ieſu devoti fideles caput inclinant, quod non faciunt, audito nomine Deus; qui ergo contra hoc offendit dehonorando nomine Ieſus magis peccat, quam ſi dehonoret nomen Deus.* Ita Abulenſ. citatus.

109. Hoc ſanctiſſimum Jeſus nomen maximè voluit Chriſtus D. eſſe ſublimatum, & adoratum, in cœlo, & in terra, ac in Inferno, quam quodcumque aliud illius nomen, quia Chriſtus D. maximè gloriatur, quod ſit noſter Salvator, ac Redemptor; cum autem Jeſus nomen ſignificet ipſum Salvatorem, ac Redemptorem; inde in hoc nomine maximè ſibi complacet, & ut tale ab omnibus honorari, ac venerari. Secundo Alia nomina quòd ſit Æternũ Verbum, Filius Dei unigenitus à Patre, ſapientia Dei Patris, hoc habet à natura: at quod ſit Salvator, ac Redemptor ex meritis. Tertio: Ieſus, ut Redemptor, noſtra ſalus, & vita, & hoc non tantum habet in ſe, ſed etiam ſuum nomen Redemptoris Ieſus hanc voluit habere efficaciam, ut magis eſſet honorabile, ac venerabile, & ideo D. Petrus dans ſanitatem claudo, non ait in virtute, vel potentia, ſed in nomine Jeſu.

Tres rationis pro excellentia nomini Ieſus.

110. Magna virtus hujus ſanctiſſimi nominis, pro quo audiendus D. Ephrem homil. in quadraginta Martyres ad illud Pſal. 53. n. 1. *Deus in nomine tuo ſalvum me fac*, ſic ait Sanctus Pater: *Deus igitur, & quaſi ſemper, & in omni tempore ad miſericordioſiſſimum Dominum, Deus in nomine tuo ſalva nos, & mox emittet auxilium ſuum ab alto, addetque vires animabus noſtris: Hoc Daniel proclamans, in lacu etiam ferarum agreſtium fauces effugit. Huius quoque Propheta meminit Ionas in ventre Ceti, & ab omni interitu ſalvata eſt vita eius, & ex medio ardentis ignis ſanctiſſimum hoc nomen tres pueros liberavit.* Et hoc David Goliath ſuperavit dicens: *Ego venio ad te in nomine Domini*, 1. Reg. 17. n. 45.

Pſal. 53. D. Ephr.

Nomen Ieſus ad nos defendendum.

1. Reg. 17

111. Magna, & alta eſt ſublimitas, ac ſanctitas ſacratiſſimi nominis Ieſu; annuntians Angelus Divini Verbi Incarnationem, ait Virgini Mariæ: *Vocabis nomen eius Ieſum: Hic erit magnus, & Filius Altiſſimi vocabitur*, Luc. 1. n. 3. ad quæ verba præclarè notat Rupertus lib. 1. de operibus Spiritus ſancti cap. 10. & ait: *Paulo ante, vocabis nomen eius Ieſum. Hic autem vocabitur Filius Dei. Illic vocabis, hic autem vocabitur.* Et relicta ejus ſolutione, quam dedi ſuo loco lib. 1. cap. 5. q. 38. n. 103. aliter reſpondeo: Angelus ait, quod Chriſtus D. vocandus, ſeu publicandus ſit Ieſus magnus, & Filius Dei, tamen non ab iiſdem Perſonis, à Virgine Maria vocandus eſt Ieſus, ab aliis vero Filius Dei; & licet nomen Filii Dei ſit valde ſublime à multis conceditur, ut dicatur, ac primo appelletur: At nomen Ieſus adeo ſanctum, altiſſimum, & perexcelſum eſt, ut illud primùm dicere, ac publicare ſolum committatur ſacratiſſimæ Virgini ſuperelevatæ ſuper omnes puras Creaturas, gratiâ, ſanctitate, ac dignitate, & à tam ſublimi, & alta lingua ſolum erat pronuntiandum præclariſſimum nomen Ieſus.

Luc. 1. Rupert.

Magna eſt ſanctitas, ac ſublimitas nominis Ieſu.

Actor. 3. *n.* 19. Pœnitemini igitur, & convertimini, ut deleantur peccata veſtra.

Num. 20. Vt cũ venerint tempora refrigerii à conſpectu Domini, & miſerit eum, qui prædicatus eſt vobis, Jeſum Chriſtum.

Num. 21. Quem oportet quidem cœlum ſuſcipere uſque in tempora reſtitutionis omnium, quæ locutus eſt Deus.

VERSIONES.

Syrus n. 19. Pœnitentiam agite, & expurgentur.

Oecumen. Reſipiſcite quo deleantur.

Æthiopic. Nunc reſipiſcite, & baptizabimini

Syrus n. 20. Et obveniant vobis tẽpora quietis à comſpectu Dei, & mittat vobis eum, qui paratus erat, vel pradeſignatus.

Arabic. Adveniant vobis tempora quietis, & refrigerii. *Vatabl.* Refocilationis.

Tertullian. Ex perſona Dei. *Caiet.* A facie Domini.

Æthiopic. Mittet vobis Ieſum, quem perunxit.

Syrus n. 21. Quam cœlos capiat uſque ad complementum omnium temporum eorum à cœlo uſque ad tempora.

Arabicus. Cum oporteat, ut excipiatur à cœlo, uſque ad tẽpora, quæ confirmabunt uſque ad perfectionẽ omnium ſermonũ.

Vatabl. Ad tempora reſtitutionis. *Oecumen.* Ad tempora inſtaurationis.

EXPOSITIO IX

Verſ. 19. *Pœnitemini igitur.* A peccatis veſtris, & convertimini ad Chriſtũ verum Filium, & *pœnitemini* per veram pœnitentiam, & peccatorum deteſtationem, ac morum emendationem. *Vt deleantur peccata veſtra.* Syrus *ut expurgentur peccata veſtra.* Æthiopic. *Reſipiſcite, & baptizabimini.* 112. Syrus. Æthiop.

Verſ. 20. *Vt cum venerint tempora refrigerij.* Vatabl. *Refocilationis*, Syrus *Quietis.* Explicat D. Petrus præmium propoſitum pœnitentibus, tempus refrigerii ſcilicet, æternæ beatitudinis, quæ nos liberabit ab æſtu, ac fervore tot laborum, afflictionum, ac malorum hujus ſæculi. *A conſpectu Domini*, ſeu, ut legit Tertullianus *ex perſona Dei.* Caiet. *A facie Dei*, vel quia ipſa Beatitudo, de qua agitur tota conſiſtit in viſione, ac cognitione præſentiæ ac faciei vel à *conſpectu Dei*, hoc eſt ab ipſo Domino præſente conſpiciente, & judicante ſua ſententia finali, *& miſerit eum Ieſum Chriſtum*, & Pater Æternus miſerit Filium ſuum Jeſum ad judicandum; nam de judicio finali, ac reſurrectione noſtra communiter locum interpretantur Tertull. lib. de Reſurrectione, D. Chryſoſt. Oecumenius, Lyranus, & alii. 113. Vatab. Syrus. Tertull. Caiet. Tertull. D. Chryſoſt. Oecum. Lyran.

Qui prædicatus eſt, Pagnin, Vatabl. & Tigurina legunt: *Præconizatus eſt*, vel *proclamatus.* Alii. cum Tertullian. citato, D. Irenæo lib. 3. cap. 12. cum Syro *Prædeſignatus* per Prophetas de ultimo judicio. 114. Pagnin. Vatabl.

Verſ. 21. *Quem oportet quidem cœlum ſuſcipere.* Verba etiam in græco faciunt ambiguum ſenſum: Utrum ſignificetur, quod Chriſtus ſuſcipiat cœlum, an quod cœlum ſuſcipiat Chriſtum? Poſterior ſenſus verior, & aptior eſt, ut probat Bellarmin. lib. 3. de Incarnat. cap. 12. *Vſque in tempora reſtitutionis*, nempe uſque in diem judicii, in quo homo lapſus per peccatum ad immortalem Dei gloriam reſtituitur; Angelorum ruinæ reſtaurabuntur, & ſimul cum homine cœlum, terra, & elementa, totuſque orbis ſuæ primævæ integritati, incorruptioni, ac ſplendori reſtituetur, ut docent D. Paulus Rom. 8. n. 21. D. Petrus epiſt. 2. cap. 31. n. 13. Quæ ſcilicet tempora futura prædixit Deus per Prophetas ſanctos ſuos, qui à ſæculo prophetarunt, ab exordio, ac initio conditi orbis Dominus prædixit per ſuos ſanctos Prophetas. 115. Bellarm. Paul. Rom. 8. Petri. 2

QUÆST.

QUÆSTIO XIX.

Quare cum D. Petrus dicat, quod Iudæi per ignorantiam occidiſſent Chriſtum, eos tamen ad pœnitentiam exhortatur?

116. AIt. D. Petrus in præſenti numer. 17. & 19. *Et nunc ſcio, fratres, quia per ignorantiam feciſtis, ſicut & Principes veſtri; pœnitemini igitur, & convertimini.* Nam multum videtur Petrus ſibi conſtare; nam ſi ignorantia manus armavit ad execrabile ſcelus, ipſa excuſat à culpa, ad quid ergo pœnitentia?

117. Matth. 21 Iudæi Chriſtum Dominum occiderunt ex odio, & invidia juxta illud Matth. 21. num. 38. *Hic eſt hæres, venite occidamus eum, & habebimus hæreditatem ejus.* Occidunt ex invidia, ignorantes tamen, cum ignorantia quamvis craſſa, & affectata, tamen ex inde aliqualiter minuitur culpa, ut cum communi ſententia dixi ſupra expoſit. 8. num. 93. O præclara, & excelſa peritia Petri Philoſophia, o alta, & illuſtris peritia medendi, ut eos ad pœnitentiam, ac contritionem abducat, non grandia crimina objicit quibus terreat, ſed aliquales excuſationis colores intexit; quibus ineſcati offenſam agnoſcentes ad pœnitentiam deveniant, & ſalutem aſſequantur. Lyranus. *Dulciter eos alloquitur, ut verbum ejus magis recipiant, ſcio quia per ignorantiam feciſtis.* Criminis offenſam temperat, ac levat, ut fidenter veniant pœnitentes, doleantque de culpa, & *inde dulciter eos alloquitur.*

Si culpa minuitur animus allicitur ad veniam.

Lyran.

118. Cum Joſeph tenens clavum totius Ægypti eſſet agnitus à fratribus ſuis, illi maximo timore correpti, ne ob tanta in eum perpetrata crimina ulciſceretur, qui eum cogitantes interficere, captivum, ut ſervum vendiderunt in Ægyptum: Tunc eos alloquitur Ioſeph Geneſ. 45. num. 8. & ait: *Non veſtro conſilio: ſed Dei voluntate huc miſſus ſum.* Chaldæus: *Nunc non vos me miſiſtis huc, ſed à Deo miſſus ſum*, ſuam venditionem non appellat venditionem, ſed miſſionem à Deo, ut ita mitigato, ac excuſato crimine, utpote re ex alta Dei permiſſione ordinata, & venia aſſecuta, & nullum malum foret timendum, cum non venditio, ſed miſſio ex Conſilio Dei fuerit. D. Chryſoſt. ibi *Vide quomodo illos conſolatur dicens, ne ſibi ipſis adſcriberent cauſam ſui ingreſſus in Ægyptum, ſed Deum hoc feciſſe ſciant, & ita ſe in hanc veniſſe gloriam.* Oleaſter *Vbique nititur eorum malum opus excuſare.*

Geneſ. 45. Chald.

Attenuata culpa ſpes venia.

D. Chryſoſt.

Oleaſter

119. In ultima hora, tanquam in ſuo ultimo diſceſſu loquens Chriſtus Dominus cum ſuis Apoſtolis ait eis: *Filioli adhuc modicum vobiſcum ſum* Ioan. 13. num. 33. ſæpe Chriſtus verba faciens cum diſcipulis ſuis, eos dicit filios tanquam teneros; at nunc filiolos appellat parvulos, ac infirmos, ut notavit Rupertus ad dictum locum; & ait: *Vno, eodemque nomine paternam ſui amoris gratiam, & infirmam tunc temporis Apoſtolorum deſignavit Infantiam.* Cur ergo tunc temporis infirmos, ac puellulos? prævidit ſuâ ſcientiâ quod ipſi Apoſtoli in illa nocte adverſus erant prolapſuri, nam *Derelicto eo omnes fugerunt*, & ut eis Dominus dixit: *Omves vos ſcandalum patiemini in me in iſta nocte.* Inde Dominus eorum imbecillitatem attenuans, & excuſans eos dicit puellulos, & infirmos, ut ipſi poſtea cum multa confidentia ad eum accedant, cum eorum infirmitas ipſi Domino bene nota eſſet, cum eos tanquam parvulos, & infirmos bene noverat, & ita filiolos appellaverat.

Ioan. 13.

Rupert. *Chriſtus ſuos Apoſtolos filiolos dicit eos excuſans*

120 Eccl. 49. De ſancto Rege Ioſia loquens Eccleſiaſticus cap. 49. num. 3. ait: *Ipſe directus divinitus in pœnitentiam gentis.* Quæ verba ſic legit Vatabl. *Ille in populo reformando dexteritate uſus eſt, & abominabiles impietates ſuſtulit.* Ut impietas auferatur non gladio, & ferro, ſed ſagacitate utendum, ut impij ad pœnitentiam reducantur, ut docet D. Aug epiſt. 64. *Non ergo aſperè quantum exiſtimo, non duriter, non modo imperioſo iſta tolluntur, magis docendo, quam jubendo, magis monendo, quam minando, & ſi quid minamur cum dolore fiat de ſcripturis, commi-nando vindictam futuram, ne nos ipſi in noſtra poteſtate, ſed Deus ipſe in noſtro ſermone timeatur.*

Vatabl.

Sagacitate utendum, ut peccatores convertantur.

D. Aug.

QUÆSTIO XX.

Quare dicitur quod Chriſtus ſit in Cœlo uſque in diem judicij, cum ſæpe apparuerit in terris?

121. EX his verbis: *Quem oportet Cœlum ſuſcipere uſque in tempora reſtitutionis*, ſcilicet judicij. Perperam Berengarius, Calvinus, Beza contra præſentiam Chriſti in Sacramento Euchariſtiæ, tanquam ſi Chriſtus clauſus in Cœlo ſit, indeque non valeat exire; apertè errant hæretici; nam D. Petrus loquitur de præſentia Chriſti naturali, & extenſa, qua caput eſt in una parte, brachia in alia, qua ipſe Apoſtolus, aliique diſcipuli viderunt Chriſtum aſcendentem in Cœlum, cujus rei ipſi teſtes ſunt: cap. 1. num. 32. & 33. & ſedet ad dexteram Patris Marc. ultimo Præſentia Chriſti in Euchariſtia eſt valde diverſa, eſt enim ibi Chriſtus Dominus indiviſibiliter, & inviſibiliter poſitus, totus in tota hoſtia, & totus in qualibet minima parte hoſtiæ, ut tenet Catholica fides, ut latè oſtendi to. 5. in Evang. lib. 7. cap. 7. per totum.

Hæretici Præſentia Chriſti in Euchariſtia.

Actor. cap. 1. Marc. 16.

122. Cum autem dicatur de Chriſto: *Quem oportet Cœlos ſuſcipere uſque ad tempora reſtitutionis*, ſcilicet judicii, quomodo hoc poteſt ſtare cum hoc quod ipſe multoties apparuerit in terris, ut in converſione D. Pauli Actor. 9. num. 4. & quod apparens eſſet Chriſtus, aperte indicant illa verba: *Ego ſum Ieſus quem tu perſequeris.* Etiam Divo Petro; nam cum ipſe exiret à carcere rogatu aliquorum Chriſtianorum ut fugeret, apparuit ei Chriſtus, & interroganti Petro: *Domine quo vadis?* reſpondit ipſe: *Venio iterum crucifigi*, ex quo intellexit Apoſtolus Chriſti voluntatem eſſe, ut ipſe mortem Crucis ſuſtineret, rediit in carcerem, & mortem Crucis ſuſtinuit. Idem etiam tenet communis ſententia, quod in obitu Sanctiſſimæ Virginis Mariæ, Chriſtus de Cœlo deſcendit, & cum ea rurſus gloriosè aſcendit: ex multis magnis hiſtoriis conſtat, quod Chriſtus multis præclariſſimis ſanctis apparuit, ut noſtris Sancto Angelo, Alberto, Thereſiæ, & Magdalenæ de Pazi.

Actor. 9.

Chriſtus ſæpe apparuit.

123. Reſpondent aliqui primò quod Chriſtus D. potuit apparere corpore aëreo, vel imaginario, ut Deus, & Angeli apparebant Patribus Antiquis, ſed multa eſt diverſa ratio; quia Deus, & Angeli ſunt meri ſpiritus, & non poſſunt ſe exhibere humanis oculis, niſi in aliquo corpore aſſumpto: At Chriſtus D. cum ſit verus homo, habet verum corpus, quo ſe poteſt exhibere videndum, nec illud, quod dicitur de Viſione imaginaria poteſt ſubſiſtere, quia ſæpe ex tali apparitione Chriſti reſultat aliquod donum externum, ut Beato Franciſco Sthygmata, S. Catharinæ, & S. Mariæ Magdalenæ de Pazi annulus in digito. In hac re duo dicendi modi valde probabiles.

Viſio imaginaria reiicitur.

124. Primus, quod poſtquam Chriſtus Dominus aſcendit in

in Cœlum, per breve aliquod tempus apparuit in terra; in cœlo autem eſt tanquam in regno, ac throno ſuo, in quo tanquam in proprio ſuo domicilio ſe omnibus Beatis cum multa gloria exhibet videndum, cum quo ſtat non eſſe neceſſarium, quod ibi
D. Tho. Caiet. ſemper immobilis perſiſtat. Ita docet D. Thom. 1. p. q. 57. art. 6. Caiet. & alii.

125. Alter dicendi modus eſt: Ex tempore, quo Chriſtus cœlum aſcendit nunquam ab eo receſſiſſe, ſed ſemper per realem, & extenſivam ſui præſentiam ſe exhibuiſſe videndum; Nam divina virtute fieri poteſt, ut unum corpus ſit in duobus locis per ſui reproductionem, ut factum legimus cum D. Antonio Ulyſſiponenſi, & Sancto Franciſco Xaverio,
Eadem res à Deo reproduci poteſt. ita fieri potuit, ut Chriſtus exiſtens in Cœlo per ſui reproductionem apparuerit in terris ad ſuos ſervos, v. g. Petrum, & Paulum, honorandos: At vero cum Beata Virgine aſcendente in cœlum, pro tanta Domina glorificanda, ipſe Chriſtus è ſuo throno deſcendit, & excepit, ac ſecum ſedere fecit.
Suar. Vide etiam Suarez tom. 2. ad tertiam partem diſp. 1. ſect. 4. Diſputant etiam hic aliqui, an aliquando Deo permittente animæ, quæ ſunt in Cœlo, Purgatorio, vel Inferno veniant ad nos? Poſt varias ſententias quæſtionem latè tractavi in Opuſculis opuſcul. 2. reſol. 43. & partem affirmativam ſecutus ſum quæſtione 4.

Actor 3. *n.* 22. Moyſes quidem dixit: Quoniam Prophetam ſuſcitabit vobis Dominus Deus veſter de fratribus veſtris, tanquam me ipſum audietis juxta omnia, quæcumque locutus fuerit vobis.

Num. 23. Erit autem: omnis anima, quæ non audierit Prophetam illum, exterminabitur de plebe.

Num. 24. Et omnes Prophetæ à Samuele, & deinceps annuntiaverunt dies iſtos.

VERSIONES.

Arabic. n. 22. Similem mei Prophetam.

Syriac. n. 23. Peribit anima illa de populo, & extirpetur.

Æthiopic. Extermina eam à populo.

Arabicus. Quæ non obtemperabit.

Num. 24. Prædicant dies iſtos.

EXPOSITIO X.

126. Verſ. 22. *Moyſes quidem dixit*: ad confirmandam ſuperiorem doctrinam de Chriſto D. adducit D. Petrus Scripturas Prophetarum, ut fecit in ſuperioribus duabus Concionibus, & ex multis Prophetis unum Moyſen tanquam principalem citat Deuteron. 18. n. 1. & hunc
Deut. 18. Actor. 7. de Chriſto citat etiam D. Steph. infra Actor. 7. ut valde expreſſus. *Quoniam Prophetam* quem *Dominus Deus veſter*, ut Dominus Deus veſter per ſuam multam miſericordiam, ac pietatem dabit vobis tanquam me, Moyſes Legiſlator veteris Teſtamenti, Chriſtus vero Novi.

127 Verſ. 23. *Erit autem omnis anima*, ponitur principalis pars pro toto, qui non audierit Prophetam
Syrus. illum legem Evangelicam promulgantem *Exterminabitur*. Syriacus *Extirpetur de populo ſuo*; nempe de cœtu, ac congregatione Sanctorum.

128 Verſ. 24. *Et omnes Prophetæ à Samuele, & deinceps*, & quamvis antea multi fuerint, qui locuti ſunt de Chriſto D. tamen ponitur à Samuele; quia ſub ejus temporibus inceperunt Reges Iſrael, & Juda, quibus regnantibus multi Prophetæ floruerunt, qui luce meridiana clarius locuti ſunt de
D. Aug. D. Hier. Chriſto ut David, de quo ait D. Auguſt. ad Pſalm. 21. potius videtur Evangeliſta, quam Propheta, & Iſaïas, de quo ſcribit D. Hieronymus potius videtur Evangeliſta, quam Propheta.

QUÆSTIO XXI.

Quare Moyſes Prophetavit de Chriſto eſſe Prophetam ſimilem?

CItat D. Petrus de Chriſto teſtimonium Moyſis, Deuteron. 18. n. 15. *Prophetam de gente tua, & de fratribus tuis, ſicut me, ſuſcitabit tibi Dominus Deus tuus, ipſum audies.* Ubi ad literam juxta communem ſententiam loquitur de Chriſto; & quamvis Abulenſis in Numer. cap. 11. quæſt. 64. ne-
Abulenſ. get Chriſtum fuiſſe Prophetam quia de ratione Prophetæ eſt cognitio obſcura, tamen contraria ſententia eſt vera. Chriſtus fuit verè Propheta Luc. 7. num. 16. *Propheta magnus ſurrexit in nobis,* Luc. 7. Luc. 24. n. 19. *Fuit vir Propheta*: ad Prophetam non requiritur cognitio obſcura, ſed potius, ut rem prophetizatam cognoſcat in aliquo ſenſu, ideo dicebantur videntes, & hac de cauſa Balaam, & Caïphas non ſunt Prophetæ, quia non intelligebant Myſteria, quæ ſub eorum verbis continebantur, ut ex D. Thom. 2. 2. quæſt. 173. artic. 4. Notavi in Opuſculorum opuſcul. 1. Reſolut. quæſt. 8. n. 102. 103

129 *Chriſtus verè Propheta.*

130 Et dicitur: *Prophetam ſuſcitabit vobis, ſicut me.* Arabicus *ſimilem mei* ex Græco etiam legitur *illum Prophetam*, per excellentiam, illum ſupremum, ac magnum Prophetam, qui in multis fuit ſimilis Moyſi. Primo D. Auguſt. lib. 16. contra Fauſtum
D. Aug. cap. 15. quia ſicut ſimilis Moyſes fuit Legiſlator veteris Teſtamenti, ſic & Chriſtus Novi. Secundo, ſicut Moyſes eduxit populum de iugo Ægypti, ſic
Aliqua ſimilitudines. Chriſtus homines de ſervitute peccati, ac Dæmonis, liberavit, & in libertatem dedit. Tertiò Moyſes introduxit homines in terram promiſſionis, Chriſtus in Cœlum. Quartò Moyſes, & Chriſtus multa miracula fecerunt, multaſque plagas inflixerunt, ille in Pharaonem, hic in Dæmones. Quinto Moyſes præ nimia charitate deſiderabat mori pro populo, Chriſtus vero non ſolum deſideravit, ſed in effectu duriſſimam mortem ſuſtinuit pro humani generis ſalute.

131. Et ait: *De gente tua, de fratribus tuis*, ut eos magis alliciat ad Chriſtum recipiendum, & auſcultandum: Nam ut ait Caſſiodorus lib. 3. variar. Unuſquiſque velut naturæ pondere, amore, ac affectu in ſuam gentem propendit, & tanquam cum ipſa natura bibitur illa affectio, cum quibus educatur, loquitur, ac converſatione contrahit à ſua puericia.
Quilibet maximè afficitur ad ſuam gentem.

132 Cum puer Centuriani infirmaret, per Seniores Iudæorum mittens rogat ad Ieſum, ut veniens ſanaret ſervum ejus, qui Seniores accedentes ad Ieſum rogabant eum, ut veniret, & ſanaret puerum ejus, & dicunt; quia *dignus eſt, ut hoc illi præſtes, diligit gentem noſtram, & Synagogam ipſe ædificavit nobis*, Luc. 7. n. 4. Valde mirum! deprecantur Seniores Chriſtum, cur non dicunt ſolita ſua clementia, ac benignitate, ut conſueta ſua beneficentia, qua cunctos illuſtrat, etiam in præſenti impendat huic puero ſalutem, ſed tan-
Luc. 7. *Quilibet diligit diligentè ſuam gentem.*

tum dicunt : *Diligit gentem noſtram , Synagogam ipſe ædificavit nobis*. Notat D. Bonaventura ex D. Auguſtin. ſuum amorem non tantum oſtendiſſe verbis , ſed etiam operibus : Erant iſti Seniores , ac viri prudentiſſimi, & videbant quod Chriſtus D. ferventi charitate , & amore in ſuam gentem æſtuabat , & inde pro certo apud ſe ſtatuerunt , quod Chriſtus maximè erat alliciendus ad diligendum Centurionem , & ad deſideratam pueri ſanitatem concedendam ex amore , ac beneficentia impenſa in ſuos , quam ex quolibet alio motivo. D. Aug. de Catechiſ. rudibus cap.4. ait : *Quilibet diligit diligentes ſe , diligentesque ſuos.*

P. Bona. vent. D. Aug.

133. Cum Iudas Machabæus pararet bellum adverſus impium Nicanorem , & eſſet in magno diſcrimine, apparuit ei Onias , qui fuerat ſummus Sacerdos , vir bonus , ſimul vidit alium virum ætate , & gloria mirabilem , & cum interrogaſſet , quiſnam eſſet ? Reſpondit Onias : *Hic eſt fratrum amator , & populi Iſrael : hic eſt qui multum orat pro populo , & univerſa ſancta Civitate , Ieremias Propheta* , 2.Machab. cap. 15.n.14. Qui extendit, & dedit aureum gladium benedictum à Deo ; commune tamen dubium eſt , cur ex omnibus Prophetis ſolus Ieremias , cur non potius Iſaïas , Ezechiel , vel Daniel , vel alius ? Communis omnium interpretum vox eſt cum D. Paſchaſ. Ter. qui præ omnibus fuit populi ſui eximius amator , qui multum pro ipſo orabat , ejuſque ruinas maximè lamentabatur , & tam intimus impenſus , ac ſigillatus hic amor populi in Jeremia fuit , ut mors potuerit ipſum ab operationibus ſenſitivis privare , & videre , & loqui in die , & ambulare , ut amor populi ſui ita ſigillatus , ac impreſſus , permaneret , ut poſſet ipſe Propheta interire , quin ejus amor deliquium pateretur imo vivacius reviviſceret ; nam in vita ſolum Ieremias orabat , at poſt mortem non ſolum Ieremias orat , ſed inſuper impendit gladium, ad defendendum, & expugnandos, ac deſtruendos adverſarios.

2. Mach.

D. Paſch.

Amor ſui populi intimè radicatus etiã poſt mortem.

Actor.3.num. 25. Vos eſtis filii Prophetarũ, & teſtamenti , quod diſpoſuit Deus ad Patres noſtros, dicens ad Abraham , & in nomine tuo benedicentur omnes familiæ terræ.

Num. 26. Vobis primum Deus ſuſcitans Filium ſuum miſit eum, benedicentem vobis , ut convertat ſe unuſquiſque à nequitia ſua.

VERSIONES.

*Syrus n.*25. Et fœderis , quod poſuit Deus, &c. Et terræ benedictionem conſequentur.

*Syrus n.*26. Dum benediceret vobis , ſi fueritis converſi , & pœnitentiam egeritis à flagitiis veſtris , &c.

Occumen. Dum convertimini unuſquiſque à malitiis veſtris.

Vatablus. A malitioſis ſtudiis veſtris

Æthiopic. Vt reſipiſcatis à malitia operum ſuorum.

EXPOSITIO II.

134. Verſ.25. *Os eſtis filii Prophetarum.* Vehemens ad virtutem ſtimulus , majorum virtus , ne quis ab ea degeneret , & ideo dicuntur filii ſpirituales Prophetarum in fide , religione , ac doctrina , à qua non debent degenerare , ac in omnibus tenere , & ſequi. *Et teſtamenti* , Syriacus *fœderis* , & ita ſcribit D.Hieronymus lib.qq. Hebraic. in Geneſ. cap. 17. *Vbicumque in Græco legitur teſtamentum , ibi eſt fœdus , ſeu* pactum *Hebræo.* Hoc autem pactum quod in ipſo eſſent benedicendæ omnes generationes , non ſolum factum eſt poſt ſacrificium Iſaac, Geneſ.22.n.17.ut vult D.Ambroſ.lib. de Abrahamo cap. 8. ſed etiam in aliis locis , ut Geneſ. 12.n. 3. & cap. 18. n. 18. ut notarunt Pererius, & Caiet.Filii autem fœderis, ſeu promiſſionis divinæ vocantur Iudæi , ad illos pertinet fœdus principaliter , ſeu promiſſio de Chriſto Ieſu vero Meſſia, ſicut & Chriſtiani vocantur filii novi Teſtamenti , quia ad ipſos virtute ſanguinis Ieſu Chriſti pertinent omnia Sacramenta, ac cætera dona contenta in lege gratiæ.

D. Hier.

Gen.22. D Ambr. Pereira. Caiet.

135. *In ſemine tuo.* Quod exponens D. Paulus ad Galatas 3. n. 16. ait : Dictum eſſe *in ſemine , & non in ſeminibus quaſi in multis , & quaſi in uno , & ſemini tuo, qui eſt Chriſtus.* Quia nobis ſalus non in multis , ſed in uno ſolo Ieſu filio Abrahæ , & filio ex poſteris ejus. *Benedicentur.* Iuſtificabuntur , & ſalutem aſſequentur ; *omnes familiæ terræ* Benedictio Dei non eſt tantum verbalis , ut eſt hominum , ſed realis multa , & magna dona ſecum afferens , utpote beneficium ſupremi Domini , Deus ad Abraham, Geneſ.12.n.2. *Benedicam tibi , & magnificabo nomen tuum.* Sic in multis locis Geneſ. 26. n.3.&26. 2.Reg.6.n.11. & 12.Dei benedictio multa dona ſecum portat.

Ad Galatas.

Gen. 12. Gen. 26. 2. Reg.6

136. Verſ.26. *Vobis primum* , id eſt primò, ac directè , Miſſus eſt Chriſtus ad Iudæos , ut verus Meſſias promiſſus eorum Patribus , ſic dixit Chriſtus mulieri Chananææ : *Non ſum miſſus , niſi ad oves, quæ perierunt domus Iſrael* , Matth. 15.n. 24. *Suſcitans* Alludit D.Petrus ad dictum Moyſis : *Prophetam ſuſcitabit vobis Deus.* D. Chryſoſt. Oecum. ad reſurrectionem ex mortuis referunt.

Math.15 D.Chryſoſt. Oecum.

137. *Filium ſuum* : Beda ait : *illum ipſum , quem proximè antea vocaverat ſemen Abrahæ* , ſic & Lyran. filium intelligit cum relatione ad Abraham , ac ſit, *Filium ejus* : At vero ſi cum Chryſoſt. hoc referat ad reſurrectionem ſuſcitans , cum ait filium ſuum intellige filium ipſius Dei. *Benedicente* , hoc eſt benefaciente vobis. Exclama cum D. Chryſoſtomo, O ſumma , & infinita bonitas ! Qui Crucifixus eſt , ſuos crucifixores benedixit. *Convertat ſe , ut ejus benedictione fruatur* , quæ converſio pendet à noſtro libero arbitrio , quia , ut ait D. Auguſt. ſermon.15. de verbis Apoſtoli cap.11. *Qui fecit te ſine te , non juſtificabit te ſine te.*

Beda Lyran. D.Chryſoſt.

Oecum. D.Chryſoſt.

D.Aug.

CAPUT IV.

1. *Loquentibus autem illis ad populum ſuperveneruntSacerdotes , & Magiſtratus Templi , & Sadducæi.*
2. *Dolentes quod docerent populum , & annuntiarent in Ieſu reſurrectionem ex mortuis.*
3. *Et injecerunt in eos manus , & poſuerunt eos in cuſtodiam in craſtinum ; erat enim jam veſpera.*
4. *Multi autem eorum, qui audierant verbum , crediderunt , & factus eſt numerus virorum quinque millia.*

5. *Factum*

5. *Factum eſt autem in craſtinum, ut congregarentur Principes eorum, & Seniores, & Scribæ in Ieruſalem.*
6. *Et Annas Princeps Sacerdotum, & Caïphas, & Ioannes, & Alexander, & quotquot erant de genere Sacerdotali.*
7. *Et ſtatuentes eos in medio interrogabant: In qua virtute, aut in quo nomine feciſtis hoc vos?*
8. *Tunc repletus Spiritu ſancto Petrus, dixit ad eos: Principes populi, & Seniores audite.*
9. *Si nos hodie diiudicamur in benefacto hominis infirmi, in quo iſte ſalvus factus eſt.*
10. *Notum ſit omnibus vobis, & omni plebi Iſrael; quia in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti Nazareni, quem vos crucifixiſtis, quem Deus ſuſcitavit à mortuis, in hoc iſte aſtat coram vobis ſanus.*
11. *Hic eſt lapis, qui reprobatus eſt à vobis ædificantibus, qui factus eſt in caput anguli.*
12. *Et non eſt in alio aliquo ſalus. Nec enim aliud nomen eſt ſub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos ſalvos fieri.*
13. *Videntes autem Petri conſtantiam, & Ioannis, comperto, quod homines eſſent ſine litteris, & idiotæ, admirabantur, & cognoſcebant eos, quoniam cum Ieſu fuerant.*
14. *Hominem quoque videntes ſtantem cum eis, qui curatus fuerat, nihil poterant contradicere.*
15. *Iuſſerunt autem eos foras extra Concilium ſecedere, & conferebant ad invicem.*
16. *Dicentes: Quid faciemus hominibus iſtis? quoniam quidem notum ſignum factum eſt per eos omnibus habitantibus Ieruſalem: manifeſtum eſt, & non poſſumus negare.*
17. *Sed ne amplius divulgetur in populum, comminemur eis, ne ultra loquantur in nomine hoc ulli hominum.*
18. *Et vocantes eos denuntiaverunt, ne omnino loquerentur, neque docerent in nomine Ieſu.*
19. *Petrus vero, & Ioannes reſpondentes; dixerunt ad eos: ſi juſtum eſt in conſpectu Dei, vos potius audire, quam Deum, iudicate.*
20. *Non enim poſſumus, quæ vidimus, & audivimus non loqui.*
21. *At illi comminantes dimiſerunt eos: non invenientes quomodo punirent eos propter populum; quia omnes clarificabant id, quod factum fuerat in eo quod acciderat.*
22. *Annorum enim erat amplius quadraginta homo, in quo factum fuerat ſignum iſtud ſanitatis.*
23. *Dimiſſi autem venerunt ad ſuos: & annuntiaverunt eis quanta ad eos Principes Sacerdotum, & Seniores dixiſſent.*
24. *Qui cum audiſſent, unanimiter levaverunt vocem ad Deum, & dixerunt: Domine, tu es, qui feciſti cœlum, & terram, mare, & omnia, quæ in eis ſunt.*
25. *Qui Spiritu ſancto per os Patris noſtri David pueri tui dixiſti: Quare fremuerunt gentes, & populi meditati ſunt inania.*
26. *Aſtiterunt Reges terræ, & Principes convenerunt in unum adverſus Dominum, & adverſus Chriſtum eius.*
27. *Convenerunt enim verè in Civitate iſta adverſus Sanctum puerum tuum Ieſum, quem unxiſti, Herodes, & Pontius Pilatus, cum gentibus, & populis Iſrael,*
28. *Facere quæ manus tua, & Concilium tum decreverunt fieri.*
29. *Et nunc Domine reſpice in minas eorum, & da ſervis tuis cum omni fiducia loqui verbum tuum,*
30. *In eo, quod manum tuam extendas ad ſanitates, & ſigna, & prodigia fieri per nomen ſancti Filii tui Ieſu.*
31. *Et cum oraſſent, motus eſt locus, in quo erant congregati, & repleti ſunt omnes Spiritu ſancto, & loquebantur Verbum Dei cum fiducia.*
32. *Multitudinis autem credentium erat cor unum, & anima una, nec quiſquam eorum, quæ poſſidebat, aliquid ſuum eſſe dicebat, ſed erant illis omnia communia.*
33. *Et virtute magna reddebant Apoſtoli teſtimonium reſurrectionis Ieſu Chriſti Domini noſtri, & gratia magna erat in omnibus illis.*
34. *Neque enim quiſquam egens erat inter illos. Quotquot enim poſſeſſores agrorum, aut domorum erant, vendentes afferebant pretia eorum, quæ vendebant,*
35. *Et ponebant ante pedes Apoſtolorum. Dividebatur autem ſingulis prout cuique opus erat.*
36. *Ioſeph autem, qui cognominatus eſt Barnabas ab Apoſtolis (quod eſt interpretatum Filius conſolationis) Levites, Cyprius genere,*
37. *Cum haberet agrum, vendidit eum, & attulit pretium, & poſuit ante pedes Apoſtolorum.*

ARGUMENTUM.

PEtrus, & Ioannes, dum prædicant Chriſti reſurrectionem, incarcerantur, & bis vocati in Concilio, & ibi generosè, ac intrepidè Chriſti cauſam agunt, laudantes Deum redeunt ad ſuos, & novam gratiam, ac robur ab Spiritu ſancto accipiunt; Fideles ſumma concordia, ac unione inter ſe vivunt, & poſſeſſiones promiſcuè vendebant, inter quos numeratur Barnabas.

Actor. 4. n. 1. Loquentibus autem illis ad populum, ſupervenerunt Sacerdotes, & Magiſtratus Templi, & Sadducæi.

Num. 2. Dolentes, quod docerent populũ, & annuntiarent in Ieſu reſurrectionem ex mortuis.

Num. 3. Et injecerunt in eos manus, & poſuerunt eos in cuſtodiam in craſtinum, erat enim jam veſpera.

Num. 4. Multi autem eorum, qui audierant verbum, crediderunt: & factus eſt numerus virorum quinque millia

In hoc libro Lectionum varietas non multum diſcrepat à noſtra vulgata, ubi fuerit aliqua diverſitas ſimul cum expoſitione adnotabo.

Verſiones

CUM EXPOSITIONE I.

Verſ. 1. *Loquentibus autem illis ad populum.* Lucifer, *cum loquerentur ad populum.* Superiori cap. à n. 12. exprimuntur verba D. Petri; Ioannes verò ejus comes non fuit mutus, ſed etiam prædicabat ad ipſas turbas, vel ſaltem ad partem earum. 1. Lucifer.

Supervenerunt Syrus, *ſurrexerunt in eos.* Arabicus: *Aſtiterunt eis.* Tygurina *Præſto fuerunt illis.* Invidia, & odio commoti in Chriſtum. *Sacerdotes, & Magiſtratus Templi.* Syrus, *Præfecti Templi.* Arabicus, *Præfectus Templi*, Lucifer. *Pontifices Templi*, Caietanus, *Dux Templi.* Beda, *Prætor Templi.* Circa Templum erat manus militum amata cum ſuo Duce, ſeu Præfecto ad cuſtodiendum Templum, & ut omnia pacatè abſque tumultu fierent in eo de quo quæſt. ſequenti. 2. Syrus. Arabic. Tigurin. Caiet. Beda.

Et Sadducæi. hos exprimit nominatim, quia hi, cum negarent reſurrectionem mortuorum, ægrè ferebant dici quod Ieſus reſurrexerat, utpote contra falſum eorum dogma, unde ſequitur *dolentes.* 3. *Sadducæi negabant reſurrectionem.*

Verſ. 2. *Dolentes quod docerent populum*, Syrus *cum excandeſcentes eſſent*, D. Chryſoſt. *moleſtè ferentes.* Arias, *labore affecti* quod docerent populum, maximè de hoc dolebant Sadducæi, ut modo dixi. *Annuntiarent*, editio Græca concordat cum noſtra in Ieſu, non, ut aliqui legunt ad Ieſum, ſed in ablativo. In virtute, ac nomine Jeſu futuram noſtram reſurrectionem ex mortuis. Syrus, *ex domo mortuorum.* D. Chryſoſt. Arias. Græcus. Syrus.

verſ. 3. *Et injecerunt.* Arabicus, *poſuerunt manus ſuas*, & injecerunt *eos in carcerem propter utrumque*, ſcilicet quia prædicabant Chriſti reſurrectionem jam factam, & noſtram futuram; & hæc eſt prima Petri incarceratio, poſtquam multæ aliæ ſecutæ ſunt; nam, ut notavit D. Paulus 2. Corinth. 11. n. 27. muneris Apoſtolici illuſtre inſigne ſunt vincula, carceres, & labores; erat jam veſpera poſt horam nonam ab ortu ſolis, in quo claudi miraculum factum eſt, ut patet ex ſuper. cap. 3. n. 1. & 6. Ecce cauſa cur eos poſuerunt in cuſtodiam; quia jam non erat tempus, ut in judicium adducerentur, eorumque cauſa ventilaretur. 5. Arabic. 2 Cor. 11

Verſ. 4. *Multi autem eorum, qui audierant verba, & crediderant.* Audierunt cum fructu fidei. *Et factus eſt numerus virorum quinque millia;* diverſa prorſus omnino ab illis tribus millibus de quibus fit mentio cap. 2. n. 41. Ut notarunt D. Baſilius in Pſalm. 115. D. Auguſt. tract. 39. in Ioan. D. Hieronym. in cap. 40. in Iſaiam, & D. Chryſoſtom. Beda, Lyranus in præſenti, ita fervida, & ſancta Apoſtolorum prædicatione, ut in duobus diebus converſi ad fidem octo millia hominum, & cum D. Lucas hic dicat *quinque millia virorum* ſolum viros numerat, & valde probabile quod ibi eſſent multi pueri, ac mulieres, quæ converſæ fuerint ad fidem valde devotus fœmineus ſexus. 6. D. Baſil. D. Aug. D. Hier. D. Chryſoſt.

***

QUÆSTIO I.

Quare Magiſtratus Templi dabatur?

AIt Textus in præſenti quod loquentibus, ſeu prædicantibus Petro, & Ioanne, ad populum ſupervenerunt Sacerdotes, & *Magiſtratus Templi*, ſeu, ut alii legunt, ut vidimus in expoſitione: *Præfectus Templi, Dux Templi, Prætor Templi*, qui cum manu armata cuſtodiebat Templum: ejus poteſtas erat pro reis capiendis, non verò pro eis judicandis, aut condemnandis, ut tradit Sigonius lib. 3. de republica Hebraica cap. 1. hic autem Magiſtratus erat ex militibus Romanis, ut tradit idem Author, & Ioſeph lib. 15. antiquitatum cap. 14. hic autem Magiſtratus erat *in arce Antonina* quæ erat fortiſſima, & ampliſſima juxta Templum, tum ad illius cuſtodiam, tum ne Iudæi de Templo arcem facerent, & rebellarentur à Romanis, ac proinde Magiſtratus hic erat tanquam Romanorum præſidium in Ieruſalem. 7. Sigon. Ioſeph. & alii, & ad quid Magiſtratus.

Hunc Magiſtratum habuit Iudas ſecum ad comprehendendum Chriſtum, D. Luc. 22. n. 12. *Dixit autem Ieſus ad eos, qui venerunt ad ſe Principes Sacerdotum, & Magiſtratus Templi.* Theophylactus, Euthymius *Milites Templi*, & cum Iudæi petiiſſent à Pilato milites pro cuſtodia ſepulchri, ipſe reſpondit: *Habetis cuſtodiam, ite, cuſtodite, ſicut ſcitis*, Matth. 27. n. 65. per cuſtodiam intelligens hunc Magiſtratum militum Romanorum, qui erat deputatus ad cuſtodiam. Ita Nicephor. lib. 1. hiſtor. cap. 32. D. Chryſoſt homil. 83. in Matthæum. D. Auguſt. tract. 117. in Ioan. & alii, quos citavi tom. 6. in Evang. ad cap. citatum 27. Matthæi. 8. Luc. 22. Theoph Euthym Matth. 27 Ioſeph. D. Chryſoſt. D. Aug.

Cur autem iſte Magiſtratus militum ponebatur ad Templum? Communis eſt ſententia cum Caietano, quod iſte Magiſtratus militum in Templo, ad quod cum multi homines ad orationem convenirent, erat ordinatus, ne quid in eo fieret turbulentum, indecens, ac prophanum, minuſque conveniens majeſtati, ac reverentiæ cultus Divini, qui ſupra vitam erat eis in majori æſtimatione. Deplorat David Pſalmo 78. num. 1. *Deus venerunt gentes in hæreditatem tuam, polluerunt Templum ſanctum tuum, poſuerunt Ieruſalem in pomorum cuſtodiam, poſuerunt morticina ſervorum tuorum, eſcas volatilibus cœli, carnes ſervorum tuorum beſtiis terræ.* In tam ſæva, ac crudeli devaſtatione de quo magis dolet, ac lachrymatur? An quod Urbs ſua Ieruſalem fuerit devaſtata, ac ſolo æquata, an quod corpora eorum fuerint in fruſta dilacerata, dataque volatilibus cœli, & beſtiis terræ? minimè, ſed quod ſanctum Dei Templum fuerit pollutum, hoc in exordio ſui planctus, ac gemitus, tanquam de illo maximè ſe affligens, ac dolens commemorat, & ab illo, tanquam à principio omnium ſuorum malorum lachrymarum imbres incipiunt defluere. Theodoretus ibi ait: *Sapienter preces exordiri docuit, non enim ſua mala primum narrat, ſed impietatem in divinum Templum* 9. Pſal 78. *Pius magis dolet de iniuria Templi, quam de ſua morte.* Theod.

Ex Dei mandato eo ordine diſponebantur filii Iſrael per deſertum, ſinguli per turmas, ſigna, atque vexilla, & domos cognationum ſuarum *per gyrum Tabernaculum fœderis*, Numer. 2. n. 2. Eo modo ſic caſtra locata erant, ut milites cingerent Sanctuarium, quod ad illius honorem explanat Caietanus dicens: *Inſtitutus eſt hujuſmodi ſitus ad honorandum tabernaculum.* Aliter etiam Mendoz. tom. 2. ad 1. Reg. cap. 4. n. 3. ſic caſtra, & milites circunſtant Sanctuarium, ait ipſe: 10. Num. 2. Caiet Mendoz.

Vt

Pro defenſione Templi vitæ contemnenda.

Vt prius ſe ab hoſte, quam Sanctuarium expugnari paterentur. Non tabernaculum fœderis, tanquam dux itineris præcedat, ſed ſit in medio caſtrorum, & undique milites armati circunſtent, quod ſi aliqua armata manus ſupervenerit, potius ipſi omni morti, ac periculo exponantur, quam Dei Sanctuario aliquid minus decens inferatur.

11. 2. Reg. 24.

Poſtquam oratione Davidis miſertus eſt Dominus populi, & dixiſſet Angelo percutienti: *Sufficit nunc, contine manum tuam*, 2. Reg. 24. n. 16. Cum ceſſaſſet peſtilentia, in gratificatione tanti beneficii in area Jebuſæi immolavit David victimas, & poſuit ibi Altare holocauſtorum; unde multo timore perterritus non audet accedere: *Videns gladium Angeli Domini*, 1. Paralipom. cap. 21. n. 3. Jam Angelus percutiens populum peſtilentiâ reconderat in vaginа ſuum gladium, & ceſſaverat plaga: quid nunc iſte Angelus cum gladio: Scienter reſpondet Urbanus Papa ad Pſalm. 50. & ait: *Hæc eſt ara templi Sancti, juxta quam eſt Angelus ad cuſtodiam.* Dicam etiam, Angelus diſtricto gladio ad percutiendum cum peſtilentia populum ob grandia peccata, ut etiam Angelus cum gladio diſtricto ad percutiendum Sancti Templi profanatores, ac irreverentias, quæ in eo perpetrantur, ex his gravis ruina, ac præcipitium cunctis minatur in gladio Angeli.

1. Paralip. 21.

Urbanus Papa.

Angelus cuſtodiens templa contra profanatores.

12.

Oſtendens Chriſtus D. magnificentiam, & ſublimitatem templi ſuis diſcipulis, ait: *Videtis hæc: Amen dico vobis non relinquetur hîc lapis ſuper lapidem*, Math. 24. n. 1. Tunc diſcipuli quærunt: *Dic nobis, quando hæc erunt, & quod ſignum adventus tui, & conſummationis ſæculi.* Res ſanè magna ponderatione digna: Chriſtus D. locutus eſt de Templi ruina, ac deſolatione: Unde ergo Apoſtolis venit in mentem totius Orbis diſſolutio, ac devaſtatio? *Et conſummationis ſæculi.* Ratiocinatio Apoſtolica inſinuat, exciſo Templo orbem univerſum ruiturum, extremumque illius eſſe excidium, nec mundus poteſt ſtare religione loci ſacri profanata.

Math. 24

Perit orbis religione profligata.

QUÆSTIO II.

Quare in prima Concione convertit D. Petrus tria millia; in hac verò quinque millia?

13. *Difficultas quæſtionis.*

IN prima Concione, quam D. Petrus habuit poſt adventum Spiritus ſancti converſi ſunt ad fidem circiter tria millia ut patet ſupra cap. 2. num. 41. hic vero quinque millia ad fidem reducit: In prima Concione erant duodecim Apoſtoli præſentes, hic vero tantum duo Petrus, & Joannes. Ad quæſtionem

14. D. Chryſoſt. *In converſione gentium non homo ſed Deus operatur.*

Reſpondetur primò ex D. Chryſoſtom. homil. de virtute, & vitio, & ait: *Modicum fermentum Apoſtolorum magnam farinæ maſſam convertebat, quia non quantitate numeri, ſed gratia Spiritus, vim juſti ſuam tenent.* Converſio animarum, quæ eſt præclariſſimum Dei donum, non venit à numero, ac quantitate prædicantium, ſed à gratia Spiritus ſancti, quæ trahit unumquemque prout vult, ac proinde totum ad Dei gratiam reducendum, ideoque duo tot convertunt.

15. *Virtus Apoſtolica magis patiendo, quam pugnando, oſtenditur.*

Secundo: Alta Dei providentia convertit Petrus quinque millia, qui ſecum aſtabant. Futurum erat, ut Pontifices, ac Seniores populi manus iniicerent in Petrum, & Joannem, & ponerent in carcerem; quia cum haberent tot hominum millia ab adverſarius ſe poterant facile tueri, ac defendi, ſed noluerunt, quia virtus Apoſtoli magis patiendo, ſuſtinendo, ac ſufferendo, quam pugnando, ac contradicendo perſuadetur, atque oſtenditur. Sic ait Paulus 2. Corinth. 12. n. 10. *Propter quod placeo mihi in infirmitatibus, in contumeliis, in neceſſitatibus, in anguſtijs pro Chriſto; cum enim infirmor, tunc potens ſum.* Ac ſi dicat in labore, & anguſtia, & carcere nihil fortitudinis in me deperit, ſed tunc Dei gratia fortior, ac potentior ſum.

2. Cor. 12.

Tertiò per manus Apoſtolorum quinque millia hominum ſatiata ſunt panibus, quinque millia hominum interventu illorum ſunt converſa ad fidem, ut notavit Divus Hilarius apud D. Thom. in Caten. & ait: *Quia per hos erant divinæ gratiæ dona reddenda, idem autem edentium numerus inventur, qui futurus fuerat creditorum; nam ſicut in libro Apoſtolorum continetur ex Iſrael populo infirmitate virorum quinque millia crediderunt.* Idem docent D. Baſil. homil. in Pſalm. 115. D. Hieronymus ad caput 40. Iſaiæ, Divus Irenæus in cap. 1. Iſaiæ, & hic Beda, Carthuſianus, & alii in illo ſtupendo miraculo apud Ioan. cap. 6. diſtribuentes panem ſatiarunt quinque millia hominum, tot in numero illuminarunt, & in fide Chriſti inſtruxerunt, ut veri fideles in Chriſtiana religione fierent. Hoc præſtiterunt Apoſtoli tanquam primi patres, ac præſules Eccleſiæ, ut inde diſcant cæteri; quod ſi Rectores, ac Religionis majores docent, ac illuminant, probitate morum, præbeant etiam panem, & alimenta, quibus neceſſario humana vita indiget.

16. D. Hilar. D. Baſil. D. Hier. D. Iren. Joan. 6. Beda.

Qui dat doctrinâ, præbet etiam cibum.

Ioſeph ſuæ præclaræ diginitatis magnum indicium repræſentatum agnoſcens ait fratribus ſuis: *Vidi per ſomnium; putabam nos ligare manipulos in agro, & quaſi conſurgere manipulum meum.* Geneſ. 37. num. 7. Poſtea vero aliud vidit ſomnium, & ait: *Vidi quaſi Solem, & Lunam, & Stellas undecim adorare me.* Maximè ponderatione digniſſimum, quod præſagium ſui Principatus indicatur Ioſeph manipulis, Sole, & Luna ac Stellis, quæ in Cælo cum manipulis apparent. Quæ conſurgunt in terra, quænam combinatio datur in Sole, & Luna cum tritici manipulo? In Principe, ac Gubernatore multum per omnem modum; quia ſi ipſe fulget ut Sol & Luna, ut ſuos illuminet, & dirigat in ſana doctrina, etiam providentia conſurgat, ut ſui non fameſcant, ſed pane, & alimento abundent. Ad hoc reſpicit Hamerus in præſenti: *In ſigno principatus manipulus conſurgens.*

17. Geneſ. 37.

Prælatus dans doctrinam, det & panem.

Hamer.

Quarto in prima Concione poſt adventum Spiritus ſancti cap. 2. ſolum quidam obmurmurantes dixerunt: *Quia muſto pleni ſunt iſti*, at hîc in præſenti totus Reipublicæ Senatus ſe oppoſuit contra Apoſtolos; Seniores, & Magiſtratus populi injecerunt manus in Apoſtolos, eoſque in carcerem recluſerunt, bis advocati ſunt in Concilium, & gravibus minis comminati ſunt eos, ne ultra in nomine Chriſti prædicarent; tunc verò inter tot, ac tantas contradictiones, ac contrarietates, quinque millia ad fidem convertunt, multo plures, quam in alia Concione; quia quanto plures adverſitates, ac tempeſtatum impetus inſurgũt in Apoſtolicos viros, ut eos deiiciant, & opprimant, tanto magis ipſi creſcunt, & augentur, atque uberiores faciunt fructus; Eccleſia oppoſitionibus non opprimitur, ac deiicitur, ſed illis tanquam alis magis elevatur, ac ſublimatur. D. Hilar. lib. 7. de Trinit. ad initium ſic ait: *Proprium Eccleſiæ eſt, tunc vincat, cum laditur, tunc intelligat cum arguitur, tunc obtineat cum deſeritur.*

18.

Eccleſia cum oppugnatur creſcit.

D. Hilar.

Ab hac præſenti hiſtoria non diſcedo: dicitur in 1. & 2. verſ. hujus capitis, *quod videntes Seniores,* 19. Actor. 4.

Magiſtratus populi, ac Sadducæi Apoſtolos prædicantes in Chriſti nomine injecerunt in carcerem. Maximè Oecumenius rem expendit: Seniores Magiſtratus, & Sadducæi erant graviores perſonæ totius populi, cur per ſe ipſos injiciunt manus in Apoſtolos, cur non per ſatellites, vel alios miniſtros hoc ſperant fieri, quorum proprium erat officium? cur ergo Seniores, ac Pontifices ſuæ dignitatis immemores, coram tanta hominum multitudine manus in Apoſtolos mittunt? Oecumenius ait: *Coram multitudine autem Apoſtolos vinxerunt, ut eos etiam, qui viderant timidiores redderent, & eos, qui crediderant imbecilliores reddi oportebat.* Tanto impetu Pontifices, ac ſeniores Apoſtolos in vinculis alligant, ut ex tanta multitudine videntes timidores fierent, & credentes imbecilliores, ac infirmiores in fide redderent. At contra accidit; nam ipſi credentes videntes Apoſtolorum conſtantiam, & generoſitatem in Concilio, & Seniores, ac Pontifices nihil reſponſi haberent, inde ipſi facti ſunt firmiores, ac fortiores in fide clarificantes, & laudantes Apoſtolos; ut patet infra verſ. 21. & ideo Seniores ipſi, & Pontifices timore correpti Apoſtolos liberos dimiſerunt, ipſi Seniores, & Pontifices intentarunt timore opprimere credentes, atque econtra accidit, nam ipſi maximo timore repleti videntes quod omnes clarificabant Apoſtolos, ut dicitur infra verſ. 21. de hac re, quod Eccleſia dum impugnatur magis creſcit, & augmentum accipit. Multa habes in omnibus meis tomis in Sybillario verbo *Eccleſia*, & maximè 1. & 2. tom. in Apocalypſ.

Oecum. *Apoſtoli dum impugnantur magis augentur.*

Actor. 4. n. 5. Factum eſt autem in craſtinum, ut congregarentur Principes eorum, & Seniores, & Scribæ in Ieruſalem.

Num. 6. Et Annas Princeps Sacerdotum, & Caïphas, & Ioannes, & Alexander, & quotquot erant de genere Sacerdotali.

Num 7. Et ſtatuentes eos in medio interrogabant: In qua virtute, aut quo nomine feciſtis hoc vos?

EXPOSITIO II.

Cum Verſionibus.

Verſ. 5 *Factum eſt autem in craſtinum*, Syriacus *Poſtero die congregati ſunt Magiſtratus*, in Concilio, quod inſtitutum fuit à Deo, Num. 11. n. 24. Hebraïce dictum *Sanedrim*, componebatur ex 71. viris, nec omnes erant ex ſola tribu Iudæ, ut dixerunt Ioannes, & Ludovicus in temporum breviario, nec ex ſolis Sacerdotibus, ut vult Abulenſis, ſed ex duodecim tribubus eligebantur duodecim Principes, & etiam ex 24. Principibus Sacerdotum, qui totidem eorum familiis præſidebant juſſu inſtituti à Davide, 1. Paralip. cap. 15. n. 6. Hi autem Principes Sacerdotum erant illi, qui aliquando Summum Pontificatum geſſerunt, vel à Summo Pontifice gubernante nominati ſunt. Hi ſunt, qui paſſim in Evangelio, & in hoc libro Actorum vocantur Principes Sacerdotum, & in hoc Concilio *Sanedrim* condemnatus eſt Innocentiſſimus IESUS. 20. Concilii Sanedrim. Num. 11. Paralip. 15.

Seniores, qui ætate, ſapientia ac prudentia, & opinione maximè venerabiles erant, & ex hoc nomine Seniorum multi exiſtimant deduci illa vox Hiſpanica *Señor*, & *Scribæ*, qui erant viri ſapientes & Doctores, quod ex Hebræo & Græco idem valet, ac *Literati*, quorum proprium erat, ut ſæpè dixi multis in locis, ſcripturam explicare, ac interpretari. 21.

Verſ. 6. *Et Annas Princeps Sacerdotum* & prior nominatur, quàm Caïphas, utpote Senior Caïphæ genero; vel quia re vera erat tunc Summus Pontifex, nec obſtat quod Caïphas tempore paſſionis eſſet Summus Pontifex, Ioan. 11. n. 49. nam iſta duo alternativè quotannis emptum Pontificatum habebant à Romanis, Luc. 3. n. 2. Et apud Hebræos annus incipiebat menſe Niſan, id eſt Martio, ſolemniſſimo Paſchali feſto, ac proinde in Paſchate antecedenti, qui fuit ſacratiſſimus dies Reſurrectionis Chriſti finitus fuit Pontificatus Caïphæ, & incepit alter Annæ, ita hanc ſeriem Nicephorus. 22. Ioan. 11. Luc. 3.

Et Caïphas. Petrus tempore paſſionis in domo Caïphæ timore correptus unius ancillæ voce Chriſtum negavit: At vero modo gratia Spiritus ſancti corroboratus generosè, ac intrepidè coram ipſo Caïpha, ac toto Concilio Chriſti magnalia loquitur. *Et Ioannes* hic fuit unus ex quinque Annæ filiis, alio nomine Ionathas appellatus, de quo agit Iopſeph. libr. Belli Judaïci cap. 25. & poſtea etiam Pontifex creatus eſt. Niceph. 23. Ioſeph.

Alexander opibus, virtute, ac poteſtate clarebat maximè Alexandriæ, ubi erat *Halabarcha*, id eſt præfectus ſalis, ut inquit Joſephus lib. 20. antiquit cap. 3. *Et quotquot erant de genere Sacerdotalis*, Syrus legit *ex genere Summorum Pontificum*, Arabicus *ex genere Pontificatus Sacerdotalis*, erant ex genere Pontificio, hi erant Principes Sacerdotum, hoc eſt viginti quatuor familiarum Sacerdotalium capita; hi enim Principes vocabantur Pontifices, quibus præſidebat Summus Pontifex. 24. Ioſeph. Syriac. Arabicus

Verſ. 7. *Et ſtatuentes eos in medio.* Oecumen legit: *Ipſos poſitos in medio*, ut ab omnibus circumſpicerentur Apoſtoli. *Interrogabant*, Arabicus *ſciſcitati ſunt*, & dicunt *in qua virtute*, Græcus *In qua potentia* feciſtis hoc, ut notat Oecumenius per contemptum dicunt *hoc* non miraculum, ſed prodigium artis Magicæ, Dæmonis viribus exiſtimantes. 25. Oecum. Arabic. Græcus.

QVÆSTIO III.

Quare Magiſtratus interrogat Apoſtolos de operato miraculo claudi, cum valde notum eſſet fuiſſe factum in nomine Ieſu Nazaræi?

LYranus exiſtimat quod claudus ſanatus ſimul cum Apoſtolis incarceratus fuiſſet, ſimulque cum illis nunc in Cõcilio præſentaretur, & id videtur indicare pronomen *hoc*. Interrogant *Qua virtute feciſtis hoc?* qui loquendi modus videtur denotare præſentiam hominis. 26. Lyran.

Cum ergo omnibus notum eſſet miraculum fuiſſe factum in virtute nominis Ieſu; nam D. Petrus patenti, & alta voce dixit claudo cap. 3. n. 6. *In nomine Ieſu Nazaræi ſurge, & ambula*, cum ergo hoc eſſet in omnium ore ad quid interrogant? 27. *Difficultas quæſtionis.*

Reſpondent primò D. Chryſoſtom. & Oecumen. quod cum Apoſtoli eſſent habiti, ut homines idiotæ, & vincti, quod præ reverentia, ac timore Seniorum, ac Pontificum negarent aliquid ab eis fuiſſe factum, & forſitan ſciebant, quod Petrus in atrio Pontificis unius mulieris voce Magiſtrum, ac veritatem negavit, Math. 26. Sic etiam reverentia tantorum virorum contingeret, ſed eos fefellit malitia eorum gratia Spiritus ſancti ſuperveniente. 28. D. Chryſoſt. Oecum. *Pro authoritate aſſũtium non negant veritatẽ.*

Secundo D. Chryſoſtom. Iudæi ſibi perſuadebant Apoſtolos non facere miracula virtute Dei, ſed arte Magica, ac pacto Dæmonis, & quod Apoſtoli reverentia atque authoritate tantorum virorum oppreſſi talia de ſe faterentur. Chriſtus D. ab infidelibus Magicus habitus eſt, & Magicæ artis Doctor, Luc. 11. 29 Luc. 11.

Ioan. 8. *Chriſtus, & diſcipuli ab infidelibus dicebantur magici.* D. Aug. D. Hier.

num 14. Joan. 8. num. 48. ſic & Apoſtoli, ac Diſcipuli ab infidelibus, ac Idolis negantibus eorum vera miracula magni impoſtores ſunt dicti ut teſtantur D. Auguſtinus lib. 1. de Conc. Evang. cap. 8. D. Hieronymus epiſtol. 10. ad Fur. & epiſt. 29. ad Marcel. & paſſim ex Actis Sanctorum Martyrum Anaſtaſii, Sebaſtiani, ac aliorum patet, quod magici haberentur.

30. *Quiſque ex ſe alios indicat.*

Tertio Oecumen. in præſenti ſic ait: Interrogant *In qua virtute, aut in quo nomine feciſtis hoc vos; Vide autem, quam ſubdole interrogant; malebant enim Apoſtolos fateri ſuum eſſe opus, quam potentiæ Chriſti.* Iſti ſeniores, & Pontifices, cum eſſent valde ambitioſi, & honorum avidi ſui ſimiles reputabant Apoſtolos, ac proinde pro honore, & authoritate comparanda pro certo ſibi perſuadebant iniqui ſeniores, quod Petrus, & Ioannes ipſorum potentiæ, ac virtuti miraculum adſcriberent, & quamvis, ut Diſcipuli Chriſti agnoſcerentur, ſi in eis dominaretur ambitio, nec magiſter, nec Deus eſſet in reverentia, ſed contemptu.

31. 1. Reg. 8.

Cum multa probitate, & juſtitia dirigebatur Populus Iſraël per Prophetas, tamen his contemptis petierunt à Samuele Regem: *Da nobis* regem ſicut univerſæ habent nationes, ait Dominus ad Samuelem: *Audi vocem Populi, & conſtitue eis regem: non enim te abjecerunt, ſed me, ne regnem ſuper eos.* 1. Reg. 8. num. 7. Bene poterat populus ſub Regis Imperio fideliſſime Deo ſervire, & in via mandatorum ejus ambulare; obſequium quippe regis non erat impedimentum ad Dei ſervitium, cur ergo ex eo quod poſtulant regem dicitur Deus abjectus? *Non te abjecerunt, ſed me.* Vbi in cor Populi intravit ſollicitudo dominandi, conſequens erat, ut Divinitatis abjectio, & cõtemptus eos undique teneret. Cum in nobis dominandi, ac exaltandi ardor accenditur, quidquid aliud etiam Deitatis flameſcit, & perit. Noſter D. Cyrillus Alexandr. ad cap. 12. Oſeæ ait: *Non ſolum ex Ægypto eduxit Dominus Populum ſuum, ſed etiam cuſtodivit, in vero enim, & naturali Deo colendo perſtiterunt. Poſtquam autem ſub regno fuerunt, dilectioni erga Deum vale dixerunt.* Expende ultima verba *Dilectioni erga Deum vale dixerunt.*

Ardor dominãdi quia quid rũ Dei eſt extinguit, D. Cyril.

32. Matth. 20.

Cùm indignarentur Apoſtoli, quod filij Zebedæi primas Cathedras ambirent, Jesus autem vocavit eos ad ſe, & ait: *Scitis quia Principes gentium dominantur eorum.* Matth. 20. num. 25. Affectantibus Principatum proponit Dominus gentium Principes, cur non proponit principes, qui erant in populo fideli Hebraïco, quid magis eſt in principibus gentium, quam fidelibus, dum agitur de dominandi affectu. Principes gentium non ſolum ſerviunt Idolis, ſed ipſimet ſe ipſos faciunt Idola & tanquam Idola volunt adorari, & venerari contempto omni Dei cultu, quem etiam ſibi volunt ſubripere. Ad hoc tendit D. Chryſoſt. homil. 66. in Matth. ubi ait: *Gentium moris eſſe oſtendit prima quæque appetere; tyrannica enim hæc paſſio eſt, & nonnunquam etiam eximios viros perturbat.* In gentibus erat illa tyrannica ambitio, ut primatum in honoribus quærerent etiam contra Deum.

Dominãdi ambitio Deum contemnit.

QUÆSTIO IV.

Quare Caiphas tam leniter, ac ſuaviter ſe oſtendit modo cum Apoſtolis, cùm tam crudeliter, ac tyrannicè ſe habuiſſet cum Chriſto Domino in ſua paſſione.

33. Matth. 26. Ioan. 18.

CRudeliſſime ſuper omnem modum ſe habuit Caïphas in ſua paſſione cum Chriſto, cum eum blaſphemum dixit Matth. 26. n. 65. & contemptorem Pontificis habitum Ioan. 18. num. 22. & tandem eum ad mortem impiiſſimam damnavit. At verò modo cum Petro, & Joanne valde lenis, & blandus extirit, nullum in eos aſperum verbum protulit, tandemque eos liberos, ac innocuos, nulla impoſita pœna dimiſit: Vnde tanta rei differentia? Meus amantiſſimus Jesus erat tanquam manſuetus agnus coram tondente obmuteſcens, ſolus relictus à ſuis Ioan. 18. num..... At Petrus in præſenti pro ſe multa faciebat verba, ſecumque habebat octo millia hominum, qui ejus prædicatione converſi ſunt ad fidem tria millia in prima concione cap. 2. num. 41. & modo quinque milia; continuit eum in præſenti præcipuè Dei manus; deinde numeroſa populi multitudo, quam pro ſe Petrus habebat, & timuit Pontifex, ne contra ſe excitaretur, ut inde aliquod, & grave damnum pateretur, & ita dicitur verſ. 21. *Dimiſerunt eos non invenientes, quomodo punirent eos propter populum, qui eos glorificabat.*

Qui habet defenſor eſt in loco reverentiæ.

34. 3. Reg. 19.

Furibunda exardens ira impia Ieſabel contra ſanctum Parentem Eliam, & quod occidiſſet Prophetas, & Sacerdotes Baal facto juramento miſit ad Eliam: *Hæc mihi faciant Dii, & hæc addant, niſi hac hora cras poſuero animam tuam, ſicut animam unius ex illis.* 3 Reg. 19. num. 2. & tamen furore fervens Iezabel, nullam diligentiam fecit pro comprehendendo, & tenendo Elia, & quamvis ipſe fugiſſet poterat impia Regina ſua poteſtate multos milites per varias partes mittere ad eum quærendum; filij Prophetarum, cum agnoviſſent, quod Elias raptus eſſet, miſerunt quinquaginta viros fortes per varia loca ad eum perquirendum 4. Reg. 2. num. 16. filii Prophetarum deſtinant milites fortes, ut magna indagine valeant invenire Eliam, cur ergo etiam ira exardens crudelis Regina (quod facillime poterat exequi) apparitores non ordinat ad perſequendum, ac capiendum Eliam? Hic magnus Propheta timuit Iezabelem, ipſaque etiam timuit Eliam, cum videret, quod ille ſecum haberet omnem populum ex illo miraculoſo igne de cœlo delapſo in ejus ſacrificio, ita ut ex imperio Eliæ populus apprehenderit omnes Prophetas Baal 850, & eos occidit 3. Reg. 18. num. 40. Cum ergo Elias tam vehementer haberet populum ſibi adſtrictum ad ſuum nutum, timuit Iezabel aliquid contra Eliam moliri, ne populi tumultu damnum retorqueretur in ipſam, graveque detrimentum in caput eius irrueret, & ideo ſe abſtinet à perſequendo Elia.

4. Reg. 2. *Qui habet ſecum populum ab aliis timetur.* 3. Reg. 18

35. Apoc. 19.

Apertum eſt Cœlum, & venit Chriſtus Dominus veſtitus byſſino candido, in equo albo, & in capite ejus diademata multa, & ex ore ejus gladius acutus exibat, & in fœmore in veſtimento eius ſcriptum erat: *Rex Regum, Dominus Dominantium, & exercitus, qui ſunt in Cœlo ſequebantur eum.* Apocalypſ. 19. num. 14. Exiit Chriſtus in prælium contra Antichriſtum, ut notavi ibidem quæſtione 43. num. 339. & ita dicitur infra num. 19. *Vidi Beſtiam, & Reges terræ, & exercitus eorum congregatos ad faciendum prælium.* Si Dominus exiit in pugnam, ipſe ſolùm ſufficiens erat ad bellum, cùm ſit Rex Regum, & Dominus Dominantium, & quamvis cœleſtes exercitus non eſſent neceſſarij ad certamen, & ſolus Dominus per ſe ipſum eſſet abundantiſſimus, tamen ipſi exercitus cœleſtes tanquam auxiliares, ac adjutrices multum proficiebant ad bellum ad majorem terrorem, ac metum incutiendum adverſariis, ut ipſi ex magno militum apparatu maxime pavere tabeſcant, eorumque vires enerventur Divus Ambroſius. *In fine mundi inſtante, veniet Dominus cum ſanctis ſuis, ut pugnet per ipſos contra Antichriſtum, & miniſtros ſuos.* D. Amb.

Actor. 4. *n.* 8. Tunc repletus Spiritu Sancto Petrus dixit ad eos: Principes populi, & seniores audite.

Num. 9. Si nos hodie dijudicamur in beneficio hominis infirmi, in quo iste salvus factus est.

Num. 10. Notum sit omnibus vobis, & omni plebi Israel, quia in nomine Domini nostri Iesu Christi Nazaræni, quem vos Crucifixistis, quē Deus suscitavit à mortuis, in hoc iste stat coram vobis sanus.

Num. 11. Hic est lapis, qui reprobatus est à vobis ædificantibus, qui factus est in cāput anguli.

Num. 12. Et non est in alio aliquo salus; nec enim aliud nomen est sub Cœlo datū hominibus in quo oporteat nos salvos fieri.

Versiones,

CUM EXPOSITIONE III.

35. Syriac. Æthiop. Vers. 8. *TVnc repletu Spiritus Sancto Petrus.* Syriacus: *Tunc Petrus Cephas repletus Spiritu Sanctitatis.* Æthyopic. *Et plenitudo Spiritus Sancti fuit super eos*, Cum hic dicitur Petrus repletus Spiritu Sancto denotatur modo nova gratia in eo præter illam habitualem, quam ipse cum cæteris Apostolis accepit in die Pentecostes. Ad opera enim heroïca non sufficit communis, & habitualis gratia, sed nova actualis communi major, ac potentior exigitur, & hic adimpletum est; quod Christus suis Apostolis promisit: Cum judicent vos in Synagogis, &c. ne solliciti sitis quid respondeatis, aut quid dicatis: Spiritus Sanctus dabit vobis quid oporteat vos dicere Luc. 12. n. 11.

Peculiaris gratia ad opera heroïca.

Luc. 12. 36. Modestia Petri. Oecum. *Dixit ad eos, Principes populi, & seniores audite.* Multa cum modestia loquitur Petrus, & ad hos dirigit sermonem. Notat Oecumenius tanquam magis capaces; cum enim his solis est agendum. Deinde omittit scribas, & Pontifices, & solum exprimit Principes populi, & seniores, quia ad hos principaliter res pertinebat, & auditis Scribis, ut legis Doctoribus res ad Pontifices deducenda erat.

37. Syriac. D. Chrysost. Æthyop Pagnin. Tigurin. Vers. 9. *Si nos hodie diiudicamur in benefacto.* Syriacus *si vocamur in jus* propter beneficium, quod fuit in homine ægroto, D. Chrysost. Si examinamur de eo quod benefecimus homini infirmo. Æthyop. *Nos diiudicamur pro auxilio dato.* Pagninus, Tygurina *Examinamur.* Sensus est, si nos hodie discutimur, in quæstionem, examen, jus, vocamur, & examinamur. *In benefacto*, Syriacus *propter beneficium* sanitatis claudo collatum. *In quo iste salvus factus est.* Syriacus, *quo pacto sanatus est*, nempe qua vi, virtute, potestate iste sanatus est; quod interrogaverunt Iudices vers. 7. & cum dicunt Apostoli, iste salvus; ex hoc bene probatur conjectura Lytani, quod claudus simul cum Apostolis incarceratus est, & præsens aderat.

Syriac.

38. Vers. 10. *Notum sit omnibus, &c. quia in nomine Domini nostri Iesu Christi*, invocatione, ac invocata virtute Iesu Nazaræni ex oppidulo Nazareth. Vide supradicta cap. 3. vers. 6. *Quem vos crucifixistis.* Æthyop. *Quem vos suspendistis super lignum.* Libertas Apostolica in publico Senatu eis obiicit gravissimum crimen, id est mortis Christi: Veritas audax nil timet. *Quem Deus suscitavit à mortuis.* Syriacus. *Quem excitavit Deus à domo mortuorum.* Deus Pater, & Christus etiam ut Deus se ipsum suscitavit; quia tamen Iudæi tam altum mysterium Divinitatis Christi capere non poterant, ideo enim eum interfecerunt, quia se Deum, ac Filium Dei dicebat, ideo, ut notat Oecumenius, Petrus Resurrectionem Patri adscribit.

Æthyop.

Syriac.

39. Arabic. *In quo iste stat coram vobis.* Arabicus *sanus*, & *integer* verè, & non fictè, & verbum *stat* in claudo, habet peculiarem emphasim, qui antea, ut claudus jacebat, & minime se poterat erigere.

40. Syriac. Arabic. Pagnin. Arias. Ps. 117. Vers. 11. *Hic est lapis, qui reprobatus est à vobis ædificantibus*, Syriacus, *Quem reprobastis*, Arabicus *Quem Contempsistis*, Pagninus, *Qui reiectus est.* Arias *nihil habitus.* Locus est ex Psalm. 117. num. 22. locus iste ad literam intelligitur de Christo Domino Matth. 21. num. 42. Ephes. 2. num. 20. Principes, ac Pontifices Iudæorum, ad quorum officium spectabat ædificare in doctrina populum, Christum tanquam inutilem rejecerunt, sed à Deo Patre in illustrissimo loco fabricæ positus est, nempe in capite anguli, ut duos populos, nempe Iudaïcum, & gentilem coadunaret, & ex utrisque unam congregaret Ecclesiam.

41. Syriac. Æthyop. D. Cypr. Arabic. Vers. 12. *Non est in alio aliquo salus.* Syriacus. *Non est in alio Redemptio.* Æthyop. *Alia vita.* D. Cypri. *servari non posse.* Arabicus. *Neque est salus per quenquam, neque per alium.* Non est in aliquo alio salus, redemptio, vita, cujus invocatione, virtute, & potentia salutem habere, ac expectare possimus tam animæ, quam corporis, nisi in nomine, ac fide Iesu, nomen hic, & alias locis sæpe ponitur in scriptura pro re nominata, ut sæpe jam dixi.

QUÆSTIO V.

Quare Divus Petrus tam profunde, & altissimè respondet eorum nequitiam arguens, & castigans?

42. INcarcerantur Petrus, & Ioannes, vocantur in Senatum, quia claudi miraculum prædicabant factum in nomine Iesu Nazaræni, ejusque gloriosam resurrectionem testificabantur, de quo maximè dolentes erant num. 2. seu, ut jegunt Syriacus. *Excandescentes erant*, seu D. Chrysost. *male ferentes.*

Syriac. D. Chrysost.

43. Dolebant Iudæi de nomine IESV. Dolebant maximè, quod prædicarent virtutem nominis Iesu, ita dicitur infra vers. 18. *Denuntiaverunt, ne omnino loquerentur, neque docerent in nomine IESV.* At è contra Petrus virtutem hujus sanctissimi nominis alta voce annuntiat num. 12. *Nec enim aliud nomen est sub Cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri.* At proinde gloria, & exaltatione ipsius nominis eorum nequitiam, ac malitiam confundit, ac castigat.

44. Psal. 117. D. Hier. Lorin. Magnitudine nominis IESV opprimuntur adversarii. Ait Regius Vates Psalm. 117. num. 12. *Circumdederunt me sicut apes, & exarserunt sicut ignis in spinis, & in nomine Domini, quia ultus sum in eis.* D. Hieronymus legit: *Extinctæ sunt, quasi ignis in spinis*, explicat Lorinus invidia, & confusione, gloria, ac exaltatione ipsius nominis Dei, sic invidia, ac ignominia sua tabescunt, ac consumuntur tanquam ignis exardens in spinis, ita in nomine Domini, seu cum nomine Domini ultus sum in eis, illius nempe sublimitate, ac exaltatione.

45. Dolebant Iudæi de Resurrectione Christi. Secundo ægrè ferebant Christi Resurrectionem, ut dicitur vers. 2. *Dolentes, quod docerent populum, & annuntiarēt in IESV. Resurrectionem ex mortuis.* E contra vero tam Petrus hic, quam infra Sacri Apostoli vers. 33. dicitur: *Virtute magna reddebant Apostoli testimonium Resurrectionis Iesu Christi Domini nostri.* Scribitur virtute magna ob multam repugnantiam, & contradictionem, quam Iudæi faciebant contra ipsam resurrectionē, & ideo militibus custo-

dibus

dibus ſepulchri copioſam pecuniam dederunt, ut veritatem tacerent, & glorioſam reſurrectionem non publicarent Matth. 28. n. 12.

46. Sed altâ Dei providentiâ ipſa Chriſti Reſurrectio ordinata eſt ad majorem Chriſti gloriam, confuſionem, ac pœnam ſuorum inimicorum. In perſona Chriſti ait David Pſalm. 131. num. 18. *Inimicos ejus induam confuſione, ſuper ipſum efflorebit ſanctificatio mea*, Multi ex Hebræo legunt: *fulgebit corona mea.* D. Hieronymus *Diadema ejus*, nempe gloria ejus, ut explicant Arabicus, noſter Incognitus. In die Reſurrectionis ejus maximè fulget corona gloriæ ejus, à cujus confractu inimici ejus induti ſunt confuſione, pudore, ac verecundia, cum talem, ac tantum Dominum morte afficerent.

Pſal. 131. Hebr. D. Hier. *A gloria Reſurrectionis confunduntur inimici.*

47. Dicitur Pſalm. 3. num. 6. *Ego dormivi, & ſoporatus ſum, & exurrexi; quia Dominus ſuſcepit me.* Et ſubdit: *Quoniam tu percuſſiſti omnes adverſantes mihi ſine cauſa.* Chriſtus Dominus reſurrexit cum glorioſo, eximioque triumpho, ac majeſtate, quia Dominus ſuſcepit eum; quia Æternus Pater eum replevit, ac remuneravit, & idem *tu percuſſiſti omnes inimicos meos ſine cauſa.* Percuſſit omnes, qui eum innocenter, & ſine cauſa percuſſerunt, & perſequūti ſunt, eoſque confuſione, ignominia, tantorumque malefactorum pudore percuſſit. Gloſſa Ordinaria: *Regnante Eccleſia inimici confuſione percuſſi ſunt.*

Pſal. 3. *Reſurrectionis gloria percutiūtur inimici.*

48. Ait Regius Vates Pſalm. 92. num. 1. *Dominus regnavit decorem indutus eſt, induit Dominus fortitudinem, & præcinxit ſe.* Bis dicitur Dominus indutus; Primo carne Virginea in utero Sanctiſſimæ Mariæ, quæ fuit ei pro eximio decore: Secundò induit fortitudinem in die ſuæ Reſurrectionis; non de primo indumento carnis dicitur, quod præcinxiſſet ſe, quia per mortem fuit depoſitum: at de ſecundo indumento fortitudinis in die ſuæ Reſurrectionis eo perpetuo duraturo ad vincendas tribulationes paſſionis proſternendos, & deſtruendos ſuos adverſarios, dicitur *præcinxit ſe.* D. Epiphanius tom. 2. adverſ. Hæreſ. ait: *Quemadmodum is, qui ſuper lumbos præcinctus eſt, adſtringit indumentum ad lumbos ſuperfluam ſpeciem firmans: Sic primum decorem propter adventum in carne, deinde fortitudinem induit, ubi reſurrexit ex mortuis non amplius ad paſſionem humanitatis ipſius venit, & amplius ad flagella: quia ex tunc præcinxit ſe fortitudine adverſus omnes poteſtates.*

D. Epip. *Præcinctus fortitudine aduerſus hoſtes.*

Quæstio VI.

Quare Chriſtus Dominus dicitur lapis angularis in capite Anguli?

49. IN limine quæſtionis inquirendum eſt, *Quinam dicatur lapis angularis?* Villalpandus tom. 2. in Ezechiel. pag. 477. exiſtimat eſſe illum lapidem, qui eſt in ſupremo, ac ſummo loco ædificij. Tamen melius dicendum arbitror cum communi ſententia eſſe illum lapidem imum, ſuper quem totum ædificium erigitur, ac fabricatur: hoc nos docet Iſaïas 28. n. 16. dicens: *Ecce ego mittam in fundamentis Sion lapidem, lapidem probatum, angularem*, & Paul. 2. ad Epheſ. num. 20. quod omnes fideles ſunt *ſuperædificati ſuper fundamentum Apoſtolorum, & Prophetarum ipſo ſummo angulari lapide Chriſto Jeſu*, & inde Chriſtus à Paulo, ac Patribus paſſim appellatur fundamentum Eccleſiæ. Ita Lorinus, Cornel. & alij.

Villalp. *Qui ſit lapis angularis?* Iſaï. 28. Epheſ. 2.

50. Hic locus deſumptus eſt ex Pſal. 117. num. 22. quamvis Rabbini, & Chaldæi explicent præſentem locum de Davide, qui fuit rejectus à Saule, ac ſuis cohærentibus, deinde factus Rex tanquam lapis angularis Synagogæ connectens, & copulans Iudam, & Iſraëlem, nempe tam duas, quam decem tribus faciens inter ſe unum populum, unamque rempublicam, quibus imperabat, & quorum erat Rex: & ſolum de Davide poteſt explicari locus, utpote qui extitit figura, & typus Chriſti. Rabbi de. Davide.

51. Locus iſte genuinè, & ad literam eſt intelligendus de Chriſto Domino. Sic de ſe ipſo illum expoſuit Iesus Matth. 21. num. 42. Sic & ipſum explicat D. Petrus in præſenti, & in ſua prima Canon. cap. 2. 7. D. Paul. Epheſ. 2. num. 20. & omnes Patres abſque ulla differentia apud Lorinum, nam Chriſtus Dominus rejectus à toto populo Iudaïco, non ſic David; quia licèt haberet ſibi contrarium Saulem; & ejus aſſeclas, tamen habebat pro ſe, & qui ejus cauſam ageret Ionatham, Micholem, & tota domus Iuda ſequebatur David 2. Reg. 2. num. 10. At Chriſtus Dominus totum populum Iudaicum habebat ſibi adverſarium, nempe ſummos Sacerdotes Pontifices, Magiſtratus, ac ſeniores populi Scribas, & Phariſæos, qui erant ædificantes, ut in lege, ejuſque præceptis inſtruerent, ac ædificarent populum: ab ipſis ædificatoribus Synagogæ reprobatur Chriſtus: in ipſo tanquam lapide angulari Deus Pater coadunavit utrumque populum Iudaïcum, & gentilem in una fide, in uno Baptiſmate. *Ad literam de Chriſto Domino.* Matth. 21. 1. Petr. 2. Epheſ. 2. 2 Reg. 2.

52. Frequenter Chriſtus Dominus in Scriptura multis in locis dicitur petra 1. Corinth. 10. num. 4. *Petra autem erat Chriſtus*, & petra fortiſſima, quæ nunquam corrumpetur, & duratura eſt in æternum, & ita appellatur ſaxum duriſſimum Deuteron. 32. n. 13. *Oleum de ſaxo duriſſimo*, ſcilicet Chriſto Domino, ut explicat D. Gregor. homil. 26. in Evang. dicitur & lapis angularis, ut paret ex locis citatis Scripturæ. D. Hieronym. lib. 5. in Iſaïam cap. 19. ait: *Idioma ſcripturarum eſt, ut angulare pro regno ponant: eo quod populos contineat quaſi in tota domo firmamentum ſit. Unde Chriſtus Dominus duorum populorum parietes continens lapis dicitur angularis*, quia duos continet, & copulat in ſe. 1. Cor. 10. *Chriſtus petra angularis.* Deut. 32. D. Greg. D. Hier. Iſaï. 19.

53. Secundò Arnobius ad citatum Pſalm. 117. ſic ait: *Ii dum ædificant, pervenerunt ad lapidem angularem, qui duos parietes amplectebatur, ut duos conderet in ſemetipſo, quia ipſi in uno pariete ſtare volebant, reprobaverunt lapidem, qui non erat aptus ad unum, ſed ad duos.* Valde mirum quod præclariſſimum lapidem ædificantes reprobaſſent, quia dum operi incumbunt Iudæi, habuerunt lapidem pretioſum, & apprime expolitum, qui ſolus totius ædificij poterat eſſe illuſtriſſimum ornamentum, tamen ædificantes altâ Dei providentiâ, neſcientes quid faciebant, reprobaverunt, quia ille lapis meus Jeſus non erat ad unum tantum, ſed ad multos ditandos, ac locupletandos ſuâ gratiâ, ac donis cœleſtibus: *quia non erat aptus ad unum, ſed ad duos.* Dei dona non in uno coarctantur, ſed ad omnes, ac plures ſe extendunt, pro quo vide multa in Sybillario, verbo Domini, in noſtris libris. Arnobi. *Dei dona ad plures extenduntur.*

54. Tertio Arnobius citatus ait: ædificantes erant Iudæi ſuper univerſam faciem terræ; omnes autem gentes in deſtructione Idolorum morabantur, *Soli Iudæi ſub omnipotente, & vero Deo ædificationem legis, & prophetæ tractabant.* Ecce qui ædificabant, & qui deſtruebant, qui ſub omnipotente Deo vivebant ei ſervientes ejuſque divinis mandatis obtemperantes, doctrinamque Prophetarum ſequentes, hi verè ædificant in Chriſto, ut cum ipſo perpetuo maneant: qui autem non Deo, ſed Idolis, ac mundo adhærentes non ædificant, ſed in ruinas, ac præcipitium ruunt. Arnobi. *Qui in lege Dei vivunt ſibi ædificant in Cœlo.*

Ait

55. Ait Regius Vates Psalm.17. num. 4. *Qui perficit pedes meos tanquam cervorum, & super excelsa statuens me.* Duo inter se repugnantia exoptat Propheta, pedes velocissimos cervorum, & stationem firmam, ac stabilem, *statuens me in excelsis.* Vnum enim sequitur ex alio pedes cervorum ad velocissimè conculcanda, quæ in terra degunt, serpentes, dracones, & aspides; & habitationem in excelsis: qui habet pedes cervorum ad conculcanda terrena, ac venenosa vitia draconum, ac leonum, quæ contra Dei legem sunt, & observans illius mandata, hic sibi ædificat habitationem cum Deo in excelsis. Eusebius in Catena Græca ait: *Etsi alii nos trahere, & in abrupta, & profunda vitiorum deprimere obvenire nequeant, Deus tamen nostri certaminis præses docet nos adversum celeres esse, & illius gratia ad summa, & excelsa nobis consentanea impellit.* Expende *celeres esse, & ad summa, & excelsa impellit nos.*

Qui conculcant terrena, à Deo. elevantur. Eusebius

56. Consummato opere totius universi dicitur Genes. 2. num. 2. *Requievit die septimo ab universo opere, quod patrarat.* Numquid Deus similis est humano opifici, qui è fatigatione, ac labore requiescere dicitur? nullo modo: Qua ergo de causa dicitur quod requievit Deus, cum nunquam sit fatigatus, sed pro nostra instructione, quod ille, qui die septimo, Sabbatho nempe, vult requiescere cum Deo in sua æterna gloria prius debet præmittere operationem ad fabricandam ipsam æternam requiem, illiusque domicilium. Origenes lib. 6. contra Celsum sic ait: *Nescit quinam sit ille post sex dies à mundo condito secuturus dies Sabbathi, in quo cuncti, qui sex illis diebus opera sua perfecerunt, nihil illarum prætermiserunt, quæ pertinent ad suum officium, cum Deo feriabantur, ascendentes ad spectacula, & justorum, & Beatorum celebritatem,* quasi diceret, qui bene operabantur. Post sex dies requiescit Dominus, quia illi, qui cum eo bene operati sunt, cum isto etiam requiescent. Vide quæ dixi tom. 4. in Evang. cap. 34. quæstione 4. de operariis ad vineam.

Deus nos inducit, & excitat ad operandũ. Origen.

QVÆSTIO VII.

Quare tam asseveranter, ac firmiter ait Divus Petrus quod in solo sanctissimo nomine IESV sit salus?

57. PRæclarissimè, ac constantissimè affirmat Divus Petrus, quia in solo Iesu ponitur nomen pro re nominata: est nobis salus, vita, & omnia bona ait Sancta Anima: *Dilectus meus totus desiderabilis.* In eo enim sunt omnia desiderabilia, & præter ipsum nihil est desiderabile. Guillelm. Abbas apud Delrium ait: *Totus ergo est desiderabilis; id est in Divinitate simul, & Humanitate. Quippe in humanitate plenitudo Redemptionis, & salutis est. In Divinitate enim plenitudo Divinitatis: Omnis itaque sufficientia nostra in ipso est, & propterea nihil desiderabile præter ipsum, desideratur in eo quod homo ad salutem, desideratur in eo quod Deus ad Beatitudinem, solus igitur ille desiderabilis est, sed & totus, quia plenissime solus sufficit.* Omnia sunt in ipso, & præter ipsum nihil desiderabile.

Cant. 5. num. 16. Guille in Delrium.

In IESV omnia desiderabilia.

58. Multis miseriis, ac laboribus oppressus in hoc luctuoso lacu afflictionis, & angustiarum Rex David, adhuc tamen recognoscens Divinam erga se bonitatem dicebat: Psalm. 39. num. 2. *Eduxit me de lacu miseriæ, & de luto fæcis.* Et unde illi tanta felicitas, ut à tot, ac tantis malis liber, victoriosusque consurgeret? Ipse explicat immediatè subdens: *Statuit super petram pedes meos.* vers. 3. Positus fuit à Dei gratia in firmissima Petra Iesu, cùm tantam protectionem assecutus est, statim omnium malorum triumphator exivit; Habe tecum Iesum, & ab omni perversitate securus eris; in eo enim est omnium bonorum stabilitas, ac copia; ad hoc tendit Nicolaus Primus Summus Pontifex in Resp. 62. Bulgaris recenter ad fidem conversis, qui dicebant se habere lapidem ad remedium infirmitatum, tunc sic ait Pontifex: *Nos tamquam vobis consulentibus de cætero sic agendum, an respuendum, respondemus quoties omnis lapidis sumptus penitus prohibeatur, & in solo illo lapide Domino Nostro IESV CHRISTO, quem reprobaverunt ædificantes, spes tota salutis humanæ ponatur, & tamquam à fortissimo recuperandæ fortitudinis nostræ remedium expectemus.*

Qui habet fecit IESVM omnium malorũ triumphator exibit.

Ait Regius Vates Psalm. 4. num. 7. *Quis ostendit nobis bona? Signatum est super nos lumen vultûs tui Domine.* Sollicitus est Propheta in agnoscendo, quis sit ille, qui indicavit omne bonum, & ait: *Lumen vultus tui Domine*, nempe lumen vultus Æterni Parentis, & quodnam est lumen istud vultus Æterni? Christus Iesus, qui est *splendor gloriæ Patris* Hebræor. 1. num. 3. qui cum secum habeat omnia bona, ille nobis ostendit, ut mereamur ut nobis illa exhibeat, & illa nobis infundat. D. Ambros. lib. 3. epist. 11. sic ait: *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine; qui autem lumen vultus Patris, nisi splendor gloriæ, & imago invisibilis Dei. Ipse ergo Dominus IESVS summum bonum, hoc bonum veniat in anima nostra, quod propitius Deus dat petentibus se, hic est thesaurus noster, hic est vita nostra, hic est sapientia nostra, justitia nostra, Pastor noster, & Pastor bonus. Vide quanta bona in uno bono.*

59. Psal. 4.

Hebr. 1.

In IESV omne bonum. D. Amb.

Hanc plenitudinem omnium bonorum in Iesu jam à principio voluit Deus manifestare. De Agno Sacrificando mandavit Deus Filiis Israël Exod 12. num. 6. *Servabitis eum usque ad quartam decimam diem mensis hujus: Immolavitque eum universa multitudo filiorum Israël*: Omnia plena sunt mysterio, cur Agnus non aliter disponebatur immolandus, nisi in die decima quarta, quid habet hic dies præ cæteris? Dies decima quarta est Luna plena, jam tunc in Sacrificio Agni immolati simul demonstrabatur plenitudo omnium bonorum Ecclesiæ, à qua omnes ejus filij impinguantur. & replentur. D. Athanas. Synaita lib. 5. examer, ait: *In illa die quarta decima luna in principio, eo die jussus est Israel imprimis sacrificare Pascha in typum Christi: si ergo Agnus Christum figurabat, est perspicuum, quod lunæ quoque dies, quo est plena Luna significat plenitudinem Ecclesiæ, propter quam Christus est sacrificatus.* In quo est omnis plenitudo nostra, & à quo omnes nos pleni sumus, ut ait Apostol. ad Collossens. 1. num. 19. *In ipso, scilicet IESV complacuit omnem plenitudinem inhabitare.* Vide quæ supra dixi sup. capite tertio quæstione 11. numer. 57. & quæstione 18. num. 101. 102. 103. & 104.

60. Exod. 12.

In IESV omnium bonorum plenitudo. D. Atha. Synaita.

Coloss.

Actor. 4. num. 13. Videntes autem Petri constantiam, & Ioannis, comperto, quod homines essent sine literis, & idiotæ admirabantur, & cognoscebant eos, quoniam cum Jesu fuerant.

Num. 14. Hominem quoque videntes stantem cum eis, qui curatus fuerat, nihil poterant contradicere.

Num. 15. Iusserunt eos foras extra Concilium secedere, & conferebant ad invicem.

Versiones

Verſiones

CVM EXPOSITIONE IV.

61. D. Chryſoſt. Pagnin. Tigurin. Origen. Lyran. Æthyop. Arabic.

Verſ. 13. *Videntes autem Petri conſtantiam.* D. Chryſoſt. *libertatem*, Origenes *fiduciam*, Pagnin. & Tigurina. *In dicendo audaciam: Quia*, ait Lyranus, *in nullo ſtupebant, nec terrebantur cognoſcentes eos eſſe homines ſine literis.* Æthyopicus. *Cum vidiſſent promptos, ut publicè loquerentur.* Arabic. *Eos eſſe ignaros ſcripturæ*, erant enim homines carentes ſcientia acquiſita, nullum habentes illius ſtudium, & tamen promptè, & expeditè allegabant ſcripturam.

62. Græcus. Beda. Hugo. Pagnin. Tigurin.

Idiotæ. Græcus *illiterati*, qui propriâ linguâ contentus nullum habuit ſtudium litterarum. Ita Beda, vel alii deducunt *Idiota* à verbo *Idus*, id eſt *diviſus*. Cardinalis Hugo. Qui omnino diviſus, ac ſeparatus eſt ab omni ſtudio literarum. *Admirabantur, ſeu ſtupebant*, unde illis tanta audacia, & ſcientia, ac fortitudo: *Cognoſcebant eos quoniam cum IESV fuerant.* Pagninus, & Tigurina, *Eos fuiſſe diſcipulos IESV*, & cum ipſo ſtabant, vel cum Jesus prædicaret, vel ambularet.

63. Syriac. D. Chryſoſt. Syriac.

Verſ. 14. *Hominem videntes ſtantem cum eis.* Syriacus *ſtans cum eis claudus, qui ſanatus fuerat.* Maximè laudandus eſt claudus hic de ſua gratitudine cum D. Chryſoſtomo, qui ſemper comitatus eſt Apoſtolos ſibi benefactores, in carcere, & in Concilio. *Nihil poterant contradicere* Syriacus: *Nec habebant prætextum dicendi contra*, nam claudus ſanatus, erat evidens miraculi teſtimonium; aliunde candida ſimplicitas, probitas, ac ſincera virtus, audacia, ac efficacia in dicendo Apoſtolorum cum multis aliis circunſtantiis evidenter demonſtrabant nihil poſſe præſumi, ne dici quidem de arte magica.

Syriac. Arabic.

Verſ. 15. *Iuſſerunt autem eos foras extra Concilium ſedere* Syriacus *Vt exirent à Synagoga eorum.* Ubſentibus illis melius inter ſe poſſent conferre, quid faciendum foret. *Et conferebant ad invicem.* Arabicus *conſultarent alter cum altero.*

QVÆSTIO VIII.

Quare Petri, & Ioannis conſtantia in tanta admiratione erat coram tota Synagoga?

64. *Admirabilis Petri, & Ioannis conſtantia.* D. Chryſoſt.

ADerat in præſenti totus Senatus Synagogæ, Summus Sacerdos, Pontifices, Seniores, Magiſtratus templi, ac multi Scribæ, & Phariſæi, & tamen ſoli duo Petrus, & Joannes intrepidè, & generosè contra eos omnes Chriſti magnalia loquuntur, de quibus, ut tacerent vocabantur in judicium, quorum conſtantiam conſiderãs D. Chryſoſtomus in præſenti ait: *Non verbis ſolis monſtrabant non curare ſe de quibus judicentur, & quod extrema intententur pericula, ſed etiam habitu, & voce, & aſpectu in ſummam omnibus libertatem apud Populum demonſtrabant per ea, quæ loquebantur.* Apoſtoli non ſolum verbis expeditis, ſed etiam aſpectu abſque ulla coloris mutatione, voce abſque ulla trepidatione, pedeque fixo imperterriti totum ipſum judicium contemnentes conſtantiam, & valorem animi indicabant.

65. Prov. 28. *Iuſtus nõ timet.* D. Greg. Pſal. 90.

Ut dicitur Proverb. 28. num. 2. *Iuſtus quaſi Leo confidens, abſque terrore erit.* Quæ verba expendens D. Gregor. lib. 31. Moral. cap. 4. ait: *In occurſu beſtiarum Leo non trepidat, quia prævalere ſe omnibus non ignorat, unde viri iuſti ſecuritas recte Leoni comparatur*, quod late proſequitur Sanctus Doctor, nititur in Deo, ac ejus veritate. Pſalm. 90. num. 5. *Scuto circumdabit te veritas ejus*, ſcutum autem veritatis fortius, ac validius eſt quocũque alio militari.

66. *Vna pueri vox pro veritate hic iuſtitia pro toto orbe.*

Petrus, & Ioannes duo tantum, ſtant contrà totum Senatum, ac contra totam Rempublicam Iudaïcam, & nil mirum, quod ſic firmiter adſtarent; cauſam enim juſtitiæ, & veritatis agebat. Totus Populus Iſraël coadunatus condemnat Suſannam, ut fœdatam acerbo crimine; & quis totius Populi furentis impetum poterit cohibere? quis? Unius pueri vox pro veritate, & juſtitia. Ait Textus: *Suſcitavit Deus Spiritum Sanctum pueri, junioris, cujus nomen Daniel, & exclamavit voce magna: mundus ſum à ſanguine huius, & converſus eſt populus.* Daniel. 13. n. 41. mirum ſanè, quod univerſus Populus conglobatus, furore ſuccenſus, in unam inſontem Suſannam quaſi Leo rapax vellet deſævire: tam ferveſcentem animorum furorem comprimit, ac reprimit unius pueri vox, ut cauſa audiatur, & examinetur; & licet vox fuerit unius pueri; vox erat pro juſtitia, & veritate, quæ innocentem liberavit, eique juſtitiam ſervavit, & in eam à populo infamiam, ac dedecus conceptum propulſavit. Divus Ambroſius lib. 2. de Virgine ait: *Daniel ſpectaturus ſupplicium Suſannæ advenit, & quem Populus damnavit, unus abſolvit.* Vnus parvulus pro juſtitia, & veritate à confluente populo ab olvit. Nota quod nunquam Daniel dicitur puer junior, niſi modo, nec quando explicat ſomnia Nabuchodonoſoris, nec quando expoſuit Viſionem Balthazaris, nec quando ſupra Satrapas conſtituitur, vel quando inter Leones mittitur, ſed modò cùm pro juſtitia, ac veritate ſtat, ipſamque defendit: Vt Spiritus Sanctus denotaret, quod contra totum regnum, pro juſtitia, ac veritate unus puellulus ſufficiens, atque abundans ſit ad ipſam juſtitiam, veritatemque defendendam, & ejus cauſam agendam, *quam populus damnavit, unius abſolvit.* Daniel. 13.

67. Iudith. 8 *Magnâ vis iuſtitiæ, & veritatis in manu debili.*

Bethulienſes magno timore Holofernis conterriti, Ozias Sacerdos, majores, ac Principes populi facto Concilio determinant intra quinque dies ei tradere civitatem, quod cum agnoviſſet Iudith eos ad ſe advocat, & reprehendit, brevibuſque verbis, ac rationibus paucis eos convincit, eorumque conſilium mutare, & ab illo deſiſtere facit: *Et dixerunt illi Ozias, & presbyteri; omnia, quæ locuta es, vera ſunt, & non eſt in ſermonibus tuis ulla reprehenſio; nunc ora pro nobis.* Iudith. 8. num. 28. Quod Senatus totius Populi cum majoribus presbiteris, ac ſacerdotibus decreverat, unius mulieris voce, quæ in domo ſua clauſa, negotiis forenſibus omnino ſequeſtrata erat, totum mutetur, omneſque majorem ſuum fateantur errorem, (quod eſt difficilimum,) non tam mirum, cum illa pro iuſtitia, ac veritate pugnaret, cujus vis tam valida eſt, ut etiam in manu tenui, ac debili robur habeat ad ſubiiciendum. Lyran. ait: *Hic ponitur locutionis Iudith gratioſæ effectus, nam ei conſenſerunt Principes, & presbyteri tanquam manifeſtæ veritati.*

Actor. num. 16. Dicentes quid faciemus hominibus iſtis? Quoniam quidem notum ſignum factum eſt per eos omnibus habitantibus Ieruſalem: manifeſtum eſt, & non poſſumus negare.

Num. 17. Sed ne amplius divulgetur in populum, comminemur eis, ne ultra loquantur in nomine hoc ulli hominum.

Num 18. Et vocantes eos denuntiaverunt ne omnino loquerentur, neque docerent in nomine Iesu.

Verſiones,

Versiones,

CUM EXPOSITIONE V.

68. Vers. 16. *Videntes quid faciemus.* Verba sunt hæc animi perplexi ac dubitantis de resolutione sequenda, & ille villicus dicebat, *quid faciam* Luc. 16. Pelusi. *quia Dominus meus aufert à me villicationem.* Luc. 16. num. 13. sic isti dicebant, *quid faciemus*, & ut ait Isidorus Pelusi. libro tertio epist. *Verba hæc victis conveniunt non vincentibus*, sed re vera Magistratus, ut ait Lyran. præsentia claudi, & constanti asseveratione Petri, ac Ioannis, ac magno astantium testimonio, in quorum præsentia miraculum fuit perpatratum.

69. Interlin. *De hominibus istis.* Glossa Interlinealis ait: *per contemptum, quasi illiteratis*, ac nullius momenti, vel quia præ odio, & invidia eorum nomen non poterant habere in ore, vel quia omnino erant indigni, ut eorum ora tantum Petri, ac Ioannis nomen caperent, *manifestum est, & non possumus negare.* Arabicus *res est perspicua.* Æthyopicus *conspicuum signum.* Divus Chrysostomus. *Inficiari non possumus*, & aliunde eos incarcerare, ac punire non poterant, quia populus clarificabat eos. Infra vers. 21. & omnia, quæ in hoc apparebant, erant proba, & sancta, & miseri hoc cognoscunt, & fatentur, & nolunt credere in Christo, uti & Chrysostomus ponderat Carthusianus: *Obcæcavit eos malitia eorum.*

Arabic. Æthyop. D. Chrysost. Carthus.

70. Syriac. Vers. 17. *Sed ne amplius divulgetur in populum.* Syriacus *sed ne amplius exeat fama hæc*, tam in Jerusalem, quàm in toto regno: Malitia insipiens, & stulta est, volebant extinguere nomen Iesu in populo, quo populus in ejus vita multa beneficia acceperat, & modo per Apostolos accipit, *Comminemur eis.* Arabicus *Interminemur & minemur eis* Græcus *minis comminemur.* Pagninus *minaciter interminemur*, quæ geminatio emphatica est, & magnam indicat vim, in minis multam efficaciam, & capitalis erat pœna teste Lyrano.

Arabic. Græcus. Pagnin. Lyran.

71. Syriac. Oecum. *Ne ultra loquamur in nomine hoc.* Syriacus *Ne ultra loquantur sub nomine hoc.* Oecumenius *de Nomine hoc*, sive invocando, sive prædicando. En manifesta invidia, & apertum odium, prohibent sanctum, ac salutiferum nomen Iesu in populo invocari, à quo tanquam oleum effusum universa beneficia manabant, potius volebant suos infirmitatibus & doloribus vexari, quam Divinum Iesu nomen celebrari ac invocari ab ullo homine, sive Iudæo, sive Græco, ait Glossa Interlinealis.

Interlin.

72. Syriac. Pagnin. Arabic. Vers. 18. *Et vocantes eos denuntiaverunt* Syrius, Pagninus *Præceperunt.* Arabicus *Accercitis illis insserunt.* Non contenti sunt simplici admonitione, sed rigido, ac forti mandato sub capitali pœna præceperunt: *Ne omnino loquerentur, neque docerent in nomine IESV.* Vatablus: *Ne docerent sub nomine IESV.* Æthyopicus *comminati sunt eos, nunquam alloquimini, & non docebitis quenquam.* Non prohibent miraculum claudi; cum enim claudus valde notus esset, valdeque nota ejus miraculosa sanitas, sed solum prohibent evulgari, ac diu sanctissimum nomen Iesu præ odio, ac invidia, qua contra hoc sacrosanctum nomen fremebant.

Vatabl. Æthiop.

QUÆSTIO IX.

Quare auditis Petro, & Ioanne Magistratus Israeliticus tam perplexus, ac timidus est?

73. CUm Petrus, & Ioannes cum tanta constantia, ac generositate coram toto pleno Senatu, & alta, & intrepida voce publicabant claudi miraculum factum fuisse in nomine Iesu, & hujus sanctissimi nominis multa magnalia publicabant, non est aliud nomen, in quo nos oporteat salvos fieri, tunc totus Senatus gravissimorum virorum totus perplexus, ac tremebundus dicebat: *Quid faciemus hominibus istis?* Vnde illis tanta timiditas, ac perplexitas. *Difficultas quæstionis.*

74. Respondeo primo, quod illa Apostolorum præsentia omni sanctitate, virtute, ac gratia repleta arguebat, confundebat, ac terrore concutiebat omnium illorum animos. Salomon factus Rex vocavit ad se Semei, & ait illi: *Ædifica ibi domum in Ierusalem, & habita ibi, & non egredieris inde huc, atque illuc: quacumque die egressus fueris, & transieris torrentem Cedron, scito te interficiendum.* 3. Reg. 2. num. 36. Recte ponderat Doctissimus Mag. Didacus de Baeza tom. 4. de Christo figurato lib. 8. cap. 13. §. 7. Cur maluit Salomon ut iste Semei maxime Ierosolymis habitaret facto juramento, non exeundi in aliam suæ ditionis civitatem? Semei gravissima crimina commisit contra Davidem Patrem Salomonis cum fugeret à facie Absalonis, cum maledictione pessima; dicens eum *Virum Belial, virũ sanguinum, spargentem lapides contra David.* 2. Reg. 16. n. 7. Cur ergo iste tam facinorosus erit habitator Ierusalem? Solent Reges, ac Principes à sua curia homines nefarios, ac criminosos relegare; & ingressum in illam vetare, cur ergo Salomon terribilem Semei à sua curia non abjecit, sed in ea vult clausum detineri? In sancta civitate Ierusalem erant multi viri, auctoritate, virtute, ac scientia, & probitate pleni incessanter magnificantes opera Davidis, canentes quotidie ejus Psalmos; igitur ibi inter eos permaneat Semei, ut de sua maleficentia arguatur, confundatur, deque suis iniquis factis multo pudore afficiatur. 3. Reg. 2. 2. Reg. 16. *Præsentia justorum arguit, & confundit iniquos.*

75. Secundo: Vnde huic Senatui, in quo erant omnes majores populi, Summus Sacerdos, Pontifices, Principes, Magistratus militum, & Seniores populi cum cæteris tanta perplexitas, ut in nullo possent stare fixo pede, ex eorum nempe malitia, ac nequitia, quia, ut dicitur Sapient. 17. num. 10. *Cum sit timida nequitia dat testimonium in condemnationem.* D. Gregorius 27. Moral. cap. 18. legit *condemnationi*, seu, ut legit D. Bonavent. *data est in omnium condemnationem* cum iniquitas sit timida, omnia opera ejus abeant in condemnationem, ac reprobationem, quia ab ipso timido nil validum, securum, ac fixum potest provenire, & ideo ad rem vertit Syrus: *Quoniam malitia eorum testatur de illis, & condemnat eos, quia fecerunt mala.* *Iniquitas timida.* Sapient. 17. D. Greg. D. Bona. Syrus.

76. Cum Herodes audisset Regem natum Iudæorum ad quem adorandum Stella duce venerunt Magi: *Turbatus est* & quid tunc? *Iratus est valde* & mittens occidit omnes pueros, qui erant in Bethlem, & in omnibus finibus ejus, Matthæi 2. num. 16. Inexecrabilis extitit crudelitas Herodis, ut occideret plusquam tria millia puerorum, ad hæc tamen accipe, & considera verba Magni Augustini tract. 115. in Ioannem, & ait: *Herodes ille maior, cum Christus natus nuntiaretur, expavit, & tot infantes, ut ad eum mors perveniret, occidit, timendo magis, quam irascendo crudelior.* Hoc crudelissimum facinus, quod Herodes occideret tres mille pueros innocentes, processit in eo ex timore: *Turbatus est* & ex ira *iratus est valde.* Tamen quid in eo extitit crudelius, metus, an ira: *Timendo magis, quam irascendo crudelior?* metus in mala, & sæva conscientia, nullum turpe factum veretur, sed & omne malum aggreditur, ut ita illud valeat effugere, quod timet. Math. 2. *In Herode crudelior timor, quam ira.* D. Aug.

Postquam

77. Poſtquam Caïn occidiſſet fratrem ſuum Abel vocatus à Deo in judicium ait Caïn ad Deum : *Omnis, qui invenerit me occidet me*, Geneſ. 4. numer. 14. Vnde huic homini talis in mentem venit cogitatio, quod à quocumque eſſet occidendus : Omnes, qui erant in mundo, vel erant filii Caïn, vel ejus conſobrini filii fratris ſui, à quibus ergo timet mortem ſibi infligi ? Caïn totus malitia, ac nequitia plenus inde totus timore, ac terrore repletus mortem timebat à quolibet etiam intimo amico, atque adſtrictiſſimo conſanguineo. Procopius. *Primo omnium miſerum terrebat futuri cogitatio, exiſtimabat enim viciſſitudinem quandam fore*, quemadmodum ipſe turpiter cædem conſiderat, ſic & ſe à poſteris interficiendum cogitabat.

Geneſ. 4.

Iniquus ſemper timidus.

Procop.

QUÆSTIO X.

Quare contra verba Apoſtolorum ſapientes ſcribæ, ſeniores, nec reſpondent, nec dant aliquam rationem ?

78. Astiterunt in Concilio valde generoſo, ac conſtanti animo Petrus, & Joannes Chriſti magnalia prædicantes, ejus nempe glorioſam Reſurrectionem juſtificantes, celſitudinem nominis Jeſu, quod non ſit aliud nomen, in quo ſit ſalus, & vita, & quod ſit lapis angularis, in quo totius Eccleſiæ fundamentum innititur. Præſens Concilium hæc omnia volebat extinguere in Chriſto Domino, cur ergo ad verba Apoſtolorum, cum ibi eſſent ſapientes populi, non reſpondent, nec opponunt aliquid, vel cur ſuæ nequitiæ, ac perverſitatis non reddunt aliquam rationem, ſed in his obmuteſcunt.

Difficultas quæſtionis.

79. Reſpondeo verba Apoſtolorum erant veriſſima, malitia Phariſæorum nequiſſima, & falſiſſima, proprium autem eſt nequitiæ, ac falſitatis, ut apparente veritate omnino pereat, obmuteſcat, ac diſſipetur Pſalm. 61. numero decimo dicitur : *Veruntamen vani filij hominum, mendaces filij hominum in ſtateris, ut decipiant ipſi de vanitate in id ipſum, nolite ſperare in iniquitate.* Iniquitas tota de mendacio vivit, cur homines mendaciſſimi in ſuarum falſitatum iniquitate non ſperabant, cum ipſa iniquitate, ac falſitate multa, & magna ſibi comparaverint, & valde magnifici facti ſunt, cur igitur in via eis tam proficua non ſperabunt ? Recte dicitur *mendaces filij hominum in ſtateris*, quia cogitat plus ponderis habere in ſtatera iniquitas falſitatis, quam probitas veritatis, quæ cum nunquam poſſit vinci, exorta veritate ſtatim omnis iniquitas corruit, perit, ac deſtruitur. D. Auguſtin. ibi ait : *Nolite ſperare ſuper iniquitatem, vana eſt iniquitas, nihil eſt iniquitas, potens non eſt, niſi juſtitia, occultari poteſt ad tempus veritas, vinci non poteſt, florere poteſt ad tempus iniquitas, permanere non poteſt.* Expende verba : *Occultari poteſt ad tempus veritas, vinci non poteſt.*

Pſal. 61.

A conſpectu veritatis iniquitas, & falſitas pereunt.

D. Aug.

80. Ait Iſaïas 2. numer. 20. *In die illa proiiciat homo idola argenti ſui, & ſimulacra auri ſui, quæ fecerat ſibi, ut adoraret*, & quænam erit dies illa, in qua homo idola ſua fecerat magno ſumptu ex pretioſa materia auri, & argenti, & multis expenſis ob illorum magnam æſtimationem ; tamen dies illa ſubitò cum Chriſti veritas apparuit ad illud tempus refertur, ſtatim omnis idolorum falſitas toto cum auro, & argento, in contemptum ſunt habita, & pro nihilo reputantur. Tertullianus lib. 3. contra Marci. ait : *Genus hominum dilucidata per Chriſtum veritate idola proiecit.* Idem fere noſter Divus Cyrillus Alexandrinus. Quamvis falſitas, ac nequitia pompoſo, ac triumphali apparatu prodeat, & exeat in lucem, ſtatim omnia illa obtenebrantur, pereunt, ac diſſipantur relucente veritate.

Iſaïas 2.

Exo-ta veritate Chriſti

Cum Jacob accepiſſet à filiis ſuis falſam, & commentitiam mortem Joſeph, oſtenſa ejus tunica hædi ſanguine tincta Geneſ. 37. numer. 34. multis perfuſus lachrymis dicebat : *Deſcendam lugens ad filium meum in Infernum.* Ad mortem uſque proſequar eum lachrymis, poſtea verò cum de ejus vita nuntium accepiſſet, ac de ejus dominatione in Ægypto ait Textus Geneſ. 45. numer. 27. *Revixit Spiritus ejus.* Conſidera quid importet falſitas, quid veritas ? falſitas tenebras mortis *Deſcendam lugens ad infernum*, at veritas diſſipat ipſas tenebras, & importat Spiritus vitæ. *Revixit Spiritus ejus.* Quia falſitas regnat in tenebris, quas deſtruit veritas ; mendacium introducit tenebras, & mortem, veritas lucem, & vitam. Lyppomanus ait : *Splendor lucis, qui erat in eo, etiamſi extinctus penitus non eſſet, tunc cum obtulerunt filij ejus tunicam Joſeph hædi ſanguine maculatam, & mendacio eorum decipi potuit dicens. Deſcendam lugens in infernum ad filium meum, propter hæc quoque nunc ſuſcitatur, & reviviſcit Spiritus eius.*

81. Gen. 37.

Gen. 45

Lyppo.

Actor 4. *num.* 19. Petrus vero & Joannes reſpondentes dixerunt ad eos: ſi juſtum eſt in conſpectu Dei vos potius audire, quam Deum, judicate.

Num. 20. Non enim poſſumus quæ vidimus, & audivimus non loqui.

Num. 21. At illi comminantes dimiſerunt eos, non invenientes quomodo punirent eos propter populum ; quia omnes clarificabant id, quod factum fuerat in eo, quod acciderat.

Verſiones,

CVM EXPOSITIONE VI.

Verſ. 19 *Petrus vero, & Ioannes reſpondentes.* Tot minis impoſitis non expaveſcunt Apoſtoli, *ſi juſtum eſt in conſpectu Dei.* Syriacus *Si ſit rectum coram Deo.* Arabicus, *An ſit res juſta.* magnam vim habent hæc verba, *coram Deo, in conſpectu Dei*, quibus frequenter utuntur Prophetæ, ut Parens Helias 3. Reg. 18. numer. 1. qui præ oculis habent Deum ſpectatorem recte judicãt, & faciunt. *Vos potius audire, quam Deum* : Tanquam ſi dicant Apoſtoli, vos præcipitis numero antecedenti 18. ut non loquamur, nec annuntiemus nomen Ieſu ; Deus autem præcepit nobis prædicare, ac teſtificari in omnibus gentibus Ieſum Chriſtum eſſe Filium Dei, & ejus prædicationem confirmare multis miraculis, cui ſit obediendum vobis, an Deo, judicate.

82. Syriac. Arabic.

3 Reg. 18 Æthyop

83.

Verſ. 20. *Non enim poſſumus, quæ vidimus, &c.* Arabic. *Nobis enim eſt impoſſibile.* Æthyop. *non poſſumus occultare* Ipſe Dominus Jeſus antequam aſcenderet in Cœlum Act. 1. n. 8. nobis præcepit : *Vos eritis mihi teſtes in Ieruſalem, Samaria uſque ad ultimum terræ* eorum, quæ vidiſtis in me, & audiſtis ex ore meo, ac proinde ejus mandatum non poſſumus prærerire, ut ait Lyran. *licite* alii bona conſcientia *Iudicate* cui obediendum nobis, an Deo ?

Arabic. Æthyop

Actor. 1.

Lyran.

Verſ. 21. *At illi comminantes dimiſerunt eos.* multis minis interpoſitis : *non invenientes quomodo punirent eos.* Syriacus *Interminati ſunt, & cauſam, quam ponerent in capite eorum.* Arabicus *cum non inveniſſent occaſionem adverſus eos.* Æthyopicus

84. Syriac. Arabic. æthiop

cum non habuissent aliquod, in quo condemnarent eos. Tanta erat probitas, ac sincera virtus Sanctorum Apostolorum, ut etiam malitia Pharisaica non posset aliquem prætextum invenire ad eos arguendos, ac puniendos, & maxime quia timuit aliquam seditionem, & commotionem populi contra se, ut subditur: *Propter populum; quia omnes glorificabant id, quod factum fuerat.* Arabicus: Glorificaverunt ob miraculum, quod factum fuerat. Lucifer. *Honorificabant Deum in facto* claudi, confitentes omnes, ut ait Lyranus, factum fuisse virtute Divina; nam illud Deo attribuebant: ecce in populo plus sapientiæ, & pietatis, quam in principibus.

Arabic. Lucifer.

QUÆSTIO XI.

Quare Sacri Apostoli coram toto pleno Concilio contemptis eius mandatis, & minis, constanter affirmant ab ipsis nomen Iesu, & eius opera esse prædicanda?

85. ET patet supra ex vers. 18. Concilium præcepit Apostolis ne prædicarent, nec annuntiarent in populo nomen Jesu; at illi responderunt hoc non posse fieri ab eis, cum accepissent mandatum à Deo, illud sanctissimum nomen publicare, ut dixi in expositione ad vers. 19. & potius obediendum est Deo, quam hominibus: Unde ait D. Bernard. epist. 7. *Quid enim quod jubet homo, prohibet Deus, ego audiam hominem, surdus Deo?* & ideo Apostoli non tenebantur obedire Synagogæ, ac ejus Pontificibus, quia præcipiebant contra Dei mandatum.

Obediendum Deo.

86. Secundo: Sacri Apostoli jam non erant subditi Synagogæ, atque illius ministris, eo quod promulgato Evangelio in die Pentecostes, mortua est Synagoga, & omnis auctoritas illius Pontificum periit, & extincta fuit, & proinde Apostoli creati sunt à Deo principes super omnem terram, ideoque nulli erant subjecti.

Apostoli non subditi alicui.

87. Tertio Apostoli adveniente Spiritu Sancto, fuerunt repleti illius gratia, ac timore, & ubi intrat divinus timor, omnis alius timor expellitur, Apostolus Ioannes epist. 1. cap. 4. num. 18. *Perfecta charitas foras mittit timorem*: est timor Filialis Dei, & est timor servilis rerum nempe temporalium, perfecta charitas, quæ fundatur in timore Filiali Dei omnem alium timorem temporalium excludit, quo maxime Apostoli ante adventum Spiritus Sancti erant fatigati. Ait Ioannes de eis capit. 2. num. 19. *Cum ergo die illo fores essent clausæ, ubi erant discipuli congregati propter metum Iudæorum*: nunc vero postquam Divinus Spiritus eos suo timore replevit, coram toto magistratu Iudæorum stant Petrus, & Ioannes impertertriti Christi magnalia, & ejus sanctissimi nominis contemptis omnibus minis alta voce prædicantes.

Charitas foras mittit timorem. 1. Ioan. 4

Ioan. 2.

88. Cap. 11. n. 2. ait Isaïas de Christo Domino: *Requiescet super eum Spiritus Domini, Spiritus sapientiæ, & intellectus, Spiritus consilij, & fortitudinis, Spiritus scientiæ, & pietatis: & replebit eum Spiritus timoris Domini.* Magno discrimine, de aliis Divini Spiritus donis de sapientia, intellectu; ac fortitudine, ad de timore loquitur. De aliis spiritibus ait quod requiescent in eo; At de timore *Replebit eum Spiritus Domini*: Illud, quod est repletum non aliquid aliud secum admittit, divinus timor non secum paritur alium timorem mundanum, sed illud foras expellit: Cassianus collat. 1. cap. 13. ait: Dixerat *Replebit eum Spiritus timoris Domini, tantæ ubertatis eius est magnitudo, ut quem semel sua virtute possederit non partem, sed totam eius occupat mentem. Nec immerito, illa enim, quæ nunquam excidit, adhærens charitati, non solum replet, sed etiam perpetua, & inseparabilis possidet jugitate, nullis oblectationibus imminutus*, quas secum non patitur, sed foras expellit.

Isaias 11.

Divinus timor alios temporales timores expellit.

Cassian

89. Vehemens, & furibunda tempestas insequitur fugitivum Ionam, oppressi nautæ, & quærentes causam, cur tantum illis obvenisset malum, datisque sortibus deprehensus est Ionas, ut sævientis maris causa, & radix: Congregati nautæ ab eo sciscitantur quisnam esset, & cujus instituti, quibus ille respondit cap. 1. n. 9. *Dominum Deum Cœli ego timeo, qui fecit mare, & aridam*, & statim subdit: *Tollite me, & mittite in mare, & cessabit mare à vobis.* Valde miranda sunt hominis verba? ipse contra se profert sententiam, & ut mittatur in mare proclamat, cur non timet sævientem illius procellam, undarũ voraginem, & aquarum impetum? Timebat Deum, *Deum Cœli ego timeo*, & timor Dei in eo omnem alium timorem excutiebat, nec naufragium, nec quodcumque aliud malum ei formidini erat, certus scilicet, quod cum timore Dei omnia vinceret D. Zeno serm. de Timore ait. *Ionas timens Dominum spontaneum* non timet adire naufragium.

Ionas. 1.

Vbi timor Domini nil aliud timetur.

D. Zeno.

QUÆSTIO XII.

Quare ad verba Petri, & Ioannis Senatus Iudaicus minas iactat, ab illis se devictum manifestat, & declarat?

90. VAlde injuriosum est in disputationibus ad minas, & contumelias pro ratione confugere; sic mandatum datum fuit à Concilio ne in nomine Iesu prædicarent, quibus Apostoli dixerunt, hoc non posse ab eis observari, cùm haberent à Deo præceptum Sanctissimum Iesu nomen annuntiandi; nam oportet Deo obedire; quid ad hæc Concilium Iudæorum; rationem non rationibus diluit, sed ad minas, *Comminantes eos*, & forte ad contumelias confugit, quæ aliquorum consuetudo est, cùm se adstrictos argumentorum rationali laqueo vident, in contumelias, ac minas prorumpunt, ardorem iræ pro rationibus substituunt, in quo se victos, ac dejectos ab adversariis fatentur, ut in præsenti Concilium Iudæorum, cùm rationibus Apostolorum prostratum se agnosceret, ad minas, & contumelias se recepit.

Devictus in disputatione iactat contumeliosa verba.

91. Venit meus Iesus in Synagogam, cumque ei datus fuisset Isaïæ liber, qui apertus scriptum habebat locum: *Spiritus Domini super me propter quod unxit me evangelizare pauperibus misit me, &c.* & cum complicuisset librum: *Cœpit dicere: ad illos; quia hodie adimpleta est scriptura in auribus vestris.* Luc. 4. n. 21. at astantes, cũ intelligerent quòd de se ipso loquebatur, dicebant: nonne hic est Filius Ioseph. n. 23. & inde majori furore rabidi, *ducebant eum ad supercilium montis, ut præcipitarent eum.* n. 29. Vnde tanta ira, tantus eorum furor contra Christum, si locum Isaïa explicavit de se ipso? cur Doctores Synagogæ non insurgunt locum non de ipso, sed de alio explicandum, cum se ipsos victos agnoscunt, & non habent quid contradicant, ac opponant, injuriosa verba ac præcipitia quærunt, & dicunt: *nonne hic est Filius Ioseph.* D. Chrysost. homil. 49. in Matth. ait: *Parvipendunt ipsum, eo quod putabatur Filius Ioseph*, inde pro ira, & odio ducunt extra civitatem, ut præcipitarent. Auctor Græcus in Catena D. Thomæ ait: *Pro eo quod dixerat hodie completa est hæc prophetia, arbitrati sunt quod se ipsum compararet, & ideo indignabantur, & fugant eum extra civitatem.*

Cum se homines victos agnoscũt ad opprobria cõfugiunt.

D. Chrysost.

Græcus.

In

92. In quadam concione Chriſtus Dominus ſapientiâ Patris Judæos convicit, & ſua ipſorum pervicacia nolebãt credere, & auſcultare ejus verba, tũc ait illis Ioan. 8. Ieſus: *Si veritatem dico vobis quare non creditis mihi.* Ioã. 8. n. 45. Chriſtus ait: Quare juxta optimã diſpoſitionem ad illam interrogationem *Quare non creditis?* proferendus erat prætextus ſuæ credulitatis, ob quam ejus verba non recipiebant, nec audiebant, ſed quid dicunt: *Reſponderunt ergo Judæi: nonne bene dicimus nos, quia Samaritanus es tu, & dæmonium habes.* Cum non habeant, nec verba, nec rationes, quibus ſatisfaciant, contumeliis, ac injuriis, humana libertatis aſtutia rationum robur intendit obfuſcare, ac ſupprimere. Ad hoc ſpectat Caſſiodorus lib. 1. epiſt. 27. *Ad injurias tunc proſiliunt cum ſe ſuperatos turpiter erubeſcunt.*

Judæi pro ratione injurias ſubſtituunt.

Caſſiod.

QVÆSTIO XIII.

Quare Sacri Apoſtoli ipſoſmet adverſarios judices appellant?

93. PRohibet concilium Synagogæ nomen Ieſu prædicari, ac doceri ab Apoſtolis; qui reſpondent ſe de ejus prædicatione habere mandatum à Deo, cui oportet obedire, & dicunt, *Iudicate.* Eos in hac re conſtituunt judices, & nullam major veritatis comprobatio, quam ipſos adverſarios judices appellare, ut docent noſter D. Cyrillus Alexandr. D. Hieron. Procopius, Beda ad loca citanda Iſaïæ, & Ieremiæ.

Iudex ex adverſariis probatio veritatis.

94. Ait Dominus per Iſaïam 5. n. 3. *Nunc ergo habitatores Ieruſalem, & viri Iuda, judicate inter me, & vineam meam, quid eſt quod ultra debui facere vineæ meæ, & non feci.* Et Ieremiæ 2. n. 4. ait: *Audite verba Domini domus Iacob, & omnes cognationes domus Iſrael: Hæc dicit Dominus: quid invenerunt Patres veſtri in me iniquitatis quia elongaverunt à me.* Mich. 6. n. 2. dicitur: Audiant montes judicium Domini, & fortia fundamenta terræ, quia judicium Domini cum populo ſuo, & cũ Iſrael dijudicabitur. Populo meus quid feci tibi, aut quid moleſtus fui tibi, reſponde mihi? Sic & paſſim Prophetæ pro majori ſuæ probitatis, ac integritatis comprobatione à populo ſibi adverſario requirebant teſtimonia, ſic Moyſes Num. 16. n. 15. Samuel 1. Reg. 12. n. 3. Iob. 31. n. 7.

Iſai. 5. Ierem. 2. Mich. 6 Num 16 1 Reg. 12 Iob. 31.

95. Et tandem ipſe Dominus Ieſus dicebat Iudæis: *Quis ex vobis arguet me de peccato.* Ioan. 8. n. 46. & de illis agricolis vineæ, qui ſervos Domini interfecerũt, & tandem ejus filium occiderunt, & cum ſub parabola ipſi Iudæi intelligerentur, ab eis quærit Chriſtus, quid faciet Dominus vineæ veniens de illis agricolis: *Aiunt illi: malos male perdet, & vineam ſuam locabit aliis agricolis, qui reddant ei fructum temporibus ſuis.* Matth. 21. num. 41. Ecce miſeri tamquam conſtituti judices à Chriſto contra ſeipſos proferũt ſententiam, quod vinea, ſeu regnum ab eis ſit auferendum; tanta enim eſt vis, & efficacia veritatis, quæ nullis poteſt impedimẽtis teneri, quin aliquãdo fulgeat, & reſplendeat, veluti ſol, qui nubiũ impedimẽta ſua virtute rumpit, & mortalium oculis apparet, ſic veritas mendacii caligines diſſipat, ut juſtorum oculis niteat. D. Chryſoſt. homil. 40. in Matth. in Imperfect. Quid dicerent: malos male perdet, ait, *non fuit illorum, quod juſte judicaverunt, ſed ipſius cauſæ; eſt enim cauſa veritatis, quæ quaſi violentiam illis facit, ut non poſſint ea celare, ſicut ſole in nubibus conſtituto, hoc, quod eſt dies, non ut nubium permittentium eam apparere ſuper terram, ſed virtus ſolis, quæ tranſiens nubes, etiam impedientibus eis apparet.*

Matth. 21

Veritas nulla malitia poteſt obſcurari. D. Chryſoſt.

96. Ait Chriſtus D. Matth. 24. n. 27. *ſicut fulgur exit ab Oriente, & paret uſque ad Occidentem, ita erit & adventus filii hominis.* Quæ verba commentans Origenes homil. 30. ait: *Huic fulguri ſimilis eſt filii hominis adventus, id eſt verbum veritatis.* Et quid habet verbum veritatis cum fulgure? Quamvis nubila condẽſa tenebritate conglomerata cœlum à mortaliũ oculis abducunt, ſic licet veritas falſitate, ac mendacio conſtringatur, ac prematur, tamen hoc habet Verbũ veritatis inter tot tenebras, ut ſemper ejus lux emittat, ut ab amicis, ac probis ſemper dignoſcatur.

Matth. 24 Origen.

Actor. 4. *num.* 22. Annorum enim erat amplius quadraginta homo in quo factum fuerat ſignum iſtud ſanitatis.

Num. 23. Dimiſſi autem venerunt ad ſuos, & annuntiaverunt eis, quanta ad eos Principes Sacerdotũ, & ſeniores dixiſſẽt.

Num. 24. Qui cum audiſſent unanimiter levaverunt vocem ad Deum. & dixerunt: Domine, tu es, qui feciſti Cœlum, & terram mare, & omnia, quæ in eis ſunt.

Verſiones

CUM EXPOSITIONE VII.

Verſ. 22. *Annorum enim erat amplius quadraginta homo*, quia, ut patet ſupra cap. 3. n. 2. claudus erat ab utero Matris, & inde ejus infirmitas, cum eſſet habitualis, & à natura inſita difficilior erat curatione, cumque eſſet per tantum tempus claudus ejus infirmitas valde nota erat, & cum tantæ eſſet ætatis quadraginta annorum ejus teſtimonium magnæ erat auctoritatis, *In quo factum fuerat ſignum iſtud curationis.* Æthiopicus: *Super quem* factum fuerat ſignum vitæ. 97. Æthiop. 98.

Verſ. 23. *Dimiſſi autem.* Non innocentes declarati, ſed tantum à pœna abſoluti, & liberi, *venerunt ad ſuos.* Syriacus *ad fratres ſuos*, alii ex Græco *ad domeſticos ſuos.* Quia inde: *Annuntiaverunt.* Lucifer *Retulerunt* eis *quanta.* Pagnin. & Tigurina *Quæcumque* Tamen noſtra vulgata explicatius habet *quanta*, quæ ſignificat valde magna, & gravia juxta illud Luc. 4. n. 25. *Quanta audivimus facta in Capharnaum.* Iob. 13. n. 21. *Quantas habeo iniquitates.* Syriac. Græcus. Pagnin. Tigurin. Luc. 4. Iob. 13. 99.

Verſ. 24. *Qui cum audiſſent* Petri, & Ioannis conſtantiam, generoſitatem, atque audaciam. *Vnanimiter levaverunt vocem ad Deum.* Syriacus *ſuſtulerunt vocem ſuam ſimul.* D. Chryſoſt. Oecumenius *ad cor animi*, melius tamen Lyran. ait: quod corde, & voce laudaverunt, & nota, quod laudaverunt Petrum, & Ioannem de ſua conſtantia, & audacia, ſed Deum utpote auctorem omnium donorum, & Apoſtoli omnes laudaverunt Deum uno corde, & ore ſimul, quod non potuit fieri ſine magno miraculo: *Quia tu feciſti Cœlum, & terram, & mare*, hæc expreſſe nominant tamquam præcipuas Orbis partes cum his, quæ in eis continentur. Syriac. D. Chryſoſt. Oecum. Lyran.

Opera bona Deo referẽda.

Actor. 4. *n.* 25. Qui Spiritu Sãcto per os Patris noſtri David pueri tui dixiſti: Quare fremuerunt gentes, & populi meditati ſunt inania?

Num. 26. Aſtiterunt Reges terræ, & Principes convenerunt in unum adverſus Dominum, & adverſus Chriſtum ejus.

Num. 27. Convenerunt enim verè in civitate iſta adverſus Sanctum puerum tuum Ieſum, quem unxiſti, Herodes, & Pontius Pilatus cum gentibus, & populis Iſrael.

Num. 28. Facere quæ manus tua, & conſiliũ tuum decreverunt fieri.

Verſiones,

CVM EXPOSITIONE VIII.

100. Verſ.25. *Vi Spiritu Sancto.* Pro his, quæ Petrus, & Ioannes fecerunt in Concilio Iudæorum, quod eos ſuis rationibus devincerent, laudant Apoſtoli Deum cum Pſalm. 2. *Qui Spiritu Sancto.* Syrus *per manum Spiritus Sanctitatis* ipſo Divino Spiritu repletus. *Pueri tui,* Græcus *ſervi tui,* Hebraïcus, frequenter pueri ponuntur pro ſervis. *Quare fremuerunt gentes, & populi meditati ſunt inania.* Arabicus: *Quare tumultuaverunt gentes, & dilitaverunt populi falſitatis.* Ibidem magno tumultu, ac concitatione congregatæ ſunt gentes, nempe Gentiles; & populi, nempe Iudæorum. *Meditati ſunt inania.* Græcus *Vacua,* Hebræus *fruſtra,* inaniter. Credebant ſuis Conciliis poſſe concludere Chriſtum, ſed eorum conſilia fuerunt vacua, & fruſtranea ſine ullo effectu.

Syrus, Græcus. Arabic. Græcus. Hebr.

101. Verſ.26. *Aſtiterunt Reges terræ.* Hebraïcus, *Erexerunt ſe* Syrus *inſurrexerunt ſe Reges terræ,* nempe Herodes, ut inquit Lyra, qui Matth. 14.n.19. dicitur & Pilatus, qui in Iudæa vices Imperatoris gerebat, *& principes Iudæorum nempe, ac Sacerdotum.* Adverſus Dominum, nempe adverſus ipſum Deum, qui Filium ſuum Ieſum Chriſtum regem conſtituit, *& adverſus Chriſtum ejus,* ab ipſo Deo Patre conſtitutum Regem.

Hebraïc. Syrus. Lyran. Math. 14

102. Verſ.27. *Convenerunt enim vere in civitate adverſus, &c.* Syriacus *Congregati ſunt vere adverſus Sanctum Filium tuum.* Ita legunt etiam Tertullianus, & Hilarius, & ita ipſimet Apoſtoli explicant infra verſ. 30. *quem unxiſti* unctione gratiæ, & unionis Hypoſtaticæ. Cum gentibus, utpote Pilato, ac Magiſtratu templi, de quo dixi ſupra verſ.1. *& populis Iſrael* Iudæis nempe.

Syriac. Tertull. Hilar.

103. Verſ.28. *Facere quæ manus tua.* Syriacus: *Voluntas tua.* Arabicus Dextera tua, *manus tua* id eſt, potentia, providentia, & directio tua, *& conſilium tuum,* id eſt tua alta, & infinita ſapientia, ac ſcientia, & præſentia, qua ab æterno prævidit, quod ſi Chriſtus in tali occaſione poſitus argueret, & increpareret peccata Iudæorum ab ipſis erat occidendus. Tunc Deus poſuit Filium ſuum Ieſum in tali occaſione præcipiens, & ut acceptaret mortem inferendam à Iudæis, & voluit permittere peccatum Iudæorum, & mortem Chriſti ab eis illatam, quam Deus ſua infinita bonitate ordinavit in ſalutem generis humani, & in exaltationẽ ſui ipſius, ac ejus Eccleſiæ, quod egregiè explicat D.Leo ſerm. 16. de paſſione.

Syriac. Arabic. D.Leo.

QUÆSTIO XIV.

Quare tanta fuit cæcitas, & malitia in regibus, ac principibus, ut contra Deum, ac Chriſtum ejus inſurrexerint?

104. VAlde ſtupendum facinus? quod Reges, ac Principes audeant ſe erigere atque opponere contra Deum, ad quod reſpondet D. Chryſoſt. ad citatũ locum Pſalmi: *Quemadmodum cæcus una virga pugnat cum divite, & paupere, cum ſervo, & libero, ita aliquando Iudæi, & Græci, & gentes incredulitate cæcutientes in Prophetas, & Chriſtum bellum ſimiliter geſſerunt.* Primo iſti Prophetas occiderunt, deinde ſua ipſorum malitia tumultuantes ſe præcipitarunt, ut in Deum, ac Filium ejus Ieſũ Chriſtũ inſurrexerint. Malitia paulatim creſcit & ad majora mala ſe extẽdit.

D.Chryſoſt. *Malitia paulatim ſua improbitate in maius malum ruit.*

10. Apoc.17 De his perverſis, ac diabolicis hominibus dicitur. *Hi cum Agno pugnabunt.* Apocalypſ.17.n.14. & unde ipſis Regibus terræ tanta temeritas, ac audacia. D. Ambroſ. ibi ait: *Cum Agno pugnaverunt, quia Eccleſiã Dei perſecuti ſunt, populumque Dei interfecerunt.* Quia temerario auſu Eccleſiam perſecuti ſunt, inde ardentiori febre: frenetici in gravius ruunt malum, ut contra ipſum Deum pugnæ ſe accingant.

Expugna cum iſtis pugna cũ Deõ.

Iacob benedicens filiis ſuis ait: *Simeon, & Levi fratres vaſa iniquitatis bellantia: In conſilium eorum non veniat anima mea, qui in furore ſuo occiderunt virum, & in voluntate ſua ſuffoderunt murum.* Geneſ.49. n.5. Alii legunt: *Quia in indignatione ſua interfecerunt homines, & in concupiſcentia ſua cæciderunt nervos tauro*: furor illorum initium habuit ab hominibus occidendis, & proceſſit uſque ad taurum interficiendum; ſed qui erant homines, & qui taurus? Homines, Prophetæ, & juſti, Taurus, Chriſtus D. ita frequenter ſignificatus in ſcriptura: *Quaſi primogeniti tauri pulchritudo eius.* Deuter. 33.n.18. Vitulus Sagi- Deut. 33. natus Luc. 15. n.23. & quia in Prophetas deſæviLuc.15. runt, inde non timuerunt manus ſuas crudeliſſime in Chriſtum Filium Dei extendere, ut clavis nervos ejus perfoderent. Tertullian. lib.3. in Marc. ait: *Quia indignatione ſua interfecerũt homines, id eſt Prophetas, & in concupiſcentia ſua cæciderunt nervos tauro, id eſt Chriſto, in quem poſt necem Prophetarum ſuffingẽdo nervos eius clavis, deſævierunt.* Maxime cavendum, ne Dei ſervos contemnas, inde enim facile ad Dei contemptum devenies.

D Ambr. 106. Gen. 49. *Ex occiſis Prophetis occiditur Dei Filius.* Tertull.

QUÆSTIO XV.

Quare in his, quæ pertinent ad ſalutem generis humani, non ſolum Dei conſilium, ſed etiam eius manus decreverunt facere?

AIt Textus: *Herodes, & Pilatus cum gentibus, & populis, facere, quæ manus tua, & conſilium tuum decreverunt fieri.* Senſum literalem, & Theologicũ jam propoſui in expoſitione ad verſ.28 n.103. nunc vero quærimus cur dicatur, *manus tua, & conſilium tuum decreverunt fieri.* Decernendi opus, ad conſilium, & non ad manum pertinet; cur ergo manus ipſa decretis divinis aſtitiſſe dicitur, cur ibi divina manus?

107. *Difficultas quæſtionis.*

Præclarè reſpondet D.Leo ſerm. 16. de paſſi. dicens: *Ut mirabilior fieret gratia Dei, non ſecundum merita hominum, ſed ſecundum divitias ſapientiæ, & ſcientiæ Dei, miſericordia præparata.* Quia antecedenter ad omnia merita noſtra à Deo præparata eſt; conſilio ſuæ ſapientiæ, & in manu ſuæ Omnipotentiæ, quæ frequenter in ſcriptura per manum ſignificatur: *In manu eius ſunt omnes fines terræ.*

108. D.Leo.

Mira Dei ſapientia, & potentia reſplenduit in redemptione generis humani, ut latè expendunt communiter Sancti Patres, dum conſiderant, quod per eandem viam, per quam mors introducta eſt, per eandem mors mortua eſt, & vita eſt data: mors introducta fuit per mulierem, arborem, & ſerpentem, per eaſdem vita recuperata eſt, & per Chriſtum Dominum figuratum in ſerpente: *Sicut Moyſes exaltavit ſerpentem in deſerto, ita exaltari oportet filium hominis* Ioan.3.n.14.

109. *Per eadẽ media mors & vita.*

Quod rectè expendit Caſſiodorus lib. de anima, & ſic ait: *Per te, admirande Domine, pœna facta eſt æterna requies, paſſio remediabilis, mors fidelium, ſalutis introitus... Quoniam res, quæ pandebat Infernos, nunc producit ad Cælos: Vere omnipotens, qui & ipſas miſerias feciſti potentes,* ſcilicet ad vitam. Quaſi omnipotentiæ corona ſit, contrariis armis in ipſam exarmandam contuliſſe potentiam: Unde proſequitur: *Noſti enim bona facere per iniquos*

110. *Corona omnipotẽtiæ eiſdem mediis vi mortis dat vitam.*

quos convertens in adjutorium, quod paratum est ad nocendum: potentius esse diiudicans passiones ad utilitatem convertere, quam causas malorum radicitus amputare.

111. Isai. 9. Ait Isaïas cap. 9. num. 6. *Parvulus datus est nobis, cujus imperium super humerum ejus.* Satis vulgare est, quod nota Imperii, atque regni ostenditur à Regibus in Corona, vel Sceptro, seu purpura; at novus iste Rex in humero ostentat, in quo Crucem portavit, in qua ejus regnum constitutum est: *Dominus regnavit à ligno.* Psalm. 95. num. 10. Inimicum ipso ligno, seu Cruce devicit, ac destruxit: Tertullianus adversus Judæos cap. 10. *Quid novum si non de Filio Dei dicit? Natus est nobis, cuius imperium factum est super humerum ejus. Quis omnino regum insigne potestatis suæ humero præfert, non, aut capite diadema, aut in manu Sceptrum, aut aliquam propriæ vestis notam, sed solus unicus saculorum Rex Christus Iesus novæ gloriæ, & potestatem, sublimitatem suam in humero extulit, Crucem scilicet secundum prophetiam.* Quibus inimicis vicerat, illum devinceret, ac de eo triumpharet. Adversarius homo primos parentes decepit, ligno in humero ipse crudelis hostis profligatur, ac destruitur.

Psal. 95. Tertull. *Armis in mici devincere mag. na potentia.*

112. In augustissimo Resurrectionis matutino euntibus mulieribus ad sepulchrum: Respondens autem *Angelus dixit mulieribus; nolite timere vos, scio enim, quod Iesum, qui crucifixus est, quæritis; non est hic, surrexit, sicut dixit, venite, & videte locum, ubi positus erat Dominus, & cito euntes dicite discipulis eius, quia surrexit.* Matth. 28. num. 5. Statim perstrepit difficultas; quare prius ad mulieres, quam ad discipulorum chorum hilara, ac festina resurgentis Domini nuntia declarantur, & intimantur? Quorsum fœminæ prius, quam Apostoli divinæ clariatis radiis perfruuntur? & dato quod mulieres in hoc Apostolos antecedant, cur tanto nobilitantur favore, ut resurrectionis magisterio potiantur: *Cito euntes dicite discipulis eius, quia surrexit*, cur etiam Angelus, qui prima mulieribus detulit nuntia, Apostolis etiam non detulit? O sublime, & altum Dei consilium? Una mulier pœnam mortis mundo intulit, per alias mulieres declarantur, ac publicantur restaurationis, ac vitæ media, una mulier facta est magistra ad virum suum decipiendum, & ad ipsius mortem, & ruinam; alteræ mulieres magisterii fungantur officio ad januam vitæ, & salutis aperiendam: Egregie D. August. serm. 17. de tempore ait: *quod Christus tertia die ab inferis resurrexit primùm mulieres per Angelum adorantes accurrunt, quibus ideo iubet resurrectionem Apostolis nuntiare, ut homini ostenderetur: Ecce per quem cecidisti in mortem, per resurrectionem mortuorum nuntiatur: mulier enim, quia prior gustaverat, prior etiam resurrectionem vidisse monstratur, ut ne perpetui reatus apud virum opprobrium sustineret, quia, quæ culpam nobis transfuderat, transfundit, & gratiam.* Quod latius prosequitur D. Petrus Chrysolog. serm. 80.

Math. 28. *Per viã mortis ingressa est tuta.* D. Aug.

Actor. 4. num. 29. Et nunc, Domine, respice in minas eorum, & da servis tuis cum omni fiducia loqui verbum tuum.

Num. 30. In eo, quod manum tuam extendas ad sanitates, & signa, & prodigia fieri per nomen Sancti Filii tui Jesu.

Num 31. Et cum orassent, motus est locus, in quo erant congregati, & repleti sunt omnes Spiritu sancto, & loquebantur verbum Dei cum fiducia.

Num. 32. Multitudinis autem credentium erat cor unum, & anima una, nec quisquam eorũ, quæ possidebat, aliquid suum esse dicebat, sed erãt illis omnia cõmunia.

Versiones

CVM EXPOSITIONE IX.

Vers. 29. 113. *ET nunc Domine respice in ruinas eorum.* Syrus *Induere, & vide*, Arabicus: *O Domine admone aspectum tuum.* Ut notat D. Chrysostomus, Apostoli non imprecantur aliquod malum, sed ut removeantur prædicationis impedimenta, ut mandatum Domini adimpleant: *Prædicate Evangelium omni creaturæ.* Syr. s. Arabic. D. Chrysost.

114. *Cum omni fiducia*: Syrus *Ut palam sint prædicantes.* Arabicus *Cum omni libertate*, Æthyopicus *libenter loquantur.* Cajetanus *Cum fiducia* Pagninus. *Cum omni audacia*: Quæ omnia bene explicantur verbo nostræ vulgatæ: *Cum fiducia*, quæ bene secum importat audaciam, libertatem, ac constantiam. Arabic. Æthyop Caiet. Pagnin.

115. Vers. 30. *In eo, quod manum tuam extendas*: per manum intelligitur potentia; postulant fiduciam ad prædicandum, & assistentiam divinæ potentiæ ad facienda miracula in confirmationem suæ doctrinæ, ut eis promissum fuit à Christo Marc. ultimo: *Ad sanitates*, Vatablus, *Ad miracula*: Æthyopicus *Ut facias signa in nomine tuo.* Marc. 16 Vatabl. Æthyop

116. Vers. 31. *Et cum orassent motus est locus.* Hoc terræ motu indicabat Deus eorum orationem se exauditam, & se illis esse præsentem, & omnibus illorum hostibus quantumvis terribilibus, & terribiliorem fore: repleti sunt omnes Spiritu Sancto; quanquam in die Pentecostes repleti fuerint omnes Spiritu Sancto tamquam in habitu, nunc replentur in actu, ut cum fiducia prædicent.

117. Vers. 32. *Multitudinis autem credentium erat cor unum, & anima una*, Syriacus *Una mens*, Arabicus *Erat cordis unius, & animi unius*, non physice, sed summa concordia, summoque animorum consensu, ita ut unius voluntas ab alio nõ discreparet; *nec quisquam eorum, quæ possidebat, aliquid suum esse dicebat.* Arabicus *Nec dicebat quisquam, de ulla re, quam habebat eam sibi esse peculiarem.* Æthyopicus *Hoc meum est substantia illis communis.* Sensus est: Nemo facultatum suarum, quas habuerat aliquid suum, vel proprium esse dicebat: sed erant illic *omnia communia.* Nec quisquam aliquid particulare habebat. Syriac. Arabic. Lyranus. Æthyop

QVÆSTIO XVIII.

Quare post orationem Apostolorum motus est locus in quo erant.

118. Lyran. AIt Textus: *Cum orassent motus est locus, in quo erant*: facto terræ motu, ut explicat Lyranus, cujus rei multæ assignantur causæ: Primo ostendit Deus tali signo orationem eorú esse exauditam, & quod ipse eorum precibus annuebat. Ita D. Chrysostomus, Glossa Ordinaria, Beda, Hugo, & alii, sic orante Paulo, & Sila in carcere in signum orationis eorum exauditæ, factus est magnus terræ motus in carcere. Infrà Act. 16. n. 26. D. Chrysost. Glossa. Beda. Hugo. Actor. 16

119. Secundo: Ut demonstraretur Deum esse præsentem ad eis opem ferendam, ac ad inimicos ejus subjugandos; Dei enim præsentia ob sui magnificentiam, ac reverentiam infert terrorem, ac metum. Hinc Deus cum descenderet in Sina Moysi, & Hebræis: *Mota est terra à facie Domini*: Psalm. 113. num. 6. Exod. 19. num. 19. Tanta est Dei advenientis majestas, *Ad Dei præsentiã omnia timore commoventur.* Psal. 113 Exod. 19

majestas, ut omnia tanquam ei famulatura; etiam
Philo. cum timore, ac tremore commoveantur. Ita Philo lib. de Decalogo explicans locum Exod, sic ait: *Oportebat ad Dei adventum turbari mundum omnibus suis partibus, & exciri ad ministerium.*

120. Tertio: Ut fieret apertum signum, quod gentes ac incolæ etiam remotissimæ audito Evangelio cum tot, & tantis signis maximè sunt commovendæ ac
Omnes gentes subjugandæ. subjugandæ ad Christi fidem. Ita Beda, & Lyra, quod prophetatum fuit ab Aeg. cap. 2. num. 7. ait
Aeg. 2. Deus: *Commovebo Cœlum, & terram, & movebo omnes*
D. Cyril. *gentes* ex Hebræo legitur: *Terrefaciam omnes gentes,*
D. Hier. magnis prodigiis, & miraculis adducam ad fidem
Remig. Christi. Ita Noster Cyrill. Alexand. D. Hieronym. Remig.

121. Quarto ob tantum donum datum Apostolis terra lætabunda videtur cum illo tremore exultare, ut canit
Arator. Arator.

—— Horum sub gressibus ergo
Læta movetur humus.

Hinc cum Christus resurgeret, terra præ gaudio, ac hilaritate tremuit, ac veluti quosdam edidit saltus,
Matth. 28. Matth. ultimo: quod communiter confirmatur; quia moriente Sancto Paulino Episcopo Nolani ejus cubiculum contremuit, quod factum est à terra tan-
Præ gaudio tremuit terra. quam præ gaudio exultante, quod ejus corpus ipsa mox esset recepturæ, cum anima transiret ad gloriam, & pro hac exultatione in mirabilibus Dei facit illud
Ps. 113. Psalm. 113. *Montes exultaverunt, ut arietes, & colles sicut Agni ovium,* tamquam præ gaudio tripudiantes.

122. Quinto Oecumen. Ut hoc motu excluderet à
Oecum. discipulorum cordibus metum, quem ex Iudæorum minis conceperant, qui enim faciebat tremere loca
Expellitur timor. insensibilia, faceret tremere à conspectu eorum homines, ut dicitur Eccles. 5. num. 7. *Quia excelso excelsior est alius* legunt Complutenses: *Habet*
Eccles. 5. Complu. *enim oppressor alle superiorem se.*

123. Sextò: Motus est locus, ut Apostoli timore concepto se præpararent ad recipiendum Divinum Spi-
Timor Deum adducit. ritum; sicut in die Pentecostes sonu vehementi advenit ipse Cœlestis hospes, ut metu, ac timore se disponerent Apostoli ad ipsum excipiendum; timore enim Dei maximè anima aptatur, ut venientem Deum valeat recipere.

124. Ait Isaias 26. num. 17. *Sic facti sumus à facie tua*
Isai. 26. *Domine, concipimus, & quasi parturivimus, & peperimus Spiritum.* Septuaginta: *Propter timorem*
Septuag *tuum, Domine, in utero accepimus, & parturivimus,*
Theod. *& peperimus spiritum salutis.* Theodorus in Catena græca in Pentateuch. ait: *Ostendit utilitatem, quæ ex minis Dei percipitur. Accipientes timorem tuum, velut bonum semen, & hunc in utero gestantes, opportuno tempore salutem reportabimus.* Ait quod ubi primum in animo concepit Dei timorem, tamquam *bonum semen* receptum, statim parturivit, ac reportavit spiritum salutis.

125. Pessimus, ac perversus Baalam cum pergeret conductus à Rege Balac, ut malediceret Israel, in itinere apparuit ei Angelus evaginato gladio ad cum interficiendum, qui totus tremebundus suum agnoscens delictum Numer. 22. numer. 34. tandem cum veniret ad Regem, aris extructis, & cum incederet ad maledicendum populum: *Dominus autem*
Num. 23 *posuit verbum in ore ejus.* Numer. 23. num. 5. ut benediceret populum Iacob, & tabernacula ejus. Mirabile sane, quod Deus Verbum suum sanctum, & purum, in ore hominis malefici poneret, atque in maligno ore hominis pessimi, ac imperfectissimi?
Procop. Pulchrè Procopius apud Glossam: *Animus ille apparatus est, metu enim apparitionum adornatus fuerat.* Homo pessimus omni spurcitia, ac maleficio plenus, cum tamen in eo præcessit timor, ipse sic eo adornatus, ac compositus est, ut aptus fieret, ad Verbum Dei suo in ore recipiendum, & capax foret cœlestium beneficiorum.
Timore homo fit aptus ad divina.

QUÆSTIO XVII.

Quare modo dicuntur Apostoli repleti Spiritu sancto cum iam ipso fuissent repleti in die Pentecostes.

AIt Textus: *Repleti sunt omnes Spiritu sancto, & loquebantur cum fiducia Verbum Dei.* In die Pentecostes omnes receperunt Spiritum sanctum tamquam in habitu, hic verò tamquam in actu, ut prodirent in admirabiles actus, ut prædicarent Verbum Dei cum fiducia, ut Iudæorum minas, & aliorum tyrannorum non timerent, ut facerent prodigia, & miracula, ut postulaverunt. Unde ait Divus Chrysost. in præsenti: *Deaccensi sunt Spiritu Sancto, & reaccensum in ipsius charissimos.* D. Gregor. ad cap. 10. lib. 1. Reg. ait: *Iam non metuunt, quin cor in eis Spiritus sanctus mutavit.* Lyranus ait: *Per hoc datum est eis novum augmentum gratiæ, & charitatis,* ut exterius prodirent in tam illustres actus, operandi scilicet miracula, & cum fiducia prædicandi.
126. *Datur Spiritus Sanctus ad magnos actus.* D. Chrysost. D. Greg. Lyran.

Cum discipuli quærerent à Iesu: *Quis putas maior est in regno Cœlorum. Advocans IESVS parvulum statuit eum in medio eorum.* Matth. 18. num. 2. Qui nam esset parvulus iste, multorum variæ sunt sententiæ, ut suo loco retuli, quas etiam referens D. Hieronym. ait: *Alii parvulum interpretantur Spiritum sanctum, quem posuerit in cordibus discipulorum.* Res omni admiratione dignissima, ut Spiritus Deus immensus, & infinitus implens Cœlum, & terram, idem cum Patre, & Filio qui nullo loco teneri potest, dicatur parvulus. Ita nempe in cordibus discipulorum, qui cum adhuc essent rudes, & parvuli in fide, inde ipse in eis dicitur parvulus, ut cum ipso spirante eorum virtus excreverit, ipse quoque in effectibus ibi adolescere videatur Spiritus sanctus, cùm sit Deus immutabilis in se nec magnus, nec parvulus, sed ex effectibus in humano corde talia nomina sortitur.
127. Matth. 18 D. Hier.

Postquam Samuel unxit Saulem in regem ait ei; *Insiliet in te Spiritus Domini, & prophetabis.* 1. Reg. 10. num. 6 ex Hebræo legitur: *Proficiat super te Spiritus Domini*, id est, *Prove tum faciet.* Cajetanus *ad instar* ait: Proficientis describitur Divinus Spiritus in homine secundum novum donum operans, eo quod tamquam prius existens in homine progrediatur de bono in melius, non proficit Spiritus Dei in se ipso, sed in homine.
128. 1. Reg. 10 Cajet. *Spiritus sanctus fit in nobis, non in se, sed in nobis.*

Docens Christus Dominus suos discipulos orare, præcipit, quod hoc modo dicant: *Pater noster, qui es in Cœlis, adveniat regnum tuum.* Matthæi sexto numero decimo quæ verba sic legit D. Gregorius Nicænus lib. de oratione ibi à me datus: *Adveniat Spiritus sanctus, ut purificet nos.* Sed quomodo Viri Sanctissimi maximè repleri donis Spiritus sancti, ac ejus gratiâ pleniss me purificati, atque justificati postulant, ut ipse Divinus Spiritus adveniat, & purificet eos? Quia ipsi Viri sanctissimi, licet Divino Spiritu, & ejus gratiâ pleni præ Cœlestium desiderio adhuc non quiescunt, sed avidi exoptant donis Spiritus sancti: & ejus gratia impinguari, & locupletari.
129. Matth. 6 D. Nissæn. *Iusti semper avidi de maiori gratia.*

Ad hoc pertinet, id quod ait Regius Vates Psal. 105. num. 21. dicens: *Catuli Leonum rugientes, ut rapiant,*
130.

Pſal. 103 *piant, & quærant à Deo eſcam ſibi.* Extraordinarius dicendi modus contra omnem ordinem conſuetum; prius enim eſt quærere, deinde rapere eſcam ſibi; è contra ait David, *ut rapiant, & quærant eſcam* quomodo, prius eſt rapere, deinde quærunt, ſi ex rapina jam habent quod quærunt? Lauretus Cervarienſis ex D. Gregorio per eſcam intelligit auxilium gratiæ, quod eſt donum Spiritus ſancti, quod ſi quis tanquam ex raptu poſſidet, non quieſcit, ſed ardentius aliud, & aliud, magis, & magis intendit ſibi comparare, pluſque deſiderat, & affectat acquirere.

Lauret. *Juſtus quærit maius auxilium.*

QUÆSTIO XVIII.

Quare in primitivis Chriſtianis tanta erat unitas, ut in eis eſſet anima una, cor unum, nullusque aliquid ſibi proprium habebat?

131. ALiqui expoſitores multa hic congerunt de eleemoſyna, paupertate, deque abnegatione temporalium, de quibus omnibus multa dixi variis in locis, hic tantum tractabo, quæ pertinent ad expoſitionem literæ.

132. In hoc maximè apparet, ac relucet gratia Spiritus ſancti, qui hos primos Chriſtianos impleverat, quia, ut ait Euthymius ad cap. 13. *Charitas erga nos in Magiſtro Chriſto inter omnes alias virtutes potiſſimum eluxit.* Hæc eſt unitas Spiritus in vinculo pacis, Epheſ. 4. n. 3. *Hoc eſt cor unum, & anima una.* Sicut in Phyſicis. Anima informat, & fovet omnia corporis membra, quamvis valde diverſa ſint, & nullum habeat aliquid ſibi proprium, id eſt, ad ſuum proprium commodum, omniaque conveniunt in commune corporis obſequium, ſive comedat, bibat, dormiat, requieſcat, vel ambulet: ſic divinus Spiritus, tanquam anima vitæ ſpiritualis, quos ſua gratia adimplet, licet ſint valde diverſi generis, & conditionis, omnes adjungit, & conjungit in unum, ut nullum habeat aliquid ſibi proprium, ſed omnia ſint illis communia in Dei obſequium, ejuſque charitatis.

Euthym. Epheſ. 4 *Simile.*

133 Et inde tanta unitas, ac concordia in eis erat, quia interveniente gratia Spiritus ſancti, *nec quiſquam eorum aliquid ſibi proprium eſſe dicebat.* Ad quæ verba ſic ait Petrus Damianus lib. 1. epiſtol. 16. *Ecce ubi non erat diverſitas rerum, vigebat unitas voluntatum, nimirum, ubi non eſt diviſio cenſus in unione charitatis plurium mentium conflatur affectus: Illic enim mens à mente dividitur, ubi facultatum communio non tenetur, ubi poſſeſſionum diverſa proprietas, ibi mens poſſidentium non eſt una:* frigidum illud verbum *meum, ac tuum* multas uniones diſſolvit, pacis vincula rumpit, juris fœdera contemnit, ut videre eſt in Abrahamo erga ſuum dilectiſſimum conſobrinum Loth, Geneſ. 13. n. 8. & apud multos alios.

Petrus Dam. *Mentis divinæ lucra quærit.* Geneſ. 13

134. Ait Textus: *Cor unum, & anima una.* Quæ verba exponens Caietan. ait: *Vnitas cordis ſimilitudinem ſignificat voluntatum, unitas autem animæ ſimilitudinem affectionum.* Ego vero ita expono: Unitas cordis ſignificat unitatem voluntatum. *Vna anima* dicit unitatem aliarum potentiarum, intellectus, ſcilicet, & memoriæ; ac ſi diceret: tanta in eis erat unio, ac ſi in omnibus idem eſſet velle, intelligere, ac memoria habere.

Quid ſit cor unum & anima una.

135. Hæc eſt prima laus, quæ de illa præclariſſima primitiva Eccleſia ſcribitur, ut notavit Potho Presbyter Prumienſis lib. 3. de ſtatu domus Dei, & ait: *Beatus ille populus tunc in fide adunatus ſancti Spiritus unctione doctus primam hanc emiſit jubilationem, hanc conſonam deprumpſit cœleſtis muſicæ modulationem, quam in Actibus Apoſtolorum audivimus: Multitudinis credentium erat cor unum, & anima una.* Quæ unitas tanta erat, ut dicat D. Baſilius in Conſtitut. Monaſticis cap. 19. *Homines ex diverſis Nationibus, & regionibus profectos par exactam morum, ac diſciplinæ ſimilitudinem, adeo velut unum coaluiſſe ut in pluribus corporibus unus tantum animus eſſe videatur, viciſſimque plura corpora unius animi inſtrumenta.*

Potho. *Prima laus Eccleſiæ primitivæ unitas.* D. Baſil.

136. Quod etiam explicans D. Cyprianus lib. 3. teſtim. ad Quirinum cap. 3. ait: *Turba autem eorum, qui crediderant, anima, ac mente una agebant, ne inter illos diſcrimen ullum.* Iuxta efficaciam orationis Chriſti, qui in ultima Cœna ſuum Æternum Patrem exorans, Ioan. 17. n. 12. dicebat: *Pater ſancte ſerva eos in nomine tuo, ut ſint unum, ſicut & nos*, & n. 20. *Vt omnes unum ſint, ſicut tu Pater in me*, & n. 22. *Vt ſint unum ſicut & nos unum ſumus.* Quæ verba eleganter explicat ibi D. Cyrillus Alexandr. dicens: *Charitatis, pacis, & concordiæ vinculum petit, quod ad tantam ſpiritualem credentes unionem producat, ut naturalis, conſubſtantialiſque in Patre, Filio, ac Spiritu ſancto unionis ſimilitudinem imitetur.* Maximè ponderanda eſt gravitas, ac ſublimis altitudo orationis Chriſti, qui tantam unionem ſpiritualem vult in ſuis fidelibus, ut aliquo modo quantum fieri poteſt valeat imitari, ac adumbrari illam ſubſtantialē unionem inter tres divinas Perſonas, in qua Pater totus eſt ſubſtantialiter in Filio, & Spiritu ſancto, totus Filius in Patre, & Spiritu ſancto, ipſeque divinus Spiritus totus in Patre, & Filio, in eis unus eſt intellectus, eademque voluntas, ſapientia, ac potentia, veſtigium tantæ unionis exoptat Chriſtus, ut fideles ſui imitentur, quod & ſi ſint multi, ac diverſi, ſpiritualiter tamen, ac charitate ſint unum inter ſe, ſicque in eis unum velle, ac intelligere, unaque efficacia operandi: *Quod ad tantam ſpiritualem credentes unionem producat, ut & naturalis, conſubſtantialis, quæ eſt in Patre, Filio, ac Spiritu ſancto unionis ſimilitudinem imitetur.*

D. Cyprian. Ioan 17. D. Cyrill. *Vnio noſtra imitatur divinam.*

137. Ait Regius Vates Pſalm. 4. n. 6. *Signatum eſt ſuper nos lumen vultûs tui Domine*, & cur cum in plurali loquatur ſtatim ſermonem divertit ad ſingulare? *Dediſti lætitiam in corde meo.* Conſequenter videbatur dicendum, *Dediſti lætitiam in corde noſtro?* Altè & profundè loquitur. Ubi primus vultus Divini flamma irradiat, ejuſque amoris fulmen plures percutit, deſtruit pluralitatem, & in unicum cor corda omnium adſtringit. Rupertus de glorificatione Trinitatis lib. 6. cap. 15. ait: *De multitudine credentium cum dixiſſet; ſignatum eſt ſuper nos lumen vultus tui, Domine; protinus uti maluit ſingulari numero, dicens ex perſona ipſorum: Dediſti lætitiam in corde meo, & rectè quia multitudinis credentium erat cor unum, & anima una.*

Pſal. 4. *Vnione plures unus.*

138. Ad ipſos fideles valde divites cum magno provētu pergit loquens eodem Pſam. n. 8. idem Vates: *A fructu frumenti & olei ſui multiplicati* fideles Eccleſiæ filii à fructu cœleſti panis, ac oleo divinæ gratiæ in magna, & copioſa multiplicatione *ſunt*, tamen de tam ampla multitudine tanquam de uno ſingulari ſtatim agit: *Quoniam tu, Domine ſingulariter in ſpe conſtituiſti me.* Quos amor in ſe in unum connectit, ſub unica eadem ſpe omnes cohibet, ut non multiplex, ſed una, & unica ſit expectatio: ſic pergit citatus Rupertus; *Quam quoque videlicet unitatem cordis, & animæ, illud quoque adverbium pulchrè exprimit: Quoniam tu, Domine ſingulariter in ſpe conſtituiſti me.* Ipſe namque Spiritus ſanctus de multis efficit unum. Vide ſupra cap. 1. quæſt. 30. num. 209. & 210.

Pſal. 4. Rupert.

Actor. 4. n. 33. Et virtute magna reddebant

Apostoli testimonium resurrectionis Iesu Christi, & gratia magna erat in omnibus illis.

Num. 34. Neque enim quisquam egens erat inter illos, quotquot enim possessores agrorum aut domorum erant vendentes, afferebant pretia eorum, quæ vendebant.

Num. 35. Et ponebant ante pedes Apostolorum: Dividebant autem singulis, prout cuique opus erat.

Num. 36. Ioseph autem, qui cognominatus est Barnabas ab Apostolis (quod est interpretatum filius consolationis) Levites Cyprius genere.

Num. 37. Cum haberet agrum, vendidit eum, & attulit pretium, & posuit ante pedes Apostolorum.

Versiones

CUM EXPOSITIONE X.

139. Tigurin. Pagnin. Arabic. Æthiopi D. Chrysost. Oecum. Lyra. Vers. 33. *Virtute magna*, Tigurina, Pagninus, *Potentia, & robore*, hoc est fiducia, & audacia. *Reddebant Apostoli testimonium resurrectionis.* Arabicus: *Promulgabant testimonium.* Æthiopicus: *Faciebant testimonium.* Ait Textus: *Resurrectionis* juxta mandatum Christi: quia hoc mysterium est præcipuum nostræ fidei, & illud maximè negabant Iudæi. D. Chrysost. & Oecumen. premunt verbum ex radice Græca, quod est tanquam depositum reddere, & ferebant hoc testimonium, quod eis imposuit Christus multis miraculis confirmatum, ut notat Lyranus.

140. Arabic. *Gratia magna erat in omnibus illis.* Arabicus: *Super eos ingens gratia*: Sermo est de Apostolis. *Gratia magna* sanctitatis erga Deum, & *magna* charitatis, & unionis inter ipsos Apostolos, & magna benevolentiæ, & beneficentiæ erga omnes, ex quo omnibus erant valde amabiles, ut in magna reverentia, ut dicitur cap. 2. n. 47. *Gratiam habebant ad omnem plebem.*

Actor. 2. 141. Vers. 34. *Neque enim quisquam egens erat inter illos.* Omnes primitivi Christiani erant pauperes, non tamen egentes; nam pauper dicitur qui facultates non habet; egens cui necessaria desunt: erant ergo omnes pauperes, quia nemo aliquid suum esse dicebat; non tamen erant egentes, quia illa omnia distribuebantur prout unicuique opus erat. Possessiones agrorum, & domorum vendebant, quod non intelligitur de illis domibus, ut bene notat Estius, in quibus habitabant, has enim habebant non tanquam proprias, sed ut ad communem usum, vel suum, seu aliorum fratrum; siquidem Petrus à carcere liberatus venit in domum Mariæ matris Ioan. infra Act. 12 n. 12. & Philippus unus ex septem Diaconis habebat domum Cæsareæ Act. 21. n. 8 & etiam in Evangelio dicitur domus Simonis & etiam Marthæ, & Mariæ.

Estius. Act. 12. Act. 21.

142. Æthiop. Arabic. Vers. 35. *Et ponebant ante pedes Apostolorum.* Æthiopic. *sub pedibus Apostolorum*, quod faciebant, tum ob eorum reverentiam tum ob contemptum temporalium, de quo infra q. 19. *Dividebatur autem singulis.* Arabicus *Pro ratione egestatis ejus.*

143. Actor. 13. Barnab. Vers. 36. *Ioseph autem, qui cognominatus est Barnabas* qui interpretatur *filius consolationis*, seu, ut alii legant, refrigerii, & hujus viri facit mentionem, in magnum, & præclarum exemplum; qui & cum Paulo infra vocatus est in Apostolatum. Dicitur *Consolationis*, seu refrigerii, quia multam consolationem Apostolis attulit, vel etiam pauperibus; vel quia sua eximia mansuetudine, charitate, seu eloquentia, gratia, sanctitate multa pollebat facultate consolandi afflictos, & miseros; ita Alexander in ejus vita; de hoc illustri viro quæstione ultima.

QUÆSTIO XIX.

Quare primitivi Christiani tam avidè paupertatem amplectebantur, & terrena contemnebant?

144. RAtio à priori hujus rei est, quia gratia divini Spiritus sic eorum corda adimpleverat, ut in omnibus Christum imitarentur, ejusque vestigia sequerentur? Christus autem Dominus dicebat de se: *Ego mendicus sum, & pauper*, Psal. 39. 18. Vulpes foveas habent, & volucres cœli nidos: filius autem hominis non habet, ubi caput reclinet, Matth. 8. n. 20. Ipsamque paupertatem maximè in omnibus divinus Magister commendabat, enumeransque Beatitudines, paupertatem in capite omnium collocavit, dicens: *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum Cœlorum*, Matth. 5. num. 3. sicque præcepit suis Apostolis, ut in via nec portarent argentum, nec peram, nec calceamenta, Matth. 10. n. 8. ad quæ verba alludens D. Hieronymus epist. ad Heliodor. de laude vitæ solitariæ, ait: *Non pera sibi sumenda est, non virga est, affatim dives est, qui cum Christo dives est.* Idem D. Hieron. epist. 150. ad Hedibidian. q. 1. ait: *Fac, quod fecerunt Apostoli: Vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & sequere salvatorem, ut nudam solamque crucem nuda sequaris & sola.*

Psal. 39. Math. 8. Math. 5. Christus sequendus ab homine nudo.

145. 2. Tim. 6. Radix omnium malorum cupiditas. Exod. 15. Deinde, ut ait Apostolus, 2. Timoth. 6. n. 20. *Radix omnium malorum cupiditas.* Quis Regem Pharaonem demersit in mare tanquam plumbum: *Dixit inimicus persequar, & comprehendam, dividam spolia, & implebitur anima mea*, Exod. 15. num. 9. Ex vehementi cupiditate animam spiritualem terrenis volebat adimpleri. D. Chrysost. homil. 41. ad Popul. Antioch. ait: *Nihil erat, quod posset ejus explere libidinem.*

146. Hanc radicem, & cupiditatem omnium malorum in nobis avellit, & extinguit Charitas, quæ, ut ait Paulus: *Diffusa est in nobis per Spiritum sanctum, qui datus est nobis*, Rom. 5. n. 5. Apostolus solum loquitur de Charitate diffusa in nobis, per Spiritum sanctum; quia *Charitas*, ut ait D. Augustin. de Spiritu, & litera *tanquam catena cateras virtutes adduxit secum, quibus omnia mala, eorumque fomenta, ac depravatæ cupiditates propulsantur; cum ergo in illis primitivis Christianis charitas Dei esset diffusa per Spiritum sanctum, omnes pravæ cupiditates eradicatæ sunt, Christi paupertas, ac ejus nuda Crux plantata cum contemptu omnium temporalium, & cum intima fraternitatis unione, ut in eis omnia essent communia.*

Rom. 5. Per charitatem amputantur omnia mala.

147. Cant. 1. Ait divina Sponsa Cantic. 1. n. 3. *Introduxit me Rex in Cellaria sua.* Respondent Sodales. *Exultabimus, & lætabimur in te memores uberum tuorum.* Ex eo quod ipsa sit introducta in promptuarium, gaudent, & exultant ancillæ, *memores uberum tuorum*, quia lac, quod in eis nutritur, & ab eis dimanat, ipsis sodalibus erat, non vero sibi ipsi personæ solum; quia totum ipsum illarum erat; Præclarè D. Bernardus serm. 23. in Cantic. sic ait: *Introduxit me Rex in Cellaria; Putate, & vos pariter introducta. Sola introducta videor; sed soli non proderit: vestrum omnium est meus omnis profectus: vobis proficio, vobiscum parior . . . audi quid illæ respondeant: Exultabimus, & lætabimur in te: & addunt memores*

Tuitorii bona communia. D. Bern.

res

ves uberum tuorum æquanimiter sustinemus, dum venias, scientes te plenam ad nos reversuram uberibus.

148. Apoc.19. Clamant illustrissimi Seniores ante Dei sedem: *Gaudeamus, & exultemus, & demus gloriam ei, quia venerunt nuptiæ Agni, & uxor ejus præparavit se, & datum est illi, ut cooperiat se byssino splendenti, & candido,* Apoc.19.n.7. Magnam, & pomposam in cœlesti curia lætitiam, atque exultationem nobis narrat Evangelista in celebratis nuptiis Agni, pro cujus exacta enodatione investigandum est, quænam sint hæ nuptiæ, quæve hæc Sponsa? Juxta communem Doctorum placitum, ut ibi dixi, nuptiæ, est felix dies retributionis, ac præmii meritorum, ac coronæ debitæ gloriæ; Sponsa verò ponitur pro filiis Ecclesiæ militantis, dum induti puro, & candido byssino justitiæ, charitatis, omniumque virtutum ad cœlestem curiam assumuntur. Unde ibi dicitur: *Beati, qui ad cœnam Agni vocati sunt.* Inde tanta exultatio, & tam plausibile gaudium in cœlestibus spiritibus, jam enim alios vident participes suæ gloriæ, & eos in ea socios, ac consortes habere. D.Ambros. ibi in nomine cœlestium spirituum sic loquitur: *Ideo gaudeamus, & exultemus eo quod miserit cordia conditoris nostri Ecclesiam suam, quæ sumus nos, ita sibi conjungere sit dignatus, ut sponsa conjungitur sponso.*

Iusti gaudent cum suis donis cõmunicatis.

D.Ambr.

QVÆSTIO XX.

Quare primitivi Christiani omnia sua non ad manus, sed ad pedes Apostolorum ponebant?

149. Æthiop. TExtus ait: *Ponebant ad pedes Apostolorum.* Æthiopic. *Sub pedibus Apostolorum*, pretia eorum, quæ vendebant, non ad manus, sed ad pedes ponebant, ad quod respondet primo D.Hieronymus epistol. ad Paulin. & ait: *Quando Domini nostri adhuc calebat cruor, & fervebat recens in credentibus fides vendebant omnes possessiones suas, & pretia earum ad Apostolorum deferebant pedes, ut ostenderent pecunias esse calcandas, nihilque faciendas.* Ex hoc divitiarum contemptu in tantum sunt sublimati, ut Spiritu sancto replerentur. Moyses grandis factus reputatus est filius filiæ Pharaonis, ita ut succedentibus rebus posset fieri Rex Ægypti, sicut ipse Pharao; has tamen omnes rerum amplitudines ipse contempsit, ut scribit Apostolus Hebræor.11.n.26. *Majores divitias æstimans thesauro Ægyptiorum improperium Christi.* Quid inde factum, ut non solum fieret Rex, ut Pharao, sed etiam Deus Pharaonis, atque Ægypti, Exod.7. Ingeniosè D.Ambros. in Psal. 118. ubi sic ait: *Moyses noluit esse Rex cum posset, sed opprobrium Christi thesauris Ægypti arbitratus est præferendum, & fugiendo potentiam potentior factus est; factus enim in Deum Regi Pharaoni, Rex erat Pharao, sed Deus non erat.* In tantum evectus per temporalium rerum contemptum.

D.Hier. *Ex contemptu temporaliũ maximus provenit*

Hebr.11 Exod.7. D.Ambr.

150. D.Chrysost. Secundo D.Chrysost. ad illa verba Pauli: *Oportet hæreses esse*, sic loquitur: *Non dicit quod in manus ipsorum ponebant, sed ad pedes, declarando simul fidem, pietatem, ac reverentiam: Et quod maioris ducebant, quod ab eis reciperentur, quam quod darent dona; hoc est pascere Christum esurientem, si absque arrogantia, & fastu hoc facias, sic quæ das quasi tibi ipsi plura, quam danti beneficia dare videaris.* Non ad manus, sed ad pedes ponebant, ut suam reverentiam, humiliratem, animique demissionem ostenderent, & quod illa omnia sua sic pro pauperibus alendis, dabant, tanquam ibi non essent permansura, sed iterum ab eis essent accipienda; quæ enim pauperi elargiris, ita elargiuntur, ut magis à donante accipiantur.

Quæ pauperi dantur magis accipiãtur.

Ait Ecclesiastes cap. 11.n. 1. *Mitte panem tuum super transeuntes aquas, quia post tempora multa invenies illum.* Chaldæus in Biblia Regia sic legit: *Porrige alimentum tuum pauperibus, qui ambulant in navibus super facies aquarum; quoniam post tempus dierum multorum invenies mercedem eius in sæculo hoc, & in sæculo venturo.* Omitto id, quod in præsenti dicitur datum pauperibus habere suam mercedem in hoc sæculo, & venturo, illud tamen est maximè inquirendum, quid habet eleemosyna data pauperibus cum transeuntibus maritimis (de illis interpretatur Chaldæus) quod in aquis marinis jacitur rapido aquarum voragine cito transit, & perit, quid ergo eleemosina cum ipsis aquis marinis? Vera Philosophia docet: *Aqua fontana ex marina hauritur, marina rursus non attenuatur propter retributionem, quæ fit è supernis, qua id, quod evaporavit per Solem auctum distillat, cælitus, & exundat per rorem exhalationum quotidie sursum tendentium excrescens.* Certum est quod aqua marina se se per terræ meatus transfundit, ut fontes, & flumina adimpleat; deinde verò aqua ipsa vaporibus terræ, & rore cœlestium adaucta revertitur in mare, indeque aquæ marinæ excrescunt, & ideo optimo jure panis datus pauperi cum aquis marinis comparatur; quia sic eleemosyna confertur pauperi, ut in ipsum dantem cum beneficentia terrena, & cœlestium rore revertatur multum crescere faciat, & adimpleat omnibus cœlestibus donis.

151. Chald. Philos. *Qui dat pauperi magis accipit, quã dat.*

Ait Apostolus 2.Corinth.8. *Notam autem facimus vobis gratiam Dei fratres, quæ data est in Ecclesiis Macedoniæ, quod in multo experimento tribulationis abundantia gaudium ipsorum fuit, & altissima paupertas eorum, abundavit in divitias simplicitatis eorum.* Macedoni constituti erant in extrema paupertate propter Christum, & tamen in illa gravi paupertate, adhuc egentibus necessaria largiebantur, ac si ipsi essent abundantissimi, de qua illorum liberalitate loquens Apostolus, ait: *Notam facimus vobis gratiam Dei, quæ data est in Ecclesiis Macedoniæ.* Quænam est ista gratia, quæ data est Macedonis, ut sua pauperibus darent, ut exinde omnium gratiarum cumulum cum magno augmento reciperent, & ita nulla alia gratia major potuit eis dari. D.Brunus sic ait, ibi. *Gratiam Dei digno nomine vocat eleemosynas, intelligens, maiorem esse gratiam Dei ministrandi pauperibus, quam sint genera linguarum.* Certo sciat unusquisque, quod ille, qui dat eleemosynam pauperi longè majorem gratiam ipse reportat, quam panem, quem misero elargitur

152. 2.Cor.8. *Eleemosyna Dei gratia.*

D. Brun.

QUÆSTIO XXI.

Quisnam esset iste Barnabas, de quo hic fit mentio?

153. AIt Textus: *Ioseph autem, qui cognominatus est Barnabas ab Apostolis, quod interpretatur filius consolationis.* Cur sic sit dictus, jam proposui rationem; quia ipsa sua persona eam attulit Apostolis, & aliis. Dubitatur tamen, an hæc interpretatio nominis fuerit posita à D. Luca, vel ab Interprete? Respondeo fuisse scriptam à D.Luca; quia ita habetur in autographo græco textu Lucæ, & Syriaco: Voluit Sacer Evangelista reddere rationem cur cum Joseph esset proprium illius nomen, ab Apostolis nomen fuit mutatum, & impositum *Barnabas*, quod Hebraïcè significat filius consolationis, sicut infra nomen *Elymæ* interpretatur *magus* cap.13.n.3.

Cur dicitur filius consolationis.

Act.13.

154. De hoc facit D. Lucas peculiarem mentionem, tanquam valde illustre exemplum, tum ratione suæ personæ, ob singulares illius dotes: tum etiam ut habetur

betur infra cap.13. cum Paulo vocatus fuit ad Apoſtolatum. Hic autem diſtinctus eſt ab illo Joſeph, qui cum D. Matthia accepit ſortes ad Apoſtolatum, ut tenent hic D.Chryſoſt.homil. 11. D.Hieronymus de viris illuſtribus; ille enim cognominatus eſt Barſabas, iſte vero Barnabas, ille, ut notat Lyranus, dicitur Alphei filius, ſicque de Galilæa natus; iſte vero dicitur Cyprus, & ſic de Cypro natus: Iſte ſcribitur genere Levites ortus ex tribu Levi, de qua tribu non videtur fuiſſe Alpheus ille alius.

Diſtinctus ab alio. D.Chryſoſt. D. Hier.

155. *Cur Levites.* Num. 18

Dicitur Levites; hoc eſt, ejus parentes erant ex tribu Levi; Levitæ Deo conſecrati prohibebantur habere agros in Iudæa, Num 18.n.20. Tamen in alia terra, ſeu Provincia poterant habere, ut notat Lyran. imo & in Juda poterant habere, ſi eſſent paſcuales ad alenda pecora, Num.25.n. 3. Alexander in vita Barnabæ exiſtimat agrum fuiſſe in Iuda; Hugo, & Lyranus tenent fuiſſe in Cypro, & à ſuis parentibus emptum.

Num 25

Hugo. Lyra. Alexand.

156. *Natus Cypri.* Alexand.

Cyprus. Judæi poſt captivitatem Babylonicam diſperſi, ac diviſi ſunt per totum Orbem, & in variis partibus conſtituerunt domos, Parentes Barnabæ in Cypro, ubi ipſe natus; deinde divino impulſu ſe tranſtulit Jeruſalem, ut tradit Alexander in ejus vita, ubi cum Stephano, Saulo, atque aliis ſacras literas didicit ſub Gamalide Magiſtro, ac tandem ad Chriſtum D.venit cum conſobrino ſuo Ioanne, qui appellatus eſt Marcus, in cuius domo cœpit nova Chriſti Eccleſia creſcere, ac pullulare, ut ſæpe dictum eſt: Barnabas autem fuit unus ex 72. Domini diſcipulis, ut tradunt D. Epiphan. hæreſi 1. Clem. Alexand.lib.2.Strom. Euſebius lib.3.Hiſtor.cap.33. & alii ita exiſtimant.

Ex Chriſti diſcipulis. D.Epiphan. Clem. Euſeb.

CAPUT V.

1. *Vir autem quidam nomine Ananias cum Saphira uxore ſua vendidit agrum*
2. *Et fraudavit de pretio agri conſcia uxore ſua: & afferens partem quandam, ad pedes Apoſtolorum poſuit.*
3. *Dixit autem Petrus: Anania cur tentavit Satanas cor tuum, mentiri te Spiritui ſancto, & fraudari de pretio agri?*
4. *Nonne manens tibi manebat, & venundatum in tua erat poteſtate? quare poſuiſti in corde tuo hanc rem? non es mentitus hominibus, ſed Deo.*
5. *Audiens autem Ananias hæc verba, cecidit, & expiravit, & factus eſt timor magnus, ſuper omnes, qui audierunt.*
6. *Surgentes autem juvenes amoverunt eum, & efferentes ſepelierunt.*
7. *Factum eſt autem quaſi horarum trium ſpatium, & uxor ipſius neſciens quod factum fuerat, introivit.*
8. *Dixit autem ei Petrus: Dic mihi mulier, ſi tanti agrum vendidiſti? at illa dixit: etiam tanti.*
9. *Petrus autem ad eam: quid utique convenit vobis tentare Spiritum Domini? Ecce pedes eorum, qui ſepelierunt virum tuum ad oſtium, & efferent te.*
10. *Confeſtim cecidit ante pedes ejus, & expiravit. Intrantes autem juvenes invenerunt illam mortuam, & extulerunt, & ſepelierunt ad virum ſuum.*
11. *Et factus eſt timor magnus in univerſa Eccleſia, & in omnes, qui audierunt hæc.*
12. *Per manus autem Apoſtolorum fiebant ſigna, & prodigia multa in plebe, & erant unanimiter omnes in porticu Salomonis.*
13. *Cæterorum autem nemo audebat ſe conjungere illis, ſed magnificabat eos populus.*
14. *Magis autem augebatur credentium in Domino multitudo virorum, ac mulierum.*
15. *Ita ut in plateas ejicerent infirmos, & ponerent in lectulis, ac grabatis, ut, veniente Petro, ſaltem umbra illius obumbraret quemquam illorum, & liberarentur ab infirmitatibus ſuis.*
16. *Concurrebat autem & multitudo vicinarum civitatum Ieruſalem, afferentes agros, & vexatos à ſpiritibus immundis, qui curabantur omnes.*
17. *Exurgens autem Princeps Sacerdotum, & omnes qui cum illo erant (quæ eſt hæreſis Sadducæorum) repleti ſunt zelo.*
18. *Et injecerunt manus in Apoſtolos, & poſuerunt eos in cuſtodia publica.*
19. *Angelus autem Domini per noctem aperiens januas carceris, & educens eos; dixit:*
20. *Ite, & ſtantes loquimini in templo plebi omnia verba vitæ huius.*
21. *Qui cum audiſſent, intraverunt diluculo in templum, & docebant. Adveniens autem Princeps Sacerdotum, & qui cum eo erant, convocaverunt Concilium, & omnes Seniores filiorum Iſraël, & miſerunt ad carcerem, ut adducerentur.*
22. *Cum autem veniſſent miniſtri, & aperto carcere non inveniſſent illos, reverſi, nuntiaverunt, dicentes:*
23. *Carcerem quidem invenimus clauſum cum omni diligentia, & cuſtodes ſtantes ante januas: aperientes autem neminem intus invenimus.*
24. *Ut autem audierunt hos ſermones Magiſtratus Templi, & Principes Sacerdotum ambigebant de illis quidnam fieret.*
25. *Adveniens autem quidam nunciavit eis: Quia ecce viri, quos poſuiſtis in carcerem, ſunt in Templo ſtantes, & docentes populum.*
26. *Tunc abiit Magiſtratus cum Miniſtris, & adduxit illos ſine vi; timebant enim populum ne lapidarentur.*
27. *Et cum adduxiſſent illos, ſtatuerunt in Concilio, & interrogavit eos Princeps Sacerdotum, dicens:*
28. *Præcipiendo præcepimus vobis ne docuiſſetis in nomine iſto: & ecce repletis Ieruſalem doctrinâ veſtrâ, & vultis inducere ſuper nos ſanguinem hominis iſtius.*
29. *Reſpondens autem Petrus, & Apoſtoli, dixerunt: Obedire oportet Deo magis, quam hominibus.*
30. *Deus Patrum noſtrorum ſuſcitavit Ieſum, quem vos interemiſtis, ſuſpendentes in ligno.*
31. *Hunc Principem, & Salvatorem Deus exaltavit, dextera ſua, ad dandam pœnitentiam Iſraeli, & remiſſionem peccatorum.*
32. *Et nos ſumus teſtes horum verborum, & Spiritus ſanctus, quem dedit Deus omnibus obedientibus ſibi.*
33. *Hæc cum audiſſent, diſſecabantur, & cogitabant interficere illos.*
34. *Surgens autem quidam in Concilio Phariſæus, nomine Gamaliel, legis Doctor honorabilis univerſæ plebi, juſſit foras ad breve homines fieri.*
35. *Dixitque ad illos: Viri Iſraelitæ, attendite vobis ſuper hominibus iſtis quid acturi ſitis.*
36. *Ante hos enim dies extitit Theodas, dicens; ſe eſſe aliquem, cui conſenſit numerus virorum circiter quadringentorum: qui occiſus eſt: & omnes,*

omnes, qui credebant ei, diſſipati ſunt, & redacti ad nihilum.

37. *Poſt hunc extitit Iudas Galilæus in diebus profeſſionis, & avertit populum poſt ſe, & ipſe periit; & omnes, quotquot conſenſerunt ei, diſperſi ſunt.*

38. *Et nunc itaque dico vobis, diſcedite ab hominibus iſtis, & ſinite illos: quoniam ſi eſt ex hominibus conſilium hoc, aut opus, diſſolvetur.*

39. *Si verò ex Deo eſt, non poteritis diſſolvere illud, ne forte & Deo repugnare inveniamini. Conſenſerunt autem illi.*

40. *Et convocantes Apoſtolos, cæſis denunciavere ut ne omnino loquerentur in nomine Ieſu, & dimiſerunt eos.*

41. *Et illi quidem ibant gaudentes à conſpectu Concilii: quoniam digni habiti ſunt pro nomine Ieſu contumeliam pati.*

42. *Omni autem die non ceſſabant, in templo, & circa domos docentes, & evangelizantes Chriſtum Ieſum.*

ARGUMENTUM.

ANANIAS, ac ejus uxor Saphira ob fraudatum, ſeu occultatum agri pretium ſubitanea morte plectuntur à Petro, cujus, & aliorum Apoſtolorum illuſtriſſima miracula ſcribuntur, qui incarcerati à Iudæis, ab Angelo liberantur. rurſus pertracti in Concilium, tunc Gamaliel valde prudenter loquitur pro defenſione Apoſtolorum, ipſi tamen flagellis cæduntur, quibus mirifice gaudent, & exultant, indequeferventius, ac audacius Chriſtum Ieſum prædicant

Actor. 5. num. 1. Vir quidam nomine Ananias cum Saphira uxore ſua vendidit agrum.

Num 2. Et fraudavit de pretio agri conſcia uxore ſua, & afferens partem quandam, ad pedes Apoſtolorum poſuit.

Verſiones

CUM EXPOSITIONE I.

1. Hebraïc. Verſ. 1. *Vir autem quidam nomine Ananias.* Ponit Evangeliſta nomen ejus, & uxoris ad majorem expreſſionem veritatis, & quia iſti cum uxore ſua erant viri nobiles. *Ananias* Hebraïcè idem eſt, ac *donum Dei*: Unde opportuniùs Syriacus legit *Cananias*, id eſt *mercator Domini*; quia pretii partem Deo dicatam ſibi tanquam mercator retinuit. *Saphira* Hebraïce idem eſt, ac *numerans* pretium ſcilicet agri. *Vendidit agrum* Syriacus *fundum ſuum* D. Chryſoſt. *Poſſeſſionem ſuam* Æthyopic. *Vineam eorum*, Græcus *Villam ſuam.*

Syriac. Significatio nominis Ananiæ & Saphiræ.

2. Syriac. Verſ. 2. *Et fraudavit de pretio agri.* Syriacus *Abſtulit autem ex pretio agri, abdiditque*, Syrus Reg. *Attulit partem ex argento.* Arabicus *Et fraudans furatus de pretio.* Æthiopic. *fraudaverunt ineuntes conſilium*, tamquam conſilio inito, & hoc indicat noſtra Vulgata *conſcia uxore ſua*, & fraus fuit. Ait Interlinealis, quia *totum voverant, ſicut cæteri*, & partem attulerant.

Arabic. Æthiop

Interlin.

QUÆSTIO I.

An Ananias habuerit votum paupertatis, & quando illud emiſerit?

3. Sacri Apoſtoli fecerunt tria vota.

SAcri Apoſtoli doctrina Chriſti, ac illuminati gratia Spiritus Sancti omnes ſuas virtutes perfectiſſimo gradu adimplerunt, & inde tanta luce ditati bene agnoverant perfectius, & excellentius eſſe opus voto firmatum: ergo ſuas virtutes Obedientiæ, paupertatis, & caſtitatis voto firmarunt. Ita docent D. Hieronymus, D. Aug. D. Thom. & alii, quos citavi Opuſculo 3. reſol. 3. quæſtione 5. num. 41 ubi hanc quæſtionem latius tractavi, & hanc votorum perfectionem docuerunt Sacri Apoſtoli ſuos diſcipulos, fuitque valde frequens inter illos primitivos Chriſtianos.

D. Hier. D. Aug. D. Tho.

Partem negantem Ananiam, multoſque ex primitivis Chriſtianis feciſſe votum paupertatis, ac tria vota negant omnes Hæretici Monaſtici ſtatus inimici, ut Calvinus, Marloratus, & alii hujus furfuris, quibus ex Catholicis videtur ſubſcribere Cajetanus. 4. Calvinus Marlor.

Contraria ſententia, quod Ananias, & aliqui primitivi Chriſtiani feciſſent votum paupertatis eſt vera, & communis inter Patres, & Catholicos, eam apertè docent D. Chryſoſt. homil. 12. & ait: *Quare hoc feciſti? voluiſti habere? Oportebat initio habere, & non promittere: nunc autem poſtquam conſecraſti, majus ſacrilegium commiſiſti.* D. Aug. ſerm. 27. de verbis Apoſtoli: *Dum (ait) ex eo, quod promiſerat partem ſubtraxit; ſacrilegii damnatur, & fraudis: ſacrilegii, quod Deum in pollicitatione fefellerit: fraudis, quod integris muneribus portionem quandam putaverit ſubtrahendam.* D. Hieronym. epiſt. 8. ad Demetr. ait: *Ananias, & Saphira diſpenſatores timidiſſimo corde duplici, & ideo condemnati, quia poſt votum abſtulerunt quaſi ſua, & non ejus, cui ſemel ea voverant, partemque ſibi jam aliena ſubſtantiæ reſervantes.* D. Gregor. lib. Epiſt. 33. ad Venantium, inquit: *Ananias pecunias Deo voverat, quas poſtea victus perſuaſione Diaboli ſubtraxit.* D. Baſil. ſerm. 1. de Inſtitut. Monaſtica ſic loquitur: *Humanæ gloriæ cupiditate Ananias quidquid bonorum habebat Deo palam conſecrat, ut hominum de ſe opinionem excitaret.*

Cajet. Pars affirmativa certa. D. Chryſoſt. D. Aug. D. Hier. D. Greg. D. Baſil.

Idem docent multi alii Patres, quorum verba brevitatis cauſa omitto, D. Athanaſ. ſerm. de paſſion. & Cruce, D. Cyprian. lib. 3. Teſtim. cap. 30. D. Nazian. Canone de virgine. D. Fulgent. de debito conjugali cap. 8. Caſſian. Collat. 18. cap. 7. Vtraque Gloſſa, Ordinaria & Interlinealis, Petrus Damian. epiſt. 15. cap. 3. Magiſter Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ in Acta cap. 22. & communiter Comment. hic Oecumen. Arator, Beda, Carthuſian. Lyran. Hugo, Lorinus, Cornel. Eſtius, Menoch. & alii, imo Hæreticus Beza. 6. D. Athan. D. Cypr. D. Fulg. Caſſian. Gloſſa. Damian. Magiſt. Oecum. Carthuſ. Lyran.

Probatur primo; quia Ananias fraudavit, ſeu, ut habet Arabicus, *furatus eſt de pretio agri.* Fraus, & furtum non fit in re propria, ſed aliena, vel vendita, vel data, ſeu ex voto, ſeu promiſſione in alterius poſſeſſionem tranſlata; fuit etiam ſacrilegus; quia votum paupertatis, quod Deo promiſerat, violavit, ſervando ſibi, & occultando partem aliquam; facto enim voto illud non erat ſuum, & ſic fuit futurum. 7. Fundamentum. Ananias fur, & ſacrilegus

furtum, & ſacrilegium, ut expendit D. Auguſt. jam datus. Secundo D. Petrus arguit Ananiam de mendacio in Spiritum ſanctum, & Deum, *mentiri te Spiritui ſancto*, & iterum: *Non es mentitus hominibus, ſed Deo*; ille enim verè dicitur mentiri Deo, & Spiritui ſancto, quia id, quod promiſit, & vovit non adimplet, quod etiam communiter confirmatur ex gravi pœna ſubitaneæ mortis inflicta.

Tempore Voti.

8. *Cum vēderet nō habebat votum.* Communiter Auctores ſupponunt, quod quando Ananias vendidit agrum jam habebat factum paupertatis votum; contrarium tamen mihi verum videtur; quia D. Petrus arguens Ananiam, dixit ei: *Nonne manens tibi manebat, & venundatum in tua erat poteſtate.* Id eſt, ut omnes Doctores exponunt pretium venundati in tua erat poteſtate: ergo ipſe tunc non habebat votum; quia ſi haberet pretium non erat in ejus poteſtate, ſed Eccleſiæ ejuſque Superiorum, ſcilicet Apoſtolorum. Deinde, ſi habebat paupertatis votum, non habebat dominium in agrum, ac proinde non poterat illum vendere ſine majorum licentia.

9. *In oblatione votum.* In illo Apoſtolorum tempore primitivi Chriſtiani ſuas vendebant poſſeſſiones, & earum pretia ad Apoſtolorum pedes afferebant, in ipſaque oblatione fiebat votum tacitum, vel expreſſum paupertatis, ſeu renunciationis omnium ſuorum, & qui faciebāt in magna opinione erant apud omnes, ut ait D. Baſilius ſupra datus: *Humanæ gloriæ cupiditate Ananias*, tamen ipſe partem pretii ex agro vendito poſuit ad pedes Apoſtolorum, faciens in ipſa oblatione votum paupertatis, contra ipſius ſubſtantiam occultans, & pretij partem reſervans.

QUÆSTIO II.

Quare Ananias defraudavit de pretio agri?

10. D. Hier. Magiſter. Lyran. REſpondet D. Hieronym. epiſt. 8. ad Demetr. & ait: *Diſpenſatores timidi, ac metuentes famem, quam vera fides non timet.* Magiſter Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ in Acta cap. 22. exiſtimat, quod uterque iſte ſe ſocietati aggregavit, ut neceſſaria vitæ abſque labore haberet. Lyran. inquit: *Voluiſſe de mediocritate pretii habere expenſas communes, ſicut habebant alii, & de alia mediocritate vivere lautius in occulto.* Petrus Damian. epiſt. 15. de cont. ſec. cap. 3. ait: *Pro ſuſtentanda quaſi longa vita, uterque retinuit aliquid. Fortaſſe etiam cum animadverterent perſecutionem commotam, ſibi hac ratione conſultum de viatico voluerunt, ſi migrandum foret, vel ut ſe redimerent, ſi opus foret.* Ac proinde voluerunt aliquid ſibi reſervare pro aliquo caſu fortuito, ut haberent unde ſibi ipſis providerent, *ne neceſſitate laborarent.*

Damian.

11. D. Hier. Pſal. 36. Syrus. Quod totum eis proveniebat, ut ait D. Hieron. *Erant timidi diſpenſatores* ex debili ſpiritu, parva fide, tenuique gratia; qui enim in Deo confidunt, nihil eis deficit, ait Regius Vates Pſalm. 36. n. 25. *Junior fui, etenim ſenui, & non vidi juſtum derelictum, nec ſemen eius quærens panem.* Syrus legit: *filios eius*: ſed quomodo hoc verum eſt? Nam David quæſivit panem ab Achimelech, 1. Reg. 1. n 3. & Parens Elias à vidua Sarephtana 3. Reg. n. 8. Quomodo ergo dicitur: *Nec ſemen eius quærens panem.* D. Auguſt D. Remigius, *Quærens panem ita ut ei deficiat.* Deus vult ut homo faciat, & ſi eſt in tali caſu, in quo ſolertia humana nihil poteſt præſtare, ipſe Deus ſubvenit, ut Eliæ apud torrentem Carith per Corvos, 3. Reg. 18. n. 3. & Danieli in lacu Leonum per Prophetam Habacuc deferentem prandium ſuis meſſoribus, Daniel. 14. n. 34.

Mira Dei providentia erga ſuos ſervos. 1. Aug. Remig. 3. Reg. 18. Dan. 14.

Cum in præſenti alicui ponitur magna felicitas dicitur: *Mamillâ Regum lactaberis*, Iſaias 60. n. 16. In Regibus ad nutriendum ſolum unum pectus, una mamilla conſideratur; at de Chriſti Sponſa Eccleſia, habetur: *Duo ubera tua ſicut duo hinnuli capreæ gemelli, qui paſcuntur in liliis*, Cantic. 4. n 5. Ad alimentum Regum, qui tam lautè, ac ſplendidè vivunt, una aſſignatur mamilla, & in Eccleſia Chriſti duo inveniuntur, & dicitur, ſicut duo hinnuli, qui, ut ibi notant Expoſitores, ſunt valde eleganti aſpectu, ſuavemque mittunt odorem cum paſcantur in liliis; Unde in Regibus tam anguſta limitatio, in Eccleſia Dei tam ampla abundantia? In Regibus unum pectus ad nutriendum, in præſenti tantum & cum multis moleſtiis, & doloribus; at vero Eccleſia duo habet ubera, è quibus lac præbet in præſenti, ut notat Belvis, & providet in futuro, tam in hoc ſæculo, quàm in futuro multa ſuavitate, ac dulcedine. ſic Gillibertus Abbas ſerm. 31. in Cantic. loquitur ſic: Uberibus gemmis erga ſubditos abundare dicitur, his muniri mammis à dextris, & à ſiniſtris, ut qui ei commiſſi ſunt, potenter à lacte, & ſatientur ab uberibus conſolationis ejus. Harum alteram reputa ſiniſtram, alteram dexteram, ſiniſtram in temporalibus ſubſidiis, dexteram in ſpirituali conſolatione.

12. Iſai. 60. Cant. 4. *Deus abundantiſſimus erga ſuos.*

Actor. 5. *n.* 3. Dixit autem Petrus: Anania cur tentavit Satanas cor tuum, mentirite Spiritui ſancto, & fraudari de pretio agri.

Num. 4. Nonne manens tibi manebat, & venundatum in tua erat poteſtate? quare poſuiſti in corde tuo hanc rem? non es mentitus hominibus, ſed Deo.

Verſiones.

CVM EXPOSITIONE II.

13. Gilbert. Gloſſa. Carthuſ. Hugo. Græcus. Syriac. Verſ. 3. ℣. *Ixit autem Petrus*: tanquam caput Eccleſiæ, ac primus Apoſtolorum, ut notant Gloſſa, Carthuſian. & Hugo. *Cur Satanas* adverſarius, & inimicus noſter *tentavit cor tuum*, Græcus *implevit cor tuum.* Syrus: *Cur ita obfirmavit, & complevit cor tuum*, hoc eſt, cur permiſiſti te à Satana in tantum peccatum induci: ſumitur hic tentatio cum actu completo, ut involvit ſecum conſenſum, Græcus, *implevit cor tuum*, mentem tuam tantâ avaritiâ, ac cupiditate.

14. Arias. Sacrilegium. Caiet. Syrus. Arabic. *Mentiri te Spiritui ſancto.* Alii, ut Arias, legunt *mentiri Spiritum ſanctum*, & ſive legatur in dativo, ſive accuſativo, idem eſt ſenſus, ut ſi dicas Benedico tibi, vel benedico te: Mentiri autem Spiritui ſancto eſt negare illi rem voto promiſſam, & voto obligatam, ex quo paret peccatum, cum eſſet contra votum, fuiſſe ſacrilegium, & dicitur peculiariter contra Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis ad regendam, & gubernandam Eccleſiam. Caietanus ſic explicat mentiri Spiritum ſanctum, ut ſimulares Spiritu ſancto te agente ponere pretium agri, prima expoſitio germana, & *defraudare de pretio agri* Syrus ut defraudaris de argento pretii, Arabicus *furaris pretium agri.*

15. Syrus. Hebrah. Pſal 117 Lyra. Syriac. Verſ. 4. *Nonne manens tibi manebat?* Syrus *Nonne tuus erat antequam vendidiſſes.* Textus *Nonne manens tibi manebat.* Illa repetitio Hebraiſmus eſt ad magnam vehementiam denotandam. *Caſtigans caſtigavit me Dominus*, Pſam 117. n. 18. *Manens tibi manebat* explicat Lyra: Ante votum tuum, & liberum tibi erat offerre, vel non offerre, obligari, vel non. *Et venundatum in tua erat poteſtate.* Syriacus

Et

Æthiop. *Et postquam venundatus est, rursus tu potestatem habebas super pretium.* Æthiopic. *In voluntate pretium tuum*, id est, pretium agri venditi in tua libera potestate erat, ex quo patet, quod quando vendidit agrum non habebat votum, sed quando partem pretii obtulit, hoc fecit cum voto, primitivi enim Christiani cum oblatione suorum rerum paupertatis votum emittebant.

16. Syriac Vatabl. Tigurin. Syriac. *Quare posuisti in corde tuo hanc rem?* Syriac. *Quid tibi venit in mentem, ne exequaris hanc voluntatem.* Vatabl. *Cur concepisti.* Tigurina *cur induxisti in animum*, cur apud te statuisti, & determinasti: *Non es mentitus hominibus, sed Deo.* Syriac. *Non es mentitus in homines, sed Deum.* Nempe præcipuè, ac principaliter contra Deum; Ananias mentitus est Petro, Apostolis, & Deo; & quia tam execrabile fuit mendacium contra Spiritum sanctum, ut præ cæteris de illo maximè sit detestandum, ac commemorandum, sicut David ait Psal. 50. n. 5. *Tibi soli peccavi*, quamvis deliquerit contra Uriam, & Bersabe, ut explicant Theodorus, & Hesychius; & cum supra dixisset *mentitus es Spiritui sancto*, nunc vero ait mentitus es Deo, apertè constat Spiritum sanctum verum esse Deum, ut tenet Catholica fides, & contra Macedonium, ut latè probant D. Athanas. D. Nicenus, D. Ambrosius, & alii Patres.

Psal. 50. Theod. Hesychius.

QVÆSTIO III.

Quare D. Petrus arguit Ananiam de tentatione Satanæ, non vero de consensu suæ voluntatis, in quo extitit peccatum?

17. AIt D. Petrus ad Ananiam: *Cur tentavit Satanas cor tuum?* Videbatur quod non erat ille inctepandus de tentatione Dæmonis, cum id non esset in ejus potestate, sed de consensu, quem libero suæ vuluntatis actu præstitit, in quo peccatū extitit.

18. *Tentatio pro actu completo.* Respondetur primo, & ad literam juxta morem Hebraicum, tentatio sumitur hic pro actu completo, & consūmato prout involvit voluntacis consensum, sic ait Paulus 1. Cor. 7. n. 25. *Non tentet vos Satanas.* Apocal. 7. n. 10. *Servate ab hora tentationis*, & 1. Iacob. 12. *Beatus vir, qui suffert tentationem.*

19. Secundo. *Cur tentavit Satanas*, Syrus legit? *Cur implevit cor tuum* avaritia, ac cupiditate, & cum cor ejus terrenis esset impletum, inde facilem Satanas ad illud habuit ingressū, ut suū faceret, ac sibi subjectū.

20. Luc. 12. De illo Avaro scribit D. Lucas 12. n. 17. *Cogitabat intra se dicens: quid faciam? quod non habeo, quod congregem fructus meos: & dixit scio quid faciam, destruam horrea mea, & maiora faciam, & illuc congregabo omnia, quæ nata sunt mihi, dicam animæ meæ: Anima habes multa bona in annos multos, requiesce, manduca, bibe, epulare: dixitque illi Deus: Stulte hac nocte animam tuam repetent à te.* Mens hominis tota erat in futurum quid faciam, majora faciam, congregabo fructus meos, dicam animæ meæ, & de præsenti, quid habeat, nihil aliud, nisi anxietates, ac sollicitudines, quibus maximè torquebatur, de destruendis horreis, ac reædificandis, & de coacervandis fructibus: Deinde tota vox ejus erat per interrogationem *quid faciam?* & cum tantum ipse terrenis esset deditus, cum nullo alio loquebatur, nisi cum Satana, à quo possessus, & arreptus sepultus est in Inferno, D. Chrysol. serm. 104. expendens hominis verba sic ait: *Quid faciam? Interrogantis vox erat. & quem putas interrogat iste? erat in illo alter, quia ad ejus penetralia iam Diabolus possessor insederat.* Ex terreno affectu jam homo suus non erat, sed illius possessor, ac dominus Diabolus.

Ex terreno affectu ingressus Diaboli. D. Chrys.

Tertio juxta lectionem Syriac. *Implevit cor tuum*, D. Basil. serm. de instit. Monach. sic ait: *Ananias humanæ gloriæ cupiditate inductus, quidquid in bonis habebat, per professionem Deo consecravit, quo videlicet egregio facto hominum de se admirationem excitaret, de pretio autem callide, postea nescio, quid intervenerit.* Solebant primitivi Christiani venditis rebus suis earum pretium cum paupertatis voto ad Apostolorum pedes offerre, & qui hoc ita faciebant, in magna opinione habebantur, apud alios huius vanitatis vento implevit Satanas cor Ananiæ, & quamvis evacuavit eum de magna parte pretii suarum rerum insufflavit in eum vanissimos laudum humanarū ventos, quibus illius cor impletum statim transivit in possessionem, & dominium Satanæ, avaritia humanæ gloriæ cupiditate inductus, &c. 121 D. Basil. *Diabolus per vanitatem intrat in animā.*

Dixit serpens mulieri: *Nequaquum morte moriemini, scit enim Deus, quod in quocumque die comederitis, aperientur oculi vestri, & eritis sicut dij scientes bonum, & malum*, Genes. 3. n. 3. quæ comedit, deditque viro suo: Valde mirum, quod mulier uno serpentis verbo persuasa fuerit, absque dubitatione, ac cunctatione quieverit dictis serpentis, & contra Dei mandatum comederit. Non mirum, quod ubi primum serpens cœpit mulieris aures percutere, tumorem, ac inflationem vanitatis infundit: *Eritis sicut Dij*, confestim ipsam devictam, ac prostratam habuit, ibi D. Chrysost. sic ait: *Vidisti quomodo illam Diabolus captivam duxit, quomodo inflata spe vana, ab his, quæ ipsi concessa erant, exciderit.* 122 Genes. 3. *Vanitate decipitur Eva.* D. Chrys. post.

De viro sancto, ac justo, dicitur Psalm. 23. n. 5. *Qui non accepit in vano animam suam, nec iuravit in dolo proximo suo.* Expende ultima verba: *Nec iuravit in dolo*, id est omnino alienus est à dolo, mendacio, ac simulatione, omnia eius opera, ac verba sunt in simplicitate, ac sinceritate, omnique virtute; & unde illi tanta probitas, ac rectitudo? Ex his, quæ præmiserat: *Non accepit in vano animam suam.* non in vanitatibus, ac mendacibus rebus meditatur, nec ventos pascit, sed totus ad æterna, ac superna fertur, & ideo falsitatum parentem à se abjecit. D. August. ibi, ait: *In rebus non permanentibus, non deputavit animam, sed æternam stabilem, atque incommutabilem desideravit; ideo sine dolo sicut simplicia, & non fallacia sunt æterna, ita se præbuit proximo suo.* 123 *Alienus à vanitate. & dolis.* D. Aug.

Ait idem Regius Vates citato Ps. n. 7. *Attollite portas Principes vestras, & introibit Rex gloriæ*, ut Rex gloriæ intraret, sufficiebat portas aperire, cur ergo præcipitur attolli? Ut hoc scias, vide quænam sint istæ portæ; sunt nempe præsumptio, & vanitas, quæ omnino sunt amovendæ, ac reiiciendæ, ut Christus valeat in animam intrare. D. August. quæst. 112. ait: *Tollendas dicit fallaces portas Diaboli subtilitate compositas, quæ sunt præsumptio, ut introeat Rex gloriæ Christus Iesus Dominus noster.* 124 Psal 23.

QUÆSTIO IV.

Quare cum hoc peccatum Ananiæ fuisset occultum inter ipsum, & suam uxorem, tamen notum, ac manifestum factum est?

ANanias deposuit in corde suo defraudare de pretio agri, solumque hoc tractavit cum uxore sua tamquam consilio inito, ut dixi supra in expositione ad vers. 2. & tamen hoc maximè factum est publicum in tota Ecclesia, nam, ut Christus D. dixit: *Nihil est opertum, quod non reveletur, & occultum, quod non sciatur*, Matth. 10. n. 26. & unde hoc factum est manifestum inquirimus. 125 *Omnia manifestantur.*

26. Primò. A lumine Spiritus sancti, qui abdita, & obstructa revelat, ita D.Cyrill. Hierosol. Catech. 16. *Non adfuerat Ananiæ, & Saphiræ Petrus, cum sua bona vendebant, sed per Spiritum aderat; nullus erat accusator, nullus testis, unde igitur evenit, ut nosset? Qui erat absque literis per gratiam Spiritus illa didicit.* Cum Petrus esset repletus Spiritu sancto absque teste, ac accusatore illa agnovit, & penetravit.

D. Cyrill. *Spiritus sanctus omnia penetrat.*

27. Cum accusaretur Susana à falsis testibus, ex nullo humano medio eorum falsitas deprehendi posset, ex quo illi de suo mendacio maximè se securos promittebant, illa ab omnibus destituta clamat ad Dominum: quid tunc? *Excitavit Dominus Spiritum S. pueri adolescentis*, Daniel. cap. 13. n. 45. qui totas falsitatum machinationes aperuit, ac detexit D.Ambros. lib. 3. de Spiritu sancto c. 8. sic loquitur: *Vbi Dominum invocavit, Spiritum meruit, qui latentem Presbyterorum conscientiam revelavit*, Juxta humanam conditionem seniorum falsitas potuit latere, at ubi divinus Spiritus accessit, nil valuit esse absconditum, sed omnia in lucem claram prodierunt.

Dan. 13. D.Ambr. *A divino Spiritu omnia in lucē.*

28. Secundo D.Petrus agnovit per revelationem Spiritus sancti, & quomodo alii agnoverunt? ad quod respondet D.Athanas. orat. in Pass. Domini, ibi ait: *Minister veritatis Petrus eum à se extrudit*, dicens: *Non es mentitus hominibus, sed Deo. Qua in parte ingens miraculum editum est: & quod enim solus noscat Petrus, id morte Ananiæ omnibus innotuit.* Si fraudis mendacium in abdito, & secreto Ananias, & Saphira determinarunt, unde publicum, ac manifestum est. *Id morte Ananiæ omnibus innotuit.* Mors, & supplicium testatur eos mendaces, eorum crimen, ac culpam testatur, & clamat: Omnibus tacentibus ipsa pœna perenne culpæ memoriale est de eorum falsitate in voto, seu juramento facta.

D. Atha

Pœna testificat crimen mentientis, ac peierantis.

29. Loquens Zacharias Propheta de supplicio hominis mendacis, ac falso jurantis cap. 5. n. 4. ait: *Educam illud, dicit Dominus exercituum & veniet ad domum furis, & ad domum jurantis in nomine meo mendaciter, & commorabitur in medio domus ejus, & consumet eam, & ligna ejus, & lapides eius.* Valde mirum, quod supplicium contra hominem mendacem, non solum fulminatur contra ipsum, sed etiam contra domum ejus lapides, ac ligna, ut omnia dissipentur, ac destruantur; & cur tanta fiet desolatio in domo ejus? Ut ipsa totalis ruina sit perpetuum monimentum pœnæ mendaciter loquentis, ac falso jurantis; hoc enim execrabile crimen est, ut tanta afficiatur pœna, qua puniuntur facinorosi, ac rei humanæ, ac divinæ Majestatis læsores, quorum domus dissipantur, soloque æquantur, ut eorum crimen semper sit vivum in hominum memoria, & nunquam ab illa excidat. D.Chrysost. homil 15. ad populum sic ait: *Qua vero causa, & ligna jurantis dissolvit? ut ruina aliis correctio fiat: Postquam enim jurantem moriuum terræ condi necessum est domus dissoluta, & ruina facta prætereuntibus, & cernentibus admonitio erit.*

Zach. 5.

Pœna delinquentis doctrina aliorum.

D.Chrysost.

30. Pro libertate populi Israëlis, ac destructione Ægypti, ait Deus, Exod. 6. n. 6. *Redimam in brachio excelso, & judiciis magnis.* At de destruendo Sedecia Rege, ait Dominus per Ezech. 17. n. 9. *Non in brachio grandi, nec in populo multo, ut evelleret eum radicitus.* Et si desolatio Ægypti facta est in brachio excelso, & judiciis magnis, cur non sic in Sedecia destruendo brachium magnum non requiritur? Ille mendax prævaricatus est juramentum Deo præstitum, ut ait idem Ezech. citat. cap. 17. n. 16. & 18. perditus autem falso jurans non indiget brachio excelso, ipsi per se sit imbellis, & levi impulsu per se ruit, & cadit: citatus D.Chrysost. sic inquit: *Demonstrare volens quod non humana vi destrueretur, sed quoniam Deum fecit sibi inimicum per illa juramenta subjunxit: & non in brachio grandi.* Et ad hoc D.Chrysost. citat. multa adducit.

Exod. 6.

Ezech. 16.

Mendaciter jurans per se ipsum ruit.

D Chrysost.

QUÆSTIO V.

Quare Ananiæ mendacium dicitur specialiter commissum contra Spiritum sanctum?

HOc mendacium Ananiæ poterat dici commissum contra Patrem, & Filium, tamen particulariter dicitur factum contra Spiritum sanctum, & primo: Postquam Christus ascendit in cœlum missus est nobis in die Pentecostes Spiritus sanctus, tanquam Pater, Sponsus, Dominus, ac Rector totius Ecclesiæ, sic dicitur, Actor. 20. n. 28. *In quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei.* Sic & in rebus magnæ considerationis, quæ ad bonum Ecclesiæ regimen pertinebant dictum est ab Apostolis, Actor. 15. n. 28. *Visum est Spiritui sancto, & nobis &c.* Cum ergo fraus, & dolus Ananiæ esset commissus contra Ecclesiam, etiam specialiter est perpetratum contra Spiritum sanctum, qui est illius Dominus, Pater, Gubernator, ac Rector. 31.

Act. 20.

Act. 15. Spiritus Ecclesiæ gubernator.

Secundo Spiritus sanctus, cum sit amor infinitus, & increatus ipse nobis infundit omnia dona, gratias, virtutes, ac bona opera, lucemque ad veram cognitionem, ac intelligentiam, sic de eo canit Ecclesia *Veni dator munerum, accende lumen sensibus.* Ipse divinus Spiritus excitavit, & movit Ananiam ad hanc sublimem cogitationem, ut omnia sua per votum Deo consecraret, in quo mentitus est Spiritui sancto Auctori tam sublimis cogitationis, defraudans partem illius. 32.

Ecclesia. Spiritus infundit omnia dona.

Tertio: Spiritus sanctus est Spiritus veritatis, sic appellatur à Christo D. Joan. 16. n. 13. *Mittam vobis Spiritum veritatis.* Dicitur autem Spiritus veritatis; quia ipse, ut explicant noster D.Cyrill. & D. August. est Doctor, inductor, ac illuminator totius veritatis, quam ipse divinus Spiritus infundit, & communicat Ecclesiæ in omni puritate, & simplicitate; mendacium autem, ut erat illud Ananiæ, maximè est contrarium veritati, indeque maximè repugnans Spiritui veritatis, qui omnia illuminat, & illustrat in veritate. 33.

Joan 16. Spiritus veritatis manifestat omnem veritatem.

Cum Christus D. transfiguraretur ait D. Petrus: *Domine, bonum est nos hic esse, si vis, faciamus hic tria Tabernacula, tibi unum, Moysi, num, Eliæ unum,* Matth 17. n. 4. Petro meditante tabernacula *Nubes lucida obumbravit eos*, quæ nubes lucida, ut volunt D.Cyrill. Aug. D.Chrysost. est Spiritus sanctus, quid est quod Petrus intentans fabricare tabernacula divinus spiritus se ostentat in nube lucida? Ut ostendatur, quam diversus sit Spiritus divinus ab humano; humanus intentat tabernacula, quæ obscuritatem inducunt, Solem, & lucem excludunt, & arcent; at divinus Spiritus veritatis totus lucidus, ac nitidus est, omne tenebrosum, ac obscurum excludit, omnia facit apparere in luce, ac splendore; Spiritus humanus umbrosum, ac fictitium quærit, ut faciebat Ananias in præsenti; at Spiritus divinus, ut Spiritus veritatis sic movet, ut cuncta in luce innotescant, ut per suam sanctam inspirationem Petrum illuminavit. D.Chrysost. homil. 10. in Marcum inquit: *Mihi videtur ista nubes esse gratia Spiritus sancti: O Petre, quia vis tria tabernacula, respice unum tabernaculum Spiritus sancti, qui nos pariter protegit, si fecisses tabernacula, utique fecisses humana, & utique illa fecisses, quæ lucem excluderent, umbram includerent; nubes autem ipsa lucida, & obumbrans, hoc est unum tabernaculum, non excludit Solem justitiæ, sed includit.* Vide de hac re superiorem quæstionem n. 26. 27. 34.

Math. 17 D Cyrill. D Aug. D Chrysost.

Divinus Spiritus omnia facit innotescere.

D.Chrysost.

Act. 5. n. 5. Audiens autē Ananias hæc verba cecidit,

cecidit, & expiravit & factus est timor magnus, super omnes, qui audierunt.

Num. 6. Surgentes autem juvenes amoverãt eum, & efferentes sepelierunt.

Versiones

CUM EXPOSITIONE III.

35. Syriac. Græcus. Æthyop. Vers. 5. AUdiens autem *Ananias hæc verba*, Syriacus *hos sermones* suum crimen notum, & manifestum *cecidit, & expiravit*; Græcus *collapsus expiravit*. Æthiopic. *Convictus fuit Ananias, & prostratus fuit, & obiit.* Ad vocem Petri, ac ad ejus verba lethali plaga divinitus Ananja percussus, quam D. Petrus divino Spiritu repletus agnovit, & annuntiat, ut pœna duorum fiat correctio multorum: *Factus est timor magnus*, Syrus: *Pavor ingens invasit omnes*, agnoscentes quantum crimen sit Dei legem violare, & votum Deo factum non adimplere.

Syrus.

36. Æthyop. Arabic. Vers. 6. *Surrexerunt autem juvenes.* Æthiopic. *Juvenes oneris* fortè aliqui adolescentes pij, ac devoti, qui in multis inserviebant Apostolis. *Amoverunt eum, & efferentes sepelierunt.* Arabicus, *operuerunt eum, sublatum est, & sepelierunt*, Extra Civitatem, nempe ut erat consuetudo apud Iudæos, ut constat ex Genesi de sepultura Patriarcharum, & ex libro Regum de eorum sepultura, & etiam ex sepulchro Christi Domini.

QUÆSTIO VI.

A quo tam rigida mortis pœna Ananiæ inflicta est?

37. Origen. *Mors ex verecundia.* AUdiens Ananias verba Petri increpantis cecidit, & expiravit: Ad quod Origenes homil. 8. in Math. tanquam quid naturaliter factum videtur innuere, quod Ananias increpatione Petri percussus ex magno pudore, ac mœrore confectus cecidit, ac expiravit, sicut refert Plinius lib. 7. cap. 53. Diodorum Dialecticæ professorem subito ex pudore obiisse, eo quod quæstionem quandam lusoriam non solvisset.

38. *Mors animæ à Deo.* D. Hier. Communis, & vera sententia est, quod Ananias ad vocem Petri lethali plaga à Deo inflicta cecidit, & mortuus est, sic D. Hieron. epist. ad Demetriadem c. 7. ait: *Petrus Apostolus, nequam increpatur eis mortem, ut stultus Porphyrius calumniatur, sed Dei judicium prophetico spiritu annuntiat.* Unde merito ait D. Th. 2. 2. q. 64. art. 4. Petrum non sua auctoritate, vel manu eos occidisse, sed magis divinam sententiam de eorum morte promulgasse, quod maximè apparet in Saphira, sicut Parens Elias mortem Regis Ochoziæ ex Dei mandato declaravit, 4. Reg. 1. n. 4. & passim faciebant Prophetæ. Carthusian. existimat eos fuisse occisos ab Angelo. Tertull. lib. de pudicitia cap. 21. tenet hic indicatypum excommunicationis, quæ est mors animæ.

D. Tho. 4. Reg. 1. Carthus. Tertull.

39. Num. 25. Apoll. n. Deus agnoscens scelerum vendicator. Sciant potentes sæculi Deum scelerum esse ultorem. Postquam fornicatus est Israel cum filiabus Moab, mandat Deus Moysi: *Tolle cunctos Principes populi, & suspende eos contra Solem in patibulis.* Numer. 25. n. 4. sed cur contra Solem, ut Solem intuentes moriantur, Apollinaris in Catena Græca sic ait: *Suspende contra: Id vero non tantum, ut occulta eorum facinora proderentur, quam ut per Solem, qui symbolum gerit ipsius Patris totius naturæ Deum agnoscerent omnia intuentem, quem nec cogitationes quidem nostræ mentis fallere possunt, quem quidem non pigeat occultum esse testem nostrorum operum.* Ad intuitum Solis mandantur Principes suspendi, Sol iste noster visibilis symbolum est Dei omnipotentis, qui est verus Sol justitiæ; sciant Principes, & potentes, quod Deus omnia eorum opera intuetur, illorumque vindex est, morte, & tormentis, ut alii tali exemplo melius dispositi è vivis abeant, ut pœna eorum fiat aliorum correctio.

QUÆSTIO VII.

Quare tam rigidâ mortis pœnâ Ananias punitur.

40. *Palaces puniuntur.* D. Ambr. RAtio literalis est ob fraudatum pretium agri, in quo furtum, & magnam injuriam contra Ecclesiam commisit; quia ob votum paupertatis, jam illa pecunia pretii non erat sua, sed Ecclesiæ: injuriam etiam intulit Apostolis, quia eos intendit decipere, injuriam etiam fecit omni fidelium Congregationi, quia illud pretium dividebatur per singulos, ut unicuique opus erat, Actor 4. n. 34. & 35. & ideo suæ fallaciæ merito pœnas luit. D. Ambros. lib. 3. Offic. cap. 11. sic ait: *Licuit utique illi nihil offerre, & hoc sine fraude fecisset, sed quia fraudem, immiscuit non libertatis gratiam reportavit, sed fallaciæ pœnas exolvit.*

41. Cæsar. *Si deest confessio adest damnatio.* Secundo Cæsarius Nazianzi frater Dialogo 5. sic ait: *Quamobrem tam enormiter lapsus, Sanctus ille vir Petrus veniam consecutus, ipse quoque veniam non dedit Ananiæ, & Saphiræ, sed in una hora utrosque occidit verbis,* & post pauca sic respondit: *Quandoquidem semel Deo dicatum aurum sacrilegio vulneratus alienaverat, interrogatusque negaverat, nec enim facultas concedendi scelus erat,* non consentiente cum labiis corde Petrus peccavit, tamen oculorum Christi intuitu doluit, ac flevit amarè; at Ananias ter interrogatus, *cur Satanas, nonne manens, & venundatus in tua.* & obduratus persistit, nec signum doloris, aut confessionis ostendit, & si Petrus magnam habebat potestatem, & charitatem ad condonanda peccata, quæ per confessionem prodeunt in ore, non vero quæ obdurato corde abscondita in eo retinentur, ut Ananias aliud habens in corde, aliud in ore, unde ipse damnatus perditus est. Illi, qui ad nuptias veste non competẽte intravit, ait ille Matth. 22. n. 12. *Amice, quomodo huc intrasti non habens vestem nuptialem? At ille obmutuit.* In quo extitit tota suæ perditionis ruina, ut ibi ex multis Patribus dixi.

Matth. 22.

42. Actor 2. Actor. 4. Tertio. Petrus, & cæteri Apostoli multas injurias pertulerunt, ut dicerentur ebrii, Actor. 2. ut vincti ponerentur in carcere, Actor. 4. n. 2. & infra in hoc cap. n. 18. cæsique sunt flagellis infra in hoc cap. n. 40. At vero modo tam rigorosè se habet Petrus cum Anania, & Saphira. D. Petrus Prælatorum exemplar iniurias illatas in propriam personam patienter sustinet; at vero, ea, quæ machinabantur contra auctoritatem sui muneris, ut dolis, ac fallaciis deciperetur non dissimulat, sed rigidè invehitur, ac increpans punit. Judæi Christum D. voluerunt de monte præcipitare, Luc. 4. n. 29. voluerunt que etiam lapidare, in quibus placido vultu se habuit; ut cum diceretur eum Dæmonium habere, atque Dæmonis ope operari, Joan. 8. n. 49. Luc. 11. n 19. *Quod valde alienum erat à Salvatore*, ut ait Haymo, multis occurrit, calumniam refutat, ut Salvatoris dignitas in nullo offendatur.

Prælatus suam iniuriam suffert, non vero muneris. Lucæ 4. Ioan 8. Luc. 11. Haymo.

43. D. Hier. Lyran. *Pœna unius correctio multorum.* Quarto, inquit D. Hieronym citatus superiori q. epist. ad Demetriadem: *Ut pœna duorum esset correctio multorum.* Lyranus, Aannias subito à Deo percussus: transgressores enim aliculus legis, seu ordinationis graviter in principio sunt puniendi, ut lex firmetur, & alii terreantur, & hoc modo Nadab, & Abiud filii Aaron offerentes ignem alienum

Levit.10. Num.15 percussi sunt à Deo in die suarum consecrationum, Levit. 10.n.1. & colligens ligna in Sabbatho lapidatus est, Num.15.n.32.

44. Oecum. *Superflua irâ Dei illicitant.* Quinto Oecumenius in præsenti sic ait: *Hic autem sacrilegium apparuit; siquidem quæ Deo ad egentium alimentum reposita erant, ipsi ad superfluos usus insumebant.* Illa, quæ Deo ad pedes Apostolorum offerebantur, erant ad egentium, ac pauperum alimentum, ut patet ex loco proximè citato, Actor. 4. Ananias autem pecuniam quæ ad pauperes pertinebat ad superfluos usus reservabat, & inde, in laqueum mortis incidit.

45. Per quadraginta annos populus alimentatus est cœlesti cibo manna absque ulla offensione, petierunt carnes, venerunt Coturnices, adhuc erant in faucibus eorum, & furor descendit super eos, Num.11.n.33. Num.11 Psal.77. de quo Psalmographus, Psal.77.n.31. *Et pluit super eos sicut pulverem carnes, & sicut arenas maris volatilia pennata, & adhuc esca erant in ore eorum, & ira Dei descendit super eos.* Per tot annos nunquam cum manna in iram Dei inciderunt, ut modo cum coturnicibus statim ipsa prima manducatione. Unde tanta rei differentia? Manna dabatur cum mensura accommodata uniuscujusque necessitati: *Colligat unusquisque ex eo quantum sufficit ad vescendum*, Exod.16. n.16. At in carnibus non erat mensura, sed multa superflua, & abundans supra necessitatem, & talia dum eduntur sine mensura ruunt, & in interitum præcipitantur. D. Nazianz. orat. 3. & ait: *Panis in deserto pluvia instar fusus, obsonium è Cœlo missum, ille necessitati correspondens, hoc etiam supra necessitatem impertitum.*

Non necessaria interitû generât. Exod.16. D.Naz.

46. Quinto Theodorus apud Cassianum collat.6.c.11. Theod. ait: Ananias, & Saphira tam grandi pœna plectuntur; *quia novæ prævaricationis præsumptores reperti.* Hi duo maritus, & uxor fuerunt inventores, aut Auctores fallaciæ, ac deceptionis in Ecclesia fraudantes de bonis illius, & inde illis tanta pœna. Satis agitata quæstio est, cur Angelo peccanti venia denegatur, quæ homini delinquenti cõceditur. Peccat Angelus, utque reus punitur nulla spe veniæ data? peccat homo, & ut reus punitur, tamen condonatur peccatum. cujus rei optimam dat Albinus rationem ad cap.4.Genes. & ait: *Angelus sui sceleris inventor fuit, homo alterius fraude seductus*: Angelus fuit primus, qui contra Deũ se erexit, & ipsum gravitèr offendit, sed Adã prius seductus est ab Eva, quæ prius peccaverat: At Angelus extitit primus inventor peccati, indeque tam miserimè in peccato sepultus est, omni resurgendi spe denegata, utpote, qui primus in cœlo peccaverat, & primus in terra Evam seduxit.

Peccandi Magistros, ac inventores Deus odit. Albinus.

47. Mandat Deus Moysi facere serpentem æneum: *Fecit Moyses serpentem æneum, & posuit eum pro signo*, Num.21.n.9. Cur non potius fecit Leonem, Lupum, vel Ursum, qui æquè ac Serpens solent sævire in homines? D.Maximus homil. de Passion. *Vique primus apud Deum peccaverat, primus Crucis sententiâ feriretur.* Serpens fuit primus, qui peccavit in cœlo, primus qui induxit ad peccandum homines in terra: inde jure optimo suspenditur in ligno, ut primus omnium sui sceleris pœnam, ac castigationem sentiat, atque importet.

Num.21 *Prior peccandi artifex pulsatur.* D.Max.

QUÆSTIO VIII.

Quare non lente, ac charitativè admonet D. Petrus Ananiam, ut Iosue se habuit erga furti reum?

48. Iosue 7. INventus fuit Acham furti reus, eumque ad se advocat, Iosue 7. n.19. & ait illi: *Fili mi da gloriam Deo Domino Israel, & confitere, atque indica mihi, quid feceris ne abscondas: Respondit que Acham Iosue, & dixit ei: Verè ego peccavi Domino, & post hac fuit interfectus.* Si ergo tam benigne se habet Josue, cum delinquente, eumque filium appellat, ut inducat ad pœnitentiam, ac confessionem: Cur ergo similiter D.Petrus non benevole, ac paternaliter se habet cum Anania, sed statim tam severè, ac durè increpat. *Difficultas quæstionis.*

Respondetur primò cum D.Thom. 2.2.quæst.33. art.7. ad secundum, quod admonitio, ac correctio fraterna est adhibenda, quando datur spes emendationis, quæ nulla erat, nec in Iuda, nec in Anania, & ideo ait sanctus Doctor uterque non fuit corripiendus, nec admonendus; quia talis actus est otiosus non solum negativè, sed etiam positivè, & *Sanctum non est dandum canibus*, Proverb.9. 49. D.Tho. *Correctio quando danda.*

Secundo D.Isidorus Pelusiota lib. 2.epist.181.ait: *Cum tunc Evangelij sementem Apostoli facere cœpissent, ac statim zizania enata conspexissent, sapienti consilio ea confestim evulserunt, ne una cum tritico aucta futuro igni ad exustionem servarentur.* Inter incunabula ipsius Ecclesiæ, ac illius exordia, nata zizania fraudis, ac fallaciæ, rigidè, ac severè in aliorum documentum fuit amputanda, ac eradicanda, ne purum fidelium triticum inficionaretur, ac venenum exhauriret, ut in ignem, ac perditionem rueret: Sic Magnus Elias *occidit Prophetas Baal, & ne unus quidem effugiat ex eis*, 3.Reg. 18. num. 40. ne parva scintilla magnum excitaret incendium. 50. Pelusiot. *Peccata initio amputanda.* 3.Reg.18

Tertio D.Chrysostom. homil. 12. ait: *Oportebat*, inquit, *istum corrigi sed non correctus esset: Nam qui talia viderat, nullumque lucrum inde fecerat, multo magis nec alia ratione lucri fieri poterat.* Cur magnus Petrus sua Apostolica charitate Ananiam placidè, ac dulciter non commonefacit, ut pœnitens suam fraudem detegat, peccatum confiteatur, & misericordiam, ac veniam impetret. Prudentissime Petrus tales admonitiones prætermisit; *nam qui talia viderat; nullumque lucrum inde fecerat;* Nam pro tunc Apostoli magnis signis, ac præclarissimis virtutibus fulgebant, & sine ulla intermissione in conversione fidelium, ac ut eos ad pœnitentiam adducerent, incumbebant, qui omnes fideles ardentissima charitate, oratione, Sacramentis, eleemosynis erant diti, & qui inter tot, tantasque virtutes degens avaritiam suæ fraudis non cohibuit, inutilis illi erat quæcumque alia admonitio; nulla enim major, & efficacior, quam tot, & tantorum virorum vivum exemplum. 51. D. Chrysost. *Damna ipse peccator inter probos vivens.*

Videns Dominus ficulneam infructiferam ait ad cultorem vineæ: *Succide illam: Ut quid etiam terram occupat*, Luc.13. num.7. ex quo motivo benignissimus Dominus tam severè se habet erga illam ficulneam Gillibet. serm. 23. in Cantic. sic inquit: *Forsitan, & ficulneam illam sterilem, quam Dominus jussit succidi, fertiles de vicino vineæ condemnabant.* Undique vineæ florentes parturientes suavissimos fructus, circumdabant ficulneam, omnes fructibus plenæ, & ipsa sola infructifera merito damnatur, ut igni comburatur. 52. Luc.13. *Inter fructiferas vineas damnatur ficulnea.*

Cum populus detineretur in Settim unus ex filiis Israel introivit ad scortum Madianitidem. quod cum vidisset Phinees accensus zelo Dei *arrepto pugione ingressus post virum Israëlitam in lupanar, & perfodit ambos simul, virum scilicet, & mulierem*, Num.25. n.7. Cur Phinees, qui destinabatur in summum Sacerdotem, non prius ad eos clamat, ut cum timeant, & à tam nefario crimine se abstineant. Isti suam turpitudinem 53. Num.25

turpitudinem perpetrantur,ut ait Text.ibi n.6.quando Moyſes,& omnis turba filiorum Iſrael ſtabant ad oſtium Tabernaculi, & orantes, & qui inter aliorum lachrymas, gemitus,ac orationes à ſua turpi libidine refrenabantur, ſed tanquam equus indomitus præcipitabatur, nulla admonitione erat trahendus,omniſque illi inutilis & improficua.Procopius apud Gloſſam ſic ponderat: *Hic ſcortator immudicitiæ ſuæ atrocitate ad juſtam iram provocavit Phinees,quod videlicet in conſpectu Moyſis, & principum libidinem exercuit, nihil etiam reveritus ipſorum lachrymas, quas ante tentorium effuderunt.*

Inter aliorum lachrymas peccant deploratur.

Procop.

QUÆSTIO IX.

An Ananias,& Saphira ſint in æternum damnati?

54. Quæſtio præſens eſt, An Ananias, & Saphira ſint in æternum damnati? Aſſerunt aliqui, ut Caſſianus colla t.18.cap.7.Pro ea citatur D.Auguſt. ſerm.27.de verbis Apoſtoli, dum ait: *Ananias pariter & vitam perdidit, & ſalutem.* Et D.Baſil.ſer.1. de Inſtit. Monach. dum ait: *pœnitentia aditum invenire non potuit.*

Pro affirmans Caſſian. D.Aug.

55. Contraria ſententia, ut benignior, & communis magis placet: Origenes tract.18.in Matth D.Iſidorus Peluſiota lib.1.epiſt.181.citaturque pro ea D Auguſt. lib.3.contra Parmen. cap.1. ad illud 1.Cor.5. num.5. *Tradidit Satanæ in interitum carnis*: ſic ait: *Quid ergo agebat Apoſtolus, niſi ut interitu carnis, ſaluti ſpirituali conſuleret, ut ſive aliqua pœna, vel morte corporali, ſicut Ananias, & uxor ejus ante pedes Apoſtoli Petri ceciderunt, ſive per pœnitentiam, quoniam Satanæ traditus erat, interimeret in ſe ſceleratam mortem carnis concupiſcentiam.*

Sententia dicens, & negans. Origen. Peluſiot. D.Aug.

56. In eadem ſententia eſt Petrus Damianus epiſt.15. de contempt.ſæculi cap.3. & ait: *Et quidem illi,utpote rudes, & ad fidem denuo venientes, nec dum fortaſſe ad plenum Evangelica præcepta didicerant; nec dum enim ſacri doctrinæ Codices ad publicum commune proceſſerant: attamen qui in ipſo fidei tyrocinio quodammodo ſimpliciter peccaverunt, diſtricto quidem, pro judicio, ſola, ut creditmus,ſunt corporis morte mulctati.* Erant iſti in principio Eccleſiæ & adhuc rudes in doctrina Apoſtolica,& poſſunt excuſari ſine gravi peccato aliquid ſibi eſſe licitum ad proprios uſus ſervare: Unde Carthuſian. exiſtimat,quod Petrus ſua prece Ananiæ gratiam pœnitendi impetravit, quem externis tam rigidè correxit. Hanc ſententiam communiter ſequuntur recentiores Lorinus,Cornel.à Lapide, Tirinus, Menoch.& alii.

Damian.

Ratio ô concluſionis

Carthuſ. Lorin. Cornel. Menoch

57. Nec ex tam grandi mortis pœna colligitur eos mortaliter peccaſſe, quia hoc ſæpè fieri, & maximè in principio legis,ut lex magis firmetur, & alii ad ejus obſervantiam exhortentur, ut Deus morte punivit Ozam ob arcæ contactum,ex eo quod eam labentem ſuſtentaſſet, ne caderet 2.Reg.6.n.7.& ille alius Propheta per Prophetam occiſus eſt, eo quod contra Dei mandatũ in Bethel comediſſet, ſeductus, ac deceptus ab alio Propheta, affirmans ſibi revelatum eſſe poſſe comedere, 3.Reg.13.n.24. Similiter colligens ligna in Sabbatho ex Dei mandato lapidatus eſt.Numero.15.n.32. In quibus tantum videtur peccatum veniale fuiſſe.

2.Reg.6

3.Reg.3.

Num.15

58. Et eſto quod concedatur Ananiam, & Saphiram mortaliter peccaſſe audita tamen Petri increpatione, poterant in ipſo mortis tempore dolere ad ſalutem, ſic ait D. Hieron. in cap.1. Nahun: non paucos de ſubmerſis in diluvo,vel mari rubro, & de crematis in Pentapoli, dolore interno evaſiſſe æternam mortem; qua etiam de cauſa dicitur,quod ille, qui moritur in duello, vel clauſo oſtio à parte interiori, & invenitur laqueo ſuſpenſus, vel in puteo demerſus, ac ſuffocatus, vel interfectus cùm amaſia in lectulo ſepeliendus eſt in loco ſacro, atque pro eo ſunt offerenda ſacrificia,quia ſemper præſumitur quod in extremis homo totis viribus agit de ſua ſalute æterna. Ita Navar.lib.3. conſil.7. de ſepult. Villalob.tom.2. tract.31.diff.3.n.4.Barboſ.de offic.Paroch.c.26.n.49. Dian.p.5. tract.3. reſol.10. Rodrig. Menoch.Grafis, Hurt.de Mendoza, multique alii, quos citavi,& ſequutus ſum in Opuſculis opuſc.2.reſol.48.quæſt.2. num.11.12 & 13.

D.Hier.

Navar. Villalob Barboſ. Dian. Rodrig. Menoch. Grafis. Hurt.

Actor.5.n.7. Factum eſt autem quaſi horarum trium ſpatium, & uxor ipſius neſciens, quod factum fuerat, introivit.

Num.8. Reſpondit autem ei Petrus: Dic mihi mulier, ſi tanti agrum vendidiſtis? At illa dixit,etiam tanti.

Num.9. Petrus autem ad eam: Quid utique convenit vobis tentare Spiritum Domini? Ecce pedes eorum, qui ſepelierunt virum tuum ad oſtium,& efferent te.

Num.10. Et confeſtim cecidit ad pedes ejus, & expiravit. Intrantes autem juvenes invenerunt illam mortuam,& extulerunt, & ſepelierunt ad virum ſuum.

Num.11. Et factus eſt timor magnus in univerſa Eccleſia, & in omnes qui audierunt hæc.

Verſiones

CUM EXPOSITIONE IV.

59. Verſ.7. *Factum eſt autem quaſi horarum trium ſpatium.* Syrus, *Tribus vero poſt horis.* Pagninus, *Interceſſit intervallum trium horarum.* De quo quæſt ſequenti; *Neſciens quod factum fuerat,* nullus fuit auſus tam infelix nuntium ei aperire. *Introivit.* Occumenius: *Non vocabat eam Petrus, ſed expectabat, ut ipſa, dum vellet, ingrederetur, data illi poteſtate reſipiſcendi, & non impudenter ingrediendi.* Vocabat eam culpa ſua, ut debitas lueret pœnas.

Syrus. Pagnin. Oecum.

60. Verſ.8. *Reſpondit ei Petrus.* Caietan. *Mulieri nempe eum ſalutanti,* Syrus, & alii *reſpondit*, legunt: *dixit*,Hebræi frequenter ſumunt reſpondere pro dicere: *Dic mihi mulier,* nomen ejus tacuit, ut notat Lorinus, virum tamen expreſſerat Ananiam,cavenda eſt cum muliere familiaritas, cujus nota eſt,ac ſignũ agnitio nominis: ſic ait Deus Moyſi: *Novi te ex nomine, inveniſti gratiam coram me,* Exod.33.n.12.& ad Iſaiam: Dominus ab utero vocavit me,& recordatus eſt nominis mei, cap.49.n.1.

Caiet. Syrus. *Familiaritas mulierũ ſuſpecta.* Exod.33 Iſai.49.

61. *Si tanti agrum vendidiſtis.* Syriacus *fundum.* Æthiopic. *Vineam veſtram.* Lucifer. *Prædium*, & cum Apoſtolus ait: *Si tanti vendidiſtis*, notat Lyranus, expreſſit pretium oblatum ab Anania, cujus tamen quantitatem Lucas tacet, ut denotaret breve cum muliere colloquium.

Syriac Æthiop. Lyran.

62. *At illa dixit: Etiam tanti.* In quo mentita eſt; nam magnam partem pretii cum ſuo marito abſcondit, mulierum ingenium valde proclive ad mendacium: ſic Eva ait Serpenti: *Præcepit nobis Deus ne comederemus, & ne tangeremus*, Geneſ.3.n.2.& Deus ſolum interdixit eſum, non vero tactum: Sara audiens ſe parituram riſit, & poſtea aſſeruit, ſe non riſiſſe, Geneſ.18.n.15. Sic mentita eſt Saphira. D. Chryſoſtom. Magna cœcitas cum pertinacia multa reſpondit, putabat enim quod cum homine loqueretur.

Mulier mendax. Geneſ.3. Geneſ.18 D.Chryſoſt.

63. Syrus. D.Chryſoſt. Æthiop. Gloſſa. Caiet. Carthuſ. Verſ. 9. *Petrus autem ad eam, quid utique convenit tentare Spiritum Domini?* Syrus *Quoniam aquales fuiſtis ad tentandum.* D. Chryſoſt. *Conſpiratum eſt inter vos.* Æthiopic. *Quomodo communicaſtis inter vos.* Conventio facta eſt inter vos tentare Spiritum Domini propheticum in me, quo ego prædictus ſum, & ſcio, & agnoſco veſtrum fructum; ita utraque Gloſſa & Caietan. vel, ut ait Carthuſian. tentare Spiritum Domini exiſtimantes furtum veſtrum poſſe effugere cognitionem Dei, quam mihi communicat.

94. 3.Reg 14 4.Reg.5. *Ecce pedes iuvenum.* forſitan D. Petrus audivit ſtrepitum eorum pedum redeuntium è ſepultura, ſicut audit Achias Propheta uxoris Roboam ſonitum pedum ejus. 3.Reg.14.n.6.vel Petrus agnovit, & vidit, ut Eliſæus, 4. Reg. 5. n. 26. Giezi currentem poſt Naaman.

65. Syrus. Carthuſ. Æthiop. Oecum. Verſ.10. *Confeſtim cecidit ante pedes ejus, & expiravit* Syrus, *Et eo ipſo momento.* Æthiopicus, *Et proſtrata ſtatim fuit ſub pedibus ejus,* Carthuſianus exiſtimat, quod percuſſa fuit ab Angelo, ſicut vir ejus Ananias. Oecumenius: *Quoniam* (ait) *in dolo conformem viro reperit, ſimili quoque pœna condemnavit.* Similes in culpa, ſimiles & in pœna. *Introëuntes autem juvenes.* Æthiopic. *Invenes oneris*, qui erant deputati ad ſerviendum Apoſtolis. *Extulerunt,* Syrus. Arabic. *& ſepelierunt ad virum ſuum.* Syrus *ad latus viri ſui.* Arabic. *Prope maritum ejus.* Fuit celebris conſuetudo apud Hebræos ut cõjuges eodem ſepulchro conAbulenſ. derentur, ut teſtatur Abulenſis, 2.Reg.15.q.14. & ait: *Vt carnis conjunctionem ſequeretur contactio pulveris, & quæ de coſta viri facta eſt mulier.* Quod probat multis exemplis.

66. Syriac. Æthiop. Oecum. Verſ.11. *Factus eſt autem timor magnus.* Syriacus *Extitit timor ingens,* & ſubdit Textus: *In univerſa Eccleſia, & in omnes, &c.* Æthiopic. *Timuerunt omnes Eccleſiæ.* Et quamvis in illa ſancta unione fidelium, nullus aderat, qui mentitus eſſet Deo, tamen ut ait Oecumenius, ex *facto*, quod circa *Saphiram accidit, oritur in aliis ſalutaris timor*, in ruina unius prudens timet, ſic percuſſo Oza, qui juxta arcam Dei mortuus eſt, extimuit David Dominum in die illa, 2.Reg.6. 2.Reg.6.n.9. & maximè ponderandum, quod mortua D Chryſoſt. Saphira, & marito, ut advertit D. Chryſoſt. *Nullus ibi tamen ingemuit, nullus eiulavit cum divinum judicium venerarentur, & diſcerent Deum non eſſe contemnendum,* ſed omnes ejus divinam voluntatem venerabantur cum multa humilitate.

QUÆSTIO X.

Quare in ſpatio trium horarum nullus extitit, qui nuntiaret Saphiræ terribilem ſui mariti mortem?

67. Theod. *Res domeſtica tacenda* VAlde mirum eſt uxorem de mariti morte nihil omnino reſciviſſe tribus hotis, nemo è domo egreſſus renuntiavit? Nemo ſanè: quod pulchrè expendit Theodorus Studita ſerm. 117. & ait: *Scriptum eſt in Actis Apoſtolorum: factum eſt, quaſi horarum trium ſpatium, & Saphira uxor ipſius neſciebat quod factum fuerat. Certè in publico acta fabula eſt, & frequenti vulgi corona, ſed erat in idem, nimirum circunſpectio, modeſtia, Dei reverentia.* Tanti de malo domeſtico fuit ſilentium, & licet in auditorum oculis res peracta fuerat, inter Cancellos tamen domeſticos clauſa eſt, ita ut nefas duxerit unuſquiſque illud publicare.

68. Levit. 6. Præſcribit Deus modum, quo hoſtia offerenda eſt pro peccato, Levit.6.n.25.& 26. *Sacerdos, qui offert comedet eam in loco Sancto in atrio Tabernaculi*, &c. Caveat Moyſes ne hoſtia, quæ pro erratis expiandis offertur, efferatur extra domum ſacram: non ſic mandatur in aliis, quæ oblata erant pro purificanda muliere, vel pro redimendo parvulo, vel pro erratis per ignorantiam contra res ſacras; ſolùm verò ea, quæ pro peccatis erant, in loco ſancto comedi jubentur; ſic bonus Deus errata aliorum vult eſſe abdita, ut non patiatur extra ſacrum ſeptum evehi, ac propalari. Philo Hebræus lib. de victimis, ſic ait: Philo. *Nihil enim extra fanum effertur, ne pœnitentes exprobrentur peccata priſtina, iacta in vulgus inimicorum ſuſurris, & linguis petulantibus.* Sic Deus curabat famam hominis, ut quæ pro ejus peccatis erant, veluti velo obducto occultarentur, atque abſconderentur. *Maximè occulta aliorum ſcelera.*

69. Valde publicum, & notorium fuit omnibus quod Saül bello fractus una cũ filio ſuo Jonatha ceciderit in bello, tamen David lachrymans ait: Nolite annuntiare in Geth, neque annuntietis in compitis Aſcalonis, 2.Reg.1.n.20. Valde publicum extitit prælii infortunium, cur ergo David tam rigidè, ac ſeverè prohibet illud evulgari in Civitatibus Philiſthinorum, in magnum ſanè documentum; ſi enim ea, quæ ſunt aperta in omnium oculis ſunt operiẽda, quanto magis ea, quæ ſunt ſecreta, & occulta tegenda, ut abdita remaneant, ne per aliorum ora dicantur. Bachiar epiſt. ad Januar. *Prohibetur* (ait) *ne intermiſis Geth, neque in finibus Aſcalonis, hoc eſt in notitiam ſæcularium hominum caſus fratris, vel ruina ſeminetur.* Hæc jubet, & monet David. 2.Reg.1 *Aliorum affectus regendi ſunt.* Bachiar.

70. Proditorem notans ait Divinus Magiſter: *Unus veſtrum me traditurus eſt.* Matth.26.n 21. contriſtati cæteri Apoſtoli ſollicitè quærunt n.22. *Nunquid ego ſum Domine?* quærit etiam Judas n.25. *Nunquid ego ſum Rabbi.* Impudens proditor, ne hoc audenter quæras, cum experientia agnoſcas cœleſtem Dominum cordium cogitationes penetrare, & ſcire, ſic aliquando ad circunſtantes dixit: *Quæ cogitationes aſcendunt in cordibus veſtris*, Matth. 9. n. 4. Similiter autem de Phariſæo cogitante intra ſe Luc. 7. n. 39. ergo bene debebat Judas hoc cognoſcere quõ Chriſtus D. ſuas proditorias machinas apertè deprehendebat, quomodo ergo audet interrogare: *Nunquid ego ſum Rabbi?* Et non timet quod in faciem ei dicat Chriſtus: Tu es ipſe proditor. Perbelle Euthymius ait: *Interrogat & ipſe confidens de præceptoris benignitate, quod palam non arguerit eum.* Sciebat Iudas Chriſtum de peccato domeſtico taciturum, qui docuerat peccantem hominem vulgo exponendum non eſſe. Matth.26 Matth. 9. Luc.7. *Occultũ ſcelus palã non curat Magiſter.* Euthym.

QUÆSTIO XI.

Quare Saphira mortua cecidit ad Petri pedes?

71. POſtquam Saphira interroganti Petro negat pretium agri venditi eam admonet, dicens: *Quid convenit vobis tentare ſpiritum Domini? ecce pedes eorum, qui ſepelierunt virum tuum, efferent te.* Et obiicit Apoſtolus terribilem mariti mortem, ut eam inducat ad pœnitentiam, & alto Dei judicio eam ad pedes ſuos admittit, ut ſi velit abſque auditu aliorum valeat confiteri, & veniam, & remedium obtinere, & mortis pœnas evitare. eleganter Oecumen. & ſic ait: *Quomodo ad pedes eius? quia iuxta eum ſtabat: Petrus vero ſtetit iuxta eam, ut ſi reſipiſcere vellet, ac confiteri non vereretur alios, qui audirent.* Eximius Chriſti Vicarius Petrus, ne infertet mortem merenti mulieri, ſed proponit mariti caſum, ut ex timore ſimilis pœnæ eam inducat ad pœnitentiam confeſſionis, quam facile poteſt præſtare, cum ad Oecum.

ipſius

ipſius pedes eam admittit, ex quo aliqua ſunt colligenda.

Primò quod calamitas, ac adverſa fortunæ multum conſcientiam ſtimulat, multum oculos aperit ad cognoſcenda propria. Venditur Ioſeph in Ægyptum à fratribus ſuis, qui pluſquam per viginti annos, cum multa felicitate degunt in domo paterna abſque ullo remorſu criminis in fratrem, tempore famis deſcendunt in Ægyptum ad quærenda alimēta, quos agnoſcens Ioſeph *tamquam ad extraneos durius loquebatur.* Geneſ. 42. num. 7. arguit deinde homines, ut dolis ſuadendis artifices: *exploratores eſtis.* num. 9. minatur ſordes carceris, ut deprehendat vera, ne dixerint: *Vos eritis in vinculis*: Tunc ipſi fratres tanto labore prudentiores facti inter ſe dolentes dicunt: *Merito hæc patimur, quia peccavimus in fratrem noſtrum.* Ibidem nu. 21. cum enim aliena infelicitate felices agerent fratres, nulla erat peccati conſcientia, nullius pœnitentiæ dolor; cum vero vexantur calamitatis morſu, atque adverſâ fortunâ opprimuntur, erratum agnoſcunt, & fatentur pudore ingenuo. Rupertus lib. 9. cap. 3. ſic pro Ioſeph loquens: *Iuſtæ namque, & idoneæ ſeveritatis fuit, quod peccatores tandiu flagellat, & corripit verborum ſtimulis, claviſque acutis, donec peccatum ſuum agnoſcant, & dicant: merito hæc patimur, quia peccavimus in fratrem.* Quod confirmari ex prodigo poteſt, qui in ſe reverſus dicebat: Luc. 15. numer. 18. & ex ſancto latrone: *Nos quidem juſta, &c.* Luc. 23. num. 41. Unde Petrus mulieri objicit mortem mariti.

Gen. 42. *Calamitas adigit ad peccati confeſſionem.* Rupert. Luc. 15. Luc. 23.

Secundo magna miſeria hujus mulieris, quia ad pedes Apoſtoli mortua cecidit, ubi remedium aderat, in quo poterat, ſalutem impetrare. Cum boves recalcitrarent, & declinarent arcam, *extendit Oza manum ad arcam, & tenuit eam, iratus Dominus contra Ozam percuſſit eum, qui mortuus eſt ibi juxta arcam.* 2. Reg. 6. num. 7. In omni ſuo labore populus ad magnum ſubterfugium ad arcam confugiebat, & cum populus vellet lapidare Moyſen, ipſe ad tabernaculum confugit, in quo erat arca. Rupertus lib. 6. & ait: *Lamentabilis caſus tactu arcæ periit, cujus viſu alii ſanabantur.*

73. *Vbi remedium ibi mors.* 2. Reg. 6. Rupert.

Tertio: Audiens mulier verba Petri cecidit ad pedes, apud quos proxima erat, ut ſi vellet confiteretur peccatum ſuum, ut veniam impetraret. Peccavit populus magno peccato adoratione vituli; Moyſes rogans, ut Deus dimitteret tantam offenſam Exod. 32. num. 31. ait: *Obſecro; peccavit populus iſte peccatum maximum, fecerunt ſibi Deos aureos, aut dimitte eis hanc noxam, aut ſi non facis dele me de libro tuo.* Ut Deus condemnāret peccatum multas poterat Moyſes rationes proponere, prima omnium eſt peccatorum confeſſio: *Peccavit peccatum maximum.* D. Chryſoſt. apud Caten. Lyppom. & ait: *Cur quæſo incipit Moyſes à confeſſione peccati? quia in mundanis, ac forenſibus judiciis, poſt accuſationem, & criminum confeſſionem ſequitur mors: Cæterum apud Divinum tribunal poſt accuſationem, & confeſſionem criminum datur corona.* Tamquam omnium efficaciſſimum remedium ad indulgentiam proponit Moyſes peccatorum confeſſionem; nam inter ipſam, & coronam nullum eſt medium.

74. Exod. 32. *Ex confeſſione corona.* D. Chryſoſt.

Poſtquam Caïn perpetravit ſuum fratricidium, loquens Deus cum eo, & interrogat: *Vbi eſt Abel frater tuus?* Geneſ. 4. numer. 9. Bene ſciebat Deus Abelem à Caïno fuiſſe obtruncatum, ſed quærit judex omnium agnitor, ne reus peccatum tegat, indeque occaſione data, eum ad pœnitentiam, ac confeſſionem inducat, ut ait Tertull. lib. 2. in Marcionem cap. 25. *Vt daret locum ſponte confitendi delicta, & eo nomine relevanda.* Dare veniam Caïno judex voluit, cum eum ad confeſſionem eliceret; aperit enim locum indulgentiæ vera confeſſio delictorum.

75. Geneſ. 4. *Ad confeſſionem ſcelerum allicit Deus.* Tertull.

Actor. 5. *Num.* 12. Per manus autem Apoſtolorum fiebant ſigna, & prodigia multa in plebe, & erant unanimiter omnes in porticu Salomonis.

Num. 13. Cæterorum autem nemo audebat ſe coniungere illis: ſed magnificabat eos populus.

Num. 14. Magis autem augebatur credentium multitudo virorum, ac mulierum.

Num. 15. Ita ut in plateis ejicerent infirmos, & ponerent in lectulis, ac grabatis, ut veniente Petro, ſaltem umbra illius obumbraret quemquam illorum, & liberarentur ab infirmitatibus ſuis.

Num. 16. Concurrebat autem & multitudo vicinarum civitatum Ieruſalem afferentes ægros, & vexatos ab ſpiritibus immundis, qui curabantur omnes.

Verſiones

CVM EXPOSITIONE V.

76. Act. 2.

Verſ. 12. *PEr manus autem Apoſtolorum*, id eſt per operationes, & actiones Apoſtolorum, omnium enim manus eſt organum, ſic dicitur Actor. 2. num. 23. Iudæos interfeciſſe Chriſtum *per manus iniquorum*, hoc eſt per homines iniquos, vel quia ſuis manibus miracula faciebant benedicendo, ſignū Crucis faciendo, ac ſuo contactu, quo Petrus elevavit claudum Actor. 3. num. 7. *ſigna, & prodigia.* Syrus Edebantur *ſigna, & virtutes.* Æthiopic. *miracula.* Act. 3. Syrus. Æthyop

77. Lyra.

In plebe, ut notat Lyranus: *Non dicit in Principibus, quia non credebant paucis exceptis*, qui occulte Chriſtiani erant, ut Gamaliel, Nicodemus, & aliqui. *Vnanimiter omnes*, Gloſſa gratiæ magnitudo non fecit in eis diviſionem, ſed potius unitatem. *In porticu Salomonis.* Æthyopicus *In domo ſancta.* De hoc porticu jam dixi ſupra cap. 3. num. 2. Gloſſa alludens ad Salomonem ait: *Erant ſapientes in domo ſapientis, ubi orationi ſimul inſtabant, & doctrinæ.* Deinde hic porticus erat valde ampliſſimus & capax tot millium Chriſtianorum. Gloſſ. Æthiop. Gloſſa.

78. Lyran. Gloſſa.

Verſ. 13. *Cæterorum autem nemo audebat ſe conjungere illis.* Syriacus *Ex aliis autem nemo audebat ad eos accedere.* Aliqui referunt ad infideles, alii ad fideles; ſed indefinitè ad omnes, ad infideles, qui trepidi, ad fideles ex reverentia Apoſtolorum, Lyranus, & Gloſſa ob pœnam impoſitam ſuper Ananiam, & Saphiram, ſed hoc non ſtat, quia dicitur ſequenti numero: magis augebatur credentium numerus.

79. D. Chryſoſt. Æthiop.

Verus ſenſus eſt nemo audebat ſe Apoſtolis inſerere, aut Apoſtolorum ſe familiarem oſtendere, partim metu Iudæorum, partim reverentia Apoſtolorum, quia, ut ait D. Chryſoſt. *Erant ſicut Angeli admirabiles*, gravitate venerabiles, oratione cæleſtes, moribus divini, vultu venerabiles, affabilitate amabiles, ignem zeli, ac devotionis ſpirantes. *Magnificabat eos populus.* Æthyopicus *Honorabant eos populi.*

80. Syrus. Lucifer. Oecum.

Verſ. 14. *Magis autem augebatur credentium in Domino.* Syrus *magis accreſcebant ij, qui in Domino credebant.* Lucifer. *Magis addebantur* Oecumenius *magis accedebant.* Hebraiſmus eſt *in Domino* pro in

Dominum, ſicut dicitur tangere in capite, id eſt in caput. *Virorum, ac mulierum* facit hic mentionem mulierum ad honorandum ſexum, ne videatur deturpatus ruinâ Saphiræ.

81. Caiet. Verſ. 15. *Ita ut in plateas eiicerent infirmos.* Notat Caietanus quod tanta erat miraculorum copia, ægrorum multitudo concurrentium ad Apoſtolos, ut eos, nec ad Apoſtolos deferre, nec Apoſtoli domatim obire poſſent, quapropter eos offerebant in plateas, per quas tranſituri erant Apoſtoli, ut ibi ab eis curarentur, & *ponerent in lectulis*, Syrus *efferrent*, D. Chryſoſt. *Exportarent*. Æthiopic. *Adducebant, in grabatis*, grabatum eſt ſpecies lectuli ſimplicior, & vilior, qualis eſt pauperum, & ægrotorum geſtatilis.

Syriac. D. Chryſoſt. Æthyop

81. Syrus. Æthyop Bozius D. Chryſoſt. *Vt veniente Petro ſaltem umbra illius obumbraret.* Syrus *umbra illius operiret*. Æthiopic. *Ita ut attingeret eos umbra Petri, quando tranſiret*. Boſius de notis Eccleſiæ lib. 18. cap. 1. & favet Chryſoſt. exiſtimat, quod umbra Petri unũ dumtaxat tangente, cæteri propinqui, vel in eadem platea exiſtentes ſanabantur, licet ab umbra Petri non tangerentur, & huic ſenſui favent ſequentia verba in plurali. *Liberarentur ab infirmitatibus*: tamen germanior ſenſus eſt, certatim omnes contendebant inſerere ſe ſub umbra Petri, & quotquot eâ tangebantur, ſalutem conſequebantur.

83. Verſ. 16. *Concurrebat multitudo* ex omni loco, ac civitate vicina *vexatos à ſpiritibus immundis*, nempe energumenos, poſſeſſos, & obſeſſos à Dæmonibus, dicuntur immundi, quia ad multas immunditias homines provocabant, ac excitabant, ſcilicet ad odium Dei, iram, luxuriam, gulam, ac ſimilia. *Et curabantur omnes*. Æthiop. *Et vivificabat eos omnes.* Æthiop.

QVÆSTIO XII.

Quare D. Petrus umbrâ facit miracula, & ſanat, quod de nullo alio Sancto legitur?

84. VAlde mirabilis prærogativa D. Petri, quod umbrâ ſanaret infirmos, non ſolum eum, quem umbra tangebat, ſed etiam illum, qui ei proximus erat, omneſque in platea exiſtentes, ut in expoſitione dixi ex Bozio, quod de nullo alio ſancto legitur: Unde Petro tanta excellentia?

85. Lyran. Reſpondet primo Lyranus: *Ponitur differentia Petri ad alios Apoſtolos in operatione miraculorum, nam alii Apoſtoli curabant infirmos per tactum manuum, ſicut dicitur ſupra per manus Apoſtolorum, Petrus autem non ſolum per tactum, ſed etiam per umbram, quod eſt maius, quod fiebat ad oſtendendum quod erat principalis Apoſtolus.* Maxima ſanè excellentia Petri, utpote primus, & principalis Apoſtolus, ut eius umbra, quæ eſt privatio lucis, ac nihil, majora magnalia operetur, quam quæcunque alia mirabilia aliorum Sanctorum ut jam notavi tom. 2. in Apocalypſ. cap. 21.

Nihil Petri valde mirabile.

86. Theoph. Secundo D. Theophylus Alexandrinus de celebratione Paſchatis ait: *Apoſtolica umbra non obfuſcat, ſed in vitæ lucem inducit.* Magna excellentia in Apoſtolica umbra; quod non nitet, ac magna apparet inter obſcuras umbras, ſed inter ſplendentes vitæ luces, hæc eſt illuſtriſſima celſitudo; non de aliorum initio, ac obſcuritate ſplendeſcere, ſed de propriis virtutibus fulgere; nam ut pulchrè ait D. Nazianz. orat. 2. de Pace: *Extrema quippe miſeria eſt, non propriis viribus, ſed de aliorum imbecillitate niti.*

Magna gloria ac propriis viribus niti. D. Naz.

87. Matth. 26 Tertio peculiariter umbra Petri ſanat, ipſe ter negavit D. Magiſtrum: *Non novi hominem*, Matth. 26. Ut ergo ipſe verus, ac firmus Chriſti diſcipulus, & amicus jam in ſua gratia per pœnitentiam agnoſceretur ab omnibus, requirebatur, ut majora, ac illuſtriora miracula, quam omnes alii ederet, ac demonſtraret, & ideo Reſurrectionis nuntium præcepit Angelus mulieribus: *Ite dicite diſcipulis ejus, & Petro*, Marc. 16. n. 7.

Multum requiritur, ut inimicus pro amico habeatur.

Quarto. Rabbanus ait: *Tot erant tunc infirmi à credentibus allati, ut omnes non poſſent Petrum contingere*, & inde per umbram ſanabat; magna, & præclara charitas D. Petri; quia gratia ſibi à Deo data omnes appropinquando non poterant frui, illam extendebat, non ſolum ad propinquos ipſum tangentes, ſed etiam per umbram ad diſtantes in platea, ut notavi in exordio quæſtionis. Cum turba fameſcens Chriſtum ſequeretur in deſerto ſcribit D. Joan. cap. 6. n. *Ieſus* ſubiit in montem, & ibi ſedebat cum diſcipulis ſuis *Et cum ſublevaſſet oculos, & vidiſſet, quia multitudo maxima venit ad eum.* D. Magiſter elevat oculos, non ad diſcipulos ſedentes cum eo, ſed ad turbam fameſcentem, & diſtantem; non enim coarctat ſuam gratiam in amicos, & propinquos, ſed in extraneos, ac remotos exundat.

Marc. 16 88. Rabban. *Gratia Petri præſentibus, & abſentibus.* Ioan. 6.

89. Beda. Quinto Beda, & ait: *Petrus umbra corporis ſui inviſibiliter allevabat infirmos, qui nunc inviſibili ſuæ interceſſionis umbraculo fidei infirmos corroborat.* Eximia Petri beneficentia, per umbram ſanat & dat ſalutem, ſicque ſuam impendit gratiam, ut umbra eam tegat, & abſcondat, non voce, non tactu, vel aliquo ſigno tantum ſalutis donum elargitur, ſed ſua inviſibili virtute operatur. Maximè beneficii miraculum illuſtratur, dum abſconditur, incrementum accipit à tenebris, nobilitatur ab umbra à qua generoſius, ac illuſtrius evadit; nam illius evulgatio multum corrodit doni gratiam, ac minuit benefacientis largitatem.

Abſconditur beneficus dum benefacit.

90. Cum in vertice montis Thabor cum tribus Apoſtolis ſuis Petro, Jacobo, & Joanne, apparent in gloria Moyſes, & Parens Elias, loquitur Petrus, ut tria fiant Tabernacula, tunc *adhuc eo loquente, ecce nubes lucida obumbravit eos*, Matth. 17. n. 5. alia lectio habet: *Iumbravit eos*, ex quo magna inſurgit quæſtio, ſi nubes lucida, quomodo obumbrans, & obſcurans; magnum enim diſcrimen eſt inter lucidum, & obſcurum, ſi lucida, quomodo obumbrans & obſcurans. Cardin. Hugo *Nubes lucida obumbravit eos; ex luciditate obumbrantur.* Nubes illa erat D. Spiritus ſub figura nubis, ut jam dixi ex D. Chryſoſt. & doct D. Damaſc. orat. de Transfigurat. Nubes lucida, ut eos illuminet in cogitatione tantorum myſteriorum obumbrans, & occultans perſonam Divini Spiritus apparentis ſub nube, ut inde, (ut moraliter dicam) maximè grandeſcat cœleſte donum, benefacit illuminans, & abſcondit perſonam dantis, hocque ſolum invenitur in divinis donis, non humanis.

Matth. 17. Hugo. D. Chryſoſt. D. Damaſc. *Divinũ beneficii perſonæ dantis abſcondi dicitur.*

91. Urgente fame deſcendunt filii Jacob in Ægyptum ad frumenta comparanda, quos agnoſcens Joſeph præcipit Miniſtris, ut in ore ſaccorum ponerent eorum pecunias, qui religatis ſaculis portantes frumenta profecti ſunt, & venientes in diverſorium, unus ex eis aperiens ſacculum, ut daret pabulum jumentis, invenit pecuniam in ore ſacculi, qui admirabundus ait fratribus ſuis, pecunia mea reddita eſt mihi, & eam inveni in ſacco, qui omnes *obſtupefacti, turbatique mutuo, dixerunt: quidnam eſt hoc, quod fecit nobis Dominus*, Geneſ. 42. n. 28. & poſtea cum ipſi reverterentur in Ægyptum, declarantes ſuam conſcientiam ab omni re aliena, dixit eis Procurator: Nolite timere, *Deus veſter, & Deus Patris veſtri dedit vobis theſauros in ſaculis veſtris*, Geneſ. 43. n. 23. Valde ſanè mirum eſt, quod tam filii Jacob, quam procurator Joſeph nummos in ſacculo

Gen. 42.

inventos

inventos nullî alteri attribuunt, niſi Soli Deo, cur non examinant, an aliquis ex fratribus, eos ibi reposuiſſet, vel potius ex injuria Procuratoris, vel alio caſu id accidiſſet, ſed tantum Deo totum referunt? *Quidnam eſt hoc, quod fecit nobis Deus?* Philo lib. de Ioſeph ait: *Qui invenerat pecuniam, ſtupens miraculo, ait fratribus*, & in quo miraculum, dum tanta pecunia inventa largitore occultato, non hominis, ſed Dei opus, & ſane miraculoſum, nam homo vanitatis cauſa manû non abſcondit, ſed patenter manifeſtat, unde tam largas pecunias præbere, ut beneficentiæ auctorem inveſtigare non poſſimus, homo quidem non eſt, ſed abſque dubio Deus.

Dei eſt occultè benefacere. philo.

QVÆSTIO XIII.

Quare Divus Petrus dum umbrâ ſanat, magnum dat omnibus prælatis documentum?

92. PRimo D. Petrus Eccleſiæ Paſtor, Prælatorum exemplar, umbrâ curat, & ſanat, corpus tantum ubi præſens eſt, umbram ſuam diffundit, minimè vero in locum diſtantem, ac ubi ipſe non eſt Petrus ſua umbra ſalutem impendit, Prælatus ſuos ſubditos præſentes obumbrat, ac protegit, eiſque medicamen ſalutiferum in vita, moribus, ac neceſſariis præbet, ſi vero non adeſt omnium bonorum abſentiam in ſubditis parturit. Vide tom. 4. cap. 19. q. 14. n. 105. n. 106. & 107.

Prælatus non proficit niſi præſens.

93. Secundo Beda de Divo Petro ſic loquitur in præſenti: *Ipſe rectus incedit, ſed umbra jacentes erigit.* Petri ſumma rectitudo, probitas, ac ſanctitatis jacentes elevat; nam ſuperior virtutibus exornatus infirmorum eſt fulcimentum, & omnium malorum exilium. Cujus optimum exemplum nobis inſinuat. Deus mandavit Exod. 28. num. 3. quod quãdo ſummus Sacerdos ingrediebatur, ut oraret pro populo, in rationali quod erat in pectore haberet ſcriptum *Doctrina, & veritas*, quia ut ejus oratio eſſet proficua pro populo oppreſſo, ac miſerabili in ejus corde haberet ſculptum *Doctrina, & veritas*, ut ſit exarata in corde ejus doctrina, & veritas divina, ut tunc valeat pro populo impetrare, Angelus autem Sacerdos Dei eſt. Math. 2. num. 2. D. Hieronym. ibi ait: *Angelus Sacerdos Dei veriſſimus dicitur, quia Dei, & hominum ſequeſter eſt, ejuſque ad populum nuntiat voluntatem, idcirco in ſacerdotis pectore rationale eſt, & in rationali doctrina, & veritas ponitur, ut diſcamus ſacerdotem doctum eſſe debere, & præconem Domini veritatis.*

Beda. *Probitas prælati mirabilia in ſubditis operatur.* Exod. 28 Math. 2. D. Hier.

94. Tertio Petrus per ſuam umbram, tamquam per ſui Vicarium, ac miniſtrum ſanat, & curat, per quod docet, Principes, ac Reges debere habere ſuos miniſtros, per quos negotia expediant, ſui in adminiſtrando poteſtate commiſſa, cùm ipſi non poſſunt per ſe ipſos omnium negotiis intendere, omniumque cauſas cognoſcere, ac determinare, ne eis dicatur, quod ſapienter in ſimili dictum eſt à Iethro Moyſi ſe ipſum ſtulto labore conficere, ac conſumere. Exod. 18. n. 18.

Princeps habeat miniſtros. Exod. 18

95. Tamen Princeps, & miniſtri inter ſe taliter ſe gerant, ut umbra ad corpus; nam umbra ſequitur corpus, non verò corpus umbram; miniſtri ſunt tamquam umbra principis, ejus ductum perſequantur, illique ſe accommodent, non vero Princeps illis ſe componat, ac ſubiiciat, ita ut ab eis regatur, ac dominetur, eorumque volûtati inſerviatur, quod magnum malum intolerabile eſt, hoc deplorat Ieremias 51. num. 46. *Iniquitas in terra, Dominatur ſuper dominatorem* pro eo, quod noſtra vulgata habet. Iniquitas *in terra*, legunt Septuaginta. *Miſeria, & injuſtitia in terra*, Tigurina *violentia*. Pagnin. *Regina in terra* Chaldaic. *Multiplicabuntur raptores dominator ſuper raptorem.*

Miniſtri ſequantur ductũ principis, non vero princeps miniſtrorum. Ierem. 51 Septuag. Tigurina. Pagnin. Chaldai.

Ille triumphalis currus Ezechielis manifeſtatus, portabatur à quatuor animalibus, homine, leone, aquila, & bove: & in his animalibus veri Dei miniſtri adumbrantur, tamen tam cœleſtes miniſtri pleni omni ſcientia; nam ambulabant juxta ſuum beneplacitum, ſed ut dicitur Ezechiel. 1. numer. 12. *Vbi erat impetus ſpiritus, illuc gradiebantur, nec revertebantur, cum ambularent.* Impetus Spiritus, ſcilicet Divini, nam ut ait D. Gregor. homil. 5. in Ezechiel. *Deus auriga erat*, ad cujus nutum, ac directionem, animalia movebantur, tamquam boni miniſtri: *Nec revertebantur cùm ambularent* recto tramite, nec huc, nec illuc declinantes ibant juxta ſui Domini mandatum, ac diſpoſitionem, nec in minimo retrocedebant. Theodoretus relatus in Gloſſa ait: *Poteſtatem illarum, quæ cerni nequeunt in omnibus obedientiam ſignificat, atque etiam, ut conſtitutam viam minime relinquebant. Et hoc ipſum Divinus David ait: Benedicite Domino omnes Angeli ejus, potentes virtute, facientes verbum illius ad audiendam vocem ſermonum ejus.* Pſalm. 102. Cum audirent, & ſequerentur Domini vocem, dicuntur potentes virtute.

96. Ezech. D Greg. *Miniſtri ſequuntur directionem ſui principis.* Pſal. 102

QVÆSTIO XIV.

Quare D. Petrus ſanat umbrâ, quod à Chriſto Domino non legitur factum.

97. SAnat Petrus umbrâ, quod à Chriſto Domino factum non legitur, quamvis præclariſſima, ac mirabilia facinora edidiſſet: Cæcum ſanans digito Ioan. 9. num. 9. Puellam mortuam manu. Matth. 9. num. 24. Voce dum filium viduæ ſuſcitat Luc. 7. num. 14. Inſufflatione dum Apoſtolis dat Sanctum Spiritum Ioan. 20. tali modo Chriſtus operatur, ut in operando ſe oſtendat filium ſui Patris. Æternus Pater operatus eſt digito in Ægypto Exod. 8. num. 19. Manu, in mundi opificio, *Opera manuum tuarum, annuntiat firmamentum.* Pſalm. 18. num. 1. voce in productione lucis, Geneſ. 1. num. 4. Inſufflatione in hominis animatione, Geneſ. 2. num. 7. & ita Chriſtus Dominus ut Filius ſui Æterni Patris habet ſimilem illi operandi modum: at vero divus Petrus cùm ſit Spiritus ſancti juxta illud Chriſti Domini Math. 16. num. 17. *vocaberis Simon Bariona*, id eſt filius columbæ, ut ibi habet D. Hieronymus & ait: *ex revelatione ſortitur vocabulum, quod revelationem ex Spiritu Sancto habeat, cuius filius appellandus ſit. Siquidem Bariona in noſtra lingua ſonat filius columbæ.* Spiritus autem Sanctus præclariſſima myſteria umbrâ operatus eſt, ſic Gabriel Archangelus ad Virginem Mariam loquutus eſt: *Spiritus Sanctus ſuperveniet in te, & virtus altiſſimi obumbrabit tibi.* Luc. 1. num. 35. & in Transfiguratione de Apoſtolis dicitur. *Nubes lucida obumbravit eos* Matth. 17. quæ nubes obumbrans, ut ex D. Chryſoſt. ac aliis dixi ſupra quæſtione 12. erat Spiritus Sanctus. Sponſa Cantic. 2. *ſub umbra illius, quem deſideraveram ſedi.* Umbra deſiderata eſt Spiritus Sanctus, Filius Patrem refert, Petrus Filius Spiritus Sancti, proindeque ejus operandi modum per umbram participat, ut ipſa paterna virtus in filioli actione manifeſte appareat, ac reſpondeat, ut inde agnoſcatur cujus filius ſit Petrus nempe Spiritus Sancti obumbratus.

Ioan. 9. Matth. 9. Exod. 8. Pſal. 18. Geneſ. 1. Geneſ. 2. Math. 16 D. Hier. *Petrus ſanat umbra, ut Filius Spiritus Sancti.*

98. Secundo ut adimpleretur Chriſti verbum, quo dixerat Ioan. 14. num. 12. *Qui credit in me, opera*, Ioan. 14.

quæ ego facio, ipſe faciet, & majora eorum faciet ad quos Petri umbra ſe extendebat, ſanabantur, quod à Chriſto factum non legimus, ſunt tamen multi apud D. Vincentium Ferrera ſerm. in Paraſce. qui exiſtimat. *Ideo unum dumtaxat latronem, qui à dextris erat Chriſti crucifixi, fuiſſe converſum; quia ipſum ſolum tangebat umbra Chriſti crucifixi.* Non ille alter crucifixus talem gratiam accepit, ſed ille felicisſimus latro, quem Chriſtus obumbrat, ita ex Sancto Vincentio tranſcribit Cornelius, ideo ille jam futurus paradiſi præmaturus incola, delibans ex Chriſti umbra, redemptricis gratiæ exuberantes copioſè primitias; *quia ipſum ſolum tangebat umbra Chriſti crucifixi*, ex cujus umbra multam viriditatem, ac florentem gratiarum largitatem Eccleſia hauſit, ut ſcribit D. Ambroſ. lib. 3. Hexameron. alludens ad D. Petrum. Hanc viriditatem gratiæ ſemper florentis in Chriſto, ſecuta Eccleſia dicit: *In umbra eius concupivi, & ſedi.* Cantic. 2. *Hanc prærogativam doni virentis acceperunt, & Apoſtoli, quorum nec folium unquam potuit elabi, ut eorum etiam umbra curaret ægrotos, obumbrabat enim infirmitati corporis, fides mentis.*

D. Vinc. Ferrera.

Ab umbra Chriſti retro converſi.

D Ambr. *Gratia Chriſti in Apoſtolis vivida, & florida.*

99. Tertio: Hæc gratia peculiariter conceſſa eſt Petro, ut umbra ſanaret, ut principalis, atque omnium caput Apoſtolorum, & ut erat meritis inſignis inter omnes, ſic eſſet donis, & gratiis primus omnium in terris, ac inter omnes, Chriſti Divinitatem per æternam generationem confitetur: *Tu es Chriſtus Filius Dei vivi.* Matth. 16. num. 16. Apoſtolus Paulus ut agnoſceret Dei arcana *raptus eſt uſque ad tertium Cœlum.* Corinth. 2. cap. 12. num. 2. Ioannes, ut penetraret alta Sacramenta: *In Cœna Domini recubuit ſupra pectus* Ioan. 13. num. 23. Thomas, ut Chriſti Divinitatem percipiat, *manum in latus eius mittit.* Ioan. 20. num. 27. Petrus vero tam ſublimi, & alto lumine eſt repletus, ut quod Paulus in tertio Cœlo, Ioannes in Chriſti pectore, Thomas in ejus latere agnoverunt, ipſe in terris, & inter homines degens introſpexit, ac ſequitur, & alta voce confitetur, & publicat. *Tu es Chriſtus Filius Dei vivi*, & cum recognoſcit Filium Dei vivi, ejus Divinam generationem profitetur; generatio enim propria viventis actio eſt.

Matth. 26. 2. Cor. 12. Ioan. 13. Ioan. 21. *Altiſſima D. Petri cognitio.*

100 Si tanta extitit Petri ſcientia, etiam eximia fuit Petri charitas, & amor in Chriſtum: Dixit enim ipſe Dominus proximus paſſioni Ioan. 13. num. 26. Petro interroganti, Domine, quo vadis? *Reſpondit Ieſus: quo ego vado non potes me modo ſequi, dicit ei Petrus, quare non poſſum te modo ſequi? animam pro te ponam.* Cujus generoſam audaciam reprehendit Chriſtus, ut merito notat D. Auguſt. tract. 66. in Ioan. & ait: *Inſultando quaſi dicat: Ita ne facias pro me, quod ego nondum feci pro te.* Ita eximius amor Chriſti in hoc apparuit, quod ipſe vitam pro nobis dederit, veluti, videtur, quod cum hoc amore Chriſti intendit Petri amor contendere, ut prius vellet pro Chriſto animam ponere, quam Chriſtus in ara Crucis emiſiſſet, & ideo de hoc primatu reprehenditur, cum poſt mortem Chriſti ſequelam per Crucem ei denuntiatur.

Ioan. 13. D Aug. *Petri amor veluti antecedens Chriſti amorem.*

101. Ex his conſidera ad quantam elevatus ſit Petrus ſublimitatem: ait Regius Vates. Pſalm. 144. nu. 3. *Magnus Dominus, & laudabilis nimis, & magnitudinis eius non eſt finis.* In miſerendo, benefaciendo, ac largiendo, hanc tamen magnitudinem, ac magnificentiam coarctat, ac determinat, ut per manus Petri diſtribuatur, ac diſpenſetur; dixit enim ei Chriſtus: *Tibi dabo claves Regni Cœlorum, & quodcunque ligaveris, &c.* Ad quæ verba ſic eleganter ait D. Ambroſ. lib. 3. de fide: *Videte diſtantiam; ſervus aperit, Dominus largitur, iſte per ſe, ille per Chriſtum, famulus claves accipit, Dominus ordinat poteſtates, aliud jus donantis, aliud diſpenſantis obſequium eſt.* Ut Dominus concedat ex ordinatione Divina exigitur, ut ſervus aperiat.

Pſal. 144. *Domini magnificentia per manus Petri diſpenſatur.* D. Ambr.

QUÆSTIO XV.

Quare tempore Chriſti, ac Apoſtolorum, tot, & tanti homines erant poſſeſſi à Dæmone.

102. *Cur Energumeni.*

VAlde frequens eſt in toto libro Evangeliorũ, ac in hoc Actorum mentio Energumenorum, ſeu poſſeſſorum à Dæmone, multo magis frequentior, quam in veteri teſtamento, ac quocumque alio tempore, ut conſtat ex hoc libro. Dicuntur autem Energumeni à voce græca, id eſt Exercitati à Dæmone invadente, & poſſidente.

103. *Extirpatur error Sadducæorum.*

Reſpondetur primo ad quæſtionem: Tempore Chriſti, atque Apoſtolorum vigebat multum hæreſis Sadducæorum, qui conſtanter affirmabant non dari Spiritus, nec Angelos Actor. 23. num. 8. ad hunc ergo errorem eradicandum, atque extirpandum permiſit Deus tot, & tantos homines à Diabolico ſpiritu poſſideri, & vexari, & per os hominis loqui, perque manus, & pedes ejus multas extraordinarias agere actiones, ita ut duo habentes Dæmonia *habitantes in monumentis ſævi nimis, ita ut nemo poſſet tranſire per viam illam.* Matth. 8. n. 28.

Matth. 8.

104. *Oſtenditur Chriſti imperium in Dæmones.* Luc. 11.

Secundo Pharizæi Chriſtum calomniantes frequenter blaſphemabant, & dicebant illum Dæmonium habere, *Quod in Beelzebub principe Dæmoniorum eiicit Dæmonia* Luc. 11. num. 15. Eorum falſus error manifeſte reprehenditur ex ſumma poteſtate Chriſti, qua Dæmonibus imperabat, & quia, ut ipſe Dominus argumentabatur: *Si Satanas in ſe ipſum diviſus eſt, quomodo ſtabit regnum ejus* citato loco num. 18. & ipſi Dæmones multa tormenta à Chriſto patiebantur, & aliquando *Exclamaverunt dicentes: quid nobis, & tibi Ieſu Fili Dei? veniſti huc ante tempus torquere nos.* Matth. 8. n. 29.

Matth. 8.

105. *Cur immundi ſpiritus.*

Et ſequenti num. 30. poſtulant facultatem à Chriſto, ut ingrediantur in gregem porcorum, & inde dicuntur ſpiritus immundi, quia immundorum ſpecies ſumunt animalium, ut porcorum, aſinorum, hircorum, atque ſimilium, & quia etiam ad immunda excitant, atque provocant, ut ad venerem, gulam, ebrietatem, rapinam, & latrocinia, ac ſimilia. Quod autem peccator ſit tamquam jumentum, ac pecus, multa dixi in omnibus meis libris in Sybillario, verbo Peccator.

106. *Eadem poteſtas in Eccleſia.* Marc 16. Bredem.

Hanc poteſtatem ejiciendi Dæmonia, dedit Deus Eccleſiæ ſuæ: *In nomine meo Dæmonia ejicient.* Marc. 16. num. 17. & hæc eſt una eminens ex multis poteſtas Eccleſiæ, ut patet ex continua, & longa experientia, ut objicit Gentilibus D. Iuſtinianus dialogo contra Tryph. per exorciſma ab ipſa Eccleſia inſtituta. E contra vero cum Lutherus vellet ejicere Dæmonem à quodam homine Diabolus inſiluit in eum, & uſque ad extremas anguſtias redactus eſt, ut teſtantur Bredembachius lib. 7. collat. cap. 40. & cap. 42. & 43. ubi habes plura exempla.

QUÆSTIO XVI.

Quare Deus permittit ut Diabolus ingrediatur in humanum corpus.

107. D. Chryſoſt.

PRima ratio hujus rei eſt, ut notat D. Chryſoſtomus, ſuprema Dei providentia, cujus inveſtigabiles ſunt viæ ejus: & etiam aliquando hoc Deus permittit

Homo per peccatum fit Diaboli domicilium. D. Greg. Cassian. Lorin.

permittit ob propria peccata, vel parentum, seu filiorum, præcipue ob lethalem, & gravem culpam, & etiam aliquando ob levem, & venialem, quorum exempla referunt D. Gregorius lib. 1. Dialog. 4. Cassian. collat. 7. cap. 27. Cæsarius lib. 5. miracul. cap. 11. 12. 26. quæ latè invenies apud Lorin. in præsenti.

108 1 Reg. 19 D. Basil. *Homo per peccatū vocat ad se diabolū.*

Lib. 1. Reg. cap. 19. num. 9. dicitur: *Factus est Spiritus Dei malus in Saule*: Ipse repletus odio invidiâ, homicidio ad se desertissimum traxit diabolicum spiritum. D. Basilius, Seleucus orat. 16. & ait: *Cum in talibus esset Saul, & cædem Davidis moliretur Dæmon, repentinum sit ipse domicilium, morum perversitate Dæmonem ad opus vocante, Anima enim, quæ virtute exuta improbitatem induerit, eum vocat ad habitationem quæ malis effectibus gaudeat.*

109. Luc. 15. *Peccator Diaboli civitas.*

Ille prodigus filius postquam discessit à Patre, & abiit in regionem longinquam, & vivendo luxuriosè totam suam substantiam dissipavit, in miserabilem sortem deveniens, ut sibi provideret: *adhæsit uni civium regionis illius* Luc. 15. num. 15. Maximè inquirendum est quisnam esset ille civis regionis longinquæ, in qua tot vitia ebidit vivendo luxuriosè? Pro certo habe Diabolum fuisse, qui in turpitudine morum suam sedem, ac inhabitationem constituit. Asterius in Catena Græca D. Luc. ait: *Ipsius Regionis à Deo remotæ, atque separatæ incola est Diabolus. Etenim peccatorum civitas civem habet, & gubernatorem Diabolum.*

Asterius in Catena Græca D. Lucæ.

110. Luc. 8. Bostren.

Obtenta facultate à Christo Domino: *Exierunt Dæmonia ab homine, & intraverunt in porcos.* Luc. 8. num. 33. Cur D. Iesus Dæmonum postulationi annuit, illique concessit introire in porcos? quia petierunt ingressum in porcos, & non in alia animalia? quia in porcorum moribus deditos suum domicilium constituit. Titus Bostren. in Catena Græca, & ait: *Eis Dominus concessit, ut ostenderet porcos, vel porcina indole homines, & ad terram conversos, atque in peccatorum passionibus volutantes, dæmonum amicos esse; quisquis igitur porcus est moribus Dæmonum fit hospitium.*

Actor. 5. num. 17. Exurgens autem Princes Sacerdotum, & omnes, qui cum illo erāt, (quæ est hæresis Sadducæorum) repleti sunt zelo.

Num. 18. Et injecerunt manus in Apostolos, & posuerunt eos in custodia.

Num. 19. Angelus autem Domini per noctem aperiens ianuas carceris, & educens eos, dixit.

Num. 20 Ite, & stantes loquimini in templo plebi omnia verba vitæ huius.

Versiones

CVM EXPOSITIONE VI.

111. Vers. 17. *Exurgens autem Princeps Sacerdotum.* Caput nempe, ac primus Sacerdotum exurgens præ ira, & furore impatiens: *quæ est hæresis Sadducæorū.* Syrus *proinde replebatur invidia sūmus Sacerdos.* Arabicus *Infecta, & factione Sadducæorum.* Sadducæi creduliter Apostolos persequebātur, eo quod, ut sæpe dictum est, prædicabant Christi Resurrectionem, quam ipsi Sadducæi pertinaciter negabant. Sadducæi, ut auctor est Lyranus, dicebātur à verbo Hebræo *Sadoch* quod significat justitiam, quia ipsi Sadducæi in judiciis, ac punitionibus erant acerrimi, ac crudelissimi, ut patet ex historia. Innuit Textus Pontificem, sicut, & cæteri de concilio fuisse Sadducæos. *Repleti sunt Zel.* alia lectio *invidia* de quo quæstione sequenti.

111. Syrus. Æthiop. D. Chrysost.

Vers. 18. *Et injecerunt manus in Apostolos.* Syrus *Prehensos obvinxerunt in carcere.* Æthyopic. *In domo vinculi.* Arabic. *Clausērunt eos.* Recte D. Chrysostomus. *Nihil impudentius, neque audacius malitia*, quæ contra Sacros Apostolos, qui tantis virtutibus, signis, ac miraculis fulgebant, se audet opponere. *In publica custodia.* Græcus *Populari, & plebea.* In qua, ut notat Lyranus, tenebantur malefactores, ut homicidæ, & latrones, ut pro majori ignominia tales reputarentur, & ut advertit Hugo: *Nobiliores ponebantur in carcere secreto, atque videlicet honoratiore, & commodiore.* Et non statim adducuntur in judicium, sed ad carcerem an forte zelus Apostolorum squalore carceris mitesceret, ut notat Oecumenius, & ait: *Versute ansâ timoris carceris facti pœnitentiam ab illis quærebant.*

Græcus. Lyra. Hugo. Oecum.

Vers. 19. *Angelus autem Domini per noctem.* Dicitur Domini ait Glossa Interlineal. ad differentiam mali. *Per noctem.* D. Chrysost. ait: *Non permisit Deus hoc miraculum videri, sicut neque Christus conversionem aquæ in vinum, neque suam Resurrectionem* forte ob majorem venerationem miraculorum, & quia nec omnes sunt digni videndi illa, & maximè in præsenti Angelum Domini. Panelion. apud Surium 29. Septembr. existimat fuisse Sanctum Michaëlem, Arator ait venisse Angelum multa cum luce coruscantem.

113. Interlin. D. Chrysost. Michael. Panel. Arator.

Aperiens ianuas carceris. Syrus: *Reseravit fores carceris.* Græcus *Aperuit ianuam vinctorum.* Quædam Glossa; Rupert, Dionysius, Gagæus, & alii tenent, januas carceris non fuisse realiter apertas, sed per phantasiam ita visum fuisse, & Angelos eos eduxisse per portas penetrativè, ut Christus egressus est de sepulchro clauso penetrans lapidem: Tamen contraria sententia tenenda est cum Lyrano; nam re vera Angelus aperuit carcerē, ut tenent Syriacus, & Græcus; Angelus enim non potest, quod unum corpus penetret aliud, ac proinde ut Angelus aperiens januas carceris eos eduxit, & iterum clausit, ut Apostolorum egressus mirabilis, ac miraculosus videretur.

114. Syrus. Græcus. Glossa. Cartha. Lyran. Græcus.

Vers. 20. *Ite, & stantes*: stare proprium est justorum Sapient. 5. num. 8. *stabunt justi in magna constantia.* Et notat D. Hieronym. in cap. 2. Ezechiel. & in Ierem. cap. 14. & in Isaï. cap. 47. In scriptura dicitur justum stare; nullus autem peccator in ea dicitur communiter stare: stare dicit fortitudinem, ac generositatem, quam justitia confert, peccatum vero enervat, & frangit. *In templo*, porticu nempe Salomonis, ut supradictum est vers. 12. in quo frequenter Christus prædicabat. Boni discipuli sui magistri sequuntur vestigia, & in quo ipsi cœperunt prædicare: Iustus à sua salutari via, quam cœpit, non retrocedit, sed persistit. *Plebi*, id est omnibus; *Fecit Redemptionem plebis suæ.* Luc. 1. nu. 68. & 79. *Omnia verba vitæ huius*, Syriacus *omnes sermones vitæ huius*, Christianæ, quæ ad æternam ducit.

115. Sapient. D. Hier. *Iustitia dat fortitudinē, peccatū frangit.* Luc. 1. Syriac.

QUÆSTIO XVII.

Quare Principes Sacerdotum replentur zelo, non contra latrones, ac homicidas, sed contra sanctissimos Apostolos.

116. *Difficultas quæstionis.*

AIt Textus cum sanctissimi Apostoli fulgerent omni virtutum genere, magnisque miraculis, ita ut ex omnibus vicinis civitatibus ad eos adducerentur infirmi, qui curabantur, quod videns, *Princeps Sacerdotum, & omnes, qui cum illo erant Sadducæi*

ducæi repleti sunt Zelo, Syriacus *Repleti sunt invidia*. Arabicus *Pleni invidia*, D. Chrysost. *Pleni æmulatione.*

117. *Venenum invidiæ sub pallio zeli.* Isti iniqui, pessimique homines venenum suæ invidiæ, ac odii, pallio & tegumento zeli operire, ac palliare intendebant; si enim ipsi verum habuissent zelum, insurgerent in homicidas, latrones, ac divinæ legis prophanatores, ut fecit Mathathias, qui Iudæum publicè idolis sacrificantem: *Insiliens trucidavit eum super Aram, & Zelatus est legem* 1. Machab. 2. num. 24. at vero pessimi isti zelatores in Sacros Apostolos virtutum, ac miraculorum operatores insaniebant. De his præclare ait D. Chrysolog. serm. 32. *Ad infamiam iudicis, & nequitiam cognitoris, quæritur de cura crimen, de pietate accusatio, reatus de virtute, de salute supplicium: sed mirum non est: semper offendunt bona malo, pia impios, sancta prophanos, aut quando non lascivus disciplinam, virtutem vitiosus, innocentiam criminosus accusat.*

1 Mach. 2

D. Chrysost

118. Rex Darius recognoscens virtutem, & sapientiam Danielis, constituit eum super omnes Satrapas, quod illi ægre ferentes, ut Danielem caperent, malitiosè pro authoritate Regis fecerunt, ut ab eo constitueretur decretum quod per triginta dies nullus auderet aliquid à quocumque Deo, & homine, nisi ab ipso Rege petere, quod audiens Daniel januis apertis versus Ierusalem tribus vicibus orabat, quod cum Satrapæ observassent, de contempto decreto accusarunt Danielem apud Regem, qui pro Daniele *posuit cor suum, ut eum liberaret*, quod cum intellexissent viri illi, dicunt Regi: *Scito Rex, quia rex Medorum atque Persarum est, ut omne decretum, quod constituerit Rex non liceat immutari.* Daniel. 6. num, 5. Isti videntur pro lege pugnare non amore, & affectu legis, sed invidiæ stimulo: Unde à Lyra dicuntur isti *Invidi speculatores.* Considera populorum Magistratum, Civitatum gubernatores, rectores hominum, quas agitant causas, atque inquirunt, easque ad examen vocant, non mercatorum fraudes, non piratarum latrocinia, non fœminarum lasciviam, sed tantum sanctam Danielis innocentiam, hanc accusant, & in crimen vertunt, & legem pro Regis decore assumunt, ut justum, & sanctum invidiæ gladio valeant perimere, ac perdere.

Pro lege pugnat fomentū invidiæ.

Daniel.

119. *Invidia nullo signo, ac miraculo quiescit.* Ecce quam crudelis, & tenax est malorum invidia, & nullo virtutum genere, nulla signorum, ac miraculorum multitudine mitescit, ac frangitur. Cum Christus Dominus jejunasset quadraginta diebus, & noctibus, cum esuriret accedens tentator ait illi: *Si Filius Dei es, dic, ut lapides isti panes fiant.* Matth. 4. num. 3. Exiguam rem exposcit inimicus, ut Christus manifesterur: Quare ergo in tam parva petitione repellitur, quando Divinitatis declaratio in multis poterat esse valde proficua universo Orbi? Eleganter D. Cyprian serm. de jejun. ac tentat. & ait: *Nec opus erat, ut hoc facto insidiatori innotesceret, quia nullo signo eius poterat invidia commutari.*

Matth. 4.

D. Cypr.

120. Magna, & præclarissima miracula facta sunt in Resurrectione Christi Matth. 28. num. 11. *Ecce quidam de custodibus venerunt in civitatem, & nunciaverunt principibus Sacerdotum omnia, quæ facta fuerant, & congregati cum senioribus, Concilio accepto, pecuniam copiosam dederunt militibus, dicentes: Dicite: quia Discipuli eius nocte venerunt, & furati sunt eum.* Pecuniam præbent ad obscuranda, & obtenebranda radiantia Resurrectionis Signa: Ecce terra tremuit, Sol obscuratur, lapides franguntur, monumenta aperiuntur, milites testificantur, centurio clamat: *Vere Filius Dei erat iste*, & solùm Iudæorum immobilis persistit invidia? D. Zeno lib. 2. serm. 6. ait: *Quia nescit æternitas mori, aut Dominus post sepulchrum, & ad Iudæos remansit, sola damnatæ voluntatis invidia: quia Dominum nec agnoscere voluerunt.* Mors à Christo fugit, opprobria in gloriam conversa, vulnerum signa pro nostra salute clamant, sepulchrum non valuit Christum retinere, sola apud Iudæos tenacissime est retenta invidia, & apud Iudæos remansit sola damnatæ voluntatis invidia.

Matth. 28

Tenacissima invidia nullo fragitur signo.

D. Zeno

QVÆSTIO XVIII.

Quare Diabolus non valet liberare suos Venesicos à carcere, ut modo Angelus liberavit Apostolos?

121. ANgelus in præsenti liberavit Apostolos à carcere, sicut in aliis locis, cur etiam Diabolus suos magos, ac veneficos a carcere non valet educere, ac ab omni pœna eximere, cum sæpe hoc Diabolus eis promittat, ut pollicitus fuit cuidam insigni venefico Ludovico de Lapenha, de quo facit mentionem Emmanuel de Valle de Incantationibus opuscul. 1. sect. 2. cap. 1. num. 3. Qui post ibi narrata iterum à Tribunali Sanctæ Inquisitionis comprehensus est, & in carcere Diabolus ei apparuit promittens se eum à carcere, atque ab omni pœna exèpturum, quod minime præstitit; ipse enim in publico theatro fidei, ut relapsus ad ignem damnatus, & combustus est Eboræ. Quæstio ergo est, cur ergo Dæmon sua arte, & industria eos non potest liberare?

122. Respondeo primo: Non permittit Deus, ut Diabolus habeat eam præeminentiam, ac benevolentiam erga suos maleficos, ac veneficos, quam ipse Deus Omnipotens habet cum suis justis, ac sanctis, dum ad sui gloriam eos eripit à carceribus, ac ab expectatione suorum inimicorum, ut fecit cum D. Petro Actor.

Deus in suos justos habet singularem favorē.

123. Secundo ob authoritatem, & decorem ministrorum Ecclesiæ, nam videretur Diabolus de eis eludere, si malefactores, ac iniquos eriperet de ejus manibus, cum ipsi ministri Ecclesiæ habeant potestatem super Dæmones ad eos ejiciendos Marc. 3. num. 14. Deinde cum ipsis à Deo data sit potestas, ut quæcumque ligaverint in terra, ligata sint in Cœlo Matth. 16. ac proinde à nullo, nec homine, nec Dæmone possent solvi, nisi tantum ab omnipotenti Deo.

Auctoritas ministrorū Ecclesiæ super Diabolū.

Marc. 3.

Matth. 16

124. Tertio: Ut manifeste appareat, quam falsus, ac mendax sit Diabolus in suis promissionibus, quibus solum intendit homines decipere, ut hac experientia manifesta omnes discant ei non credere, nec ejus dictis acquiescere, cum ejus promissiones sint vanæ, nec liberant à carcere, nec à pœna. Hinc ait Iob. 41. num. 23. quod Satanas ingerit homines in mentem: *Æstimabit abyssum quasi senescentem.* Hæc est serpentina Leviathani, ut omnem immensitatem, ac amaritudinem laborum persuadeat homini breviter senescere, ac hebetari. D. Gregor. lib. 34. Moral. sic ait: *Abyssum namque senescere æstimat, qui terminari quandoquidem in suppliciis supernam animadversionem putat.*

Diabolus suos decipit.

Iob 41.

D Greg.

124. Quarto Deus judex justus non permittit, ut à Diabolo eripiantur, quia vult, ut ipsi iniqui puniantur, & debitas pœnas persolvant pro suis iniquitatibus D. Bernard. serm. 11. in Psalm. Qui habitat, ait: *Vbi malum flagellum quoque appropinquat, necessum est, semper enim malum pœna concomitatur.*

Peccatū secū adducit pœnam.

D. Bern.

126. Ait Christus Dominus suis discipulis Matth. 16. num. 6.

Math. 16 num. 6. *Intuemini, & cavete à fermento Pharisæorum* Per fermentum communis vox Interpretum intelligit malitiam. Et quæ combinatio inter unum, & alterum inter malitiam, & fermentum? Pulchre Tertullianus lib. 4. in Marcum ait: *Quia post fermentationem clibanus, vel furnus gehennæ sequatur.* Ubi est fermentatio in massa, consequens est ignis furnum, sic peccatum statim certissimum supplicium secum importat.

Pœna concomitatur peccatũ. Tertull.

Ait Deus Ieremiæ 17. n. 1. *Peccatum Iudæ scriptum est stylo ferreo, ungue adamantino, & exaratũ super latitudinem cordis.* Hanc scripturam mandat Deus exarari, tam duro, & forti instrumento, ut nunquam deleatur, sed semper existens perseveret, & hoc non in marmore, nec plumbi lamina, sed in pectore peccatoris cœteris omnibus duriore. Et cur in corde? quia ibi extitit officina, ubi malitia peccati nata, simul cum ea peccati pœna concremata est, catenatim se habent peccatum, & suplicium, ad quod tendit tota hæc scriptura. D. Ambros. lib. 5. epist. 32. & ait: *Scripta est, Iuda, culpa tua graphio ferreo, & ungue adamantino scripta in pectore tuo, hoc est scripta unde processit.*

127. Ierem. 17

D. Ambr.

Actor. 5. *n.* 21. Qui cum audissent intraverunt diluculo in templum & docebant. Adveniens autem Princeps Sacerdotum & qui cũ eo erant, convocaverunt Conciliũ, & omnes seniores filiorum Israël: & miserunt ad carcerem, ut adducerentur.

Num. 22. Cum autem venissent ministri, & aperto carcere non invenissent illos, reversi nuntiaverunt.

Num. 23. Dicentes: carcerem invenimus clausum cum omni diligentia, custodias stantes ante januas, aperientes autem neminem intus invenimus.

Num. 24. Vt autem audierunt hos sermones magistratus tẽpli, & principes Sacerdotum, ambigebant de illis, quidnam fieret?

Versiones.

CVM EXPOSITIONE VII.

Vers. 35. *Vi cum audissent.* Verba, scilicet Angeli, & fervidâ obedientiâ, absque eo, quod per aliqua civitatis loca ambularent.

Græcus. Syrus. *Aurora pulchertima.*

Intraverunt diluculo, Græcus: *sub primum diluculi punctum.* Syrus *Tempore auroræ, vel tempore pulchritudinis*: valde enim pulchertima est Aurora è vicino jam sole radiante, avium cantu, eleganti camporum aspectu, suavique florum odore. *In templum*; primo ad orandum, in omnibus actionibus nostris præcedat oratio; deinde facto convenienti hominum concursu ad prædicandum, ac docendum populum juxta Angeli mandatum.

128. Syrus.

Adveniens autem Princeps Sacerdotum, primus, & principalis *Convocaverunt Concilium*, Syrus *suos socios, & collegas* nẽpe inferiores Pontifices, & seniores filiorum Israel, à senioribus ductum est Senatũ, à senibus maturum est Concilium larga experientia; *miserunt ad carcerem*, Syrus *In domum vinctorum.*

Syrus. 129. Græcus. Syrus.

Vers. 22. *Cum autem aperto carcere.* Græcus: *cum carcerem aperuissent*, Syrus *aperuissent domum vinctorum.*

130. Syrus. Arabier. D. Chrysost. Lyran.

Vers. 23. *Dicentes carcerem invenimus clausum*, Syrus *Clausum cautè* Arabicus *Obseratum cum omni securitate*, D. Chrysost. *Cum omni integritate*, & addunt *custodias stantes ante januas*, id est, ait Lyranus *diligenter custodientes*, tamquam si dicat, nõ exierunt per

deffectum clausuræ, vel custodiæ, & dicunt *neminem intus invenimus*: ergo virtute divina exierunt, quod miraculum ipsi ministri etiam inviti tenentur fateri, ex quo eos pungit Beda in præsenti, & ait: *Quid profane Iudæe cæca stimularis insania, furantibus dicens Apostolis Dominum fuisse de monumento sublatum; Dic ergo eosdem Apostolos de carcere tua clauso, cuius furto credis ablatos.*

Beda.

Vers. 24. *Vt autem audierunt.* Arabicus: *Auditis his Sermonibus, Sacerdos, & Præfectus Templi admirati sunt, demirati sunt: quidnam hoc futurum esset.* D. Chrysost. *Princeps Sacerdotum, & Dux militiæ Templi.* Syriacus: *Obstupescebant super his,* Lucifer: *Hæsitabant de illis, quid illud esset?* Æthyop. *Procuratores templi nesciebant, quid facerent.* Tigurina *Quidnam hoc sibi vellet.* Vatablus *Quomodo hoc factum esset.* Pagninus *quidnam hoc futurum esset?* & omnes juxta suam depravatam malitiam in syniſtram partem rem interpretabantur: An custodes carceris fuerint pecuniâ corrupti ad eum aperiendum, an aliqua vi occulta vel arte magica fuisset factum, ut Apollonius Thyanæus incarceratus Romæ à Domiciano subito eodem tempore Puteolis, ut testatur ejus discipulus Philostratus lib. 8. de ejus vita, multi de hoc dubitant, & dicunt factum amore Magistri, quod de Apostolis non poterat excogitari, cum ipsi essent alta voce in templo prædicantes.

131. Arabic. D. Chrysost. Lucifer. Æthiop. Tigurin. Pagnin. Philostr.

QVÆSTIO XIX.

Quare Sacri Apostoli valde diluculo tendunt in Templum?

AIt Textus: *Intraverunt diluculo in templum* Græcus habet *sub primum diluculi punctum*, hoc est valde mane, matutinum tempus valde opportunum est ad orationem, & ideo ad eam Deo exhibendam Apostoli tali tempore ibant in templum, quod consueverunt Patres antiqui Iob. 1. num. 5. *Consurgens diluculo offerebat holocausta.* Psalm. 62. num. 2. *Deus meus ad te de luce vigilo.* Proverb. 11. num. 27. *Bene consurgit diluculo qui quærit bona* & Proverb. 8. n. 17. *Mane vigilare.* Jerem. 25. n. 3. *De nocte consurge.* Isai. 26. n. 9. *Mane vigilabo ad te.* Amos 4. n. 4. *Offerte mane victimas vestras*, & sic multis aliis in locis.

132. Græcus. *Oratio matutina frequens.* Iob. 1. Psal. 62. Prov. 11. Prov. 8. Ierem. 25 Amos 4.

Imo Gentiles, ut scribit Plato lib. 10. de legibus, tam Græci, quam Barbari adorabant solem, sive Orientem, sive occidentem tamquam Deum; unde Summus Pontifex Clemens lib. 2. constitut. cap. 24. rigide reprehendit Christianos tardius ad Ecclesias adeuntes, cum Gentiles, & Judæi diluculo suas Synagogas frequentarent. Unde Sacri Apostoli in sancta, & vera doctrina illuminati ab Spiritu Sancto intraverunt diluculo in templum ad orandum, ex quibus Sacræ Religiones didiscerunt media nocte Deum laudare decantantes matutinum, juxta illud David: *Media nocte surgebam ad confitendum tibi*: Psalm. 118. n. 62 & illud *Media nocte Paulus, & Silas orantes laudabant Deum* Act. 16. n. 25.

133. Plato. Clemens Papa. Gentiles etiam. *Media nocte.* Psal. 118 Act. 16.

Matutinum tempus valde opportunum, ac commodum est ad orationem, in eoque offert homo Deo primitias sui cordis, ac cogitationum, omniumque suarum actionum, ex quo matutinum tempus maxime eligebat David dicens: *Prævenerunt oculi mei ad te diluculo* Psal. 118. n. 148. Tota ejus cogitatio, ac meditatio maxime se anticipabat, ut valde mane Dei mirabilia contemplaretur, ejus multa beneficia sibi impensa, pro eisque multas persolvebat gratias, cujus rei rationem præbet D. Ambros. in dictum Psalm. arguens tepidos, & tarde exurgentes serm. 19. & ait: *Grave est, si te otiosum in stratis radius Solis Orientis in verecundo pudore conveniat: & lux clara feriat oculos*

134. *Cur matutinum tempus.* D. Ambr. Psal. 118.

les somnolento adhuc torpore depressos. An nescis ô homo, quod primitias tui cordis, ac vocis quotidie Deo debeas. Ex quo bene sequitur, quod prima luce surgendum ad Dei laudes.

135. Unde Isaïas 5. nu. 11. maxime ingemiscit: Væ, ait; *qui consurgitis mane ad ebrietatem sectandam.* Ebrietas omni tempore detestanda, cur potius Propheta illam reprehendit, quæ matutino tempore contrahitur, quam quocumque alio? Sane ex eo, quia illud tempus maximè orationi est dicatum, & ab illa defraudatur, ut gulæ, ac intemperantiæ impendatur. D. Ambros. lib. de Elia, ac jejunio cap. 15. sic ait: *Non immerito væ illis, qui mane ebrietatis petum requirunt, quos conveniebat Deo laudes referre, prævenire lucem, & vacare orationi.*

Ebrietas detestanda.

D. Ambr.

136. Etsi oratio maximè semper sit Deo grata, potissime tamen matutino tempore: David totus erat semper deditus in oratione, ac meditatione Dei, sic de se ait: Psalm. 118. num. 97. *Quomodo dilexi legem tuam Domine, tota die meditatio mea est*: Tamen solum de oratione sua matutino facta ait: Psalm. 5. n. 4. *Mane astabo tibi, & videbo*, ac sic tunc oratio maxime esset Deo grata, indeque ex ea tali tempore, quam quocumque alio, ut ad tantum donum, ac Dei visionem, & cognitionem elevaretur: Ad hoc tendit Noster Incognitus dicens: *Mane astabo tibi, astare enim Deo notat mentis directionem ad Deum*, Videbo quoniam tu es, id est, *Sciam, quoniam tu es, qui stabilis manens das cuncta moveri* in suis actionibus, & operationibus.

Psalm. 118.

Psalm 5 *Oratio matutina Deo grata.*

Incognit

137. Matutinum igitur tempus valde aptum, & proportionatum est ad Dei magnalia percipienda: Moyses ait populo Exod. 16. nu. 6. *Vespere scietis quod Dominus eduxerit vos de Ægypto, & mane videbitis gloriam Domini*, cur non etiam vespere, sed mane; quia tunc anima purior, & defecatior est ad Dei dona accipienda, & recognoscendam summam Dei largitatem, & benignitatem.

Exod. 16

Actor. 5. num 25. Audiens autem quidam nuntiavit eis; quia ecce viri, quos posuistis in carcerem sunt in templo stantes, & docentes populum.

Num. 26, Tunc abiit Magistratus cum ministris, & adduxit illos sine vi; timebant enim populum ne lapidarentur.

Num. 27. Et cum adduxissent illos statuerunt in Concilio, & interrogavit eos Princeps Sacerdotum.

Num. 28. Dicens: Præcipiendo præcepimus vobis, ne doceretis in nomine isto, & ecce repletis Ierusalem doctrina vestra, & vultis inducere super nos sanguinem hominis istius.

Versiones

CVM EXPOSITIONE VIII.

138. vers. 25. *Audiens autem quidam* verba Sacerdotum inquirentium de Apostolis. *Sunt in templo*, loco valde publico: *stantes & docentes populum.* In quo ostenditur summa Apostolorũ constantia, generositas, ac cõfidentia; nõ enim in abscondito, nec obiter, sed firmiter, & cõstanter in publico docent, de quo iste annuntians admirabatur.

139. Vers. 26. *Tunc abiit Magistratus cum ministris*, Syrus *Tunc abierunt præfecti.* Arabicus *Abiens præfectus.* Æthyop. *Tunc ivit procurator tẽpli*, D. Chrysost. *Dux militiæ.* Magistratus nomen est officii, Dux nempe militum cum ipsis ad custodiam templi, ac ad ea, quæ ad ipsum templum pertinebant, ut dixi supra c. 4. q. 1.

Syrus. Arabic. Æthyo D. Chrysost.

n. 8. His cum suis ministris abiit. *Adduxit illos sine vi.* Arabicus. *Non violenter.* Æthyop *Magnates se gerentes erga eos.* Hoc est, leniter, ac honorificentiã eos duxit, ut fieri solet cum magnatibus, & rationem subdit Textus: *Ne lapidarentur.*

Arabic. Æthyop

Prompte venerunt Sacri Apostoli, cum facile se potuissẽt sua divina virtute, ac populi auxilio tueri, noluerunt tamen, ut nobis magnum præberent documentum Evangelicæ patientiæ, humilitatis, constantiæ, ac obedientiæ erga magistratus, affectuque procurandæ pacis, & evitandi seditiones, quod maxime eis fuit commendatum à suo Divino Magistro Ioan. 14. n. 27. & cap. 20. n. 21. & 26. Deinde quia eorum sancta, & pura conscientia magnum illis erat præsidium, ut nihil timerent. Deinde addunt Lyranus, & Hugo. *Fuit prompta voluntas veniendi, securitas de assistentia Dei*, ut eis promissum fuit à Christo Domino Matth. 10. num. 17.

140. *Pacis studium.*

Ioan. 14.

Lyran. Hugo.

Math 10

141. *Ne lapidarentur*, Syriacus: *Ne lapidibus obrueret eos populus*, ministri tam honorifice se habebant erga eos, non timore Dei, sed populi, sic Herodes venerabatur Ioannem propter populum, *qui eum tamquam Prophetam habebat*, Matthæi 14. num. 5 & hac de causa Iudæi sæpe revocati à cæde Christi. Matthæi 21. numer. 46. Marc. 11. numer. 18. Luc. 19. numero quarto. Bene poterant isti homines advertere quod Deus, qui tanta mirabilia operatus fuerat per manus Apostolorum, eos etiam poterat eripere tamquam volucres, ut notat D. Chrysostomus, sed mirabilis conditio humana potius homines, quam Deum pertimescit.

Syriac.

Math 14

Marc. 11.

Luc. 19.

D. Chrysost.

142. Vers. 27. *Et cum adduxissent illos, statuerunt in Concilio.* Syriacus *coram tota Synagoga.* Tunc fuit adimpletum vaticinium dictum à Christo D. Matth. 10. n. 17. *Tradent vos in Concilius, & in Synagogis suis flagellabunt vos*: Apud Iudæos criminosi ducebantur ad Synagogam, hoc est ad concionem totius populi, ubi qui erant flagellis digni flagellabantur, vel juxta crimen lenioribus pœnis plectebantur, Cõciliũ autẽ Synedriũ ad graviores causas pertinebat.

Syriac. Math. 10

143. Vers. 28. *Dicens præcipiendo præcepimus vobis.* Arabicus *præcepimus mandato præciso*, Syriacus & Arias per interrogationem: *Nonne præcipiendo præcepimus* ad majorem efficaciam, & energiam eos arguendi. *Repletis Ierusalem doctrina vestra*, eos accusat tanquam commotores, ac seductores, qui novâ doctrinâ volunt populum decipere, ac commovere.

Arabic. Syriac.

144. *Vultis inducere super nos sanguinem*, id est vultis nos reos facere homicidii Christi, ejusque quasi injuste occisi pœnas à nobis deposcere, tũ apud Deum, & plebem, tum etiã apud Romanos rerum dominos potentes scelerum vindices, sed oblitus es ô Caïpha, ait Beda, *de his, quod ipse sibi, & suis imprecatus fuerat, dicens, sanguis ejus super nos, & super filios nostros.*

Beda. Luc. 23.

145. *Hominis istius* Bis Christum Iesum intelligit tam modo hic, quam supra in hoc versu: Ne doceretis in nomine isto, nomen sanctum Iesu intelligens, quem expresse non exprimit: Primo, ut ait Glossa Proprer claritatem nominis os impurum tantum nomen capere non poterat Secũdo ex invidia Sacrosanctum nomen intendebant abolere, ac ex hominum memoria avellere, tũ etiã propter odium; quos enim odio habemus, nec videre, nec audire, nec nominare volumus.

Glossa. *Os impurum sanctum nomen Iesu non capit.*

Actor. 5. num. 29. Respondens autem Petrus, Apostoli dixerunt: Obedire oportet Deo magis, quam hominibus.

N. 30. Deus Patrum nostrorũ suscitavit Iesũ, quẽ vos interemistis suspẽdentes in ligno.

Num 31. Hunc Principem, & Salvatorem Deus exaltavit dextera sua ad dandã pœnitentiam

nitentiam Israeli, & remissionem peccatorum,

Num. 32. Et nos sumus testes horum verborum, & Spiritus Sanctus quem dedit Deus omnibus obedientibus sibi.

Versiones

CVM EXPOSITIONE IX.

156. Lyranus. Glossa Interlin. Carthus. Historia Ecclesiast. Vers. 29. *Respondens Petrus, & Apostoli.* Lyranus existimat solum Petrum locutum, ne fieret vocum confusio. Aptius tamen Glossa Interlinealis Carthusian. Historia Ecclesiastica cap. 17. tenent Petro inchoante, cæteri Apostoli prosecuti magno zelo, & fervore concepta ejus dicta approbantes, ac confirmantes, multa tamen cum modestia, ac reverentia.

147. Æthyop. *Obedire oportet Deo magis, quam hominibus.* Æthyopicus: *Oportet nos placere Deo potius, quam ut placeamus homini*: Non negant eos habere potestatem præcipiendi, ac leges condendi, quod hodie de Præfectis Ecclesiæ negant hæretici, sed negant eis obediendum, cum aliquid præcipiunt legibus Dei repugnantibus; omnis enim humana potestas subordinata est Divinæ, ut ait D. Bernard. lib. de præcepto, & dispens. cap. 12. *Sive Deus, sive homo Vicarius Dei, mandatum quodcumque tradiderit, pari profecto obsequendum est cura, pari reverentia deferendum, ubi tamen Deo contraria non præcipit homo.*

D. Bern.

148. D Chrysost. Lyran. Arabic. Æthiop. Actor. 2. Actor. 4. Vers. 30. *Deus Patrum nostrorum* D. Chrysost. ait: *Magna cum sapientia ostendunt, quod illi cum Deo pugnant*, ac proinde illis non sit obediendum, & ad conciliandam benevolentiam, eundem Deum, ac Patrem dicunt *Patrum nostrorum*. Lyranus: *Quem coluerunt Patres nostri. Quem vos interemistis suspendentes in ligno.* Arabicus *Appendentes eum trahi*: Æthyopic. *Quem vos necastis.* Et sic non imponimus vobis falso sanguinem ipsius effusum à vobis cujus rei vos estis testes, & hic fit repetitio illius, quod supra dicitur cap. 2. n. 23. & c. 3. n. 17. quod ibi satis est explicatum.

149. *Christi passio maxime nos corroborat ad sustinendas adversitates.* D. Cypr. Maxime nota, quod tam hic, quàm proximè citatis locis habentes Apostoli cum Principibus Synagogæ sermonem, à Christi passione incipiunt, ut ipsa commemorata patienter sustinerent tempestatum contrarietates, quæ in ipsos ab adversariis excitabantur, ut carceres, vincula, cruces, gladios ac fustes, qui adversus ipsos parabãtur, cõstanter, fortiterque sustinerẽt, D. Cyprian. lib. 3. epist. 25. ad Marty. ait: *Neque enim ad fustes christianum corpus exuavit, cuius spes omnis in ligno est.* Vide tom. 5. in Evangel. lib. 8. cap. 1. q. 16. n. 90. 91. 92. & 93.

150. Æthyop. Isa. 9. Isai 12. Isai. 62. D. Aug. Vers. 31. *Hunc Principem.* Æthyopic. *Principem vitæ*, sic dicitur ab Isaïa *Princeps pacis.* c. 9. n. 6. *Et Salvatorem*, sic ab eodem Isaïa proclamatur cap. 12. n. 2 *Ecce Deus Salvator meus* & cap. 62. n. 11. *Ecce Salvator tuus venit.* D. Aug. lib. 3. de Trinit. c. 10. ait: *Qui est hebraice Iesus, nostra autem locutione Salvator est.*

151. D. Chrysost. *Exaltavit dextera sua*, hoc est potentia sua. Supra vers. 30. facit mentionem de Resurrectione *Quem Deus suscitavit*, hic vero cum ait: *Exaltavit* sua mirabili Ascensione ut exponunt D. Chrysost. & alii, & etiam exaltavit per miracula, prædicationem Evangelicam, nominis claritatem, & subiiciendo ei multas gentes, quæ passim ad Ecclesiam veniunt. *Ad dandam pœnitentiam Israel*, ut per Christi merita adducantur ad veram pœnitentiam, ut gratia habituali infusa justificentur, ac sanctificentur, ut docet Concilium Tridentinum sess. 6. cap. 11. contra errores Calvini.

152. Trident.

Vers. 32. *Et nos sumus testes horum verborum, &* Pagnin. *Spiritus Sanctus* Pagninus Tigurina: *Insuper autem & Spiritus Sanctus*: Utrumque fuit prædictum à Christo D. Ioan. 15. n. 26. *Ille testimonium perhibebit de me, & vos testimonium perhibebitis.* Cum ergo dicitur: *Nos testes sumus harum rerum*, nempe Resurrectionis, Ascensionis, & salutis æternæ, à Deo per Christum credentibus promissæ, ut ait Lyranus; Insuper & eorum omnium testis est etiam *Spiritus Sanctus*, tum per seipsum veniens in die Pentecostes sub figura ignis, & venti, tum per nos tot, & tanta miracula, ac signa operans ad has veritates quas prædicamus, veluti cœlestibus sigillis suis comprobans, ac confirmans, & ideo de Spiritu Sancto loquens Paulus ait. Roman. 8. n. 16. *Ipse etiam nunc testimonium reddit Spiritui nostro, quod Filii Dei sumus.* Operibus quibus operatur in nobis, nos ostendit Filios Dei. Tigurina. Lyranus. Rom. 8.

Et quia Spiritus Sanctus adducitur ab Apostolis ad omnia supradicta confirmanda, ac corroboranda, ideo ab eis ponitur in ultimo loco. *Quem dedit Deus omnibus obedientibus sibi.* Syrus: *Qui credunt in ipso.* Arabicus *Qui obediunt ei.* Nam qui verè credit in Deum est illi obediens; est enim Spiritus, Sanctus testis omnibus per fidem, spem, ac legis Evãgelicæ observantiam se illi subiiciẽtibus. D. Cyrill. lib. in Ioan. 153. Syrus. Arabic. D. Cyrill.

Actor. 5. *num.* 33. Hæc cum audissent, dissecabantur, & cogitabant interficere illos.

Num. 34. Surgens autem quidam in Concilio Pharisæus nomine Gamaliel legis doctor honorabilis universæ plebi, jussit foras ad breve homines fieri.

Versiones

CVM EXPOSITIONE X.

154. Syrus. Arabic. Lucifer. Æthyop. Hebraïc. Vers. 33. *Hæc cum audissent, dissecabantur.* Syrus *Corripiebantur furore, vel exardebant furore.* Arabicus *Molesto, atque amaro animo tulerunt.* Lucifer *Fremebant* Æthyop. *Indignati sunt*: Hebraïcus *Se ipsos dilacerantes erant pra furore, ac impatientia.* Aptissime tamen noster Interpres vertit: *dissecabantur*; nam irati animus tamquam serra, vel gladiolo scinditur, & æstuans in varios motus, ac cogitationes fertur.

155. Syriac. Arabic. Sapient 7 Quod in eis erat ob exaltationem nominis Iesu exauditum valde durum erat: tum etiam quia non poterant infringere, nec ad verba Apostolorum respondere, & ut solet fieri, illi, qui devicti sunt, & non possunt verbis satisfacere, solent ad opprobria, & arma confugere, & ideo: *Cogitabant interficere illos* Syriacus: *Machinabantur eos interficere.* Arabicus *Consultabant, ut interficerent eos*, ut dicitur Sapient. 17. n. 10. *Semper præsumit sæva perturbata conscientia*, seu timebant populum, qui Sacros Apostolos, ut dignum erat, in multa reverentia habebat.

156. Syriac. Arabic. D Chrysost. Vers. 34. *Surgens autem quidam.* Syriacus: *Surrexerat autem quidam honoratus ab omni populo.* Arabicus *Valde honorandus.* Divus Chrysostomus *In pretio habitus apud totum populum*: & ait Textus *Surgens*, quia ut conciliarius sedebat, & cum per ordinem dicturus esset suam sententiam, forte ex more surgebat.

157. Iosephus. Pharisæi quinam essent. Pharisæus ex Hebræo idem est, ac *separatus ab aliis*, seu *Explanator*, de quibus multa Josephus libro 13. antiq. capit. 8. & 9. & libro 18. capit. 2. dicitur explanator, quia legem, & ejus præcepta explanabat ad populum. Dicitur separatus ab aliis, religione; nam fatebantur resurrectionem, ac vitæ sublimitatem, & ideo fimbrias protrahebant usque ad talos, ac pedes, in quorum extremitate gestabãt spinas, ut scribit D. Hieronymus in cap. 23. Matthæi, ut earũ punctionibus tibias, & pedes cruentarẽt D. Hier.

in signum severioris vitæ, & legem in membranis per modum coronæ in fronte, ac capite circumponebant ostendentes semper memoriâ legis se habere
Deut. 6 Act. 23. juxta illud Deuteronom. 6. n. 8. & inde in multo honore habebantur apud populum, & Paulus ante
Philip. 3 suam conversionem fuit Pharisæus infra in hoc lib. cap. 23. n. 6. & ad Philippenses cap. 3. n. 5.

158. *Iussit foras ad breve tempus fieri*: Innuit Præsidi ut extra Concilium imperaret Apostolos egredi ad breve tempus. Syriacus: *foras paululum temporis*,
Chrisost. Syriac. tum, ut ait Chrysost. ne illis, qui in Concilio astabant, suspicionem faceret, quod Apostolis favebat, si eos in eorum præsentia defenderet, tum etiam, ut
Lyra. ait Lyra, absentes efficacius defenderet, & liberior esset dicendi modus.

QUÆSTIO XX.

Quare Gamaliel tali modo loquitur in Concilio, & quinam esset?

159. Gamal. *Virtus insignis.* Pagnin. Martyr. AB hoc secundo incipio, Gamaliel, ex Hebræo idem valet, ac *retributio mea Deus*, vel *ablatus Dei*, vel *Camelus meus fortis*, ut ex nominibus Hebr. habet Pagninus, & optime conveniunt Gamalieli; Ipse enim fuit vir sanctitate præsignis, ut habet Martyrologium Romanum die 13. Augusti, dicens: *Jerosolymis inventio corporis Beatissimi Stephani Protomartyris, & sanctorum Gamalielis, Nicodemi, & Abibonis*,
Baron. ejusque sanctitatis eximiæ magnum indicium est, ut notat Baron. anno Christi 34. § *certum quod*, à primitivis Christianis fuisse sepultum apud Corpus Sancti Stephani, & cum ipso ejus corpus fuerit divina revelatione inventum, ut habetur ex Martyrologio Romano.

160. Doctor insignis. Fuit vir magnæ authoritatis, valde honorabilis, & in magno pretio habitus ab omnibus, insignisque legis doctor, fuit Magister Sanctorum Stephani, Barnabæ, ac Pauli, ut testatur Lucianus in libro de inventione corporis Sancti Stephani; fuit etiam naturalis pater Abibonis, de quo Martyrolog. citat, & ex talibus filiis tam naturalibus, quam moralibus collige qualis ille fuerit.

161. Maximè favebat Apostolis. Gamaliel Christianis, ac Apostolis favebat, an modo tempore huius Concilij esset jam baptizatus. & Christianus? Affirmat Clemens libro primo Recognit. cap. 9. & 10. Beda in Rectasi Acta in cap. 5. Id tamen negat in præsenti Chrysost. Apostolorum persuasione fidem suam occultabat; ut in Concilio melius posset Apostolos tueri, & Consilia Pontificum contra eos dissipare, ac destruere, & ut notat
D. Clem. Beda. citatus Clemens lib. 5. constit. cap. 3. Apostolos plagis affectos, ut dicitur infra vers. 40. à Concilio dimissos, id plane nequaquam ex sententia Gamalielis fuisse factum, sed mandato Caïphæ, Annæ, Alexandri, & aliorum.

162. Amicus occultus in Concilio multum utilis. 2. Reg. 15. Cum David fugeret à facie Absalon totus erat deprecans Deum: *Infatua quæso Domine consilium Achitophel*, tũc occurrit Davidi Chusai valde senex, cui ait David: *Si veneris mecum eris mihi onus, si autem in civitatem reverteris, dissipabis Consilium Achitophel*, 2. Reg. 15. n. 33. Magis proficuus erat Chusai David manens cum suo adversario, ad reprimenda, ac destruenda consilia data contra ipsum, quam si ei esset comes in via; nam si in itinere esset socius erat
Abulens. ei onus, si in Concilio adversarii multum adjuvamen Abulens. ibi q. 36. ait: *Magis utilis esset Chusai in negotio David, si iret in Jerusalem, nam ait David si veneris mecum, eris mihi onus, ac inutilis.*

163. Joan. 3. *Nicodemus Princeps Iudæorum venit ad Iesum nocte.* Ioan. 3. n. 2. Si Princeps, & magnus cur non clare, & patenter venit, ut notavi tom. 2. in Evangel. cap. 3. q. 5. n. 25. & ut ibi dixi: Venit nocte, ut bonus, & prudens, ut bonus homo, venit ad lumen fidei, ut de via salutis haberet documẽta, ut prudens sub noctis umbra, ut cautè cum Christo loqueretur, ut sic posset ei melius inservire, ut iniqua Consilia Judæorum dissipando, ut efficaciter præstitit in Concilio, dum Judæi volentes comprehendere Christum, ipse Nicodemus
Nicod. Ioan. 7. restitit, dicens: *Numquid lex nostra judicat hominem, nisi prius audierit ab ipso.* Ioann. 7. n. 50.

Actor. 5. num. 35. Dixitque ad illos: Viri Israelitæ, attendite vobis super hominibus istis, quid acturi estis.

Num 36. Ante hos enim dies extitit Theodas, dicens se esse aliquem, cui cõsensit numerus virorũ circiter quadringentorũ, qui occisus est: & omnes, qui credebãt ei dissipati sunt, & redacti ad nihilum.

Num. 37. Post hunc extitit Iudas Galilæus in diebus professionis, & avertit populum post se, & ipse periit, & omnes quotquot consenserunt ei dispersi sunt.

Num. 38. Et nunc itaque dico vobis, discedite ab hominibus istis, & sinite illos, quoniam si est ex hominibus consilium hoc, aut opus dissolvetur.

Versiones

CUM EXPOSITIONE XI.

Vers. 35. *Viri Israelitæ*: Eos Israelitas dicit, ut
164. Lyran. ait Lyranus tamquam in propheriis, ac lege eruditos demoliens verbis, benevolentiam
Arabic. captans: *Attendite vobis super hominibus istis.* Arabicus *Quid intendatis agere de negotio istorum hominum.* D. Chrysost. *Prospicite vobis*: Eos, ut notat idem
D. Chrysost. Chrysostomus, ad maturum, & consideratum consilium exhortatur, ne furore, aut ira correpti sententiã aliquam præcipitem proferant, ideoque ait: *Attendite vobis* cum sitis judices, ad cuius munus spectat seriò, ac mature agere, & non furore, ac ira repentina commoveri; *nam præceps sententia præcipitem ruinam secum affert*: ait Laertius lib. 1.
Laertius

Vers. 36. *Ante hos dies extitit Theodas.* Syriacus
165. Syriac. *Ante hoc tempus surrexit*: frequens est in scriptura dies poni pro tempore, iste Theodas ferè post me-
De tempore quo exstitit. dium imperii Augusti, & circa viginti annos ante Christum. de quo dicam quæstione sequenti: *Dicens se esse aliquem.* Syriacus *Dixerat de se ipso se esse*
Syriac. *quid eximii* Arabicus: *Quod esset vir præclarus*, Æthyopicus: *Magnificavit se ipsum.* Arias *esse aliquem*
Arabic. Æthiop. *se ipsum magnum.* Græcus: *Dicens se esse Rab, seu Rabbi, id est magnum Doctorem, seu Prophetam.* De illis
Arias. Græcus. vero, qui ad eum accesserunt dicam quæst. sequenti.

Vers. 37. *Post hunc extitit Iudas Galilæus*, Syria-
166. Syriac. cus: *Surrexit Iudas Galilæus* ex Galilæa natus, & ab ipso eius secta nomen Galilæorum habuit, qui acriter negabant non esse licitum Iudæis, eum qui erat sub dominio Dei, alium Dominum, scilicet Cæsarem, cognoscere, illique tributum dare, de quo latius q. 22.

167. Syrus Arabic. Arias. *In diebus professionis*, Syrus *Quibus diebus descripti sunt, quique in pecunia capitatim.* Arabicus *In diebus census*, Arias: *In diebus descriptionis*: Dicuntur dies descriptionis, quando scilicet *Extit edictum à Cæsare Augusto, ut describeretur universus orbis* Luc. secundo, numero primo; dicuntur autem dies professionis, quia illa solutione census,
Luc. 2. ac

ac deſcriptione omnes profitebantur ſe Cæſari ſubditos, ac proinde hoc contigit primo, vel ſecundo anno Nativitatis Chriſti Domini: *Et omnes redacti ſunt* ad nihilum, omneſque ſunt deſtructi, ac diſſipati, ut dicam quæſt. 22.

168. Syrus. Æthyop. Verſ. 38. *Et nunc itaque dico vobis diſcedite ab hominibus iſtis.* Syrus *Abſtinete vos.* Æthyopicus: *Sinite, & non ladatis eos*, id eſt nolite vos intromittere in negotio horum hominum, nec eorum prædicationem approbando, nec reprobando. *Quoniam ſi ex hominibus conſilium hoc.* Syriacus: *Si ex hominibus eſt hæc cogitatio, & opus deficient vel cæcabunt.* Syriac. Arabic. Arabicus: *Et tranſibit hoc, & peribit*: Ut probat Gamaliel citatis exemplis.

QUÆSTIO XXI.

Quare Theodas tam citò periit, & quiſnam eſſet?

169. *De tempore Ioſeph.* THeodas iſte valde diverſus eſt ab illo, de quo Joſephus facit mentionem lib. 20. antiq. nam Theodas Joſephi extitit multis annis poſt hanc orationem Gamalielis ſub Claudio Cæſare; noſter autem, de quo agitur in præſenti fuit antecedenter ſub Auguſto Cæſare, niſi forte dicatur, Theodas, de quo agit Joſephus extitit filius, aut nepos noſtri Theodæ, quod rebellionem ſopitam ſuſcitare, patriſque, vel Avi necem vendicare conatus.

170. *Tempus Nativitatis Chriſti tempus Meſſiæ.* Tacitus. Sub hoc tempore Nativitatis Chriſti intelligebant Iudæi ex oraculis Prophetarum, ac ex Sceptro Iuda in Herodem alienigenam tranſlato adeſſe tempus Meſſiæ, qui Iudæis patrocinium ferret, & toti Orbi imperaret, cuius intelligẽtiæ, ac cognitionis meminit Tacitus lib. 120. & ideo hac de cauſa per id tẽporis multi pſeudo-Chriſti, ſeu ſeditioſi, qui pro Meſſia haberi, ac venerari voluerũt, de quibus tacito nomine, ac cognomine facit mẽtionẽ Ioſeph. lib. 18. Antiq.

Ioſeph. Hic autem Theodas, ſeu Tbeudas, ut Beda, Gloſſa, Lyranus, Carthuſianus, & alii ex Ioſepho lib. 20. Antiquit. cap. 1. referunt, cum multas ex Urbe Ieroſolymitana facultates ſuſtuliſſet ſuis perſuaſit obſidere ripas Iordanis, cumque eſſet magus Prophetam ſe venditabat promittens ſe diviſo fluvio tranſitum præbiturum. Huic juſſu Cuſpii Fidi Romani procuratoris ſuperveniente equitũ copia, multis ex ejus adhærentibus interfectis, vel captivis, ipſius caput amputatum fuit, & in urbem delatum.

171. *Q. eſſe.* Theodas Beda. Gloſſa. Lyran. Carthuſ. Hugo.

172. *Quis met tam ſe exaltat deprimitur.* En cauſa, & ruina hujus miſerabilis, quia de ſe ipſo jactabat eſſe quid magnum, eximium, præclarum & magnificum, ac prophetam, ut patet ex verſionibus ad verſ. 36. & qui ita ſuper cæteros ſe voluit extollere, ut ſolus ipſe omnia ſibi arrogaret, inde alto Dei judicio ſic deprimitur, ut ipſe cum ſuis adhærẽtibus ſic cadat, & tanquam ad nihilum omnes rediganꝫ; diſſipati ſunt, & redacti ad nihilum.

173. *Ex multa præſumptione magnus lapſus.* Maximè dignum eſt in quæſtionem vocari cur Petrus ex omnibus Apoſtolis, omniumque caput, ita graviter cadat, ut dilectiſſimum Magiſtrum, à quo tot, & tanta dona acceperat, ter neget? *Non novi hominem; neſcio quid dicis.* Cum Chriſtus D. dixiſſet: *Omnes vos ſcandalum patiemini in me in iſta nocte.* Reſpondet Petrus: *Et ſi omnes ſcandalizati fuerint in te, ego nunquam ſcandalizabor.* Matth. 26. nu. 33. Et rurſus ait: *Etiamſi oportuerit me mori tecum, non te negabo* ibidem nu. 35; Petrus ſupra omnes ſe extollebat, ac præſumebat, quod nec ſcandalizaretur, nec negaret, infra omnibus habet ſcandalum, & negat, Pulchre D. Auguſtin. epiſt. 120. ait: *Petrus ex egregio præſumptore, tam creber negator effectus eſt.* Ex multa præſumptione ad miſerabilem caſum. Matth. 26

174. Ex conſilio ſerpentis comedunt primi Parentes de pomo verito tamquam ſibi perſuadentes Deos futuros, ac omnipotenti Deo æquales evadere poſſe: Tunc Deus clemẽs venit in Paradyſum, vocans eum, & dicens: *Adam ubi es?* tunc ſubdit textus: *Cũ audiſſent vocem Domini Dei ambulantis ad auram poſt meridiem abſcondit ſe Adam, & uxor eius* Geneſ. 3. nu. 8 Geneſ. 3. Nonne illi magni Progenitores tanta audacia fuerũt pleni, ut ſibi perſuaderent poſſe conſtitui Deos. & omnia ſub eorum nutu, ac imperio cõtinere, cur modo ad unam blandam vocem fugiunt? Cum tam altos, & ſublimes auſus ſupra omnem naturam conceꝑiſſent, ut æquales fieri Deo intenderent, inde tam miſerrimè pavidi, & timidi evadunt, ut ab una leni voce omni vehementi conatu ſe abſcondere contendant. D. Athanaſ. orat. in Aſſumpt. Virg. ait: *Generis noſtris origo ſub arbore ſe abſcondit, fugit ad ſtrepitum iuſtè de divinitate perſuaſa.* Qui tantum ſe voluerunt exaltari, ut de divinitate præſumerent, in de in tantam infirmitatem, atque animi fractionem devenerunt, ut ad tenuem quandam vocem, atque ad levem unius folii ſtrepitum, ac motum, fugam ſibi arripiunt. *Ex multa audacia magna timiditas.* D. Atha.

QUÆSTIO XXII.

Quare Iudas Galilæus, & ſui adhærentes graviter pereunt?

175. ISte Iudas Galilæus natus ex Galilæa, quæ erat Provincia confinis Iudææ, & maxime in rebus religionis diſceptabat, extitit Auctor cuiuſdam ſectæ, quæ ab ipſo Authore Galilæorum obtinuit nomen. Vixit autem iſte tempore Nativitatis Chriſti D. quando deſcriptio totius orbis facta eſt ab Auguſto Cæſare Luc. 2. n. 1. tributo perſoluto, quod ab Auguſto fuit imperatum. *Primo* Ut omnes ſe ipſos Cæſari ſubditos profiterentur. *Secundo* In ſignum ſubjectionis ſolvebant cenſum. *Tertio* Deſcribebantur in tabulis Cæſaris, ut ipſe ſciret quot, quantæque gentes, ac provinciæ illi erant ſubjectæ. tum ad ſolvendum vectigal, tum ad numerum militum, ſi neceſſarii forent, cognoſcendum. *Cur exigebantur tributa.*

176. *Iudas Galilæus Author ſectæ erroneæ.* Tunc ſurrexit, ſeque oppoſuit Cæſaris procuratoribus Iudas iſte Galilæus, & rebellionem excitavit in populo, dicens: Non eſſe licitum populo Dei, qui eum eduxit de Ægypto, alium Dominum præter ipſum cognoſcere, nec alicui alteri tributum ſolvere, niſi ipſi ſoli Deo, quod pertinaciter ad mortem uſque defendebant; hac de cauſa Romanus Præſes armata militum manu Iudam ipſum multis cum ſequacibus occidit, de quo Ioſephus libro decimo-octavo Antiquit. capite primo, & libro 20. capite quinto, & capite tertio addit duos filios Iudæ hac de cauſa ſub Claudio Imperatore fuiſſe crucifixos. Ioſeph.

177. Et quamvis ipſe Iudas cum multis ſequacibus fuiſſent occiſi, multi tamen remanſerunt: & ideo hæc ſecta, & hic error tempore Chriſti perduravit, & ea propter hanc quæſtionem propoſuerunt adverſarii, Chriſto D. Matth. 22. n. 16. & 17. *An liceat cenſum dare Cæſari?* ut ibi notat D. Hieronymus, & iſti Galilæi ſunt, quos occidit Pilatus, quorum ſanguinem miſcuit cum ſacrificiis eorum Luc. 13. n. 1. ut ibi dixi tom. 6. in Evangel. & hæc ſecta, ſeu rebellio in Romanos occaſionem præbuit Tito Veſpaſiano Ieroſolymæ exeidendæ, ac penitus devaſtandæ. Matth. 22. *Cauſa devaſtationis per Titum.* Luc. 13.

178. *Regibus tributũ dãdum.* Regibus, ac Principibus obediendum uſque ad debitum tributum perſolvendum; ad hoc Paulus Apoſtolus nos exhortatur Rom. 13. num. 1. *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit* & n. 7, *cui tributum tributum, cui vectigal vectigal ſit* & ad

Titum cap. 3. num. 1. *Admone illos Principibus, & potestatibus subditos esse.* Et hoc etiam probatur ex Ieremia 38. num. 17. qui persuadebat populo obedire Regi Chaldæorum, & ex 2. Paralypom. cap. 2.Parali. ultimo num. 17. ubi reprehenditur Sedechias Rex Judæ, quod fidem datam Nabuchodonosori fregit. Tandem Christus Dominus omnium Magister citato cap. 22. Matth. num. 21. ait: Math.22 *Quæ sunt Cæsaris Cæsari, quæ sunt Dei Deo*: ubi multa de hac re, ac de tributis solvendis dixi.

179. Tributa debent imponi à Regibus, quæ sunt necessaria, non vero cum excessu, ac nimietate: tunc enim fiunt valde onerosa, atque odiosa. Potentissimus Nabuchodonosor repræsentabatur in valde procera, & magnifica arbore, cuius culmen pertingebat Cœlum, de qua agens Daniel cap. 4. num. 9. Daniel. sic inquit: *Folia eius pulcherrima, & fructus nimius.* Pulchritudo solum erat in foliis, in fructibus nimietas; pulchritudo grata, & delectabilis, nimietas verò odiosa, atque invisa: Arbores frequenter nobilitantur ex fructibus, sic dicitur Genes. 3. nu. 6. Genes.2. *Vidit igitur mulier quod bonum esset lignum ad vescendum, & pulchrum oculis, aspectuque delectabile.* Cur ergo Danielis arboris fructus nec pulcher, nec gratus, neque aspectu delectabilis dicitur, sed tantum de foliis, quod essent pulcherrima? Folia denotabant magnificentiam, & amplitudinem imperij Nabuchodonosoris, quæ erat valde elegans, & decora, fructus verò repræsentabant tributa, & exactiones, quos fructus Principes à suis subditis volunt exigere, ac recipere, & si minimi sunt valde odiosi, atque ingrati sunt, Theodoretus ibi sic Theod. ait: *Folia vocat decus illud, quod conspiciebatur in veste, & throno, & regiis scutatis hastis satellitibus, ac stipatoribus corporis: fructuum verò tributum, quod undique ei afferebatur, idcirco multum fructum, non autem pulchrum dixit; neque enim iustum erat, ubi tributum est multum nihil est pulchrum,* sed omne invisum, & odiosum.

Tributa sint moderata, & non nimia.

Actor. 5. nu. 39. Si verò ex Deo est non poteritis dissolvere illud, ne forte Deo repugnare inveniamini. Consenserunt autē illi.

Num. 40. Et convocantes Apostolos, cæsis denunciaverunt ne omnino loquerentur in nomine Iesu, & dimiserunt eos.

Num. 41. Et illi quidam ibant gaudentes à conspectu Concilii quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliā pati.

Num. 42. Omni autem die non cessābant in templo, & circa domos docentes, & evangelizantes Christum Iesum.

Versiones

CVM EXPOSITIONE XII.

180. Syriac. Vers. 39. *Si vero ex Deo est non poteritis dissolvere illud.* Syriacus: *Non est facultas in manibus vestris, ut faciatis illud compescere*, vel, ut habet alia lectio *cessare.* Valde prudenter loquitur Gamaliel, non absolute affirmat quod hoc sit ex Deo, ut recte poterat dicere, ut constabat ex miraculis, signis, ac, virtutibus Apostolorum, sed loquitur conditionate: *si vero ex Deo est*, ut suum affectum in Apostolos non manifestaret, eo quod hic ejus consilium tamquam ab animo sincero, & integro esset magis acceptabile apud alios judices furore commotos in Apostolos.

181. *Ne forte Deo repugnare inveniamini.* Syriacus: *Ne reperiamini contra Deum insurgere.* Æthyopic. *Ne videamini, sicut ille, qui cum Deo pugnat.* Valde temerarium est Divinæ voluntari velle resistere: *Nisi Dominus ædificaverit domum, in vanum laboraverunt qui ædificant eam* Psalm. 126. *Consenserunt autem illi.* Syriacus: *Acquieverunt ei.* D. Chrysost. *Persuasi sunt ab eo.* Placuit Consilium Gamalielis, ut non interficerent Apostolos, ut paulo ante vers. 33. constituerant, tamen eorum indignatio non omnino quievit. Unde sequitur.

Syriac. Æthyop. Psal.126 Syriac. D.Chrysost.

182. Vers. 40. *Et convocantes Apostolos*: nam ex Consilio Gamalielis Apostoli jussi sunt foras egredi. Supra vers. 34. *Cæsis denunciaverunt.* Syriacus: *Flagellaverunt eos.* Arias *Cædentes*: Verbum autem græcum significat *verberare excoriare*, ne eorum furor in vanum fuisset, & sine causa eos flagellarunt, sicque adimpletum est id, quod Christus Dominus eis prædixit: *In Synagogis suis flagellabunt* Matthæi 10. num. 17. *Denunciaverunt.* Syriacus: *Præceperunt.* Principes Synagogæ flagellis cæderunt Apostolos, ut eos deterrerent à prædicando nomine Jesu at ipsis flagellis maxime corroborabantur ad prædicandum, cum viderent verba Christi exactissime adimpleta in eis, & quod omnia, quæ illi patiebantur à Christo fuisse prædicta. Hujus flagellationis Authores fuerunt Caïphas, Annas, Alexander, non vero Gamaliel S. Clemens lib. 5. const. cap. 2.

Syriac. Arias. Græcus. Math.10 *Flagellis non frāguntur, sed corroborantur.* D.Clem.

183. Vers. 41. *Illi quidem ibant gaudentes à conspectu Concilij*, non ibant tristes, nec lugentes, sed gaudentes ad majorem Dei gloriam, & suorum inimicorum confusionem, quia eorum flagella in eis non erant causa tristitiæ, sed gaudii D. Chrysost. *Tam fortis, invictaque est virtus, & dum patitur, affligentes vincit*, & mox *est quippe fortitudinis excellentissimus gradus, non tantum patienter, & libenter, sed latanter quoque adversas res ferre*, de quo latius quæstione sequenti.

D.Chrysost.

184. *Quia digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati*, Syriacus *Ignominiam pati.* Arabicus: *Qui contempti fuissent.* Æthiopicus: *Quia portio eorum contumelia erat, ut despectui essent propter nomen Iesu*: est enim hoc magnum Dei donum.

Syriac. Arabic. Æthyop

158. Vers. 42. *Omni autem die non cessabant in templo.* Mira, & mirabilis est Sanctorum Apostolorum fortitudo, ac constantia; quia nec minacibus verbis, nec duris flagellis tenentur, ut desistant prædicare Jesum Christum: *Verbum enim Dei non est alligatum*, ut ait Apostolus: mirabilis est etiam stupor Magistratuum, qui non possunt cohibere Apostolos à sua prædicatione, sed, ut ait Esther: *Quis poterit, Domine, resistere voluntati tuæ, si tu decreveris salvare nos* cap. 6. num. 13.

Esther.6.

186. *In templo* hoc est porticu Salomonis. Æthyopicus: *Sedebant in templo*, hoc est cum perseverantia, & animo quieto, & placido, hoc denotat verbum sedere. *Circa, domos*, Græcus *De domo in domum.* Divus Chrysostomus, Pagninus: *In domibus singulis.* Vatablus, Tigurina: *Domesticatim.* Quod faciebant Apostoli tanquam boni, & præclarissimi Prælati, docebant publicè, & privatim: Prædicabant in templo, quando opportune erat conveniens, & quando occasio non dabatur docendi in templo, hoc præstabant per singulas domos, ut illa sancta quatuor animalia, quæ non habebant requiem die, ac nocte in laude Dei Apocalypsis 4. numero decimo-octavo.

Æthiop. D.Chrysost. Pagnin. Græcus. Vatabl. Tigurin. Apocal.4

QUÆSTIO XXIII.

Quare dicit Apostoli flagellati in Concilio non ibant tristes, ac lugentes, sed gaudentes.

187. AIt Textus: quod *Cæsis Apostolis, ibant ipsi gaudentes à conspectu Concilij*, non tristes, & lugentes, sed gaudentes, quia summum, ac perfectum gaudium erat illis pro Christo pati; unde ait Apostolus Iacobus cap. 1. num. 2. *Omne gaudium existimate fratres mei, cum in tentationes varias incideritis.* Illud *Omne gaudium* juxta radicem græcam *totum perfectum*, plenum, ac consummatum gaudium, & ubi est tantum gaudium *cum incideritis in tentationes varias* laborum, ac persecutionum, præclare ait D. Nazianzenus orat. 2. de pace, ubi sic habet: *Non detrimentum ducentes pati, sed non pati, quod periculorum, quæ pro Christo subeuntur, gustum cepimus.* Ceperunt gustum in flagellis, ærumnis, ac periculis pro Christo, & ideo nihil dulcius, aut suavius erat, & hac de causa dicebat nostra S. Theresia: *Domine, aut pati, aut mori.*

Iacobus

Græcus. *Dulce est sanctis pati, durum non pati*

S. Ther.

188. Regius Vates Psalm. 30. num. 20. *Quam magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abscondisti timentibus te.* Et quænam est hæc magna multitudo, seu ampla, & excelsa, quæ ab hominum mente, & oculis est remota, & solum timentibus Deum manifesta, & cognita; nempe multitudo laborum, ac pressurarum, quæ etsi mundanorum oculis sit aspera, & acerba, tamen timentibus Deum illam gustantibus dulcissima, & omni suavitate plena: ad hoc respicit Angelus in Apocalyps. cap. 2. num. 17. cum ait: *Vincenti dabo Manna absconditum*: per manna, ut ibi dicitur, intelligitur omnis copia suavitatis, ac dulcedinis, quam solum sapit, atque agnoscit, qui pressuras pro Deo vincit, & superat. D. Bernard. serm. de S. Andrea ait: *Nostra culpa est, quod non sapit nobis, quæ pro Christo est tribulatio, ne gustaremus & nos Manna absconditum.* Valde jucunda, & delitiosa est tribulatio pro Christo, non tamen omnibus, sed tantum Deum timentibus; de hac dulcedine non gustat mundanus, sed solum justus, & si nobis non sapit ex eo est, quia non pro Christo, sed pro mundo patimur, & toleramur, si pro Christo diceremus cum Psalmista Psal. 93. num. 19. *secundum multitudinem dolorum meorum, consolationes tuæ lætificaverunt animam meam.* Et Apostol. 2. Corinth. 7. num. 4. *Repletus sum consolatione, superabundo gaudio in omni tribulatione nostra.* Non gaudium, sed superabundans gaudium illi erat in omni tribulatione pro Christo.

Psal. 30.

In laboribus magna dulcedo solum sanctis nota.

Apoc. 2.

D. Bern.

Psal. 93.

2. Cor. 7

189. Ideo Apostolus scribens ad Philippens. cap. 1. num. 7. ait: *sicut est mihi justum sentire pro omnibus vobis, eo quod habeam vos in corde, & in vinculis meis, & in definitione, & confirmatione Evangelii, socios gaudii mei omnes vos esse.* Ait Paulus, quod Philippenses ei sunt in corde, & vinculis; quia sunt socii gaudii ejus: quodnam erat istud Pauli gaudium? D. Chrysostomus Theophylactus, Euthymius, & communiter Recentiores existimant vocari à Paulo suum gaudium, seu gratiam vincula, & tribulationes, quas pro Christo, ac prædicatione Evangelij patiebatur, cujus causa Philippenses sui socios, ac consortes vocat Theophylactus ait: *Vos cordi habeo, quia socij mihi, & participes estis hujusmodi gratiæ, seu gaudii, hoc est pressurarum, & compendium effecti: Curandum itaque diligentius, ne à vobis vos desciscatis, & in malis hisce, & vinculis constituti.* Paulus sua vincula, gaudium suum dicit, & Christus explicans suam Cœlestem Beatitudinem, gaudium appellat: *Serve bone intra in gaudium Domini tui.* Matth. 25. num 21. eadem phrasi appellat Christum suam Beatitudinem gaudium, ac Paulus suos labores, & persecutiones; quia tam dulce, ac suave est pati pro Christo, ut sit quædam prælibatio supremæ felicitatis, ac æternæ jucunditatis Cœlestis Beatitudinis.

Philipp.

D. Chrysost. Theoph. Euthym.

Theoph.

Labor pro Christo præsentem vitam æterno.

Ait Iacobus Pharaoni: *Dies peregrinationis meæ centum & triginta.* Genes. 47. num. 9. De tempore prædicationis contra Antichristum dicitur, quod Elias, & Henoch prædicabunt diebus mille sexaginta sex Apocalyps. 11. num. 3. Pro quo meritò notat Eustathius in exordio sui commentarii in Hexamer. *Quare dum tempora commetimur, dies autem, non noctes annumeramus*: Tempore annorum non solum computantur dies, sed etiam noctes, quæ æquali parte tempus absumunt, cur ergo in justis solum numerantur dies, qui semper fuerunt multis laboribus pleni, & ærumnis, & pressuris, & sub Antichristo, quales nunquam fuerunt ab initio, cum hæc omnia sustineant pro Deo, ipsa obscura, & tenebrosa nox, ut clara, & jucunda dies videbatur, ipsum gaudium patiendi pro Deo noctis caliginem vertit in lucem diei, sic ait Regius Vates Psal. 138. num. 12. *Quia tenebræ non obscurabuntur à te, & nox sicut dies illuminabitur, sicut tenebræ ejus, ita & lumen ejus.*

190. Gen. 47.

Apoc. 11 Eustath.

Gaudium patiendi noctem vertit in lucem.

QUÆSTIO XXIV.

Quare Apostoli gaudent in pœnis, & flagellis, Christus vero Dei Filius in illis tristatur?

191. APostoli flagellati: *Ibant gaudentes à conspectu Concilii*, at meus Iesus accedens ad suam passionem dicebat de se: *Tristis est anima mea usque ad mortem.* Matth. 26. num. 38. Homines gaudent in pœnis, Christus Dominus maluit in illis tristari; quia tristitia est supremum malum super omnia mala, & super omnia tormenta, voluitque hoc tormentum etiam in sua passione sustinere, ait D. Ambrosius lib. 10. in Lucam: *Homo enim in plaga, & sciens, inquit, ferre infirmitatem, nos voluit erudire, ut quia in Ioseph didicerimus, carcerem non timere, mortem vincere, discereamus in Christo, & quod est amplius, quemadmodum futuræ mortis mœstitiam vinceremus.* Notanter adverte illud, quod *est amplius*; quippe super carceres, aculeos, ac supra mortem est tristitia, quam sibi Dominus Iesus voluit assumere, quam vincere ab uno solo Iesu discere possumus.

Matth. 26

D. Ambr.

Tristitia super omnia tormenta

192. Puniens Deus mulierem ob gustatum pomum vetitum ait illi Genes. 3. num. 16. *Multiplicabo ærumnas tuas, & conceptus tuos, in dolore paries filios.* Græca exemplaria habent: *Multiplicans multiplicabo mœrores tuos, & gemitum tuum, in tristitia generabis filios.* Adamus, quia audivit vocem mulieris in multis castigatur, dicitur maledicta terra in opere suo, & quod terra pro bono semine dabit tribulos, & spinas, & quod in labore, ac sudore comedet panem, & tandem mortis pœnam, quod in pulverem revertatur, ac mulier peccati auctrix mœrore solo, ac tristitia puniatur, quia hæc pœna omnium acerbissima, ac durissima putatur, & omnibus collectivè æquivalès, imo & superior D. Chrys. epist. 8. ad Olympiam ait: *Multiplicans multiplicabo mœrores tuos, & gemitum tuum: In tristitia generabit, nusquam dolor nunquam labor, & sudor, sed mœror, & gemitus, & illa, quæ ex iis vindicta descendit doloribus, & infinitis mortibus est coëqualis, imo etiam multò deterior.* Expende ultima verba.

Genes. 3.

Græcus.

Tristitia omnium pœnarum horror.

D. Chrysost.

193. Ait Deus populo ſuo per Ezechiel. 23.n.33. *Ebrietate, & dolore repleberis, calice mœroris, & triſtitiæ.* Septuag. Septuaginta, *Calice mœroris & perditionis.* Hebræus: *Calice ſolitudinis, & vaſtationis.* Ex quo conſidera quod eodem vocabulo intelligitur triſtitia, quo & vaſtatio, ac perditio; ubi enim triſtitia hominis animum occupat, ſtatim omnium illius fit perditio, ac devaſtatio: proximè citatus D. Chryſoſtom. ſic ait: *Triſtitia animarum crudele tormentum eſt; dolor quidem inexplicabilis, judicium omni judicio, vindictaque deterius; Nam & vermi eſt ſimilis venenato, non ſolummodo carnem, ſed & animam ipſam perimens, & tinea non ſolum ad oſſa, ſed & corda pertingens, & perpetuus quidam carnifex.* Unde peſſimus ille Antiochus morti proximus dicebat de ſe: *Ecce eo triſtitia magna in terra aliena,* 1. Machab. 6.n.13.

Triſtitia crudeliſſimus carnifex. D. Chryſoſt. 1. Machab. 6.

QVÆSTIO XXV.

Quare Apoſtoli pati, & flagellari pro Chriſto habent pro magna dignitate?

194. AIt Textus: Flagellati Apoſtoli *Ibant gaudentes à conſpectu Concilij, quoniam digni habiti ſunt pro nomine Ieſu contumeliam pati.* Chriſtus D. ſuos duodecim diſcipulos elegit in Apoſtolos ſupremam Eccleſiæ dignitatem, Luc. 6.n.14. Eis ſic electis dedit poteſtatem curandi infirmos, ejiciendi dæmonia, &c. Marc. 3.n.15. Et tunc non dicitur, quod gauderent, quia digni habiti ſunt tanta dignitate, tantaque poteſtate, ſed modo quia digni habiti ſunt pro Ieſu contumeliam pati, ac ſi ipſum pati contumeliam pro Ieſu ipſis in majore honore, ac excellentia ſit, quam quæcumque alia etiam ſuprema dignitas, ac poteſtas; ad hoc ſpectat id quod ait D. Methodius apud Theodoret. Dialog. 1. dum ait: *Adeo enim admirabile, & omni ſtudio expetendum eſt martyrium, quod ipſe Dominus Ieſus filius Dei, ſe eo honorari teſtatus ſit. Non rapinam arbitratus eſt, ſe eſſe æqualem Deo, ut etiam hoc dono, hominem, ad quem deſcendit, coronaret.* Tam excellens, & magnum donum eſt ipſum pro Deo pati, martyriumque ſuſtinere, ut Ieſus filius Dei veniens in mundum, non alio voluit coronari, niſi ſua paſſione, ſic ait Apoſtolus Hebræor. 2.n.9. *Vidimus Ieſum propter paſſionem mortis, gloria, & honore coronatum.* Suoſque non alia dignitate, ac honore voluit coronari, niſi paſſionis, *ut etiam hoc dono hominem, ad quem deſcendit, coronaret.*

Luc. 6. Marc. 3 Supremа dignitas martyrium, ac pati pro Deo. Method. Æbr. 2.

195. Philip. 1. Ait Paulus ad Philippenſ. 1.n.19. *Quia nobis donatum eſt pro Chriſto, non ſolum, ut in eum credatis, ſed etiam pro illo patiamini.* Pro magno, & ingenti dono hoc vobis datum eſt. D. Anſelm. ibi ſic ait: *Vobis donatum eſt quaſi præmium pro Chriſto, quem diligitis, non ſolum ut in eum credatis, ſed etiam ut pro illo patiamini ad cumulum gloriæ.* Expende illa verba quaſi præmium, ac ſi ipſum pati pro Deo ſit præmium tam magnifici operis. Iſta conſideratione pondera verba Apoſtoli: *Vobis donatum eſt, ut in illo credatis, & pro illo patiamini.* Supremum domum, quod Deus homini communicat in hac vita eſt lumen fidei, & tanto dono cohærens, *ut pro illo patiamini.*

D. Anſel. Pati pro Deo præmium.

196. Cant. 8. Appon. Philo. Carpati. Honor. Hortol. Dicunt Sodales, vel etiam Angelis, ut vult Alanus, & Chaldaïcus: *Soror noſtra parva, & ubera non habet, quid faciemus ſorori noſtræ in die, quando alloquenda eſt,* Cantic. 8.n.8. Communiter Patres, ut Aponius Philo, Carpati. Honoratius, Hortolanus referunt hæc verba ad Eccleſiam, quando tempore tyrannorum Neronis, Diocletiani, ac etiam Antichriſti Eccleſia in ſuis filiis ad tribunalia illorum adducta loquenda ſuſtinens, & patiens tot, & tantas perſecutiones, ac adverſitates, quales nunquam fuerunt, nec erunt ab initio, pro quo ſtat lectio R. Salomonis, quæ ita habet: *In die, quo gentes conſilia agitabunt de ea delenda.* Hoc poſito in quæſtionem voco cur ſancti Angeli inter ſe quærunt, & diſcutiunt: *Quid faciemus ſorori noſtræ,* in quo nempe loco, dignitate, ac honore, eam conſtituamus in die quando alloquenda eſt cum crudeliſſimis tyrannis, eorum crudeliſſimas adverſitates, ac perſecutiones ſuſtinēs, cur hoc non diſcutiunt, & quærunt, quando audiūt eam, ut electam Sponſam, ad magnificam, & excelſam totius gloriæ coronam: *Veni ſponſa mea coronaberis,* Cantic. 4.n.8. Sed modo inter tantas contradictiones *cum conſilia agebant de illa delenda,* ac ſit majorem dignitatem in ea recognoſcant, cum patitur inter tribulantes adverſarios ſuis flagellis, ac verberibus, quam cum inter triumphantes Angelorum choros, ut electa Sponſa glorificâ coronâ ſublimatur, indeque pro tanta dignitate, inter adverſariorum perſecutiones decantantur ei gratulationes: Carpatius ait: *Quid faciemus, ſunt voces Patriarcharum, Apoſtolorum, Prophetarum, ac Doctorum ipſi gratulantium.*

Rab. Salom. Cant. 5. Magis gratificatur Sponſa dum patitur, quam dum coronatur. Carpat.

197. Tres illi ſancti pueri Ananias, Miſael, & Azarias ſanctiſſimè vivunt cum omni puritate, caſtitate, jejunantes, orantes, tamen cum mittuntur in formacem Babylonicam, exclamans Rex ait: *Ecce video quatuor viros ſolutos, & ambulantes in medio ignis, & ſpecies quarti ſimilis filio Dei,* Daniel. 3.n.92. Ecce quanta eſt dignitas tribulationum, ac ærumnarum; non enim habent ſecum Deum, ut ſocium, ac collegam, veluti parem omni cum virtute fulgent, ſed cum flammas ignis ſuſtinent. D Chryſoſtom. tom. 1. ſerm. de tribus pueris, ait: *O quibus te incorrupta fides triumphis extendis: adeſt tibi unica majeſtas, ut innocentia liberaretur. Patitur ſe Deus cum pueris in ſuplicio numerari: Video tres viros.* Expende illud *numerari,* ac ſi dicatur Deum cum illis tribus numerum facere, ac quaternarium complere.

Dan. 3.

CAPVT VI.

1. *In diebus autem illis; creſcente numero diſcipulorum, factum eſt murmur Græcorum adverſus Hebræos, eo quod deſpicerentur in miniſterio quotidiano viduæ eorum.*
2. *Convocantes autem duodecim multitudinem diſcipulorum, dixerunt: Non eſt æquum nos derelinquere verbum Dei, & miniſtrare menſis.*
3. *Conſiderate ergo fratres, viros ex vobis boni teſtimonij ſeptem, plenos Spiritu ſancto, & ſapientia, quos conſtituamus ſuper hoc opus.*
4. *Nos vero orationi, & miniſterio verbi inſtantes erimus.*
5. *Et placuit ſermo coram omni multitudine. Et elegerunt Stephanum virum plenum fide, & Spiritu ſancto, & Philippum, & Prochorum, & Nicanorem, & Simonem, & Parmenam, & Nicolaum advenam Antiochenum.*
6. *Hos ſtatuerunt ante conſpectum Apoſtolorum, & orantes impoſuerunt eis manus.*
7. *Et Verbum Domini creſcebat, & multiplicabatur numerus diſcipulorum in Ieruſalem valde: multa etiam turba Sacerdotum obediebat fidei.*
8. *Stephanus autem plenus gratia, & fortitudine faciebat prodigia, & ſigna magna in populo.*
9. *Surrexerunt autem quidam de Synagoga, quæ appellatur Libertinorum, & Cyrenenſium, & Alexandri-*

Alexandrinorum, & eorum, qui erant à Cilicia & Aſia diſputantes cum Stephano.

10. *Et non poterant reſiſtere Sapientiæ, & Spiritui, qui loquebatur.*

11. *Tunc ſubmiſerunt viros, qui dicerent ſe audiviſſe eum dicentem verba blaſphemiæ in Moyſen, & in Deum.*

12. *Commoverunt itaque plebem, & Seniores, & Scribas, & concurrentes rapuerunt eum, & adduxerunt in Concilium.*

13. *Et ſtatuerunt falſos teſtes, qui dicerent: Homo iſte non ceſſat loqui verba adverſus locum ſanctum, & legem.*

14. *Audivimus enim eum dicentem, Quoniam Jeſus Nazarenus hic deſtruet locum iſtum, & mutabit traditiones, quas tradidit nobis Moyſes.*

15. *Et intuentes eum omnes, qui ſedebant in Concilio viderunt faciem ejus, tamquam faciem Angeli.*

ARGUMENTUM.

CRESCENTE numero credentium exortum eſt murmur Græcorum contra Hebræos, eo quòd eorum viduæ eſſent deſpectui in quotidiana diſtributione, & ideo Apoſtoli eligunt ſeptem Diaconos, inter quos inſigniter eminet Stephanus, qui raptus ad Concilium, reſplenduit facies ejus, ut Angeli.

Actor. 6. n. 1. In diebus illis creſcente numero diſcipulorũ factum eſt murmur Græcorũ adverſus Hæbreos, eo quod deſpicerẽtur in miniſterio quotidiano viduæ eorum.

Num. 2. Convocantes autem duodecim multitudinem diſcipulorum, dixerunt: non eſt æquum nos derelinquere verbum Dei, & miniſtrare menſis.

Verſiones,

CVM EXPOSITIONE I.

Ætbio. D. Chryſoſt. Dexter. Baron.

1. Verſ. 1. *IN diebus illis.* Æthiopic. *In die illo*, ut notat D. Chryſoſt. in quibus Apoſtoli fuerunt incarcerati flagellari, qui fuerunt paulo poſt ejus Aſcenſionem, anno Chriſti 34. ut advertit Lucius Dexter in Chronico, & cum Euſebio Baronius, quod tali anno fuerunt Diaconi creati.

Oecum. Æth op. D. Atha.

2. *Creſcente numero diſcipulorum.* Oecumen. Æthiopic. *Cum multiplicarentur diſcipuli*: Tunc in primitiva Eccleſia fides non vocabantur Chriſtiani, ſed diſcipuli, ut notat D. Athanaſ. diſput. contra Arrium. *Creſcente numero.* Ipſa perſecutio, ſanguiſque Martyrum effuſus erat tamquam ſemen, ut grex Chriſtianus ampliſſimos, ac copioſiſſimos fructus germinaret. Tertullian. in Apolog. cap. ultimo ait ad Gentiles: *Nec tamen nihil proficit, exequatur crudelitas veſtra, illecebra eſt magis ſectæ; plures efficimur, quoties metimur à vobis, ſemen eſt ſanguinis Chriſtianorum.* D. Hilar. lib. 7. de Trinit. inquit. *Eccleſiæ proprium eſt, ut tunc vincat cum lædatur.* Et D. Hieron. in vita S. Malchi cap. 62. *Perſecutionibus crevit Eccleſia Martyriis coronata.* In Sanctis enim Martyribus tanta innocentia, fortitudo, charitas, ac pietas cum contemptu omnium terrenorum, evidens demonſtratio erat, quod ibi aliquid divinum lateret.

Tertull. Hilar. D. Hier. *Sanguis martyrii germinat fructus*

Factum eſt murmur Græcorum. Æthiopic. *Murmurati ſunt Judæi.* Vatabl. *Murmur Græciſtarum.* Omnes iſti tam Græci, quàm Hebræi erant Judæi, qui vel in Græcia fuerant nati, vel in ea fuerant diu verſati, Græcaque utebantur lingua, Græciſque moribus, & ad hos Apoſtoli Petrus, & Iacobus ſcribunt ſuas epiſtolas. Hebræi dicuntur nati in Iudæa Hebraïca lingua, ac moribus utentes. Ita Lyran. Hugo, Lorinus, & alii.

3. Æthiop. Vatabl. Lyran. Hugo. Lorin.

4. Syriac. Æthiop.

Eo quod deſpicerentur in miniſterio. Syriacus: *Eo quod deſpectui haberentur.* Æthiopic. *Quia videbant viduas eorum quotidie occupatas.* Tota murmurationis occaſio erat propter viduas Græciſtarum, vel non bene fiebat cum illis in diſtributione rerum, vel quia in vilioribus officiis occupabantur, de quo dicam quæſt. 2.

Verſ. 2. *Convocantes autem duodecim.* Syriacus: *Congregationem univerſam vocaverunt.* Duodecim Apoſtoli utpote enutriti doctrina Regis pacifici Chriſti D. de pace, ac quiete agunt, quam debent maximè procurare omnes, qui Congregationibus præſunt. *Dixerunt: non eſt æquum.* Syriacus: *Non eſt pulchrum.* Græcus: *Non eſt conveniens.* Tigurina: *Non eſt commendabile.* Pagnin. *Non eſt placitum Deo*, Text. *Nos derelinquere verbum Dei*, ut omittamus paſcere animas veſtras ſpirituali cibo verbi Divini, & attendamus temporali alimento menſis, ſemper enim ſpiritualia ſunt temporalibus anteponenda, ut ait Lyranus.

5. Syriac. Syriac. Græcus. Tigurin. Pagnin. Lyran. 6.

Ex quo patet, quod rota querela Græcorum pro viduis erat, circa adminiſtrationem temporalium. *Miniſtrare menſis*, pro quo nota: Menſæ hæ, vel erant ſacræ, vel profanæ, & communes. Primo in illa primitiva Eccleſia ſolebant fideles celebrare menſam ſacræ Euchariſtiæ. Deinde *Agapen*, quod dicit, & ſignificat menſam communem omnium fidelium, quod fiebat in ſignum Charitatis, & benevolentiæ, & in utroque miniſterio deputati Miniſtri erant Diaconi, & inde à verbo Græco nomen habent, quod ſignificat Miniſtrum.

Quanam eſſent menſæ. Græcus.

QUÆSTIO I.

Quare creſcente numero diſcipulorum exoritur murmur, & querela?

7. *In multitudine diviſio.* Iſaiæ. 9 Sanch.

QUandiu diſcipuli erant in parvo numero, erat in eis cor unum, & anima una, ut dicitur cap. 3 & 4. ad finem, cum vero crevit numerus, & facta eſt multitudo magna, pax, quæ in paucis retinebatur, in multis diſſipata eſt, Iſai. 9. n. 3. *Multiplicaſti gentem, non magnificaſti lætitiam.* Sanchez ex Hebræo: *Non auxiſti lætitiam.*

8. *Valde iurum quod homo ſe exiſtimet ſit deſpectum.*

Iudæi in Græcia nati cum ſuſpicarentur, quod ſuis viduis non æqualiter provideretur, eũ illis, quæ Iudæorum erant, qui in Iudæa fuerant nati murmurabant: Sacri Apoſtoli ſumma æquitate ac providentia, omnia diſtribuebant; tamen ipſi, qui dæmones depellebant, mortem vincebant, cum mortuis vitam darent, ægritudines ſanarent, verbo cuncta reformarent, non quiverunt in alimentorum, ac donorum diſtributione murmur, atque querelam evitare facile, qui cum ex qualibet circunſtantia ſe exiſtimat deſpectui

deſpectui habitum, cujus præſumptio animum exaſperat, & querela pacem perturbat, & ideo ſumma cautela eſt neceſſaria.

9. Ad quod nos admonet ſupremus omnium Artifex in primo rerum molimine; creavit primos parentes ut eſſent in carne una, matrimonio conjuncti ut æquales eſſent, eadem forma verborum, eademque, methodo in utriuſque creatione utitur, cum homo fabricatur; tamquam facto conſilio ait Deus: *Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram*, Geneſ. 1. n. 26. & cum ad mulieris ſtructuram devenitur idem verbum, tamquam inito conſilio, apponitur: *Non eſt bonum hominem eſſe ſolum, faciamus & adjutorium ſimile ſibi*, Geneſ. 2. n. 18. Poterat Deus efformare mulierem uno verbo, ut produxit arbores, plantas, volucres cœli, piſces maris, dicendo: *fiat mulier*: poterat tamen ipſa conqueri eſſe deſpectam, & tamquam cætera inanimata produci; ut ergo hæc tanta æmulatio vitaretur, eodem verbo tanquam cum conſilio utitur bonus Deus. D. Baſil. Seleuc. orat. 2. ſic ait: *Iterum deliberatio, iterum conſilium; iterum homo, qui formabatur illic dicebat: Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram, hic quoque faciamus ei adjutorium ſimile ſibi: haud diſſimilia conſilia: Etenim qui formabantur generis ejuſdem erant, figura ſimiles, quia pari pretio, quæ fiebant æquali cum dignitate.*

Geneſ. 1. Geneſ. 2. *Maximè vitandus alicuius cõtemptus.* D. Baſil. Seleuc.

10. Tertio D. Chryſoſt. homil. 14. in acta relatus in Gloſſa ait: *Hoc non erat malitia, ſed multitudinis forſan ignavia.* Apoſtoli exactiſſima providentia diſtribuebant alimenta, nec in hoc alicujus peculiaris affectus ſubornatio interveniebat, ſed ipſa rerum ac munerum diſtributio querelas parturiebat; querela enim, ac querimonia certus electionis partus, quam nec exacta Apoſtolorum integritas evitat, nec eorum circunſpecta providentia comprimit, quod ex multitudinis ignavia, ut ait D. Chryſoſt. proveniebat, & ad hanc referendam, etiam ſæpe miracula requiruntur.

D. Chryſoſt. *Diſtributio donorum res valde periculoſa.*

11. Ex mandato Dei unxit Samuel Saulem in Regem, & ſtatim quod ipſe Saul veniat in cœtum Prophetarum. *Et inſiliet in te Spiritus Domini, & prophetabis, & mutaberis in virum alium*, 1. Reg. cap. 10. n. 6. Ut deſignatur Saul in Regem, ſtatim admirabili, ac ſupernaturali Prophetæ dono fulget? Ut ejus electio eſſet bene grata omni populo, ſufficiens, & abundans videbatur, quod Propheta Samuel teſtificaretur, Dominum ipſum elegiſſe, & non eſſe ei ſimilem in univerſo populo citato cap 10. n. 24. Ad quid ultra tam mirabile prophetiæ ſignum? tam alte, ac ſublime homo ex ſua arrogantia de ſe præſumit, ac valde durũ, ac ægrum ei ſit, quod alter in honore, ac dignitate ei præferatur, ita ut, ad hoc ut ejus invidia quieſcat, animuſque pacificetur, neceſſarium ſit ſignum ſupernaturale de Cœlo. Abulenſ. ad citatum locum ait: *Accidit hoc ſignum, ubi Saul maximè notus erat, ut qui eum prophetico ſpiritu afflatum divinitus viderent, regia dignitate pariter donandum minimè dubitarent.* Vide ſupra cap. 1. quæſt. 37. n. 264. 265. & q. 38. n. 271.

1. Reg. 10. *Ad evitandas querelas in electione ſignum de cœlo.* Abulenſ.

QVÆSTIO II.

Quare non de adoleſcentibus ſeu uxoratis excitatur querela, ſed tantum de viduis?

12. *Explicatio Textus.* AIt Textus: *Eo quod deſpicerentur in miniſterio quotidiano viduæ eorum.* Quod dupliciter accipi poteſt juxta communem Doctorum ſenſum. Primo activè, ita ut mulieres Hebrææ deputarent Græcas tanquam rudiores ad inferiora miniſteria, ita ut raro miniſtrarent. Secundo nempe quod viduis Græcorum non ita prompte, ac largiter daretur, atque divideretur æque, ut fiebat cum mulieribus Hebræis; uterque modus probabilis, ſecundus tamen probabilior.

13. Quæſtio præſens eſt: Cur hoc murmur, & querela non excitabatur de adoleſcentibus vel de mulieribus uxoratis, ſed tantum de viduis? Quia hæ maximè ſolẽt eſſe deſtitutæ, quod optimè probat M. Didac. de Celada in Iudith. c. 9. n. 82. ex ipſa nominis ethymologia; Vidua enim juxta radicem Hebraicã idem valet, ac *alligata, vel obmuta*; quia marito mortuo eſt veluti alligata, & vincta domi, ut ſileat, & obmuteſcat, nec valet ſe defendere, & jus ſuum tueri. Ex radice græca vidua eſt *deſolata*, ac *deſtituta*, & ideo Iudith. 9. verſ. 3. Orans dicebat ad Deum, ut habet Anſelm. laud. *Domine Deus meus ſubveni mihi viduæ deſolatæ.* Multa, & magna merita poterat Iudith allegare, ut à Deo exaudiretur, tamen ſolum ſe viduam proponit, ut ipſa ex ſuo ſtatu deſolato, ac deſtituto maximè divinam ſollicitaret benignitatem. Hinc à Davide, ut notat Carthuſianus, Pſalm. 67 n. 6. *Pater orphanorum, & judex viduarum* appellatur Deus, quod juxta Tertullian. lib. 1. ad uxorẽ cap. 7. exponitur *aſſertor, ac vindex viduarũ.* Hinc David Deum clamat: *Pupillum, & viduam ſuſcipiet*, Pſ. 145. n. 9. quod ex Hebræo explicans D. Hieronymus ait: *Exaltans, erigens, confortans, fulciens, adjuvans*, ſcilicet pupillum, & viduam, ac ſi hoc ſit magnum divinitatis elogium, quod ipſos pupillos, & viduæ tam deſolatis, ac deſtitutis proſpiciat, adjuvet & fulciat.

Vnde nomen viduæ. Iudith. 9. Anſelm. Laud. Pſal. 67. Tertull. Pſal. 145 D. Hier. *Deus, openſus viduas.*

Iterum redeo ad illa verba citati Pſalmi 67. *Patris orphanorum, & judicis viduarum*, pro judice habet alia litera: *Adſertor, ſeu defenſor viduarum*, conſequenter videbatur dicendus Pater orphanorum, & ſponſus, ſeu maritus viduarum, ſed ſolum Deum vocat aſſertorem, ſeu defenſorem viduarum, veluti mariti ſubſtitutum, quod eleganter notavit D. Chryſoſt. ſcribens ad viduam juniorem ait: *Quoniam vero illum* (maritum Theraſium) *ad ſe vocavit Deus, ipſe nunc illius loco ſe tibi ſubſtituit; neque hoc meum eſt, ſed beati Prophetæ, qui ita inquit: Pupillum, & viduam ſuſcipiet, ac rurſus ipſum vocat Patrem pupillorum, & judicem viduarum.* Cur ergo, ſicut dicitur Pater orphanorum, non dicitur ſponſus viduarum, ſed ſubſtitutus loco illius? ne gloriam, & excellentiam viduitatis minuat, dum permanens in ſuo ſtatu, in puritate, ac caſtitate, & patientia obtineat, ideo non ſibi arrogat Deus mariti nomen, ſed illius ſubſtitutum ut perſeverans vidua multum omnium virtutum radiis reſplendeat: *Ipſe nunc illius loco ſe tibi ſubſtituit.*

14. Pſal. 67. *Deus viduis loco mariti.* D. Chryſoſt.

15. Totus mundus premebatur vehementi fame, & ſua ingenti pietate ſubvenit Deus; forſitan non mulieribus uxoratis, vel adoleſcentibus, ſed uni tantum viduæ pauperculæ; cum magnus Elias accederet ad portas Civitatis, apparuit ei mulier vidua, & vocavit eam; dixitque ei, *Da mihi paululum aquæ in vaſe, ut bibam, & affer bucellam panis*, 3. Reg. 17. n. 10. Quæ verba pulchrè expendit D. Ambroſ. lib. de viduis paulo poſt initium, & ait: *Quid vero illud, quod temporibus ijs, quibus fames omne genus urgebat humanum Elias ad viduam deſtinatus eſt? Et videquemadmodum propria ſingulis gratia reſervatur Angelus ad Virginem, Propheta ad viduam: Addetur viquod Gabriel illic, hic Elias, ut ex Angelorum, & Prophetarum numero præſtantiſſimi Principes videantur electi.* Conſidera ſuprema, & alta myſteria; ad Virginem Mariam ut ſupernam omnium Reginam, & ad ſupremum negotium, ſupremus Angelus mittitur, & ad viduam pauperculam pro ratione ſui ſtatus mittitur Propheta Elias: *Vide quemadmodum propria*

3. Reg. 17. D. Ambr. *Magno prophetæ nobilitandæ dua.*

pria singulis gratia reservatur. Ad supremam Virginem supremus Angelus, ad viduam in supremo viduitatis statu supremus Prophetarum : *Gabriel illic, hic Elias, ut ex Angelorum, & Prophetarum numero praestantissimi Principes videantur electi.* Vide quæ dixi tom. 3. in Evang. cap. 11. q. 8. per totum.

QVÆSTIO III.

Quare sacri Apostoli volunt se abstinere à mensis ac eorum ministerio ?

16. INquiunt sacri Apostoli: *Non est æquum*, seu juxta alias lectiones *Non est commendabile, pulchrum, conveniens*, nos omittere prædicationem, & doctrinã divini Verbi, ut præclarissimum misericordiæ opus, quo pauperculis viduis pabula ministrantur. D. Hieronym. in cap. 2. Malach. sic ait : *Sanctum utique, & Apostolicum ministerium viduis, & pauperculis ministrare. Et non oportet, inquiunt, dimisso verbo Dei, ministrare nos mensis.* Quando ob divini Verbi semina vix permittitur baptizare, aut eleemosynas erogare, ut munus adimpleatur, nec alio divertatur, quanto cum piaculo faciunt; qui temporalibus, ac mundialibus implicati divini Verbi jacturam contemnunt. Discant à SS. Patribus D. Basil. D. Chrysost. D. Nazianz. & D. August. qui ita prædicationi, ac spiritualibus negotiis erant addicti, ut temporalia, ac mundana, nec loqui, nec audire volebant, ut constat ex eorum vita.

D. Hier.

Pro nullo opere pio omittenda est prædicatio.

17. Quod non solum est faciendum, ut omittantur temporalia, sed inter res ipsas spirituales agendum id quod magis necessariũ, ac utile est, quod nos docet omnium Magister Christus Iesus, ut scribit Ioan. cap. 4. n. 1. *Quamquam Iesus non baptizaret.* Quia ut docent noster D. Cyrill. D. Thom. D. Bonavent. Iyran. & alij erat ipse supremus Magister occupatus in rebus gravioribus docendis, prædicandis, ac illuminandis gentibus in altissimis mysteriis, ad cujus imitationem dicebat Paulus 1. Corinth. 1. n. 17. *Non misit me Christus baptizare, sed evangelizare*, tam excelsum, ac sublime munus est prædicare, ut etiam cæteris spiritualibus, ut baptizare, sit præferendus. D. Anselm. ibi : *Quia igitur & minores possunt baptizare, qui sapientiam, & virtutem prædicandi non habent : ideo non baptizare missus est Paulus, ne retardaretur à prædicatione, sed evangelica semina spargeret.*

Ioan. 4. D. Cyril. D. Tho. D. Bonavent. Lyran. 1. Cor. 1.

Prædicare cæteris rebus spiritualibus præferendum. D. Anselm.

18. Iudas marsupium Apostolicum secum asportabat, inde quærunt communiter Doctores cur hoc ei fuerit à Christo commissum, cum optimè eum agnosceret esse latronem, ut de eo scribit D. Ioan. 12. n. 6. *Fur erat, & loculos habebat.* Quam quæstionem tractavi tom. 5. in Evang. lib. 7. cap. 1. q. 10. ad eam respondet Theophylact. *Nonnulli aiunt ideo creditam Iudæ pecuniarum dispensationem, ut minorem aliis; nam pecuniis ministrare, minus est quam doctrinæ; sicut in actis dicunt Apostoli : Non licet nobis relicto sermone ministrare mensis.* Hæc est alta, & superna dispositio, ut majoribus majora, minoribus minora tradantur, ut ponderat S. Gregor. Magn. homil. 34. dicens : Hi autem, qui minima nuntiant Angeli, qui verò summa Archangeli vocantur. Hinc est quod ad Mariam Virginem, non quilibet Angelus, sed Gabriel Archangelus mittitur.

Ioan. 12.

Minora minoribus. Theoph.

Actor. 6. n. 3. Considerate ergo fratres, viros ex vobis boni testimonii septem plenos Spiritu sancto, & sapientia, quos constituamus supra hoc opus.

Num. 4. Nos vero orationi, & ministerio Verbi instates erimus.

Versiones

CUM EXPOSITIONE II.

Vers. 3. *Considerate.* Syriacus : *Exquirite.* Græcus : *Prospicite.* D. Chrysost. *Circumspicite*: Ecce prima conditio ad bonam electionem, ut fiat non repente, sed alta, & magna consideratione, ac indagine, ut id nos docet supremus omnium Magister Christus D. qui antequam eligeret Apostolos: *Erat pernoctans in oratione Dei*, Luc. 6. n. 12. Vide supra cap. 1. q. 37. *Viros*: ecce secunda conditio; nam mulieres excluduntur ab Hierarchia Ecclesiastica, ait Glossa Interlinealis viros; id est virili, & forti animo præditos, ut ait D. Bernard. lib. 2. de consid. ut ad se advocent bonos, & indignos rejiciant sine acceptione personarum. *Ex vobis* tertia conditio, quos melius cognoscitis, quàm extrancos, ut ait Lyranus, qui bene noti sunt à vobis. Unde Deus dicebat populo suo per Oseam 1. n. 15. *Dabo vobis vinitores ex eodem loco.*

19. Syriac. Græcus. D. Chrysost. Luc. 6. Interlin. D. Bern. Lyran. Oseæ 1.

Boni testimonii. Syriac. Vatabl. *Bono testimonio probatos.* Tigurina : *Spectatæ probitatis.* Arabicus : *Quorum virtus testimonio robetur.* Ecce quarta conditio, ut eligantur viri probæ vitæ, fidei, ac prudentiæ; ex quo præclarè monet D. Bernard. serm. 4. de Consid. *Oportet eligi viros probatos, non probandos.*

20. Syriac. Vatabl. Tigurin. Arabic. D. Bern.

Septem, nam sicut in Ecclesia triumphante septem sunt Angeli, qui tamquam primarii Ministri assistunt ante Thronum ad ministeria, Apocalyps. 1 n. 4. ita in Ecclesia militante eliguntur septem Diaconi, id est Ministri (ut jam dixi ex Græco) ad ipsius Ecclesiæ ministeria, ita ut Ecclesia militans correspondeat Triumphanti : Utraque est una, eademque Ecclesia, unaque alteri connexa est, & subordinata. Multa de numero septennario scribit Origenes homil. 6. in Levitic. septem sunt Ecclesiæ Sacramenta, septem columnæ in domo sapientiæ, Proverb. 9. septem hebdomadæ defluxerunt ante Pentecostem.

21. Apoc. 1. *Ecclesia triumphans, & militans.* Origen. Prov. 9.

Plenos Spiritu sancto, ac prudentia. Quinta conditio; quia ad tantum ministerium non sufficit testimonium bonum, & externa bona existimatio, ac fama, sed etiam requiruntur optimæ dispositiones, sanctitatis, ac prudentiæ, quæ per actiones externas declarantur, ac manifestantur, ut tanti Ministri rectè adimpleant suas functiones. *Constituamus super hoc opus.* Arabicus *super hoc negotium.* Origenes *in hunc usum.* Caietanus. *super hanc necessitatem*, & ut tot, & tanti viri patienter, ut ait Oecumenius, sustineant murmurationes, & oblationes orphanorum, & viduarum, quia ad hoc magni viri requiruntur.

22. Arabicus Origen. Caiet. Oecum.

Vers. 4. *Nos vero orationi*, &c. Syriacus: *Nos vero perseverabimus.* Arabicus : *Instabimus.* Chrysost. *Prædicationi incumbemus.* Arias : *Perdurabimus.* Æthiopic. *Nos occupati erimus.* Sub oratione non solum intelligo meditationem, & contemplationem, sed etiam sacrificium Missæ, quod nobilissimum, & altissimum orationis genus est, & in scriptura hoc nomine significatur. Hebræor. 5. n. 7. *Qui in diebus carnis suæ preces, supplicationesque ad eum*, &c. Deinde Apostoli sibi adscribunt munus prædicandi, per creationem ascendunt ad Deum, & per prædicationem descendunt ad bonum proximorum, ait Lyranus, ad modum Angelorum in scala Iacob ascendentium, & descendentium, Genes. 28. n. 12.

23. Syriac. Arabic. æthiop. D. Chrysost. Arias. Hebr. 5

QUÆSTIO

QUÆSTIO IV.

Quare Apostoli proponunt viros plenos Spiritu S. & sapientia, cum sapientia sit donum Spiritus sancti?

24. AGebatur de eligendis viris virtute,& sanctitate præclaris ad exactum viduarum ministeriũ implendum, & ad hoc requirunt viros *plenos Spiritu sancto & sapientia*: Atque unum ex donis Spiritus sancti est sapientia;ex quo exoritur dubium,nempe: Cum Apostoli dicunt viros plenos Spiritu sancto, dicunt etiam plenos sapientia,sicut & plenos consilio, fortitudine, ac timore,& sicut cum dicunt plenos Spiritu sancto hæc dona subintelliguntur,sic & sapientia, ad quid ergo fuit singillatim exprimenda? Tam necessaria, ac requisita est sapientia in gubernatore, ac moderatore,ut non semel,sed multipliciter fuerit in eo inculcanda, semel implicitè cum cæteris donis, & iterum explicitè pro sui magna exigentia. D.Chry sost. homil. 14. in Acta ait: *Eligere autem viros illis permittunt, ut ne videantur ipsi in gratiam quorundam agere; etenim sapientia multa opus est in hujusmodi dispensationibus.*

In prælato maximè necessaria sapientia.

D.Chry sost.

25. Magna Architectura, ac fabrica disponit, & ordinat Deus vestem Sacerdotalem Summi Pontificis Aaronis, & inter cætera mandat, ut rationale, quod erat in pectore. *Et stringatur rationale annulis suis cum annulis superhumeralis*, Exod.28.n.28. Reliquæ Aaronis vestes, tam quoad pedes, ac manus erant fluxæ, ac latæ, at Rationale, quod erat in pectore, vult Deus ut esset maximè attritum,ac constrictum, ut habet Chaldaicus, & hoc valde fortiter Carenis aureis, ut dicitur in Textu. *Erat rationale judicii habens scriptum, doctrinam, & veritatem.* Ibidem n.30. Cum ergo in rationali denotaretur ipsa ratio, & prudentia erat maximè attrita,& colligata in pectore Pontificis, ac Prælati, in cujus corde debet esse maximè retenta ac impressa ipsa judicii ratio,ut cum omni doctrina, ac veritate, cuncta regens gubernet secundùm veritatem,& doctrinam absque eo quod in hanc,vel illam partem inclinet. D.Gregor.Magn. 2.p.Curæ Pastoral. cap. 2. ait: *Divina voce præcipitur, ut in Aaron pectore rationale judicij vittis ligantibus imprimatur, quatenus Sacerdotale cor nequaquam cogitationes fluxæ possideant, sed ratio sola constringat, ne indiscretum, vel inutile cogitet, qui ad exemplum aliis constitutus ex gravitate vitæ semper debet ostendere quantam in pectore portet rationem.*

Exod. 28

In corde Prælati firma sit judicii ratio.

D.Greg.

26. Ad hoc tendit id, quod dicitur de Sponsa, quæ constituta fuerat custos vinearum, Cant.1.n.5.ac ut norma Prælatorum: *Collum tuum sicut Turris David, quæ ædificata est cum propugnaculis, mille clypei pendent ex ea*, Cantic. 4. n. 4. ex Hebræo habetur: *Quæ ædificata est ad doctrinas*:ac sic ipsum munimen, quo Prælatus se,ac suos tuetur, ab omni iniquitate, contrarietate, ac murmuratione est doctrina sacra in vera sapientia, ac prudentia. Vide tom.2.in Evang. cap. 8. q. 7. n. 50. & 51.

Cant.4. Hebr.

Prælatus doctrina se, & suos tuetur.

QUÆSTIO V.

Quare Diaconi deputantur ad negotium viduarum, Apostoli sibi reservant orationem, & prædicationem?

27. INquiunt sacri Apostoli in præsenti,quod eligantur septem Diaconi ad viduarum ministerium, & inquiunt: *Nos vero orationi,& ministerio verbi Dei instantes erimus.* In quo sacri Apostoli sibi reservant, & assumunt absolutum, & perfectissimum vivendi modum, quod consistit in vita contemplativa in oratione, activa verò in ministerio prædicationis quoad proximos. Deinde præclare Sancti Apostoli dicunt primo *Nos vero orationi*, secundo *ministerio Verbi Dei instantes erimus*: Quia, ut in vita activa ministerium prædicationis exequatur, prius per orationem in contemplatione bibatur D. Gregor. lib.6. Moral.cap.17. *Ut quieti contemplantes sorbeant, quod occupati erga proximos loquentes refundant.* D. Aug. lib.4.de doctrina Christiana cap. 15. ait: de Prædicatore: *Sit orator antequam doctor ipsa hora, ut dicat accedens, priusquam exerat proferentem linguam ad Deum levet animam sitientem,ut eructet, quod biberit, vel quod impleverit, fundat.* D. Prosper. lib.1. de vita contemplat.cap.23.ait de Prædicat. *Lachrymas, quas vult à suis auditoribus fundi, ipse primitus fundat, & sic eos compunctione sui cordis accendat.*

Vita Activa, & Contemplativa tenenda.

Prædicator prius oratione habeat à Deo quod prædicet.

D.Greg. D.Aug. D.Prosp.

Cherubini apud Ezechiel.1.n. 14. *Ibant, & revertebantur in similitudinem fulguris coruscantis.* Fulgur versans se in gyrum, unde exiit, inde revertitur: Ibant tanquam exeuntes à Deo ejus amore accensi in similitudinem fulguris, coruscantis & ad ipsum reverturtur cum exercitio bonorum operum, ac prædicationis fructu,sic ait D.Ambros.conf.1.in Ps.118 *Servos Dei per orationem, & prædicationem esse velut fulgura.* Et D.Gregor.lib.30.Moral.cap.2.& homil.5. in Ezechiel. *Eunt, atque reverturtur, ut flumina, quæ ad locum unde exeunt per contemplationis secretum, & per publicum operationis, seu prædicationis reverteruntur.*

28. Ezech.1.

D.Ambr.

D. Greg. *Prædicator exeat à Deo, & ad ipsum revertatur.*

29. Maximè inter se connectitur vita Contemplativa, & Activa: Cum Draco, scilicet Diabolus, persequeretur mulierem,& staret contra eam, ut devoraret ejus filium: *Datæ sunt mulieri alæ duæ aquilæ magnæ, ut volaret in desertum.* Apocalyps. 12. n. 14. Si verò inquiras quænam sint hæ duæ alæ? Respondent Glossa Interlin. D. Anselm. Haymo, Albert. Magn. Hugo: *Datæ sunt mulieri duæ alæ aquilæ magnæ, tamquam arma, quibus se posset elongare; hæ alæ sunt vita activa, & contemplativa.* Utraque hæc vita alæ sunt non cujusque volucris, sed aquilæ magnæ, quia utraq; maximè exaltatur, & magno conatu suũ obtutum in Christum verum Deum figit, talique metaphora significatur; licet enim vita contemplativa tota in Deum, ac ejus attributa considerans feratur, inde optimo jure per alam exprimitur: At vita activa non ita, sed circa varia charitatis ministeria erga pauperes,infirmosque versatur, tamen præclarè vita activa, & contemplativa binis alis denotatur: quia si volucres unâ truncantur alâ in sublime nequaquam ferri possunt, ita si vita activa, à contemplativa omnino separetur, vel è contra, mutila censebitur, & nequaquam evolare poterit.

Apoc. Interl. D.Ansel. Haymo. Albert. Magn. Hugo.

Vita contemplativa cõjuncta singulis cum activa.

30. Tota, & consummata justi perfectio ex utraque vita componitur; De Magdalena ad pedes Christi, ait ipse Dominus: *Maria optimam partem elegit*, Luc. 10.n.42. Non ait totum elegit, sed partem perfectionis, vitam scilicet contemplativam,ut notat Caietan. alteram enim partem, vitam scilicet activam Marthæ reliquit, ex utraque enim componitur, & conflatur consummata, & absoluta perfectio.

Luc.10.

Perfectio ex utraque vita.

Actor. 6. *n.* 5. Et placuit sermo coram omni multitudine. Et elegerũt Stephanum virum plenũ fide,& Spiritu sancto, & Philippum,& Prochorum, & Nicanorem,& Simonem, & Parmenam, & Nicolaum advenam Anthiochenum.

Num. 6. Hos statuerunt ante conspectum Apostolo

Apoſtolorum, & orantes impoſuerunt eis manus.

*Num.*7. Et Verbum Dei creſcebat, & multiplicabatur numerus diſcipulorum in Ieruſalem valde; multa enim turba Sacerdotum obediebat fidei.

Verſiones

CUM EXPOSITIONE III.

Verſ.5. ET *placuit ſermo coram omni multitudine.* Arabicus: *Fuit ſermo iſte gratus* 31. Arabic. Æthiop. *apud omnem Congregationem.* Æthiopicus: *Et bonus fuit hic ſermo in conſpectu eorum.* Illa Apoſtolorum determinatio extitit maximè grata, & plauſibilis omni fidelium congregationi; quia ex illa fieret optima proviſio viduis, & amputabatur murmurationis anſa, & deſignatio eligendorum, ad eorum voluntatem, ac vota reducebatur. Carthuſianus, ait: Carthuſ. *Ut boni filij patrum ſuorum conſilio tam rationali celeriter acquieverant, quod & cunctis ſubditis eſt penſandum.*

32. *Elegerunt Stephanum, &c.* Hoc non fuit electio, ac ordinatio Canonica, ſed quædã poſtulatio, ac oblatio ex votis, ac voluntate Congregationis; nam eos Diaconos creare, ac inſtituere ad Apoſtolos pertinebat; ut patet ex verſ. antecedenti, dixerunt Apoſtoli: *Conſiderate ergo fratres ex vobis boni teſtimonii ſeptem, quos conſtituamus ſuper hoc opus.* Hoc eſt: Vos diligenter perquirite tales viros, & nobis præſentate, ut eos conſtituamus, ſicut hodie Principes laici, qui habent jus patronatus, præſentant aliquem Epiſcopo, ut ei conferat beneficium Eccleſiaſticum, vel Romano Pontifici, ut eum creet Epiſcopum, vel Archiepiſcopum. De his ſeptem Diaconis ſingillatim quæſt. ſequenti.

Hoc non fuit electio Canonica, ſed poſtulatio.

33. Syriac. Verſ.6. *Hos ſtatuerunt ante conſpectum Apoſtolorum.* Syriacus: *Cum precari fuiſſent.* Græcus; *Cumque preces fudiſſent.* Orationis forma non ſcribitur, D. Clem. tamen ut colligitur ex Clemente lib.8. Conſtit. c.25. poſtularunt Apoſtoli obumbrationem, ac plenitudinem Spiritus ſancti in eis ad ſuam rectam, & perfectam adminiſtrationem, & ſub hac oratione intelligitur etiam ſacrificium Miſſæ, ut indicat citatus Clemens, & ideo ad hunc modum in Eccleſia Diaconi ordinantur in ſacrificio Miſſæ. Addit Chryſoſt. etiã fuiſſe adhibitum jejunium, ut apertè exprimitur in D. Chryſoſt Act. 13. ordinatione Pauli, & Barnabæ, Actor. 13. n. 3. ex quo Eccleſia ante tempus ordinationis præmittit publicum, & ſolenne jejunium: *Impoſuerunt in eis manus* Ordinantes eos in ordine ſacro Diaconatus, de quo latius infra q. 7.

34. Æthiop. Verſ. 7. *Et Verbum Dei creſcebat, & multiplicabatur numerus.* Æthiopic. *Et magnum fuit Verbum Dei, & multiplicati ſunt populi valde.* Dicitur: *Verbum Dei creſcebat*, effectivè per multiplicationem fidelium, Coloſ. 1. Gloſſa. Ordin. ſic ait Paulus ad Coloſſ. 1. n. 6. *Verbum Dei creſcit in vobis.* Gloſſa Ordinaria *fide, & opere*, quod fiebat continua, ac perenni prædicatione Apoſtolorum, qui ex ſua ingenti charitate, ut dicitur in fine ſuperioris capitis. *Non ceſſabant in Templo, & circa domos docentes.* Verbum creſcere propriè pertinet ad Matth. 13. Marc. 4. agriculturam, & fit alluſio ad parabolam Chriſti de ſemente, Matth. 13. n. 3. & Marc. 4. n. 26. Nam ſemen jactum in terram præparatam, & diſpoſitam multum fructum affert: ſic Verbum Dei receptum in corde bene diſpoſito Dei gratia in magnum fructum multiplicatur.

35. Syriac. *Multa autem turba.* Syriacus: *Multus populus ex Iudæis.* Cum dicitur turba Sacerdotum intelliguntur, qui tunc erant ex ordine Aaronis, & cum dicitur *turba* ut notat D. Chryſoſtom. denotatur non fuiſſe ex Principibus, ac magnatibus, ſed ex inferioribus, ac minoribus; tales enim magis ſolent eſſe propenſi ad pietatem. Merito idem D. Chryſoſt. D. Chryſoſt. Chriſti benignitas. ait in præſenti: *Conſidera quanta eſt benignitas ex illis, qui ad eadem turbam exaſperaverunt, qui talia clamaverant, & dixerant; alios ſalvos fecit, ſe ipſum ſalvum facere nequit*, eos tamen adduxit ad ſalutem, & vitam: pergit citatus Chryſoſt. *Illius igitur & nos fiamus imitatores, nempe diligendo inimicos, & bene eis faciendo.*

Obediebant fidei: Syrus *Auſcultabant fidei.* Arabicus: *Obtemperaverunt fidei*, id eſt perfectè credere; 36. Syrus. Arabic. cum omni ſubmiſſione, ſic ait Apoſtolus: *Ad obe-* Rom. 1. *diendum fidei in omnibus*, Rom. 1. n. 5. Obedientia pertinet ad voluntatem; aſſenſus verò fidei *Credo* ad intellectum; & quia res fidei ſunt ſupra omnem captum & intelligentiam humanam ad credendum juxta communem doctrinam Theologorum præcedit in voluntate habitus piæ affectionis, ut moveat intellectum ad credendum, & ad captivandam ſuam intelligentiam in obſequium fidei, 2. Co- 2. Cor. 10 rinth. 10. n. 5.

QUÆSTIO VI.

Explicantur qui, & quales fuerint ſeptem illi Diaconi.

CArthuſianus exiſtimat hos ſeptem Diaconos 37. Carthuſ. fuiſſe ex numero eorum, qui elegerunt. D. Epi- Epiph. phanius hæreſi 21. tenet fuiſſe ex numero 72. diſci- D. Aug. pulorum Chriſti, tamen D. Aug. ſerm. 94. de diverſis multum dubitat, an Stephanus converſus fuerit ad Chriſtum poſt ejus Aſcenſionem.

Cum nomina Stephani, ac cæterorum Diaconorum ſint græca, inde multorum eſt ſententia, hos 38. ſeptem Diaconos genere Hebræos, patria vero Græcos, id eſt natos in Græcia, ita apertè, ac diſertè affirmat Lucius Dexter in Chronico 34. & favet mul- Lucius Dexter. torum ſententia exiſtimantium Divum Stephanum eſſe cognatum Pauli, qui erat Tarſenſis, Tarſis Civitas inclyta Metropolis Ciliciæ, de quo infra cap. 9. verſ. 11. & hoc magna providentia factum eſt, ut electi Diaconi eſſent ex Greizantibus, ut ita murmur Græcorum pro eorum viduis contra Hebræos magis Diaconi Græ. quieſceret.

Stephanus.

Primus Stephanus quod Græcè idem eſt, ac *Corona*, Hebraice, ut vult Beda ſignificat *norma veſtra*: 39. Nomen Stephanus. Beda. ipſe enim dum primus pro Chriſto ſanguinem generosè effudit, ſequentibus Martyribus formam, ac normam dedit pro ipſo fortiter, ac conſtanter moriendi.

Varia elogia de eo celebrant Sancti Patres in ſuis 40. Elogia Stephani. D. Aug. Niceta. D. Max. D. Dam. ſermonibus, D. Aug. de diverſis dicitur: *Primus ut inter Apoſt. Petrus. Aniceta* apud Metaphraſt. *Inter Apoſtolos Apoſtolus, Propheta inter Prophetas, Doctor inter Doctores*, & iterum ſubdit: *Quod charitate ardebat magis, quam omnes Sancti ſui temporis.* Intellige poſt Apoſtolos; à D. Maxim. ſerm. de S. Stephano: *Diſcipulus erat ordine, ſed factus eſt Magiſter exemplo.* A D. Damaſc. lib. 4. c. 16. *Primus Chriſti miniſter.*

Dicitur *plenus fide*, nempe Chriſtiana, ut pro ipſa 41. pugnaret ad mortem uſque: plenus fide, id eſt fidelitate in ſuo miniſterio, ac eleemoſynarum diſpenſatione. Tertio *fide* in Deum, ut multa cum libertate loqueretur, ac doceret coram Principibus Synagogæ. Quarto *fide* in Deum, ut diſputaret cum adverſariis, &c. Miriſ. de plenus fi- de.

eosque superaret. Quinto *fide* ut multa miracula, ac prodigia faceret. Sexto *fide* qua pro suis exorabat inimicis, ut illis veniam, & gratiam impetraret, ut visum est in Saulo.

42. Plenus. Spiritu sancto. Actor. 7

Et Spiritu sancto, qui cum omnibus suis gratiis, ac donis repleverat, & ideo cùm lapidaretur Stephanus vidit Cœlos apertos, *& Iesum stantem à dextris Dei*, Actor. 7. n. 55. Vidit Deum Patrem, & Deum Filium Iesum, non tamen vidit Spiritum sanctum, quia ipsum in se habebat cum omnibus suis donis.

Philippus.

43. Actor 8. Clem. Euseb. Tertull.

De hoc fit illustris mentio infra cap. 8. à n. 5. & cap. 31. à Clemente lib. 5. Constitut. cap. 7. & Eusebio lib. 3. histor. cap. ultim. Tertullian. lib. de Baptism. cap. 8. vocatur Apostolus, non quia fuisset ex numero duodecim, sed late, prout Apostolicum munus in suis actionibus, ac operibus exercebat, sicut cap. 21. n. 8. dicitur Evangelista, non quia Evangelium composuerit, sed quia illud magno, ardentique cum fervore, ac veritate prædicabat, sicut Apostolus ait suo

Eius elogium.

2. Tim. 4

discipulo Timoth epist. 2. cap. 4. n. 5. *Opus fac Evangelistæ.* De eius morte, ac fine non potui aliquid invenire, ipsum tamen, ut sanctitate eximium celebrat Martyrologium Romanum die 6. Iunii, & ita habet.

44. Martyrolog. Roman.

Cæsareæ Palestinæ natalis B. Philippi, qui fuit unus ex septem primis Diaconis. Hic insignis, ac prodigiis clarus Samariam ad fidem convertit, & Candacis Æthiopum Reginæ Eunuchum baptizavit, ac demum apud Cæsaream requievit. Iuxta quem tres Virgines ejus filiæ Prophetissæ tumulatæ jacent, nam quarta filia ejus plena Spiritu sancto Ephesi occubuit. In Palæstina apud Cæsaream Maritimam temporibus D. Hieronymi recens erat memoria Philippi Diaconi, & filiarum eius; nam ædicula Philippi, & filiarum

D. Hier.

cellulæ adhuc integræ permanebant, quas omnes S. Paulus Ierosolymis invisit, ut testatur D. Hieron. epist. 27. ad Eustochium.

Prochorus.

45. Martyrolog. Hippolit.

De hoc facit mentionem Martyrolog. Romanum die 9. Aprilis, dicens: *Antiochiæ Sancti Prochori, qui fuit unus ex septem primis Diaconis, & fide, ac miraculis clarus martyrio coronatus est.* Hippolitus Martyr lib. de septem discipulis, D. Doroth. in synopsi

De Natali.

eum testantur. Primum Episcopum Nicomediæ. Petrus de Natali lib. 4. cap. 36. affirmat eum fuisse nepotem S. Stephani, & Ioannis Apostoli comitem in Asia, à quo Antiochiam missus, ibi martyrio coronatus in Domino obdormivit: in Biblioth. citanda

Biblio theca.

dicitur: *Discipulus Christi.*

46. Lib. de vita Ioannis.

Scripsit librum de vita S. Ioannis Evangelistæ, qui extat in primo tom. Biblioth. typis datæ in Colonia Agripina anno 1618. in quo ab incerto Authore multa indigna, & fabulosa imposita sunt, ut notant Bellarmin. & alii de Scriptoribus Ecclesiasticis.

Nicanor.

47. Martyrol Romanum. Doroth. Baron.

De quo ita habet Martyrologium Romanum die decima Ianuarii: *In Cypro Beati Nicanoris Diaconi de septem, qui gratia, fide, & virtute admirandus glorioso coronatus est.* Unde non congruit id, quod ait Dorotheus in synopsi, eodem die cum Protomartyre Stephano, & multis aliis usque ad duo millia martyrio occubuisse; nam ut ait Baronius in notis ad Martyrologium Dorothei authoritas non in omnibus firma subsistit.

Timon.

48. Martyrolog.

De quo sic habet Martyrologium Romanum die decima Aprilis: *Natalis S. Timonis Diaconi de septem primis, qui primo apud Beroeam Doctor resedit, ac deinde Verbum Domini disseminans venit Corinthum, ibique à Iudæis, & Græcis* (ut traditur) *flammis injectus, sed nihil læsus, demum Cruci affixus, martyrium suum implevit.* Ita etiam de eo scribit Petrus de Natalibus lib. 4. cap. 66. & cap. 67. ostendit eum diversum esse ab alio in Arabia ejusdem nominis, qui ex Diacono factus est Episcopus. Petrus.

Parmena.

49. Martyrolog.

De quo ita habet Martyrologium Romanum 23. Ianuarii: *Philippis in Macedonia S. Parmenæ, qui fuit unus de septem primis Diaconis; hic traditus gratia Dei injunctum sibi à fratribus officium prædicationis, plena fide consummans sub Traiano martyrii gloriam est adeptus.* Unde non placet id, quod de eo scribit Dorotheus in synopsi, *quod hic in ipso Apostolorum conspectu Diaconi officio fungens mortuus est.* Doroth.

Nicolaus advena.

50. Lyran. Carthus. D. Iren. D. Epiphan. Tertul. D. Hilar.

Multi existimant, quod ex Iudæo factus sit Christianus; Lyranus, Carthus. ex Gentili fuit Auctor sectæ Nicolaïtarum, ut tradunt D. Irenæus lib. 1. c. 27 D. Epiphan. hæresi 25. Tertull. lib. de præscript. c. 46. D. Hilarius can. 25. in Matth. D. Hieronym. epist. 1. & 48. asserebant Nicolaïtæ licitum esse concubitum vagum ad remedium naturæ, de quo fit mentio in Apocal. cap. 2. n. 15. Vide ibi dicta q. 43. n. 314. nam sicut inter Apostolos ex alta Dei permissione exti-

In qualibet familia defuncti.

tit Iudas Iscariotes, sic inter hos sanctos Diaconos inventus est Nicolaus iste.

51. D. Ignat. Clem. Alex. Euseb. D. Aug. Carthus. Baron. Hippolitus.

Nicolaum ab hac turpitudine, ac hæresi excusant S. Ignatius epist. ad Trallian. Clemens Alexand. lib. 3. Stromat. cap. 3. Eusebius lib. 3. histor. cap. 23. D. August. lib. de Hæres. cap. 5. Carthus. Baron. tom. 1. Annal. anno Christi 68. apud Sponda. n. 4 qui dicunt homines malos, ac perversos voluisse suum errorem, ac turpitudinem sub ejus nomine inculcare, ac paliare; cum ipse Nicolaus aliàs esset vir bonus; & Hippolitus in lib. de septuaginta duobus discipulis dicat Nicolaum Diaconum virum fide Catholica probatissimum creatum fuisse ab Apostolis Episcopum Samaritanorum, & in hanc sententiã ut magis piam maximè inclinamus.

QVÆSTIO VII.

Quare sacri Apostoli manus super hos Diaconos imponunt?

52. Manuũ impositio.

EX quo liquet Diaconatũ esse Ordinem sacrum, in quo sacro Ordine per manuum impositionem constituerunt Apostoli hos Diaconos; nam Græcè ordinatio idem valet, ac *manuum impositio*; nam per talem manuum impositionem communicatur virtus, potestas Sacerdotalis, & gratia, ut ait Apostol. 1. Timoth. 4 n. 14. *Noli negligere gratiam, quæ data est tibi cum impositione manuum Presbyterii.* Et simi-

1. Tim. 4

liter epist. 2. cap. 1. n. 6. & ideo ait Gregor. IX. cap.

Greg. IX

Presbyter de Sacramentis non iterandis. Manuum impositionem esse ritum ab Apostolis introductum, non quod ipsi eum instituerint, sed quia ipsi primi cœperunt illo uti in ordinationibus.

53. Bellarm.

Ex quo constat, quod ipsa manuum impositio, non sit quid accidentale in ordinatione, ut dixit Soto, sed quid essentiale, ut probat Bellarmin. lib. de Ordinat. cap. 9. nam hoc visibili signo vult Deus demonstrare characterem, gratiam, & potestatem, quam interius communicat, ut factum legimus in vita D. Chry-

D. Chrysost.

sost. nam cum Episcopus Antiochenus eum crearet Presbyterum in specie Columbæ descendit super eum Spiritus sanctus.

Si

54. Si verò quæras, quænam ſit materia huius Sacramenti, dicimus eſſe librum Evangeliorum, ſi vero talis liber non fuit adhibitus ab Apoſtolis, hoc fuit diſpenſatione divina; quia tunc non erat ſcriptum; nam hoc contigit eodem anno Aſcenſionis Chriſti. D. Matthæus, primus omnium ſcripſit ſuum Evangelium anno duodecimo poſt Chriſti aſcenſionem, & ideo vel etiam Chriſtus pro hoc Sacramento non inſtituit unicam tantum materiam pro hoc Sacramento Ordinis, ſed dedit poteſtatem ſuis Apoſtolis, ejuſque ſucceſſoribus, ut eam determinarent. Ita Bonacina tom. 1. diſp. 8. de Sacramento Ordinis puncto 3. n. 4. Quidam exiſtimant tunc tradi quandam chartam, in qua erant ſcripta myſteria fidei, quæ habentur in Evangelio.

Materia.

Bonac.

55. Ex quo conſtat quod iſti ſeptem non fuerunt inſtituti Diaconi ad miniſtrandum menſis viduarum; quia ad hoc non requiritur ſolemnis ordinatio, ſed ad miniſtrandum Apoſtolis, ac Eccleſiæ in ſacrificio Miſſæ, aliiſque multis ſacris Miniſteriis, ita ut Deus ordinatum illuminaret, ac corroboraret in omnibus actionibus, & miniſteriis Eccleſiæ, de quo latè Amalarius lib. 1. de Eccleſiaſtico officio cap. 12.

Diaconi creantur ad miniſtrandũ in ſacris.

Amalar.

56. Myſticè per hanc cæremoniam oſtendit ordinandum totum eſſe offerendum Deo tamquam victimam, & holocauſtum. In lege veteri ſuper victimam, quæ offerebatur in holocauſtum imponebat Sacerdos manus tamquam illam accipiens totam in obſequium Dei, Levitic. 1. n 4. ita ibi Lyranus, Abulenſis, & alii. Ita ſuper ordinandum Epiſcopus manus imponit, ut nomine Eccleſiæ ipſum accipiens tamquam victimam in cultum, & obſequium Dei, ut iam non ſibi vivat, ſed totus ſit Deo.

Levit. 1. Lyra. Abulenſ

57. Quod totum optimè Deus declaravit in veſtimento Sacerdotali, quod Deus mandavit fieri, Exod. 28. n. 6. *Facient ſuperhumerale de auro, & hyacintho, & purpura, coccoque bis tincto, & byſſo retorta.* Quæ verba expendit D. Gregor. 2. part. Paſtoral. cap. 3. ubi ſic ait: *Rectè ſuperhumerale ex auro, & hyacintho, purpura, coccoque bis tincto, & byſſo retorta fieri præcipitur. Vt quanta Sacerdos clarescere virtutum diverſitate debeat demonſtretur.*

Magna ſanctitas in Sacerdote.

Exod. 28 D. Greg

58. Quod per ſingula Sanctus Doctor expendit, *in Sacerdotis habitu aurum fulget, ut in eo intellectus ſapientiæ principaliter emicet*: debet in eo reſplendeſcere aurum purum intellectus, & ſapientiæ, ut ſecundũ illam omnia diſponat, & dirigat. *Cui hyacinthus adjungitur, ut per omne, quod intelligendo penetrat, non ad favores infimos, ſed ad amorem cœleſtium ſurgat.* Hyacinthus cœleſtem, ac cæruleum colorem habet, ut omnes cogitationes, in cœlum, atque cœleſtia tendant. *Purpura permiſcetur, ut Sacerdotale cor, veluti ex regia poteſtate contradicat.* Purpura Regius color, ut tanquam Regia poteſtate ſuas ſuggeſtiones comprimat, ac refrænet. *Bis intinctus coccus adjungitur, ut omnia virtutum bona ex charitate decorentur, quæ quia Deum, & proximum diligit, ex duplici tinctura fulget,* charitate ſcilicet in Deum, & proximum. *Quid vero per byſſum, niſi candens decoræ munditiæ caſtitas deſignatur.* Byſſus ob ſuum candorem puritatem caſtitatis indicat, *quæ bis torta dicitur*; quia neceſſum eſt, ut caſtitatem habeat Sacerdos interius, in ſe ipſo, & exterius in ſuis operationibus, & actionibus.

Sanctitas Sacerdotis denotatur in eius veſte.

59. Etſi Sacerdos tali indumento fuerit exornatus, & compoſitus dicitur de illo id, quod Eccleſiaſticus decantat de Summo Pontifice cap. 43. n. 10. *Beatificavit illum in gloria Sanctorum*: Ex Græco habetur: *Beatificavit illum in veſtitu Sacerdotali*. Sacerdos ſuperiori veſte indutus exiſtens in terra, iam erit tamquam Beatus in cœlo. De hoc multa in omnibus meis libris in ſybillario verbo Sacerdos.

Eccli. 43. Græcus.

Actor. 6. n. 8. Stephanus autem plenus gratia, & fortitudine faciebat prodigia, & ſigna magna in populo.

Num. 9. Surrexerunt autem quidam de Synagoga, quæ appellatur Libertinorum, & Cyrenenſium, & Alexandrinorum & eorum, qui erant à Cilicia, & Aſia diſputantes cum Stephano.

Num. 10. Et non poterant reſiſtere ſapientiæ, & ſpiritui, qui loquebatur.

Verſiones,

CUM EXPOSITIONE IV.

Verſ. 8. *Stephanus autem plenus gratia, & fortitudine.* Syriacus: *Plenus bonitate.* Græcus: *Fide, ac virtute.* Lyranus ſic explicat *plenus gratia* ad operandum, fortitudine ad patiendum; ſuperius dixerat plenum Spiritu ſancto, non dicit plenum gratia, quam Spiritus ſanctus communicat. Secm tamquam in radice, ac ut comites omnes virtutes, ac chariſmata importans, ac proinde idem valet, ac plenus omnibus virtutibus, & donis, in quibus etiam includitur fortitudo, tamen peculiariter exprimitur, quia in ea maximè reſplenduit Stephanus, arguendo, diſputando, prædicando, ac patiendo martyrium: Aliqui Codices habent *plenus fidei*, quod iam explicavi ſupra n. 41.

60. Syriac. Græcus. Lyran.

Faciebat prodigia, & ſigna magna in populo. Syriacus: *Miracula.* Arabicus *edidit prodigia maxima*: Quomodo autem hæc duo diſtinguantur dixi ſupra cap. 2. expoſitione 11. n. 183.

61. Syriac. Arabic.

Verſ. 9. *Surrexerunt quidam de Synagoga,* Pagninus: *Exorti ſunt quidam.* Oecum. *de congregatione*; non quidem eorum omnium una erat Synagoga, ut ait Catena, ſed multæ, & variæ erant Synagogæ, ita ut unaquæque ex his Nationibus ſuam haberet Synagogam peculiarem, ſicut in hac Civitate Ulyſſiponenſi eſt unum Collegium Anglorum, aliud Hybernorum, ſic in Ieruſalem, quæ erat Metropolis Religionis fidei, ac ſapientiæ, ſic Iudæi diſperſi per varias orbis partes mittebant filios ſuos in Ieruſalem ad Collegium ſuæ nationis v. g. Libertinorum, vel Cyrenenſium, ut de illis omnibus ad Religionem ſpectantibus inſtruerentur: De his autem nationibus dicam ſingillatim quæſt ſeq.

62. Pagnin. Oecum. Catena.

Diſputantes cum Stephano. Syriacus: *Diſceptabant.* Æthiopic. *Altercati ſunt.* Arias: *Altercantes ſimul*, fidem Catholicam quantum poterant arguendo, & impugnando: Illi multi erant, ut ponderat D. Nyſſen. orat. de S. Stephano, *Veluti in phalanges quaſdam conſpicati, ſic impetum Stephani ſuſtinere nitebantur: At ille omnibus pariter invictus erat, ſive cum multis ſolus, ſive cum paucis congrederetur.*

63. Syriac. Æthiop. Arias. D. Nyſſ.

Verſ. 10. *Et non poterant reſiſtere ſapientiæ, & ſpiritui, qui loquebatur.* Syriacus: *Non poterant conſiſtere contra ſapientiam, & ſpiritum, qui loquebatur in eo.* Alii codices habent: *Propter quod redarguerentur ab eo cum omni fiducia.* Æthiopicus: *Et non potuerunt; quia in ſapientia, & Spiritu ſancto loquebatur.* Dicitur ſapientia; quia ex omnibus Scripturis, ſignis, ac circunſtantiis apertè, ac evidenter demonſtrabat Chriſtum Ieſum eſſe verum Meſſiam promiſſum in lege, ac Salvatorem Mundi.

64. Syriac. Alii Codices. Æthiop. *Chriſtus D. vera Meſſias.*

Et ſpiritui, qui loquebatur. Ut habent alii Codices: *Cum omni fiducia.* Hic adimpletum eſt in B. Stephano Chriſti promiſſio, Matth. 10. n. 20. *Non enim vos eſtis, qui loquimini, ſed Spiritus Patris veſtri qui loquitur in vobis*, & Luc. 21. n. 15. *Ego dabo vobis*

65. Matth. 10 Luc. 21.

bis os, & sapientiam, cui non poterunt resistere, & contradicere omnes adversarii vestri.

QVÆSTIO VIII.

Quare non dicitur quod Iudæi disputantes cum Stephano erant ex Ierusalem, sed ex variis Orbis partibus, quæ hic explicantur?

66. *Omnes disputantes. Iudæi.* OMnes isti disputantes cum Stephano erant genere, & religione Judæi, vel existentes, vel nati in variis orbis partibus, qui ad discendas literas mittebant filios suos in Jerusalem ut dixi in expositione, &c.

67. Primo *Libertini erant*, qui nati sunt ex Iudæis in servitutem per Pompeium, ac alios duces olim abductis Româ, sed jam libertate donatis, ut inquiunt D. Chrysost. Beda, Caietan. Hos enim tanquam ex servili gener prognatos, alii ex liberis nati nolebant secum eos admittere in synagogis, & cogebant eos seorsim convenire. Horum Libertinorum Romæ in Transtyberina regione degentium meminit Philo in sua legatione ad Caium; dicens: *Non passus fuisset Augustus trans Tyberim bonam Vrbis partem teneri à Iudæis, quorum plerique erant Libertini, &c.*

D. Chrysost. Beda. Caiet. Philo.

67. Oecum. Lyran. Glossa. Ganæus. Alii verò, ut Oecumenius, Hugo, Lyranus, Glossa, Ganæus Libertinos intelligunt oriundos ex Lybia, & dicunt corruptum fuisse vocabulum, ut pro *Lybistinorum* ponatur *Libertinorum*; tamen prima expositio verior videtur, & omnia exemplaria, tam Latina, quam Græca, ac Syriaca habent. *Libertinorum*, & pro ea multum facit Philo adductus.

69. D. Chrysost. Oecum Ganæus. A Lapid. *Cyrenenses*, nempe qui suam originem, ac natalia habebant in Syria, quæ triplex est, una in Syria, alia in Media, alia in Africa. De tertia hic agitur, ut videtur, quia Cyrenenses junguntur Alexandrinis, qui simul sunt in Africa, & veluti convicini; ita D. Chrysost. Oecumen. Ganæus, à Lapide.

70. Salme Sanch. Tirinus. *Alexandrini*, qui orti erant ex Alexandria Metropoli Ægypti, & eorum, qui erant à Cilicia, quæ hodie dicitur à Turcis Caramina, ut videre est apud Ortelium, & Atlas, ex hac Synagoga tenent Salmeron, Sanchez, Tirinus fuisse S. Paulum Tarsensem, & ejus consobrinum Stephanum.

71. *D. Stephanus pugnat cum toto Orb.* Ecce B. Stephanus in sua disputatione pugnavit cum toto Orbe secundum suas tres partes, quæ tunc erant cognitæ, & notæ; pugnavit ex Europa cum Libertinis, Romanis; Ex Asia cum Cilicibus, qui in ea habitant, ex Africa cum Cyrenensibus, & Alexandrinis ibi commorantibus. Ecce totus Orbis tamquam conglomerata manu pugnabat contra Stephanum, qui lorica fidei armatus totum superabat, ita ut non pollent resistere sapientiæ, & Spiritui, qui in eo loquebatur.

72. *Suspecti de aliqua re laborant ad se vindi. candum.* Tamen maximè inquirendum, cur Iudæi nati in diversis Orbis partibus, Româ, Cyrenensi, Alexandria, Cilicia erant in hac disputatione cum Stephano; Iudæi vero nati in Ierusalem, vel Iudæa non sunt inventi in hac controversia, sed solum illi extranei? Hi cum tales essent ex tam remotis partibus contemnebantur ab habitatoribus Ierusalem, tamquam minus docti, ac periti in Scriptura, ac lege, illiusque intelligentia, ac obsecratione; illi ergo ut ab hac opinione se vindicarent, seseque ostenderent apprimè versatos in Scriptura, ac lege, illiusque acerrimi zelatores, ideo potissimè in certamen descendebant altercantes cum Stephano, ut ita haberentur non esse in scientia inferiores aliis.

73. Actor. 9. Saulus spirans minarum in discipulos, & multa mala fecit omnibus, qui invocabant Sanctum nomen Iesu. Actor. 9. & cum lapidaretur Stephanus ipse omnium vestimenta custodiebat, Actor. 7. 57. *Ut esset in omnium lapidantium manibus*, ait D. August. *& petiit à Principibus Sacerdotum epistolas ad comprehendendum omnes, quos in Christi nomine inveniret*; non missus est, sed ipse se obtulit, & postulavit epistolas. D. Hieronym. in cap. 15. Genes. *Saulus sanguis Martyrum sitiens spirans minarum in discipulos Christi, ut videretur legis Zelator postulat epistolas.* Paulus in Tarsis, in gentilitate nempe, ut modo supra dixi, inferior aliis in legis zelo haud poterat reputari: *Ut videretur legis zelator*, non inferior, sed aliis major, ideoque postulat Epistolas, ut omnem simil. am opinionem à se propulsaret.

Actor. 7. D. Aug. Saulus intendebat sinistram opinionem propellere. D. Hier.

QUÆSTIO IX.

Quare modo post electionem, & non antea dicitur D. Stephanus plenus fortitudine?

74. D. Aug. INcipimus sermonem facere de B. Stephano, in cujus exordio dicam id, quod ait D. August. ser. 3. de Sanct. & de Diversis: Donet mihi Dominus pauca dicere salubriter, qui donavit Stephano tanta dicere fortiter.

Stephanus dicitur *plenus fortitudine*, & statim etiã scribitur *plenus sapientia*, ut habetur statim: *Non poterant resistere spiritui, & sapientiæ*; quia fortitudo debet esse cum sapientia, ut non detur acceptio personarum, sapientia cum fortitudine, ut ipsam fortitudinem valeat dirigere, ac gubernare. Ait Iob. 12. n. 12. *In antiquis est sapientia, & in multo tempore prudentia, apud ipsum est sapientia, & fortitudo.* Comparat sapientiam mundialium cum Dei sapientia; in mundialibus, ac senibus antiquis erat tantũ sapientia sine fortitudine ad removendum, vel acquirendũ id quod ipsa sapientia dictabat; at in Deo est sapientia cum fortitudine: *Apud ipsum est sapientia, & fortitudo.* ut perducat ad ultimũ effectum, ea, quæ bona agnoscit, & penetrat: Rupert. lib. 1. cap. 3. de utraque sapientia agens ait: *In hoc differunt, quod in illis tantum est sapientia; apud istum, scilicet Deum, sapientia, simul, & fortitudo est*? etiam illi, quod sapiebant ad effectum perducere non poterant. Iste autem sapientiam actis perduxit usque ad victoriam.

Sapiẽtiæ coniungatur fortitudini. Iob. 12. Rupert.

Quæstio tamen principaliter inquirit; cur D. Stephanus ante electionẽ dicatur plenus fide, & Spiritu sancto tantum; at post electionem nunc in præsenti dicitur *plenus Spiritu sancto, ac fortitudine, faciens signa, & prodigia*? D. Chrysost. & Oecumen. ait: *Qui ante electionem prodigia non faciebat, ut qui nec factis cognitus erat: Vbi per electionem cognitus effectus, tunc etiam donum, quod electionem consecutum erat, demonstrabatur, ut manifestum fiat, quod non sufficiat gratia, sed opus est quoque addi electionem.* Ecce qui ante electionẽ etsi plenus fide, & Spiritu S. & verè Sanctus, nõ tamẽ habebat fortitudinem ac robur ad pugnandum cum adversariis, ad facienda prodigia, & miracula; at cum electus, & vocatus fuit à Deo ad Ecclesiastica munera, statim eis datur robur ad pugnandum, atque ad adversarios confundendos, potestasque ad mirabilia operandum.

76. D. Chrysost. Quoi Deus vocat dat adiuvamẽ ad officia.

Proverb. 9. n. 1. dicitur: *Sapientia ædificavit sibi domum, miscuit vinum, & proposuit mensam suam, misit ancillas suas, ut vocarent ad arcem, & mœnia Civitatis.* Sapientia æterna Divini Verbi ædificavit sibi domum, Ecclesiam nempe suam, munitam septem columnis, quæ sunt septem Spiritûs sancti dona, ut interpretatur D. Chrysostom. in Imperfecto homil. 50. in Matth. posuit mensam omnium cœlestium donorum, ac dulcedinum iuxta id, quod tradit Herodot. lib. 3. *Misit ancillas suas, nempe Apostolos, ac*

77. Prov. 9. D. Chrysost. Herod.

prædicatores,

Lyran. Hugo. Ianſen.

prædicatores, ut explicant Lyranus, Hugo, Ianſenius, & dicuntur ancillæ, quia in oculis hominum videbantur humiles, & abiecti, *ut vocarent ad arcem, & ad mœnia Civitatis.* Maiori conſequentia videbatur dicendum, ut vocarent ad menſam, quam poſuit, ſed ait: *Vt vocarent ad arcem, & mœnia Civitatis*; ex Hebræo legitur: *Vocavit ad pinnacula, vel faſtigia Civitatis.* Pagninus: *Vocavit ad ſummitates excelſorum Civitatis*, vocat eos Deus ad excelſa munera, ad ſupremum faſtigium dignitatum Eccleſiæ, ibi eos vocat, ibi eos convocat ad ſuam menſam cœleſtium donorum; quos enim Deus eligit ad officia, & dignitates, eis cõfert ſua dona ad exactè, ac perfectè obeundas functiones ſuas.

Hebr. Pagnin. *Vocatis ad dignitates providet Deus.*

78. Poſtquam Chriſtus D. in horto ad Patrem cum iam tradendus ſuis inimicis veniens ad diſcipulos ſuos, eos inveniret dormientes dixit illis: *Dormite iam, & requieſcite; ecce appropinquavit hora, & filius hominis tradetur in manus peccatorum, ſurgite eamus*, Matth. 26. n. 45. Contradictio videtur latere in dictis: *Dormite, & requieſcite*, cum his, quæ ſequuntur: *Surgite eamus*: Unum apertè repugnat cum alio dormire, & requieſcere cum ſurgere, & ire; nulla tamen eſt contradictio, ſed omnia ſibi optimè conſonant; nam ſi à Deo deſignaris ad certamina, ut certus requieſce, quod ipſe tibi dabit adiuvamen ad ſuperandum, ut glorioſus triumphator evadas. D. Laurent. Iuſtinian. de triumphali Chriſti agone, & ait: *Facile enim quiſque, quod acquiſivit, amittet, ſi non vocatus ſe inconſultè exponat: Nullus itaque inaniter Dominum in paſſionibus præſumat imitari, niſi impellente Spiritu, aut vocatus quieſcat.* Expende ultima verba: *Aut vocatus quieſcat*; ſi vocatus fueris à Deo, quieſce, in promptu tibi erunt omnia.

Math. 26

Si Deus te vocat, eſto ſecurus.

D. Laur.

QUÆSTIO V.

Quare tanta multitudo diverſarum nationum contra unum Stephanum ſtat.

79. VAlde mirum quod tam ampla, & lata multitudo ex toto ferè Orbe, ut dixi ſupra q. 8. n. 71. inſurgat diſputans cum Stephano, cur non potius cum Apoſtolis, qui erant Principes, & Primarii in populo Chriſtiano? Stephanus erat agnitus tamquam vir doctiſſimus diſcipulus Gamalielis plenus, ut dicitur in Textu, *Spiritu ſancto, & ſapientia.* Apoſtoli autem reputabantur tamquam homines, viles, rudes, ac idiotæ, proindeque tota eorũ manus conglomerata inſurgebat contra doctiſſimum Stephanum, quia hoc devicto cæteri facile eſſent ſuperati.

Totus Orbis contra Stephanum ſapientiſſimũ

80. Secundo ad quæſtionem reſpondet D. Chryſoſt. ſerm. de S. Stephano tom. 6. ubi ſic ait: *O quantam turbam improbitas congregavit: O quantam invidia multitudinem convocavit: Libertinos, Cyrenenſes, Alexandrinos, & qui erant à Cilicia, & Aſia; infinita inquit turba contra unum.* Malitia infinitam ferè iniquorum multitudinem convocat, ut ſuum defectum juſtitiæ, veritatis, ac rationis hominum multitudine cooperire, ac recompenſare valeat.

D. Chryſoſt.

Iuſtus unus, iniqui multi.

81. Ait Iſaias 3. n. 1. *Ecce dominator Dominus exercituum aufert à Ieruſalem, & Iuda validum, & fortem, omne robur panis, & omne robur aquæ, fortem, & virum bellatorem: & dabo pueros Principes eorum.* Ait *auferam fortem, & dabo pueros*, unus ſingularis aufertur, & dantur multipliciter pueri; & cur multi pueri proponuntur, quando unus ſolus vir aufertur? pueri intelliguntur non ætate, ſed ſtultitia, & inſipientia, ac ignorantia, & ſemper hi multi, & in magno numero ſunt; infinitus penè eſt numerus ſtultorum D. Baſil. ibi ait: *Bona quidem expreſſit ſingulariter, puta fortem, validum, bellatorem, &c. malorum autem comminatio excrevit in numeroſam multitudinem, ſic ſunt juvenes, Principes, & illuſores dominabuntur vobis.* Ubi mali, & iniqui ibi multum excreſcit inimicorum, ac iniquorum numerus. Tamen profundè nota, quod quando dicitur unus juſtus ſingularis, dicitur *fortis, validus, ac bellator.* Cum omni robore panis, & aquæ; at iniqui licet multi, ſunt tamquam pueri: *Dabo pueros Principes eorum*, utpote invalidi, imbecilleſque ſine viribus, judicio, ac ratione, & ideo unus juſtus, ut Stephanus eſt fortis Athleta, contra eos generosè ſtat, ut eos valeat ſuperare, ac devincere.

D. Baſil.

Iniqui multi, & invalidi. Iuſtus unus & fortis.

Scribens Apoſtolus Paulus ad ſuum diſcipulum Timotheum 2. cap. 4. n. 3. ait: *Erit enim tempus, cum ſanam doctrinam non ſuſtinebunt, ſed ad ſua deſideria coacervabunt ſibi Magiſtros.* Ubi D. Anſelm. ſic ait: *Acervum ſibi congregabunt Magiſtrorum, qui doceant ea, qua deſiderant.* Multitudo iniquorum per acervum explicatur ab Apoſtolo: aliter David loquens de Sanctis ait: Pſalm. 16. n. 14. *A paucis de terra divide eos.* Per paucos juſtos intelligit communis interpretatio, & ita quædam lectio habet: *A mortalibus mundi divide eos*, alia vero lectio, *Ab electis*: Multitudo iniquorum declaratur per acervum incompoſitum, in quo nulla eſt diſpoſitio, nec ordo, nec ratio: At paucitas juſtorum per electionem, in qua eſt altum conſilium, & ſuprema judicii diſcretio. In multitudine iniquorum nulla ratio, & diſpoſitio, quæ maximè cernitur in paucitate juſtorum, cum in eorum electione maximè eluceat altum conſilium cum ſumma providentia, attenta ratione meritorum uniuſcujuſque.

82. 2. Tim. 4.

Anſelm.

Iniqui multi, iuſti pauci. Pſal. 16.

QUÆSTIO XI.

Quare tanta ſapientum multitudo uni Stephano non poterat reſiſtere?

ECce omnes ſapientes Ieroſolymæ congregati contra unum Stephanum non poterant reſiſtere ſapientiæ, ſpiritui, ac fortitudini illius, qua erat plenus, ſed Stephanus eos omnes ſuperabat, & unde eius ſapientia, ac fortitudo tantã vim habebat? quia erat fundata, ac radicata in humilitate, ut notat D. Chryſoſt. ſerm. de S. Stephano, tom. 6. *Diaconus menſis præfectus eſt, & prodigiorum effector redditus.* Non recuſavit Stephanus humile menſarum miniſterium, indeque ex ſua humilitate aſſequutus eſt, ut eſſet prodigiorum operator, utque multa ederet mirabilia.

83. *Sapientia, & fortitudo in humilitate.* D. Chryſoſt.

Scribitur cathalogus fortiſſimorum David. & de ipſo dicitur: *Sedens in Cathedra ſapientiſſimus Princeps, inter tres, ipſe eſt quaſi tenerrimus ligni vermiculus, qui octoginta interficit impetu uno*, 2. Reg. 23. n. 8. Ut ſapientiſſimus in Cathedra oſtenditur, & ut fortiſſimus, qui octoginta uno impetu proſtravit; & unde illa tanta ſapientia, tantaque fortitudo; quia ita ſe deiecit, ac reputabat; *quaſi tenerrimus ligni vermiculus*, & inde ex tanta humilitate conſequens erat, ut prodiret multa ſapientia, ac fortitudo, ut uno impetu proſterneret octoginta, quod eleganter ponderavit D. Leo ſerm. 7. de Epiphania, ubi ſic ait: *Tota Chriſtianæ ſapientiæ diſciplina, non in abundantia verbi, non in aſtucia diſputandi, neque in appetitu laudis, & gloria, ſed in vera, & voluntaria humilitate conſiſtit, quam D. Ieſus ab utero Matris uſque ad ſupplicium Crucis pro omni fortitudine elegit.* Expende verba *pro omni fortitudine elegit* Ipſa æterna ſapientia veniens in mundum ad pugnandum cum Diabolo, humilitatem pro omni fortitudine elegit.

84. 2 Reg. 23.

Sapientia, & fortitudo cũ humilitate devincit.

85. Secundò, Tota Doctorum multitudo non poterat reſiſtere Stephano: Gloſſa Ordinaria *Pugnabat ipſa ſapientia Scripturarum* Verba ſacræ Scripturæ ſunt tela, & ſagittæ, quæ inimicos configunt, perdunt, ac deſtruunt. Cum meus parens Eliſæus ægrotaret, jamque morti proximus, deſcendit ad eum Joas Rex Iſrael largiter flens, ad ejus dolorem mitigandum ait ei Eliſæus: *Affer arcum, & ſagittas; & dixit Eliſæus: jace ſagittam, & jecit: & ait Eliſæus: ſagitta ſalutis Domini, & ſagitta ſalutis contra Syriam, percutiesque Syriam*, 4. Reg. cap. 13. à n. 15. 16. & 17. Quæ verba moraliter expendit Gloſſa Ordinaria, & inquit: *Arcus ſacra Scriptura, quæ ex utroque teſtamento, velut ex cornu, & chorda conſtat: vetus eſt cornu propter duritiem, novum chorda: & dum chorda trahitur, cornu curvatur; quia cum novum Teſtamentum diſcutitur, vetus de rigore ſuo ad intellectum ſpiritualem flectitur: ſagittæ ſunt verba, quæ Doctores proferunt; nos ergo cum Scripturæ dicta penſemus arcum tendimus cum verba doctrinæ damus ſagittas emittimus.* Per allegoriam ad ſacram Scripturam voluit Sanctus Propheta Regi Iſrael donatare victoriam de Syria. Mandat parare arcum; & ſagittas, illaſque emittere ad percutiendam Syriam. Arcus ſacra Scriptura; cornu ex quo componitur vetus teſtamentum ob ſui duritiem denotat, chorda ob ſui lenitatem ac tenuitudinem, novum dicit; ſagittæ verba Doctorum, dum ex Scriptura proferunt, ac exeunt, percutiunt, & vulnerant Syriam nempe idololatriam, & infidelitatem cum omnibus ſuis erroribus.

Verba Scripturæ ſagittæ acutæ.

86. Ait Job. 39. n. 25. *Vbi audieris buccinam; dixit vah*: ex Græco legitur *ſignum dante tuba dixit: euge, procul odoratur bellum.* Hæc vox *euge* importat notam exultantis, ac gratulantis: *Euge ſerve bone.* Et quænam eſt hæc tuba, quæ cum illa ſonat, ſtatim fit exultatio, ac gratulatio de victoria, ac de bello jam procul abeunte, ac ceſſante? Hæc tuba eſt ſacra Scriptura, cujus vox cum ſonat ſtatim certa eſt victoria bello profligato, & procul abeunte, ac omnino deſtructo. D. Ephrem ſerm. de Pœnitentia ſic ait: *Loco tubæ divinas Scripturas adhibe, & quemadmodum tuba belli tempore ſonans ſtrenuorum militum alacritatem in adverſos excitat, ita & divina Scriptura te promptiorem ad omne opus bonum reddunt, teque adverſus improbas paſſiones, ac vitia magis animant, & corroborant.*

Job. 39 Græcus.

Vbi ſonat Scripturæ vox victoria certa.

Ephrem.

Actor. 6. n. 11. Tũ ſummiſerunt viros, qui dicerent ſe audiviſſe eum dicentem verba blaſphemiæ in Moyſen, & in Deum.

Num. 12. Commoverunt itaque plebem, & Seniores, & Scribas; & concurrentes rapuerunt eũ, & adduxerunt in Concilium.

Num 13. Et ſtatuerunt falſos teſtes, qui dicerent: Homo iſte non ceſſat loqui verba adverſus locum ſanctum, & legem.

Num. 14. Audivimus eum dicentem: quoniam Ieſus Nazarænus hic deſtruet locum iſtum, & mutabit traditiones, quas tradidit nobis Moyſes.

Verſiones,

CVM EXPOSITIONE V.

87. Verſ. 11. *Tvne ſummiſerunt viros.* Tigurina, *Subornaverunt.* Pagnin. *Clam acceperunt viros.* Arabicus. *Tunc expedierunt homines* Græcus *ſubjecerunt.* Quæ omnia verba denotant quandam occultam ſubornationem, ac confictam compoſitionem, quam fabricarunt Libertini, Alexandrini devicti, ac ſuperati ab Sephano in diſputatione, tunc falſos teſtes miſerunt, qui dicerent, ut fecit Jezabel contra pium Naboth. 3. Reg. 21. n. 9. 10. & pro hoc facit lectio Syriaca, quæ ſic habet: *Tunc miſerunt quoſdam, & docuerunt eos, ut dicerent; Nos audivimus.* Et in hoc D. Auguſt. ſerm. 93. de Sanctis, agnoſcit magnam ſimilitudinem in B. Stephano cum Chriſto D.

Tigurin. Pagnin. Græcus. Arabic.

D. Aug.

88. *Verba blaſphemia.* Arabicus: *Audivimus ſermones commentitos.* Vatablus: *Verba impia, contumelioſa.* Blaſphemia ex radice Græca, idem eſt ac mala fama ab aliquo evulgata, ac proinde idem valet, ac maledicentia, vituperium, ac calumnia; & quamvis variè poſſit accipi, tamen ex uſu Eccleſiæ communiter accipitur pro contumelia, & opprobrium jactum in Deum, ſuoſque Sanctos.

Arabic. Vatabl.

Blaſphemia quid ſit.

89. *Et in Moyſen,* Per Moyſen vel intelligitur ejus perſona, quæ in magna authoritate erat apud Judæos, vel lex ab ipſo promulgata, quam D. Stephanus docebat eſſe jam abolitam, & extinctam per Chriſtum, qui erat filius Dei, & major Moyſe, *Et in Deum.* Injurioſum illis videbatur affirmare Ieſum eſſe Filium Dei naturalem, ac verum Deum, quem ipſi falſiſſimè purum hominem reputabant.

90. Verſ. 12. *Commoverunt itaque plebem.* Syriacus: *Concitaverunt que.* Æthiopicus: *Et exorti ſunt, & conſociaverunt contra eum.* Arabicus: *Et abripuerunt ſecum populum*, nempe Communem plebem. *Et ſeniores*, graviores, qui erant in populo, & qui eorum partialitate, ac factione erant. *Et ſcribas*, legis Doctores. De Sacerdotibus nulla fit mentio; quia cum ipſi eſſent præcipui in Concilio, maximè cum de re Religionis agebatur, doloſè, & abſconditè commovebant populum, ac alios, ut ſic apparenter tamquam judices integerrimi viderentur, & fortius agerent contra Stephanum, & quia, ut notat Cajetanus, hæc non ſunt facta unico tempore.

Syriac. Æthyop Arabic.

Caiet.

91. *Rapuerunt eum, & adduxerunt in Concilium.* Syriacus: *Adduxerunt in medium Synagogæ.* D. Chryſoſt. *Invadentes corripuerunt eum.* Æthiopic. *Traxerunt ad Concilium.* Quæ omnia verba indicant, ut notat Lyranus, quod eum rapuerunt, ac traxerunt vi, & furore, non vero ratione.

Syriac. D. Chryſoſt. Æthiop. Lyranus.

92. Verſ. 13. *Statuerunt falſos teſtes, qui dicerent homo iſte.* Ex odio, ac contemptu eum proprio nomine non dicunt. *Non ceſſat loqui.* Lyran. *Non ſolum ut blaſphemus, ſed etiam ut blaſphemia aſſuetus.* Textus: *Verba.* Arabicus: *Sermones commentitos.* S. Gregor. Nyſſenus: *Verba contumelioſa.* Textus.: *Adverſus locum Sanctum, & legem.* Syriacus: *Contra hunc locum ſacroſanctum, Templum intelligunt, & legem:* & in hoc falſo dixerunt quia Matth. 5. num. 17. ut ait Chriſtus: *Non veni ſolvere legem, ſed implere*, eamque perficere.

Lyran. D. Greg. Nyſſen. Arabic. Syriac Matth. 5

93. Verſ. 14. *Audivimus eum, &c. Quoniam Ieſus Nazaranus deſtruet locum iſtum, & mutabit traditiones.* Syriacus: *Mutaturum ritus.* Arabicus: *Demolietur locum iſtum, & mutabit inſtituta.* Æthiopic. *Solvet legem noſtram.* Pagnin. *Mutabit conſuetudines*; & in hoc falſum dixerunt; nam D. Stephanus ſemper locutus eſt ſermone cohærente ad Chriſti verba; Chriſtus autem non dixit, quod ipſe deſtrueret civitatem, ſed quod illud erat faciendum à ſuis inimicis, nempe Romanis: *Inimici tui circundabunt te, & proſternent te*, Luc. 19. n. 44. de quo quæſtione 13.

Syriac. Arabic. Æthyop Pagnin.

Luc. 19.

QVÆSTIO XII.

Quare numerus testium, qui surrexerunt contra D. Stephanum non exprimitur, nec declaratur?

94. INsurrexerunt contra D. Stephanum in disputatione ex toto fere orbe, ut jam dixi, Libertini, Cyrenenses, Alexandrini, & illi qui erant à Cilicia, Asia, ita in magno numero, ut non valerent numerari præ eorum magna multitudine quot, & quanti erant ex qualitate nationum, ita tot, tantique fuerunt contra Stephanum falsi testes, ut omnem excederent numerum; nam cum illi essent devicti in disputatione, non possentque ejus sapientiæ resistere, tamquam ad arma confugientes manus injecerunt in Stephanum magna cum multitudine testificantium Stephanum blasphemum contra legem, ac locum sanctum, & sic multitudinem testium cum multitudine disputantium componit Oecumenius, & sic ait: *Quemadmodum per unos est disputatio, ita & per alios est accusatio, & forma dolos texentium, & deploratorum*, & quando in iniquorum Concilio multa depravatorum turba aderat, consequens erat, ut multi falsi testes in unum confluerent.

Malum Concilii malis repletur ministris.

Oecum.

95. Cum Judæorum Principes, & Seniores convenissent, ut Jesum morti traderent: *Multi falsum testimonium dicebant adversus eum, & convenientia testimonia non erant.* Marc. 14. num. 56. Et quomodo ad magnorum virorum Concilium, qui, maxime de Religione tractabant, audent falsi testes accedere rigidam legis pœnam non metuentes? Iudices illi in Concilio erant pessimi ac sceleratissimi, inde sequebatur, quod eorum tribunal esset plenum falsis testibus, ac omni iniquitate; majorum enim perversitas omnes sceleratos ad se convocat. Victor. Antioch. ibi sic ait: *Illorum confessus nihil erat aliud prorsus, quàm pestilentium hominum cœtus; nec enim testimonia, quæ à submissis testibus adversus Jesum afferebantur, convenientia, hoc est veritati consona non erant; nam ut illorum Concilium erat profanum, utpote ex profanis, & sceleratis impostoribus conflatum: ita nihil non est hic profanis turbis, & tumultibus erat plenum.* Expende *Concilium ex profanis*, quod inde ex profanis turbis, & temulentis erat plenum.

Marc. 14

Victor. Antioch.

Iudices iniqui falsos ac iniquos secum habent.

96. Ad auferendam, & surripiendam vineam Naboth scripsit Iesabel. *epistolam ad maiores natu, & optimates, qui erant in civitate*, hoc ait Abulensis ibi quæst. 4. ad eos: *qui tenebant regimen civitatis*, qui faciebant ejus Concilium, & civitatem gubernabant: Summa autem epistolarum erat: *Submitte duos filios Belial contra eum* scilicet Naboth, & *falsum testimonium dicant* 3. Rex. 21. n. 10. quod exactè, *fecerunt cives eius, maiores natu, & optimates*, ad perquirendos testes falsos, nulli alteri Iesabel negotium committet, nisi ad seniores, ac optimates, qui erant de regimine, & Concilio magno civitatis. Hi cum essent pessimi, perversi, ac maligni sine dubio similes ministros habuere plenos omni malitia, nequitia, ac falsitate.

Abulens.

3. Reg. 21

Cum iniquis quos iniquorum Concilia.

97. Secundo D. Chrysost. eleganter ait: *Quoniam & legis cognitione superior erat Stephanus, illisque intolerabilis, falsosque testes constituunt.* Totus orbis cum falsis testibus conglomeratus irruit contra unum Stephanum; & inde adversus eum tanta exorta est tempestas: *Quoniam legis cognitione superior erat.* Unde Spiritu seductionis, ac deceptionis falsos requirunt testes, atque contra eum opponunt.

D. Chrysost.

Stephanus illis superior contra unum omnes.

98. De Christo Domino ait David Psalm. 68. num. 3. *Tempestas demersit me* quisnam extitit ventus, qui tam rigidam excitavit adversus meum Iesum tempestatem? Proculdubio fuit ille ventus, Spiritus mendacis, & seductionis, quo fuere commoti Iudæorum Principes, & videntes Christi mirabilia, cùm non haberent, quod contra eum opponerent, in iram æstus cœperunt insævire. Rupertus lib. 1. in Ionam ait: *Quis ille ventus fuit, qui turbas Iudæorum, quasi mare turbavit, nisi Spiritus seductionis, qui illos in odium Domini nostri concitavit; ille intus eos perflavit, ut adversus eum fremerent.*

Psal. 68.

Tempestas ex Spiritu seductionis.

Tempestas ira ipsius.

QUÆSTIO XIII.

Quare isti dicuntur falsi testes, cum multa vera dixissent?

99. ADducti falsi testes clamant, & dicunt: *Homo iste non cessat loqui verba adversus locum sanctum, & legem, audivimus eum dicentem: Quoniam Iesus Nazarenus hic destruet locum istum, & mutabis traditiones, quas tradidit nobis Moyses.* Ecce Textus, de cuius literali sensu jam egi in expositione. Nunc vero summa testimonii hæc est; Stephanus dixit quod lex Mosaïca suis cum traditionibus in Evangelium sit transitura, Iudaismus in Christianismum, Moyses in Christum verum Messiam, verumque Dei Filium naturalem, hæc sane vera sunt, & ut credimus sæpe ab Stephano Christum prædicante inculcata sunt. *Quomodo ergo*, ait Oecumenius in præsenti, *hi suppositiij, falsique testes;*

Difficultas quæstionis.

100. Recte respondet ipse Oecumenius: *Quia non ut audierant ita narrabant, sed alio quidem modo audierant; nunc vero ipsi alio modo proferebant, merito itaque falsi testes proferuntur.* Tam pura, sincera, ac simplex est veritas, quod minima discrepantia jam veritas non est, sed in falsitatem pertransit, testes substantiam rei integram, inviolatamque servantes, rei modum adulterant, inde à veritate decidunt, & falsi testes dicuntur; sic prosequitur citatus Oecumenius: dicens: *Quemadmodum enim de Christo, quod posset Templum dissolvere, falsum fuit testimonium (neque enim Christus dixerat, solvam, sed solvite, ad illos, non ad se referens solutionem) ita, & nunc mendaces sunt, qui Stephanum aiunt legis, ac loci demolitionem Nazareno tribuere: quodque vir Nazarenus suis videlicet manibus faceret, & non Deus per Romanos exercitus: Moysi vero instituta manifestè Deus per discipulos suos, & Apostolos commutavit.* Ierosolymitanum excidium Deus fecit per Romanos; & Moysaïcæ legis commutationem per suos Apostolos exequi fecit, ut umbra in solidam veritatem transiret: hi autem testes, ut ansam accusationis haberent æquivocis verbis malitiosè usi sunt, magisque innuunt, quod Christus suis manibus, & suis verbis, urbem, atque legem dissipabit, unde veritatem sic adulterantes testes falsi effecti sunt.

Veritas ex modo dicendi deperditur.

Oecum.

Ioan.

101. Ait Sapiens Proverb. 12. num. 19. *Labium veritatis firmum erit, qui autem testis est repentinus concinnat linguam mendacij.* Tigurina *verax labium firmum est semper; mendax verò lingua in momento variat.* Magnum est discrimen inter veritatem, & mendacium; veritas enim semper, ac constans persistit, in adæquatione, ac conformitate cum ipsa re. Lyranus ait: *Labium veritatis non variatur de uno in quitur. aliud*, at mendax in momento variat addendo, vel subtrahendo, in nulloque certo, ac determinato puncto persistit; cujus rei optimam assignat rationem Rabbi Salomon, & ait: *Labium verax solida basi nititur, atque ad æternitatem durabit, testis fallax*

Prov. 12.

Veritas uno labio loquitur.

verò temporis momento, brevique durabit, nec ullum progreſſum faciet, cum, ut aiunt, mendacia pedibus trunca ſint; veritas perſiſtit, mendacium per ſe ipſum corruit.

102. Pſal. 61 Hebr. 1. Ait Regius Vates Pſalm. 61. num. 12. *Semel locutus eſt Deus.* Apoſtolus Paulus Hebræor. 1. num. 1. *Multifarie, multiſque modis olim Deus loquens Patribus noſtris*, ex quo magna exoritur quæſtio apud ſanctos Patres D. Chryſoſt. Auguſt. Dionyſium, quomodo hæc cohæreant inter ſe; ſi enim ſemel locutus eſt, quomodo *multifarie, multiſque modis*? Illud *ſemel loquutus eſt Deus* explicat D. Hieronym. *Vnum locutus eſt Deus.* Theodoretus: *Conſtanter locutus.* Deus cùm ſit ſumma veritas, quamvis multa locutus ſit, ſic tamen inter ſe ſunt connexa, cohærentia ac invariata; ut non tamquam plura, ſed ut unum quid reputentur D. Hilarius ait: *Quæ ſunt cognata neceſſe eſt ea ſibi eſſe connexa.* Ad quod ſpectat id quod dicitur de ſponſa multa loquente in Cantic. 4. numero quarto. *Eloquium tuum dulce*: multa ejus verba *unum eloquium* dicit, ob multam ejus cohærentiam, & conformitatem.

D. Chryſoſt. D. Auſt. Dionyſ. D. Hier. Theod. *Omnia Dei verba unũ.* D. Hilar. Cant. 4.

Actor. 6. num. 15. Et intuentes eum omnes, qui ſedebant in Concilio, viderunt faciem ejus, tamquam faciem Angeli.

Verſiones

CVM EXPOSITIONE VI.

103. Syrus. Arabic. Syriac. Verſ. 15. *Intuentes eum*, Syriacus *Intuiti ſunt eum.* Arabicus: *Intuens autem eum congregatio.* Ob novum ſplendorem relucentem in facie ejus. *Viderunt faciem ejus*, Syriacus: *Conſpicati ſunt vultum ejus*: tamquam faciem Angeli, ex quadam pulchritudine, ac claritate divinitus data ad declarationem ſuæ ſanctitatis, puritatis, ac luminis ſuæ doctrinæ juxta illud Chriſti Domini: *Vos eſtis lux Mundi*: Ut ita Stephanus magis mirabilis videretur, & ſic ipſi à ſua malitia retraherentur, & eum libentius audirent.

QUÆSTIO XIV.

Quare facies Divi Stephani tamquam Angeli reſplendebat.

104. *Lux Stephani ut Sol.* Gloſſ. Hugo. D. Aug. D. Niſſen. DIvus Stephanus eleganti, & pulchra facie erat, ſed hæc nova claritas, novuſque ſplendor ei additus eſt: ita omnes Gloſſæ, & Hugo D. Auguſt. ſerm. 99. de Diverſis ait: *Faciem Stephani radiaſſe inſtar ſolis.* D. Niſſenus oratione de S. Stephano ait: *Angelicum decorem, & mutationem faciei in Angelicam formatam habuiſſe.* Unde illi tantus, ſplendor ac lux inquirendum.

105. D. Aug. Tertull. D. Chryſoſt. Beda. Carthuſ. Primo D. Auguſt. ſerm. de Sanctis, Tertullian. lib. de Reſurrect. cap. 55. in præſenti D. Chryſoſtomus, Beda, Carthuſianus, Damianus citandus faciunt comparationem de vultu Stephani reſplendente cum facie Moyſis radiante. Contulit Deus Beato Stephano ſplendorem, ac radios corporis glorioſi, quales tribuit Moyſi, inter utramque tamen magna erat differentia; nam in lucem à vultu Moïſis *non poterant filij Iſrael intendere.* 2. Corinth. 3. num. 13. at in lucem à vultu Stephani erant omnes intendentes, & intuentes: Lux Moyſis utpote legis veteris erat imperfecta, & caligniosa, quæ excæcabat, & percutiebat oculos, ideoque non poterant filii Iſrael in eam intendere: at lux Stephani erat à lege Evangelica, quæ ut valde perfecta, acuebat viſum, & illuminabat, juxta verba Chriſti D. *Vos eſtis lux mundi*, & ideo omnes erant intendentes, & intuentes in faciem Stephani.

2. Cor. 3. *Lux antiquæ excæcabat, Evangelica illuminat.*

Secundo D. Auguſt. lib. 15. de S. Stephano ſic ait: *Adapertis Cœlis aſpectus mutatus eſt confeſſoris, & cœpit tamquam Sol illuſtratus juſtitia ita ſplendeſcere, ut humanam ſpeciem non haberet: ipſis patentibus Cœlis, ipſis teſtantibus inimicis. Nam ſtabat in medio luporum, & erat facies ejus tamquam facies Angeli.* Stephanus homo luteus, & carneus cum ſtaret in medio luporum, ac inimicorum cum Cœlis apertis è regione contemplaretur Jeſum, & ex radiis ſuæ majeſtatis in eum reverberatis, ſic cœpit ſplendeſcere, ut non homo, ſed Angelus videretur. 106. D. Aug. *Ex radiis Chriſti Stephanus apparet Angelus*

De Joanne Baptiſta ait Chriſtus D. Matthæi 11. numer. 10. *Hic eſt enim, de quo ſcriptum eſt: Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem meam, & præparabit viam tuam ante te.* Omnes Prophetæ, qui venerunt ante Chriſtum ad præparandam viam ejus ſunt miſſi, cur ſolus Baptiſta Angelus eſt appellatus? D. Chryſoſt. in Imperfect. homil. 27. in Matth. ait: *Quomodo de ſolo Ioanne, quaſi de gratia ſingulari eſt judicium: Ecce mitto Angelum meum ante faciem tuam? Omnes quidem Prophetæ ante faciem Chriſti tranſmiſſi ſunt, ſolus autem Ioannes ſic miſſus eſt ante faciem Chriſti, ut pene cum ipſo Chriſto veniret.* Ex intima approximatione cum Chriſto præ cæteris tamquam ex ejus radiis verberatis, habuit, ut non homo, ſed Angelus videretur, ſic & Stephanus ex peculiari aſſiſtentia, ac viſione Chriſti ex ejus ſplendore præ omnibus habuit, ut Angelus appareret. 107. Matth. 11. *Ioannes Angelus ex Chriſti radiis.*

Tertio D. Stephanus plenus erat Spiritu Sancto, ut dicitur ſupra num. 5. & cap. 7. in fine, & tamen ſolum in ſe oſtentat faciem Angeli, quod pulchre notavit D. Hilarius Arelaten. ſerm. de S. Stephano, & ait: *Abſcondita pectoris ornamenta ſpeculum frontis irradiant habens in ſe Spiritum Sanctum, os per ſe geſtat Angelicum.* Sic D. Stephanus nitebatur plenitudinem D. Spiritus, quam in ſe intrinſecus habebat abſcondere, ut extrinſecus non Deus, ſed Angelus appareret; hoc eſt cœleſte ingenium majora abſcondere, minora oſtendere. De illis antiquis ſanctis ait Paulus Hebræor. 11. num. 37. *Circumierunt in melotis in pellibus caprinis egentes, anguſtiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus, in ſolitudinibus errantes.* Utebantur melotis pellibus caprinis per ſolitudines, ac deſerta, nam ut notat D. Ephrem in Confeſſ. ac reprehenſ. ſui ipſius: *In civitatibus habitum mutabant; neque enim ſcire volebant quidnam ipſi agerent.* 108. D. Hilar. Arelat. *Magna virtus ſe abſcondit, & non manifeſtat.* D. Eph.

Quarto & maximè ponderandum, quod Stephanus inter falſos teſtes eum accuſantes, inter voces iniquorum clamantium, inter judices depravatos plenos odio, ac invidia, etiam ipſe ſtabat, non torvo, ac terribili vultu, ſed placida, ſuavique facie, velut Angeli, pro quo audiendus eſt Euſebius Gallican. ſerm. de S. Stephano, & ait: *Aſpectu Angeli facies impiorum cæduntur, & lapidantium conſcientia, lapidati lumine percuſſæ agnitionis cereis lapidantur.* Inter illa tot, & tanta adverſa facies Stephani relucebat, ac reſplendebat tamquam facies Angeli, ut ille velut cereis accenſis illuminati, agnita veritate, à ſua iniquitate, ac perverſitate deſiſterent. 109. *Reſplendet ut ſuos illuminet adverſarios.*

Quinto, & in confirmatione ſuperioris rationis; facies Moyſis, & Stephani radiabant lumine, ſed ut Moyſes loqueretur ad populum *ponebat velamen ſuper faciem ſuam.* Exod. 24. num. 3. at Stephanus differens in Concilio nullum tale appoſuit operimentum, quod egregie ponderat D. Auguſt. ſerm. 6. de ſancto Stephano, & ait: *Moyſis veſte, quando velamentum poſuit contra ſanctam faciem ſuam, nolebat videre criminoſam faciem noſtram; Stephanus* 110. Exod. 34 D. Aug.

vero

A Ieſu meruit beneficētiā etiā in hoſtes.

vero revelata facie ſua ſpeculabatur in Cœlum gloriam Filii Dei, ideo videbant vultum eius Iudæi, tamquam vultum Angeli Dei. Moyſes non reſplendebat ex Ieſu, & ideo nec videre, nec videri permittebat ab infenſis Iudæis; at Stephani ſplendor totus dimanabat à Ieſu, & ideo neminem excludebat, imo crudeliſſimos, impiiſſimoſque hoſtes admittebat, atque in eos ſuam infundebat lucem.

111. Sexto: Reſplendeſcere tamquam Angeli proprium eſt corporis glorioſi poſt reſurrectionem iuxta illud Christi Domini Matth. 22. num. 30. *In reſurrectione non nubent, neque nubentur, ſed erunt quaſi Angeli Dei.* Sancti poſt reſurrectionem in ipſa gloria beatitudinis apparent tamquam Angeli Dei, Stephanus exiſtens mortalis in terra tanta eminebat ſanctitate, & fulgore, ut tamquam Beatus in corpore glorioſo fulgeret uti Angelus Dei in Cœlo. D. Fulgent. in ſerm. de S. Stephano ait: *Beatus qui in ipſa colluctatione pugnantis iam præfert ſpeciem reſurgentis ſplendore, Angeli enim Deus ſanctificatum circumfudit aſpectu.* Exiſtens in terra ſanctificatum Beatorum Cœli habet aſpectum; Imo & altius Tertullian. lib. de reſurrect. carnis cap. 55. ait: *Stephanum inſtar Chriſti in transfiguratione Angelicum faſtigium induiſſe; ne dicam tranſcendiſſe*, intelligendum in externa apparentia.

Matth. 22

Stephanus in terra iā fulget ut Beatus in Cœlo. D. Fulg.

Tertull.

112. Septimo: Stephanus modo in Concilio magnum, & amplum habuit ſermonem plenum altiſſimis myſteriis, quo non ſolum ſua voce illuminavit præſentes, ſed etiam nunc ſcripto abſentes. De Doctoribus ait Daniel 3. numer. 12. *Qui docti fuerint fulgebunt quaſi ſplendor firmamenti, & quaſi Stellæ in perpetuas aternitates.* Stephanus autem non fulgebat, ut ſplendor firmamenti, vel Stella Cœli, ſed ut quid ſuperius, ac ſupernaturale luce Divini Spiritus, qua erat plenus, quæ in eius vultu apparebat, ac ſi eſſet Angelus à Deo miſſus, ut alta, & ſupernaturalia denuntiaret, & ut ſtantes faceret ſibi attentos.

Daniel 2.

Stephanus Angelus ad annuntiandum.

113. Octavo D. Fulgentius in proprio ſermone ait: *Abundantia cordis tranſit in decus oris, in exterioris gloriam candor interioris redundat, habens intra ſe Spiritum Sanctum os per ſe geſtat Angelicum.* Puritas, & ſanctitas Stephani in interiori non erat hominis, ſed Angeli, inde vultus eius in exteriori non apparebat hominis, ſed Angeli, interna puritas erat Angelica, ſic & externa facies, quod ſatis eleganter dixit Euſebius Emiſſenus homil. de S. Stephano ubi ſic ait: *Abundantia cordis tranſit in corporis decus, in exterioris gloriam candor interioris exundat; & abſcondita pectoris ornamenta ſpeculum frontis irradiant*; habens intra ſe Spiritum Sanctum, os præ ſe geſtat Angelicum.

Interna virtus redūdat in exteriorem corporis.

D. Fulg.

Emiſſen.

114. De fortiſſimo Davide ait Textus 1. Reg. 16. num. 12. *Erat autem adoleſcens rufus, & pulcher aſpectu*, Theodoretus legit: *Rufus pulchritudine oculorum.* Cum David eſſet elegantiſſima facie, cur præ cæteris pulchritudo oculorum eius decantatur? quid habuerunt oculi, ut inſigniter eorum decor tantum extollatur? Dicebat ipſe Pſalm. 24. num. 15. *Oculi mei ſemper ad Dominum.* Cum interni oculi ſemper eſſent defixi in meditatione, ac contemplatione Divinæ bonitatis, eiuſque magnitudine, inde ex tanto ſuo decore novum quendam pulchertimum ſplendorem in externos oculos exundarunt. Theodoret. quæſtione 40. ſic ait: *Et ipſe erat Rufus cum pulchritudine oculorum: Imitabantur enim animi oculos oculi corporis; illi enim acute cernebant, & contemplabantur eum, qui non cadit ſub aſpectu.*

1 Reg. 16

Pſal. 24

Pulchritudo interna redundat in externam.

Theod.

115. Internus animus ſemper proditur, & manifeſtatur in facie: Ob furatam benedictionem Eſau per induſtriam Iacob ait Textus: *oderat ergo ſemper Eſau Iacob pro benedictione, qua benedixit ei Pater: dixitque in corde ſuo: venient dies luctus Patris mei, & occidam Iacob fratrem meum* Geneſ. 27. num. 41. Ille dixit in corde ſuo, & ſubdit textus: Nuntiata ſunt hæc Rebeccæ; ſi dixit in corde ſuo, quomodo fuerunt aliqui; qui hoc nuntiarunt matri? unde hoc cognoverunt venenum? Quod latebat in corde in faciem reſundavit torvo, & minaci vultu. Acacius in Catena Græca, Diodorus, & inquiunt: *Quamquam hoc ſecum facinus ſæpe volutans Eſau non potuit ſuam non prodere mentem, ita ut ex coniectura facile quis matri renuntiari potuerit.*

Gen 27.

Odium animi foras prodit Acacius. Diodor.

QUÆSTIO XV.

Quare fulgēie Stephani facie iniquitas aſtantium in Concilio non refrænatur, ac miteſcit?

116. DE qua multum, & optimo iure miratur Cardinalis Petrus Damianus ſerm. de S. Stephano ubi ſic ait: *Mirum quia non revocabantur inſueti novitate miraculi, quod luminoſa Protho martyris facies non refranet inſanos. Videbant, inquit, faciem eius tamquam vultus Angeli ſtantis inter illos.* Hoc valde mirum, & inuſitatum erat, maximè oſtendens hominum inſaniam, qui videntes Stephani faciem relucentem, à tanta luce non illuminantur illorum animi, ut à ſua tenebroſa inſania deſiſtant.

Damian.

Nequitia nullo quieſcit miraculo.

117. Aſtant cuſtodes ad ſepulchrum facto magno terræmotu reſurgit Chriſtus, milites veniunt in civitatem, auroque corrupti veritatem abſcondunt, dicuntque, quod *Ipſis dormientibus venerunt diſcipuli eius, & furati ſunt eum.* Matth. 28. num. 23. Chriſtus reſurrexit corpore glorioſo mirabiliter radiante, maximo fulgore, admirabilique luminum ſplendore ad cuius conſpectum, cætera huius ſæculi lumina, ut valde exigua diſparent, & tamen militum animi ſic ab avaritia ſunt obcæcati, & ut ait D. Auguſt. in Pſalm. 63. *Avaritia captivavit militem cuſtodem ſepulchri*, ita eorum animi perverſa, ac caliginoſa malitia erant obtenebrati, ut à toto fulgore, quo totus illuminabatur orbis, ipſi in ſua perverſitate, ac tenebroſitate depreſſi remanerent, dicentes: *Nobis dormientibus venerunt diſcipuli eius, & furati ſunt eum.*

Matth. 28

Animus malitia obſcuratus nullā illuminatur luce.

D. Aug.

118. Magnis, ac præclariſſimis donis reſplenduit Daniel in Babylonia ſomnia, & viſiones inexplicabiles aperuit, ac expoſuit Nabucodonoſori, ac Balthazari, ſcripturas Dario declaravit, & tandem inſtantibus eius accuſatoribus in Leonum lacum miſſus eſt, unde illæſus exivit, ipſis ſuis criminatoribus iniectis in momento à Leonibus devorati ſunt. Daniel. 6. n. 16. & 24. Poſtea rebus decurrentibus, cum Babylonici adorarent quendam draconem tamquam Deum, ipſū Daniel interfecit, ut tantam ab hominum mente aboleret perverſitatem, Draconis Sacerdotes indignati Danielem ad leonum lacum expoſcunt, tamque inſtanter, ut Regi dicant: *Trade nobis Danielem, alioquin interficiemus te, & domum tuam.* Daniel. 14. n. 28. & ita Daniel damnatus eſt ad lacum leonum: Omni ſane, admiratione, & expenſione digniſſimum? Cur iſti Sacerdotes non recogitant Danielis mirabilia, & quomodo iam Daniel à lacu leonum ſemel abſque ulla læſione ſuperſtes prodiit, & quod eius poſtulatores in momento cum ſuis filiis, ac uxoribus deglutiti ſunt à leonibus, cur igitur non timent, quod ita ſimiliter eveniat in præſenti? Ita erant malitiâ, ac propriâ nequitiâ, & odio obcæcati, ut Danielis magnalia eis è memoria exciderint, & nullum ſuum eminens periculum præcaverent. Vide tom. 6. in Evangel. cap. 27. Matth. q. 5.

Daniel. 6

Dan. 14

Nequitia nec aliena dona recogitat, nec proprium periculum timet.

CAPUT VII

1. *Dixit autem Princeps Sacerdotum : ſi hæc ita ſe habent ?*
2. *Qui ait : viri fratres, & patres audite : Deus gloriæ apparuit Patri noſtro Abrahæ cum eſſet in Meſopotamia, priuſquam moraretur in Charan.*
3. *Et dixit ad illum : Exi de terra tua, & de cognatione tua, & veni in terram, quam monſtravero tibi.*
4. *Tunc exiit de terra Chaldæorum, & habitavit in Charan. Et inde poſtquam mortuus eſt pater ejus, tranſtulit illum in terram iſtam, in qua nunc vos habitatis.*
5. *Et non dedit illi hæreditatem in ea, nec paſſum pedis, ſed repromiſit dare illè eam in poſſeſſionem, & ſemini eius poſt ipſum, cum non haberet filium.*
6. *Locutus eſt autem ei Deus : Quia erit ſemen eius accola in terra aliena, & ſervituti eos ſubjicient, & male tractabunt eos annis quadringentis.*
7. *Et gentem, cui ſervierint, iudicabo ego, dixit Dominus, & poſt hæc exibunt, & ſervient mihi in loco iſto.*
8. *Et dedit illi teſtamentum circumciſionis : & ſic genuit Iſaac, & circuncidit eum die octavo : & Iſaac, Iacob, & Iacob, duodecim Patriarchas.*
9. *Et Patriarchæ emulantes, Ioſeph vendiderunt in Ægyptum, & erat Deus cum eo.*
10. *Et eripuit eum ex omnibus tribulationibus eius, & dedit ei gratiam, & ſapientiam in conſpectu Pharaonis Regis Ægypti ; & conſtituit eum præpoſitum ſuper Ægyptum, & ſuper omnem domum ſuam.*
11. *Venit autem fames in univerſam Ægyptum, & Chanaan, & tribulatio magna ; & non inveniebant cibos Patres noſtri.*
12. *Cum audiſſet autem Iacob eſſe frumentum in Ægypto : miſit patres noſtros primum.*
13. *Et in ſecundo cognitus eſt Ioſeph à fratribus ſuis, & manifeſtatum eſt Pharaoni genus eius.*
14. *Mittens autem Ioſeph accerſivit Iacob Patrem ſuum, & omnem cognationem ſuam in animabus ſeptuaginta quinque.*
15. *Et deſcendit Iacob in Ægyptum, & defunctus eſt ipſe, & Patres noſtri.*
16. *Et translati ſunt in Sichem, & poſiti ſunt in ſepulchro, quod emit Abraham pretio argenti à filiis Hemor filii Sichem.*
17. *Cum autem appropinquaret tempus promiſſionis, quam confeſſus erat Deus Abrahæ, crevit populus, & multiplicatus eſt in Ægypto,*
18. *Quoadusque ſurrexit alius Rex in Ægypto, qui non ſciebat Ioſeph.*
19. *Hic circumveniens genus noſtrum afflixit patres noſtros, ut exponerent infantes ſuos, ne vivificarentur.*
20. *Eodem tempore natus eſt Moyſes, & fuit gratus Deo, qui nutritus eſt tribus menſibus in domo patris ſui.*
21. *Expoſito autem illo, ſuſtulit eum filia Pharaonis, & nutrivit eum ſibi in filium.*
22. *Et eruditus eſt Moyſes omni ſapientia Ægyptiorum, & erat potens in verbis, & in operibus ſuis.*
23. *Cum autem impleretur ei quadraginta annorum tempus, aſcendit in cor ejus, ut viſitaret fratres ſuos filios Iſrael*
24. *Et cum vidiſſet quendam injuriam patientem, vindicavit illum : & fecit ultionem ei, qui injuriam ſuſtinebat, percuſſo Ægyptio.*
25. *Exiſtimabat autem intelligere fratres, quoniam Deus per manum ipſius daret ſalutem illis ; at illi non intellexerunt.*
26. *Sequenti vero die apparuit illis litigantibus, & reconciliabat eos in pace, dicens : Viri fratres eſtis, ut quid nocetis alterutrum.*
27. *Qui autem injuriam faciebat proximo, repulit eum dicens : Quis te conſtituit principem, & judicem ſuper nos ?*
28. *Nunquid interficere me tu vis, quemadmodum interfeciſti heri Ægyptium?*
29. *Fugit autem Moyſes in verbo iſto, & factus eſt advena in terra Madian, ubi generavit filios duos.*
30. *Et expletis annis quadraginta apparuit illi in deſerto montis Sina Angelus in igne flammæ rubi.*
31. *Moyſes autem videns, admiratus eſt viſum, & accidente illo ut conſideraret, facta eſt ad eum vox Domini, dicens.*
32. *Ego ſum Deus Patrum tuorum, Deus Abraham, Deus Iſaac, & Deus Iacob. Tremefactus autem Moyſes, non audebat conſiderare.*
33. *Dixit autem illi Dominus : ſolve calceamentum pedum tuorum : locus enim, in quo ſtas, terra ſancta eſt.*
34. *Videns vidi afflictionem populi mei, qui eſt in Ægypto, & gemitum eorum audivi, & deſcendi liberare eos. Et nunc veni, & mittam te in Ægyptum.*
35. *Hunc Moyſen, quem negaverunt dicentes : Quis te conſtituit principem, & Iudicem ? hunc Deus principem, & redemptorem miſit, cum manu Angeli, qui apparuit illi in rubo.*
36. *Hic eduxit illos faciens prodigia, & ſigna in terra Ægypti ; & in rubro mari, & in deſerto annis quadraginta.*
37. *Hic eſt Moyſes, qui dixit filiis Iſrael : Prophetam ſuſcitabit vobis Deus de fratribus veſtris, tamquam me ipſum audietis.*
38. *Hic eſt, qui fuit in Eccleſia in ſolitudine cum Angelo, qui loquebatur ei in monte Sina, & cum patribus noſtris, qui accepit verba vitæ dare nobis.*
39. *Cui noluerunt obedire Patres noſtri, ſed repulerunt, & averſi ſunt cordibus ſuis in Ægyptum.*
40. *Dicentes ad Aaron : Fac nobis Deos, qui præcedant nos : Moyſes enim hic, qui eduxit nos de terra Ægypti neſcimus quid factum ſit ei.*
41. *Et vitulum fecerunt in diebus illis, & obtulerunt hoſtiam ſimulachro, & lætabantur in operibus manuum ſuarum.*
42. *Convertit autem Deus, & tradidit eos ſervire militiæ Cœli, ſicut ſcriptum eſt in libro Prophetarum : Nunquid victimas, & hoſtias obtuliſtis mihi annis quadraginta in deſerto domus Iſrael ?*
43. *Et ſuſcepiſtis tabernaculum Moloch, & Sydus Dei veſtri Rempham, figuras, quas feciſtis, adorare eas. Et transferam vos trans Babylonem.*
44. *Tabernaculum teſtimonii fuit cum Patribus noſtris in deſerto, ſicut diſpoſuit illis Deus, loquens ad Moyſen, ut faceret illud ſecundum formam, quam viderat.*
45. *Quod & induxerunt ſuſcipientes Patres noſtri*

cum

cum Iesu in possessionem Gentium, quas expulit Deus à facie Patrum nostrorum usque in diebus David.

46. *Qui invenit gratiam ante Deum, & petiit, ut inveniret tabernaculem Deo Iacob.*

47. *Salomon autem ædificavit illi domum.*

48. *Sed non excelsus in manufactis habitat, sicut Propheta dicit:*

49. *Cœlum mihi sedes est, terra autem scabellum pedum meorum. Quam domum ædificabitis mihi, dicit Dominus, aut quis locus requietionis meæ est?*

50. *Nonne manus mea fecit hæc omnia?*

51. *Dura cervice, & incircumcisis cordibus, & auribus, vos semper Spiritui Sancto resistitis, sicut Patres vestri, ita & vos.*

52. *Quem Prophetarum non sunt persecuti Patres vestri, & occiderunt eos qui prænuntiabant de adventu justi, cujus vos nunc proditores, & homicidæ fuistis.*

53. *Quia accepistis legem in dispositione Angelorum, & non custodistis.*

54. *Audientes autem hæc dissecabantur cordibus suis, & stridebant dentibus in eum.*

55. *Cum autem esset plenus Spiritu Sancto, intendens in Cœlum, vidit gloriam Dei, & Iesum stantem à dextris Dei, & ait: Ecce video Cœlos apertos, & Filium hominis stantem à dextris Dei.*

56. *Exclamantes autem voce magna continuerunt aures suas, & impetum fecerunt unanimiter in eum.*

57. *Et ejicientes eum extra civitatem lapidabant: & testes deposuerunt vestimenta sua, secus pedes adolescentis, qui vocabatur Saulus.*

58. *Et lapidabant Stephanum invocantem, & dicentem: Domine Iesu suscipe Spiritum meum.*

59. *Positis autem genibus, clamavit voce magna dicens: Domine, ne statuas illis hoc peccatum. Et cum hoc dixisset obdormivit in Domino. Saulus autem erat consentiens necio ejus.*

ARGUMENTUM.

Atam, & peramplam concionem facit D. Stephanus magnis mysteriis plenam, omnia objecta contra se altissime refutat, ut patebit ex dicendis, ostenditque Dei beneficentiam in populum Israeliticum, illiusque summa in Deum ingratitudo, indeque D. Stephanus ejicitur extra civitatem ut lapidetur.

Actor. 7. *num.* 1. Dixit autem Princeps Sacerdotum: si hæc ita se habent.

Num. 2. Qui ait viri fratres, & Patres audite: Deus gloriæ apparuit Patri nostro Abrahæ cum esset in Mesopotamia, priusquam moraretur in Charan.

Num. 3. Et dixit ad illum: Exi de terra tua, & de cognatione tua, & veni in terram, quam monstravero tibi.

Num. 4. Tunc exiit de terra Chaldæorum, & habitavit in Charan, & inde postquam mortuus est pater eius transtulit illum in terrã istam, in qua nunc vos habitatis.

Versiones

CUM EXPOSITIONE I.

1. Alii codices. Interlin. Syriac. Arabic.

Vers. 1. *Dixit autem Princeps Sacerdotum.* Multi codices, & Glossa Interlinealis habent: *Dixit Stephano, si hæc ita se habent* Syriac. per interrogationem: *Interrogabant eum, num hæc ita se haberent.* Arabicus, *Vt hi commemorant*, scilicet falsi testes, qui quatuor, ut notat Lyranus, deposuerunt contra Stephanum, locutum fuisse contra Deum, Moysen, legem, & Templum. Quæ omnia efficaciter refutat Stephanus, nihil se contra Deum dixisse, cujus gloriam prædicat vers. 2. non contra Moysen, cuius magnalia refert, vers. 20. & deinceps; non contra legem, quam dicit esse datam per dispositionem Angelorum vers. 53. non contra Templum, quod recognoscit, ut tabernaculum testimonii vers. 44. Prædicat Stephanus Christum Iesum, quem prædixit Moyses, & mandavit omnibus obedire vers. 37. Ita non sum blasphæmus cum prædico Iesum Filium Dei, quem Moyses mandavit vobis obedire.

Lyran. D. Stephanus refutat objecta.

Vers. 2. *Qui ait: Viri fratres*: sic valde benevole dicit suos coævos, ac juniores: *Et Patres*, nempe seniores, coram quibus causam dico. *Deus gloriæ*, nempe glorioſissimus, quia sua gloria Patres nostros glorioſos effecit. *Apparuit Patri nostro Abrahæ* Novies locutus est Deus Abrahamo, & hæc extitit prima.

2. Novies Deus locutus est Abrahamo.

Cum esset in Mesopotamia. Syriacus, *Cum esset inter fluvios.* Arabicus: *Cum esset in Insula.* Æthyopicus *In medio fluviorum.* Videtur hic repugnantia, cùm dicitur, *in Mesopotamia.* Cùm Genes. 11. nu. 30. & 12. num, 1. Abrahamus dicitur eductus, ac vocatus ex Ur Chaldæorum, tamen Chaldæa continetur sub Mesopotamia late sumpta; Mesopotamia enim extenditur usque trans fluvium Euphratem, & terminus terræ promissæ est: *Ab ipso fluvio magno Euphrate usque ad Mare Occidentale.* Deuteronomii 11. num. 24.

3. Syriac. Arabic. Æthyop. Gen. 11. Gen. 12. Deut. 11.

Priusquam moraretur in Charan. Syriacus: *Priusquam veniſset habiturus in Charan.* Æthyop. *Priusquam se transtulisset in Charan.* Charan, sive Haran, sive, Charræ utroque modo dicitur, ut patet ex Lucano lib. 1. de bello Civili, extitit nobilissima Parthorum Urbs sita in finibus Mesopotamiæ versus terram Chanaan.

4. Syriac. Æthyop. Lucanus

Vers. 3. *Et dixit ad illum, exi de terra tua, & de cognatione tua.* Syriacus: *Ex filiis cognationis tuæ.* Arabicus: *De gente generis tui.* Illud vero, quod habetur Genes. 12. nu. 1. *de domo Patris tui*, omisit Stephanus, quia id valde notum erat, ait Hugo, his, quibus loquebatur, & ait: *Exi de terra tua*, nempe patria tua, quæ valde dulcis est homini: & cum ait: *Exi de terra tua*, non solum corpore, sed etiam animo, & sub terra; potest etiam intelligi aliquam possessionem, vel hæreditatem, quam ibi habebat Abrahamus: *De cognatione tua*, consanguineis, ac familiaribus, nisi, ut bene notat Caietanus in Genesim, aliquis ex eis vellet ire cum Abrahamo, ut fecerunt Thare ejus Pater, & consobrinus Loth.

5. Syriac. Arabic. Genes. 12. Caietan.

Et

6. *Et veni in terram, quam monſtravero tibi.* Syriacus: *Commonſtravero.* Arabicus: *Quam tibi oſtendam.* Summa obedientia neſciebat an iter eſſet longum, vel proximum. Carthuſianus exiſtimat Angelum ei fuiſſe ducem in via? neſciebat etiam, an terra, ad quam tendebat, eſſet ſterilis, fœcunda, ac bonæ conditionis, ut notant D. Chryſoſt. D. Auguſt Lyppomanus, & alii.

Syriac. Arabic. Carthuſ. D. Chryſoſt. D. Aug. Lyppomanus.

7. Verſ. 4. *Tunc exiit de terra Chaldæorum*, ex hoc aperte conſtat, quod Chaldæa intelligitur ſub Meſopotamia, in qua verſ. 2. dicitur quod habitabat Abrahamus. *Tunc exiit*: Perfecta obedientia ad Domini mandatum: *Tranſtulit illum in terram iſtam.* D. Auguſt. lib. 16. de Civit. cap. 16. legit *Collocavit.* Syrus *mutavit*, ſedem, nempe Abrahæ, ac habitationem ex Haran in Chanaan: *In quam eos nunc habitatis*: Non ait habitamus, quia, ut ait Gloſſa: Ipſe & Apoſtoli non habitant in terra, ſed tamquam degentes ſupra terram properabant in cœlum.

D. Aug. Syriac. Gloſſa.

QVÆSTIO I.

Quare Divus Stephanus loquens prius vocat fratres, poſtea patres, cum è contrario videbatur dicendum.

8. AIt Prothomartyr *Viri fratres, & Patres*? Per Patres itelligit majores, ut Pontifices, & Seniores; per fratres eos, qui minores erant, & tamquam de populo? communis tamen uſus, ac ſtylus benevolentiam captantium, ut reverentiam à majoribus poſtulent, indeque ad minores deveniant: at D. Stephanus mutato ſtylo ab inferioribus incipit, poſtremo majores commemorat; prius dicit fratres, deinde Patres commemorat.

Difficultas quæſtionis.

9. Per Patres intelligit majores, ut Pontifices, per fratres homines vulgares, ac de populo, inter quos erant ejus accuſatores, qui tamquam facto agmine, ipſum rapuerunt, & adduxerunt in Concilium, & teſtes falſi, ut dicitur ſuperiori cap..... verſ. 1. & 12 & grandia crimina contra eum depoſuerunt, & earum nequitia, ac perverſitate non eſt imminuta Stephani Charitas, ſed inde potius eſt ſtimulata, atque excitata, ut magis eos diligeret, magiſque honoraret, in majorique reverentia haberet, ut ab illis prius veniam poſtularet,

Singulari amor in inimicos.

10. Ait Regius Vates Pſalm. 34. numero decimotertio de dura perſecutione, quam patiebatur à Saule: *Ego autem cum mihi moleſti eſſent: induebar cilicio, humiliabam in jejunio animam meam; & oratio mea in ſinu meo convertetur.* Ni fallor, nullo alio loco video orationem tam fervidam Davidis, ut modo cum cilicio, jejunio, ac humilitate, & pro quibus tam vehementer deprecabatur; de illis, explicant D. Auguſtin. Noſter Incognit. Genebrard. & alii, *Qui ei erant moleſti*, ſeu, ut habet alia litera: Qui fremebant in eum. Ex tanta perſecutione, ac moleſtia non remittebatur Davidis charitas, ſed inde magis vehementi oratione ardebat, ut pro eis cilicio, jejunio, ac humilitate exoraret; *in ſinu meo* quod etiam erat in meum commodum, ac utilitatem ex tanta charitate proveniente.

Pſal. 34. D. Aug. Incogn. Genebr. Alia lectio.

11. Pergit David: *Quaſi proximum, & quaſi fratrem noſtrum ſic complacebam.* Caietanus: *Quaſi ſocium, quaſi fratrem.* Schola apud Bibliam maximam, *quaſi natum ex eadem matre*, Lyranus: *ſic complacebam in eorum proſperitate.* Tanta benevolentia, ac charitate erga ſuos adverſarios, qui de eorum malis triſtaretur, eorumque bonis jucundaretur, atque in eis maxime complacebat.

Caiet. Lyran.

QVÆSTIO II.

Quare D. Stephanus ſuos accuſatores, ac carnifices vocat fratres, ac Patres?

SUum magnum, & altum ſermonem incipit Stephanus, dicens: *Audite viri fratres, & Patres*, tam affabiliter orditur, ut eos benevolos auditores faciat; ſed quomodo ſuos accuſatores, teſtes falſos, judicesque iniquos, qui omnes anhelabant ad eius perditionem, & interitum, tam manſuete, ac benevole alloquitur? Quod recte ponderat Nicænus oratione de ipſo, & ait: *Illi quidem ad ſedem ſpectabant, & jam manus lapidibus armabant, obtutu, anhelatione, dentium colliſione ſævitiam præferentes, hic vero tamquam fratres aſpiciebat, & tamquam Patres ſalutabat: Vidi enim fratres, & Patres audite.* Et quam excellens fuerit hæc virtus, & quantum illâ promeruerit, ſic pergit citatus Nicænus: *Talis martyrij princeps erat, qui adverſus omnes inimici copias, ſeſe appoſuiſſet, adverſus omnes victoriâ clarus deſignatur.* Expende illud *talis martyrij Princeps erat*, quia tanta charitate, benevolentia, ac patientia Stephanus eminebat, inde in tantum ſublimatus eſt, ut inter tot illuſtriſſimorum martyrum millia primatum obtineret, princeps, ac anteſignanus eorum dux: *Talis martyris princeps erat.* Joſeph elevatus eſt à Pharaone, ut eſſet Princeps, ac præpoſitus ſuper omnes Ægyptios Geneſ. 41. num. 41 & conſequenter à fratribus eſt adoratus, de ipſo ait Hamerus ibi: *Ioſeph nec expoliatus tunica in ciſternam miſſus, & venditus à fratribus, captivus in Ægyptum in carcerem miſſus charitatem, ac pietatem non amiſit, ſed in vinculis cordis omnes retinebat*, ideoque omnium primus factus eſt.

Nicænus. *Cur Stephanus Princeps ac dux martyrum?* Gen. 41

Maxime tamen ponderandum venit, quod ſcilicet valde ſuaviter, leniterque loquatur Divus Stephanus, ut ponderat Divus Auguſtinus ſerm. tertio de Sancto Stephano capite primo: Audite fratres, & patres, & ait: *Quid lenius, quid clementius; blande locutus eſt, ut diu audiretur.* Poſtea magno rigore invehitur in eos numero 51. *Dura cervice, & incircumciſis cordibus.* Magnus, & præclarus præſul prius blande, ac benigne agit, ut eos alliciat, ac devincat, cum vero non proficit, ſed obſtinate perſiſtunt, tunc rigorem interponit, ut eos compeſcat: Oecumenius ſic ait: *Hactenus manſuete concionatus; nunc aſperè agit, quia videbat illos animum non advertere his, quæ dicebantur.*

13 D. Aug. *In prælatis benignitas cum rigore.*

Benedicens Iacob Filium ſuum Ioſeph ait illi: *Sedit in forti arcus eius, & diſſoluta ſunt vincula brachiorum, & manuum illius per manus potentis Iacob; I de paſtor egreſſus eſt lapis Iſrael.* Geneſ. 49. n. 24. ait in forti, quia extitit fortis in perſecutionibus fratrum, ac tentationibus impudicæ mulieris. *Diſſoluta ſunt vincula* Dei auxilio, quibus venditus, & captivus eſt. *In rem noſtram; Inde paſtor egreſſus eſt lapis Iſrael.* Quomodo hæc cohærent, Paſtor totus blandus, ac ſuavis, lapis durus rigidus, & aſperus. Ita ſane cum Ioſeph eſſet Prælatus talis erat lenis, & blandus in bonos, durus, & aſper in malos, & prius paſtor, deinde lapis, prius blandus poſtea durus. Divus Gregorius lib. 1. Regeſti epiſt. ubi ſic ait: Neceſſe eſt enim, ut prælatus, & bene agentibus ſit per humilitatem ſocius, & contra delinquentium vitia per zelum iuſtitiæ erectus quatenus, & bonis in ullo ſe præferat, & cum delinquentium culpa exigit, prioratus ſui poteſtatem agnoſcat.

14. Gen. 49. *Prælatus ſit blandus, & rigidus pro occaſione.* D. Greg.

15. Ab ipso Joseph non discedamus; cum ipse teneret clavum Ægypti, fame urgente, descendunt ejus fratres in Ægyptum ad frumenta comparanda, quos cum agnovisset durius loquebatur, & ait Textus: *Tollensque Simon, & ligans illis præsentibus, jussit ministro, ut implerent eorum saccos tritico, & reponerent pecunias singulorum in sacculis suis, datis supra cibariis in viam.* Genes. 42. numer. 25. Ecce in præsenti summa rigiditas, summaque benignitas, rigiditas dum dure loquitur, ut exploratores arguit, & fratrem Simonem ipsis præsentibus ligat; summaque benignitas apparet, dum triticum, insuper pecunias, & cibaria in viam illis confert; quomodo hæc tam diversa sibi constant? Personam Prælati agebat Ioseph attendens ad eorum crimina, & culpam, ob quam sunt accusati, rigidum se exhibebat: at considerans eorum necessitatem ad alendam vitam, & ad viam peragendam blandus, ac lenis erat; ad hoc advoco id, quod dicit D. Gregorius homil. 34. ad cap. 14. Lucæ, ubi sic ait: *Iusti solent peccatoribus zelo disciplinæ indignari; quia etsi foris increpationes per disciplinam exaggerant, intus tamen dulcedinem per charitatem servant.*

Gen. 42. *In prælato vigor disciplinæ, dulcedo humanitatis.*

QVÆSTIO III.

Quare cum Deus hic apparet Abrahamo dicitur Deus gloriæ?

16. AIt Textus: *Apparuit Rex gloriæ*, frequenter in Scriptura Deus dicitur Rex gloriæ Psalm. 23. numer. 9. & 10. *Introibit Rex gloriæ, Dominus virtutum ipse est Rex gloriæ*, & Apost. 1. Corinth. 2. numer. 8. *nunquam gloriæ Dominum crucifixissent*, sic & aliis in locis, ipse enim est omnium gloriosissimus Rex, cui soli omnis gloria, & honor est debitus. 1. Timoth. 1. numero decimo-septimo in cujus conspectu, ac visione consistit tota nostra gloria, ac Beatitudo, & tam glorioſus, qui suæ gloriæ suos participes facit, eosque glorioſos reddit, ac constituit.

Frequenter dicitur Deus Rex gloriæ. Psal. 23. 2. Dor 2. 1. Tim. 1.

17. Doctissimus Salianus existimat, quod Deus in hac prima apparitione facta Abrahæ, illi se exhibuit multa cum gloria, ac majestate, non quod Deus ei apparuisset in sua substantia, sed per Angelum in ejus persona; ut tenent hoc loco Carthusianus, Hugo, & in Genesi Lyranus, Abulensis, Cajetanus, inde nunc hic dicitur Deus gloriæ, cum tanta majestate, ac gloria Abrahamo apparuit, & meritò sanè mandabat Deus Abrahamo exire de terra, & quia unusquisque magno affectu ad patriam suam tenetur, ut ipsa ei despectibilis videretur, esseque ei suave eam relinquere, ideo ei ostenditur tanta gloria cœlestis; cuius conspectum omnia terrena disparent, & tamquam in nihilum labantur.

Salianus. Carthus. Hugo. Lyran. Abulens. Cajet.

18. Loquens Divus Matthæus 24 numer. 29. de adventu Christi Domini ad judicium ait: *Statim autem post tribulationem dierum illorum Sol obscurabitur, & Luna non dabit lumen suum, & Stellæ cadent de Cœlo, & virtutes de Cœlo commovebuntur, & tunc apparebit signum filij hominis.* Valde diversimode loquitur Isaias 30. numer. 26. *Et erit lux Lunæ, sicut lux Solis, & lux Solis septempliciter, sicut lux septem dierum in die quando alligaverit Dominus vulnus populi sui.* Sanabit nempe mortalitatem nostram per dotes corporis glorioſi. Ita Noster D. Cyrillus Alexand. D. Hieronymus, Hugo, Cornelius. Quomodo hæc possunt stare, si in adventu Filii Dei cœlestia lumina obscurantur, quomodo tanta luce fulgebunt? Isaias habet sermonem de splendore, quem in se habent, qui septempliciter erit multo maior, D. Matthæus loquitur respective ad fulgentes radios gloriæ Christi tunc apparentis, ad cuius intuitum splendidissima lumina obscurantur, & ita disparent, ac si de Cœlo caderent, & non essent. D. Paschas. lib. 11. in Matth. ait: *In comparatione veræ lucis omnia Cœlorum luminaria sic futura prophetantur à Domino, ac si tenebrosa. Non in suæ naturæ, sed ad fulgorem æternæ lucis comparata; valde obscurverunt.* Cum fulget Dominica gloria omnia pulcherrima, & decora creata in nihilum abeunt, & videntur tenebrosa, non in sua natura, sed ad fulgorem æternæ lucis comparata.

Isai. 30. D. Cyril. D. Hier. Cornel. Hugo. *Dei gloria apparente temporalia evanescunt.* D. Paschas.

Ait Regius Vates Psalm. 36. n. 36. *Vidi impium superexaltatum, & elevatum, sicut Cedros Libani, & transivi, & ecce non erat.* Unde fieri potuit, ut qui tam magnificus, amplus, & altus erat, qui præ sui proceritate cum Cedris Libani competebat, brevi Davidis transitu periret, & non extaret, nec illius vestigium reperiretur; Vis causam scire? considera quo transierit David, nempe ad contemplandam Dei gloriam & majestatem, ubique in illam defixit mentem suam, statim omnia mundialia evanuerunt, & ita disparuerunt, ac si omnino nihil essent. Sic fatur Elias Creten. orat. 3. *Quid illud est, quod transit justus, ut ista cesset elatio? Cum videmus extolli impios, & in nimiam superbiam crescere, transeamus, & nos mente, & intellectu ab iis, quæ videntur, & temporalia sunt, & transferamus intellectum nostrum ad æterna,* Si mens ad æterna elevatur omnia temporalia tamquam ad nihilum redacta videntur evanescere; sic de anima sancta elevata ad Cœlestem Beatitudinem dicitur: *Quæ est ista quæ ascendit per desertum.* Cant. 3. n. 6. nam respective ad illam gloriam totus mundus desertus, & vacuus erat.

19. *Temporalia magnifica nihil apparent ad Dei intuitu.* Elias Creten. Cantic. 3

QVÆSTIO IV.

Quare dicitur mandatum Abrahæ exire de terra sua, cum hoc videatur exequutioni datum à Patre eius Thare?

GRavis insurgit difficultas, in eo quod ait Textus Deum Mandasse Abrahamo: *Exi de terra tua, & de cognatione tua*, & tamen non videtur factum, nec executum ab Abrahamo, sed à Patre suo, sic dicitur Genes. 11. n. 31. *Tulit itaque Thare Abram filium suum, & Lot filium Aran, filium filij sui, & duxit eos de Ur Chaldæorum, ut irent in terram Chanaan.*

20. *Difficultas quæstionis.* Gen. 11.

Ad quod rectè respondet D. Chrysost. homil. 36. in Genesim, & ait: *Elegit Abrahamus paternam regionem relinquere, & alienam inhabitare, ut præceptum Dei perficeret, & paratus erat, etiam absque familiaribus peregrinus fieri, sed viri virtus, & insignis erga parentes pietas effecit, ut pater comes fieret itineris.* Communis doctrina est, quam optime explicat Sapientissimus Magister Didacus Baeça tom. 3. de Christo figurato lib. 6. cap. 1. §. 3. Præceptum exeundi à terra, ac cognatione sua datum fuit à Deo Abrahamo, quod cum ille sequens Dei vocationem Patri aperuisset, ipse non tantum ob amorē filii, sed potius ob illius virtutem, à quo illuminatus fuerat in fide noluit ab eo separari, sed cum eo peregrinare Abrahamus paratus erat propriam terram, & parentes relinquere, sed pater ejus Thare voluit eum comitari, ut filium, ac magistrum: Thare enim infectus fuit idololatria Chaldæorū, sed à filio Abraha-

D. Chrysost. Beeda *Thare sequitur Abrahā mum.*

D. Chryſoſt. D. Aug. Abulenſ. mo eſt edoctus, ac illuminatio in fide unius veri Dei, ut docent D. Chryſoſt. citatus, D. Aug. Abulenſ. ad citatum locum Geneſ. 11.

22. Non dedignentur Patres filiorum ſequi virtutes, ac imitari, aliquando hoc eſt eis valde decorum, & decens. Cum Sanctiſſima Virgo Maria viſitaret Eliſabeth; & cum hæc videns, & audiret vocem Mariæ exclamat: *Exultavit infans in utero ejus, & repleta eſt Spiritu Sancto Eliſabeth, & exclamavit voce magna, & dixit: Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui: & unde hoc mihi, ut veniat mater Domini mei ad me* Luc. 1. à numer. 41. Unde Eliſabeth ſublime, & abditum Incarnationis myſterium agnovit à filio, nempe Joanne parvulo in utero ejus, ut ait Beda ibi, ad primum caput Lucæ: *Exultavit infans, & repleta eſt mater; non prius mater repleta eſt, quam filius, ſed cum filius eſſet repletus, repleta eſt mater.* Prophetant matres ſpiritu parvulorum; parvulus erat Joannes, & adhuc in materno utero, indeque replevit, & docuit matrem, ſic ſæpe ita fit alta Dei providentia.

Luc. 1. Beda. *Sæpe Patres à filiis illuſtrantur.*

23. Sæpe à minoribus, ac inferioribus majores magna habent virtutum documenta, cum Stephanus glorioſo martyrio obdormiſſet in domino, ut dicitur cap. 7. numer. 59. ſtatim cap. 8. numer. 1. ſcribitur: *Facta eſt autem illa die perſequutio magna in Eccleſia, quæ erat Ieroſolymis, & omnes diſperſi ſunt per regiones Iudææ, & Samariæ præter Apoſtolos.* Mortuo Stephano omnes fideles timentes Judæorum furorem à Jeroſolyma receſſerunt, & fugerunt: At Apoſtoli eorum rabiem contemnentes perſiſtunt, & non fugiunt, cum aliis fugam permitterent; cur ergo ipſi non declinant exardentem Iudæorum rabiem? Pulchrè D. Maxim. Taurinenſ. ſerm. de Sancto Stephano ubi ſic ait: *Cum Sanctus Stephanus ab Apoſtolis ordinatus ſit Diaconus Apoſtolos ipſos beata, ac triumphali morte præceſſit, ac ſic qui erat inferior ordine, prior factus eſt paſſione, & qui erat diſcipulus gradu, magiſter cœpit eſſe martyrio.* Apoſtoli Magiſtri erant Stephani, atque in ſuperiori ordine conſtituti; videntes tamen fortitudinem, ac conſtantiam Stephani inter ſuos accuſatores, falſos teſtes, iniquos judices, lapidantium manus animoſi facti illius exemplo, ac veluti magiſterio, ut generoſi milites pro Chriſto omni periculo, mortique ſe exponunt: *Qui erat diſcipulus gradu, magiſter cœpit eſſe martyrio.* Diſcant, diſcant majores minorum facta non contemnere, ſed aliquando illa ſequi, & imitari.

Actor. 8 D. Maxi. *Stephanus in martyrio fit magiſter majoribus.*

Quæstio V.

Quare cum Abrahamus eſſet in Meſopotamia, mandat ei Deus exire de terra ſua, ac cognatione ſua?

24. CUm Abrahamus eſſet in Chaldæa, quæ ſub Meſopotamia continetur, ut jam dixi ſupra numero tertio, mandat ei Deus exire de terra ſua, & de cognatione ſua, quod promptiſſime Abrahamus obediens fuit executus, nam ſi Thare pater ejus, & conſobrinus Loth ipſum ſecuti ſunt, hoc ex eo eſt, quia illi permiſit, & ipſi voluerunt cum comitari; deinde ut eos magis firmaret, ac corroboraret in fide, quorum magiſter, ac Doctor ipſe erat.

Quomodo exivit à cognatione.

25. Mandat Deus Abrahamo exire de terra ſua per ignotas, barbaraſque nationes peregrinare (de quo multas, & varias rationes Commentatores ad cap. 12. Geneſ. quæ tanquam ad tres reducuntur, ad ejus exactam obedientiam; ut ejus virtus omnibus eſſet nota; & ut ipſe omnes lucri faceret.

Triplex cauſa.

Prima, ut fieret nota, ac manifeſta excellens hominis obedientia, cum valde durum ſit unicuique patriam ſuam deſerere, ab eaque ſeparari. Illa Illuſtriſſima Virgo ter ad coronam, ac ſceptrum vocatur: *Veni de Libano ſponſa mea, veni de Libano, veni coronaberis* Cantic. 4. numer. 8. ſemel vocatur, & viam non capit, ſecundo vocatur, & adhuc moras facit, & mirum? vocatur adoleſcentula à monte vaſto ad urbem regiam, à vili domo ad aulam nobilem, à ligone ad ſceptrum, & purpuram, *veni coronaberis*, cur adhuc moras nectit, ut tertio ſit compellanda? A ſolo paterno etſi ruſticano exire juberur, ideoque cunctatur, quod innuit Bruno Carthuſianus: *Neque enim facile illi erat Patriam, parentesque relinquere.* Multa vis neceſſaria, ut Virgo lares patrios relinquat. Vide cap. 1. n. 72. 26. Cant. 4. *Efficax amor patriæ.* Bruno.

Secundo, ut tam præclara hominis virtus nota eſſet omnibus, non tantum propriis, & naturalibus, ſed etiam extraneis, in quibus maxime reſplendet virtus. 1. Reg. 5. numero quarto refertur quomodo arca Dei fuit captiva, & ab inimicis repoſita in Templo ſuorum Idolorum: *Tulerunt Philiſthiim arcam Domini, & intulerunt eam in Templum Dagon, & ſtatuerunt eam juxta Dagon; cumque ſurexiſſent diluculo Azoti altera die: Ecce Dagon jacebat pronus in terra ante arcam.* Magna expenſione dignum, cur Deus alta ſua providentia permiſiſſet Arcam à ſuo ſancto loco extrahi, in profano reponi, & in Altari cum Idolis gentium, ab ipſiſque captivam adduci? Cur Domine non diſponis, ut arca teſtamenti tibi maximè conſecrata in ſuo loco ſancto permaneat, ut à tuis Sacerdotibus debitam obtineat venerationem? Ad celſitudinem, ac majeſtatem Arcæ maxime pertinebat, ut non ſolum in ſuo proprio loco, ſed etiam in alieno oſtenſam ſuam faceret excellentiam, gentium idola deſtruens in terram proiiciens capite, & manibus abſciſis tamquam in fruſta comminuta: *Ecce Dagon jacebat pronus in terra.* Divus Chryſoſtomus orat. tertia adverſus Iudæos, & ait *Arca capta in aliena terra vim ſuam oſtendit, ideo idolo bis in ſolum dejecto, effecit, ut etiam comminueretur capite, & manibus abſciſis.* 27. 1. Reg. 5. *Virtus in extraneis manifeſtatur.* D. Chryſoſt.

Tertio: ut illa lucerna accenſa omnium virtutum Abrahami non eſſet abſcondita ſub modio, ſed poſita ſuper candelabrum, ut cunctos illuminaret, ac illuſtraret, ita ad illa verba Geneſ. 12. *Egredere de terra tua*, ſcribit Divus Chryſoſtomus, homil. 32. ubi ſic habet: *Quare luminare quoddam, hominem, qui in Chaldæa latuerat, illinc evocavit, ut eos, qui in errorum tenebris ſedebant, ad veritatis viam introduceret.* Una hæc, & juſta Abrahamo cauſa ut patriam relinqueret, ab eaque fugeret, hæc viris Apoſtolicis occaſio deſerendi patriam, & in terras longinquas abire, ut barbaras gentes illuminent in fide. 28. D. Chryſoſt. *Salus alienigenarum quærenda.*

Ad quod nobis magnum exemplum, ac documentum præbet omnium Magiſter Chriſtus D. qui modo hanc, modo illam luſtrat, ſemel, iterum, ac millies, ut veritate explicata gentes illuſtraret: Deinde mare navicula tranſibat, ut homines de fide, ac religione admoneret. Scribit Div. Matthæ. cap. 8. numer. 23. quod *aſcendente Chriſto in naviculam ſecuti ſunt eum diſcipuli*, & ſtatim ſubdit 29. Matth. 8

Terra marique quæſivit Deus hominum ſalutem.

numer. 28. *Et cum veniſſet trans fretum in regionem Geraſenorum, &c.* Stare uno loco neſcit hominum Salvator, terram percurrit, novum mari tentato tentat iter, ut omnium ſalutem lucretur. Divus Chryſologus ſerm. 16. ait: *Chriſtus quod loca circuit, quod mare tranfretat, non eſt res humani deſiderii, cauſa eſt humanæ ſalutis.* Non curſitat meus Ieſus per mare, per terram affectu gentis pervidendæ, ac cognoſcendæ, ſed ſtudio ſalutis providendæ, ac communicandæ.

Actor. 7. num. 3. Et non dedit illi hæreditatem in ea, nec paſſum pedis, ſed repromiſit dare illi eam in poſſeſſionem, & ſemini ejus poſt ipſum, cum non haberet filium.

Num. 6. Locutus eſt autem ei Deus; quia erit ſemen eius accola in terra aliena, & ſervitute eos ſubiicient, & male tractabunt eos annis quadringentis.

Num 7. Et gentem, cui ſervierunt, iudicabo ego, dixit Dominus, & poſt hæc exibunt, & ſervient mihi in loco iſto.

Num. 8 Et dedit illi teſtamentum circunciſionis, & ſic genuit Iſaac, & circumcidit eum die octavo: & Iſaac Iacob, & Iacob duodecim Patriarchas.

Verſiones

CVM EXPOSITIONE II.

30. Verſ. 5. *Non dedit illi Deus hæreditatem in ea*, quia in terra Chanaan Abrahamus non habitavit ut in proprio domicilio, ſed ut peregrinus, & advena, *nec paſſum pedis.* Syrus, Pagninus, Tigurina: *nec veſtigium pedis*; alii ex Hebræo: *nec greſſum pedis.* Per quod ſignificatur, quod nihil omnino in ea habuit: Paſſus autem ex Plutarcho eſt menſura quinque pedum; Nec obſtat id, quod dicitur Geneſ. 23. numer. 9. quod ſcilicet Abrahamus emerit ſpeluncam duplicem ad ſepulturam Saræ, quia non poſſedit illam tamquam agrum fructiferum, ſed ad ſepulturam, quæ non eſt hæreditas virorum ad habitandum, ſed mortuorum carcer; vel, ut ait Divus Auguſtinus quæſtione 56. in Geneſ. quia Deus hanc illi per ſe non dedit, ſed pretio ipſe coëmit. *Cur non haberet filium*, hoc dicitur ad maximè commendandam Abrahæ fidem; nondum enim natus erat Iſaac, vel Iſmael.

Syrus. Pagnin. Tigurin.

Gen. 23.

D. Aug.

31. Verſ. 6. *Locutus eſt autem ei Deus, quia erit ſemen ejus accola* Syriacus: *Erit ſemen tuum inquilinum in terra extranea.* Arabicus: *Erit ſtirps eius inquilina.* Et ſubditur: *Et male tractabant eos quadringentis annis*, de hoc numero annorum longa exoritur difficultas, de quo quæſtione ſequenti.

Syriac. Arabic.

32. Verſ. 7. *Et gentem, cui ſervierint iudicabo ego.* Syriacus, Vatablus: *Condemnabo eos*, vel puniam; Deus enim occidit Pharaonem, & Ægyptios oppreſſores Hebræorum in mari rubro.

Syriac. Vatabl.

33. Verſ. 8. *Et dedit eis teſtamentum circunciſionis.* Syriacus: *fœdus circunciſionis.* Vatablus: *tradidit pactum*; Deus enim dedit Abrahamo, ac poſteris ejus circunciſionem in ſignum fœderis, ac pacti, & tamquam in ſignum diſtinctivum ipſius, quem Deus ſibi eligebat, ut eſſet illius peculiaris protector, ac defenſor, ſi ejus legem cuſtodiſſent, ac voluntati obtemperaſſent. Deinde ipſe circuncidit filium ſuum, & ſic cæteri patres filios ſuos.

Syriac. Vatabl.

QUÆSTIO VI.

Quare dicuntur Hebræi fuiſſe in captivitate Ægyptiaca per quadringentos annos.

34. GRandis, graviſque hæc ſe offert difficultas, nam Exod. 12. numer. 40. & Paulus ad Galat. 3. numero decimo-ſeptimo numerat in captivitate 430. Deus verò loquens cum Abrahamo Geneſ. 15. numero decimo-tertio ait: *Peregrinum futurum ſit ſemen tuum in terra non ſua, & ſubiicient eos ſervituti, & affligent quadringentis annis*, & ita eodem modo loquitur Divus Stephanus in præſenti; & tamen filii Iſrael ſolum fuerunt in Ægypto annis 212. ut per computationem temporum, ac ætatum ex ſcriptura oſtendunt doctiſſimi Recentiores Joannes de Lahay, Pereri. Cornel. Tyrin. ad citata Geneſis loca, & Exod. & in præſenti Lorinus; In re valde difficili, & obſcura, claritatis gratia, ita explico.

Exod. 12. ad Galat. 3. Geneſ. 5.

Lahay. Pererius. Cornel. Tyrin. Lorin.

35. Primo: Ex vocatione Abrahæ de Meſopotamia, quæ facta fuit anno ætatis illius 75. uſque ad exitum de Ægypto fluxerunt anni 443. ita Divus Auguſtinus quæſtione 47. in Exod. & Interpretes Græci ita vertunt. Incolatus, quem incolaverunt filii Iſrael in Ægypto, in Chanaan ipſi, & Patres eorum fuit quadrigentorum triginta annorum.

D. Aug. Græci.

36. Ad id verò, quod Divus Stephanus numerat quadringentos annos, Pererius, Cornel. Menochius, dicunt hos annos eſſe computandos à nativitate Iſaac, qui natus eſt Abrahamo ab exitu ex Meſopotamia poſt annos 25. nempe vitæ ejus centeſimo, & ex inde uſque ad exitum Hebræorum à ſervitute Ægyptiaca fluxerunt anni 405. & dicunt quod ſcriptura ſolet ponere numerum principalem, & minorem prætermittere, indeque hic quinque annos prætermittit, & ſolum ponit rotundum numerum quadringentenarium.

Pererius. Cornel. Menoch.

37. Dico tamen quod mihi videtur verius: Divus Stephanus loquitur juxta Dei verba facta in promiſſione Abrahæ citato cap. 15. Geneſ. quæ facta fuit anno quinto ante nativitatem Iſaac, ac proinde ab illo promiſſionis Divinæ tempore uſque ad regreſſum ſuæ poſteritatis ex ſervitute interfluxerunt 400 anni, ſub quibus 400 annis intelligitur tempus peregrinationis, ac ſervitutis in Ægypto, qui computandi ſunt à die promiſſionis Abrahæ à Deo factæ. Geneſ. 15. numero 13. & juxta hunc modum divinæ promiſſionis loquitur in præſenti Divus Stephanus.

Gen. 15. *Genuina explanatio.*

38. Sed ſi Deus Abrahamo immediatè antea in hoc cap. 15. numero quinto magnam felicitatem promiſerat in ſuis filiis: *Suſpice Cœlum, & numera Stellas ſi potes, ſic erit ſemen tuum*, ad quid tot, & tantæ preſſuræ, antea in eis permittit, ut illi ſuas exaltationes promererentur; Et quia tam duræ, ac aſperæ oppreſſiones futuræ erant indignæ proſperitatis indices, ut poſt præfata verba pondefat Divus Chryſoſtomus in Pſalm. 104. & ait: *Demonſtrat itaque illud incrementum non naturæ fuiſſe, nam quo tempore pauciores eos eſſe oportebat, quod ſcilicet ab operum præfectis exagitarentur; ac filii in flumen proiicerentur, naturaque ipſa vexaretur; tam magis creſcebant adeo, ut ingentem quoque incolis terrorem incuterent.*

Ex afflictione magnum incrementum. D. Chryſoſt.

39. Ad tantam oppreſſionem Pharao adduxit Hebræos in Ægypto ut negaret eis paleas; præcepit

præfectis operum : *Nequaquam ultra dabitis paleas populo* Exod. quinto, numero quinto. Ad tantam oppreſſionem coarctavit populum, ut etiam paleæ eis denegarentur ; alta tamen Dei providentia, ut populus exiit ex mandato Dei, fecerunt filii Iſrael, ſicut præceperat Moyſes, petierunt ab Ægyptiis : *Vaſa aurea, & argentea, veſtemque plurimam, & ſpoliaverunt Ægyptios.* Exod. decimoſecundo numero 35. & 36. ultima verba legit Chaldæus. *Vacuos reliquerunt Ægyptios.* Quid durius, & acerbius, negantur eis etiam minimæ paleæ, futurum præſagium, atque indicium plenæ dominationis omnium bonorum Ægyptiorum, auri, argenti, & veſtium ; illi ab Hebræis omnia ſubtraxerunt, Deuſque illi omnia Ægyptiorum impertitus eſt.

Exod 5.

Exod. 12

Si homines negãt, Deus largitur.

40. Cum Iſraelitæ magna premerentur fame, dixit Eliſæus. *Hæc dicit Dominus : cras modius ſimilæ uno ſtatere erit, & duo modij hordei ſtatere uno in porta Samariæ. Reſpondens unus de ducibus, ſuper cujus manus rex incumbebat homini Dei ait : Si Dominus fecerit et iam cataractas in Cœlo, nunquid poterit eſſe quid loqueris ? qui ait videbis oculis tuis, & inde non comedes* quarto Reg. ſeptimo, numero primo. Unde tanta pœna huic miſero homini ; quia prudentialiter poterat conjecturare, quod tam breviter *cras modius ſimilæ, &c.* in tantam fertilitatis abundantiam, merito tamen ejus perfidia punitur. quando illa abundantia erat ex Deo ob tam calamitoſam penuriam ; nam preſſura veniens ab eo, index eſt magnæ proſperitatis, ac ingentis ſaturitatis. D. Auguſt. ſerm. 211. de tempore relatus in Gloſſa : *Perfidia hominis non credit promiſſam libertatem, qui horrendam ſenſerat egeſtatem.* Ex horrenda egeſtate debebat conjecturare ingentem ſaturitatis fertilitatem.

4. Reg. 7. *Ingens fames; index magnæ ſaturitatis.*

QUÆSTIO VII.

Quare Deus mandavit Abrahamo circunciſionem in pueris, & in tali membro, & occulto, ac brevi carnis particula ?

41. MUlta de circunciſione tractant Scripturarii ad caput decimum-ſeptimum Geneſis, & Theologi cum Divo Thoma tertia p. quæſt. 62. & in 4. diſt. prima, articul. 5. primo inſtituta fuit pro parvulis, ſic dicitur Geneſ. 17. *Maſculus, cujus præputij caro circunciſa non fuerit delebitur anima illa de populo meo*, & etiam dabatur adultis, qui volebant aggregari populo Dei, ut tractant latè citati Theologi ; breviter tamen, & ſummatim.

42. Circunciſio data fuit Abrahamo, quæ fiebat multo cum dolore, multaque ſanguinis effuſione, ac magna corporis afflictione ut ponderat D. Zeno libro tertio ſerm. octavo & ait : *Cum Abrahamus integer ſit iuſtificatus, & poſtea circunciſus, manifeſtum eſt circunciſionem Abrahamo non fuiſſe neceſſariam. Denique nil illi contulit, quia Deo antea ; non poſtea, quam circunciſus placuit, ſed in hoc robuſta merita repromiſſionis accepit.* Expende ultima verba : In hoc robuſta merita repromiſſionis accepit, quæ non dantur, niſi multa corporis afflictione, ac pœnalitate.

D. Zeno.

Mortificatio ad magna merita.

43. Primo circunciſio in genitali membro, quod eſt effuſorium ſeminis, ut notat Rupert. libro quinto in Geneſ. cap. 31. ubi ſic ait de Abrahamo qui *promiſſi ſeminis ſignum in ipſo ſeminis effuſorio credenti poſuit homini.* In ipſo ſemine poſitum fuit ſignum, & fœdus ſalutis, ex quo prodiit ipſa ſalus Chriſtus Jeſus. Secundo circunciditur pars illa, ut magis eſſet purificata, ex qua tam ſalutiferum ſemen exiit, Carthuſian. ad cap. 17. Geneſ. ait ; *Oportuit populum iſtum, ex quo fuerat Chriſtus naſciturus multis privilegiis, & prærogativis, ornari, & præcipua purificatione pollere.*

Rupert. *Ita pius Ieſus, ut pura requirat inſtrumenta.*

Ad idem tertio : Ibi Deus poſuit circunciſionem, ubi eſt ſedes luxuriæ, ut notant Divus Ambroſius & Strabus, ut ex tanto Dei ſigno refrænaretur homo à ſua inordinata concupiſcentia. Divus Chryſoſtomus homil. 39. in Geneſ. ait : *Quia ſcirebat Deus eorum laſciviam, & quod licet infinities moniti, ut ſe ab illicito continerent, obedituri non eſſent, ideo dato eis perpetuo memoriali injecit in eis circunciſionis ſignum, quaſi vinculum quoddam.*

44. D. Ambr. Strabus. D. Chryſoſt. *Deus nos à laſciviare vocat.*

Ad idem quarto : Divus Hieronymus epiſt. ad Taraſiam ait : *Ne juſtitiam noſtram coram hominibus faciamus, ſed in occulto, & coram eo ſolo, cui ſoli nihil eſt occultum, & quem ſolum remuneratorem bonorum novimus eſſe factorum, unde ne in carne palam, ſed in occulto cordis Indæi eſſe debemus.* Poſuit Deus hoc ſignum non in fronte vel facie, ſeu manu, parte manifeſta, ſed valde in occulta, quam natura maximè intendit abſcondere, ut inde diſcamus opera noſtra hominibus abſcondita, & uni ſoli Deo videnda exponere.

45. D. Hier. *Opera bona ab hominibus abſcondẽda.*

Secundo *Maſculus octo dierum*, Tam dura, & aſpera lex infantibus octo dierum, quando jam aliquas habet vires imponitur cum multo dolore, ac ſanguine, pro quo audiendus eſt Divus Ambroſius libro ſecundo de Abraham capite undecimo ait : *Egregiæ autem infantiæ in primis vagitibus circuncidi mares lex iubet, nullum tempus vacuum debet eſſe tutelæ, quia nullum eſt culpa vacuum, & infans revocandus aſt à peccato, ne idololatriæ polluatur contagio, & ne adorare aſſueſcat idolum.* Expende verba : *Nullum tempus vacuum debet eſſe tutelæ, quia nullum eſt culpa vacuum.* In infantibus ponitur ſignum veri Dei ; quia infans à ſua nativitate debet eſſe totus Deo conſecratus, & in ſe habere ſignum, & tutelam, ut fugiat ab omni peccati contagio, ipſumque valeat evincere, quod bene notatur in ipſo luctamine Phares, & Zaram, Geneſ. 28. numero 29. & quia Phares egreſſus eſt prior victor, inde ad generationem Chriſti pertinet, ut dixi Matthæi primo, numero tertio D. Cyprian. ſerm. de circunciſione ait : *Vt puer diſcat ab infantia tolerare.*

46. D. Ambr. *Pueri ac infantia Deo dicandi.*

Gen. 28. Matth. 1 D. Cypr.

Tertio : Ab homine in circunciſione ſolùm particulam carnis Deus poſtulabat, ut illi totam Beatitudinis gloriam præberet ; Unde ait Alcuinus ad caput decimú-ſeptimum Geneſ. *Pro Deo aliquid perdere lucrum eſt, non damnum* ſic pro buccella panis, quam mulier dedit parenti Eliæ, Deus largitus eſt panem, illi, ac filio ejus, totique domui per tres annos 3. Reg. 17. numer. 15. *comedit ipſe, & illa, & domus eius.*

47. Alcuinus *Deus pro pauco multum dat.* 3. Reg. 17

Ad idem ſecundo : Deus petit ab homine parvam carnis particulam intendens totum hominem ſibi dedicare in ſui obſequium ; qui enim Spiritu Dei aguntur in parvis, ac minimis datis magna, & totum exhibere videntur. Servus Abrahæ quærens uxorem filio Domini ſui Iſaac, ait : *Puella, cui ego dixero, inclina hydriam tuam, ut bibam, & illa reſponderit, bibe, quin & camelis tuis potum dabo, ipſa eſt, quam præparaſti ſervo tuo Iſaac,* Geneſ. 24. numero 14. Prudens ſervus non quærit pulchritudinem, ac elegantiam puellæ, ſed illius mores, ut bene notat Theodoret. & pro ſigno puellæ eligendæ poſtulat ejus charitatem, ut ipſi petenti

48. Gen. 24.

tenti parvum potum aquæ, non solum hoc præstet, sed & insuper totum aquarum canalem offerat ad camelos, ac omnem ejus comitatum potandum, quo signo evidenter ostendebatur Divinus Spiritus movens, ac gubernans puellam, quæ sic unum hausturn aquæ offert, ut appareat ejus promptus animus ad totam aquarum affluentiam effundendam: Divina virtus ubi est; dum pauca exhibere videtur, totum abundantissimè largitur. Abulens. ibi: *Hoc posuit Eliezer cautè, ut manifestè videret bonitatem Dei, quod enim aliqua puella videns hominem abuenigenam libenter, & sine petitione daret, & camelis suis potum, valde magna bonitas videbatur, ad quam nulla puella inclinaretur, nisi illa, quam Deus specialiter inclinasset.* Expende ultima verba.

Ex Deo est in minimis dare omnia.

Abulens.

49. De vidua paupercula scribens Divus Lucas 21. numero tertio: *Vidit Iesus quandam viduam pauperculam mittentem æra minuta duo, & dixit: vere dico vobis, quia vidua hæc pauper plus omnibus misit.* Et quomodo in tam parvo munusculo plus omnibus dedit? In minimo illo exhibito maximum, & grandem animum habuit omnia elargiendi: alii etsi plus darent, non habebant animum omnia exhibendi; hæc vero etsi minimum dederit, animus tamen promptus erat universa largiendi. Divus Chrysostomus homil. de Misero, ait: *Minimum vidua divitum opulentias vicit, & vota divitum votum vidua superavit; Divites enim ex multis modicum, vidua verò ex modico totum obtulit: Vnde Dominus singulorum animos, & facultates ostendit, & viduam in opere perfecto laudavit.*

Luc. 21.

Otus non dicitur magnum ex dato, sed ex animo quo elargitur.

D. Chrysost.

QUÆSTIO VIII.

Quare Deus Abrahamo, & eius posteris dedit circumcisionem?

50. SUperiori quæstione modum circumcisionis explicavimus, nunc verò quo fine à Deo fuerit instituta attingemus. Dicimus primario institutam fuisse in signum distinctivum populi Dei, secundaria ad remittendum peccatum originale, & ad dandam parvulis gratiam sanctificantem. In prima conclusionis parte omnes conveniunt, secundam verò aliqui negant, de quo late Theologi tertia p. quæstione 62. Resolutio nostra communis est secundum omnes suas partes. Ita Divus Thomas tertia p. quæstione 62. articulo sexto ad tertium. Scotus, Gabriel, Paludanus, Bonaventura, Rhichardus, Durandus, quos citant, ac sequuntur Soar. tomo tertio ad tertiam p. disput. quinta, section. prima, §. *Vtraque istarum*, & §. *Dico* 2. Henriqu. lib. 6. capite sexto, numero decimo-sexto, Favent disp. tertia, capite primo numero sexto. Bonac. disp. 1. qu. 1. punct. 3. §. unico n. 5.

Cur data fuit circumcisio?

D. Tho.

Scotus. Gabriel. Palud. Bonav. Soar. Hentiq.

Bonacin.

51. Prima pars conclusionis patet Genes. 17. numer. 11. ait Deus: *Circumcidetis carnem præputij vestri, ut sit signum fœderis inter me, & vos*: ergo data fuit in signum fœderis, ac distinctivum populi. Secunda pars ostenditur, ait Deus: *Masculus, cuius præputii caro circuncisa non fuerit, delebitur anima de populo illo*, scilicet sanctorum: ergo qui circuncidebatur, erat in populo sanctorum, ac proinde cum gratia sanctificante, & ob alias rationes apud ipsos Theologos.

Gen. 17.

52. Qui inde dicunt, quod causabat gratiam ex opere operato. Ita D. Thom. Scotus Alexand. Bonaventura, Palud. Maior, Durand. quos citat Vasq. 3. p. disp. 184. Soar. Azor. Pereyra, Bartad. Lorin. Valentia apud Lugum tomi 10. de Sacram. disp. 5. n. 4. pagin. 86. & Rhicardus, Sotus, Argent. Villalob. apud Leandr. tom. 1. tract. 1. disp. 3. q. 10. quia non dabat gratiam ex opere operantis: ergo ex opere operato, quia inter utrumque modum non datur medium in sua entitate, & substantia, sed in modo ex pretio soluto, vel solvendo, & Sacramenta novæ legis præbent multo maiorem gratiam, & imprimunt caracterem in animam, quod non faciebat Circuncisio.

D. Tho. Scotus. Vasques

Soares Lugus Rhicard. Villalob Leand.

Et rectè notat Divus Isidorus Hispalens. Primus homo oblitus Dei mandati, ejus pactum, ac fœdus transgressus est, per quod peccatum originale in humanum genus diffusum est. Deus volens hominem restaurare novum pactum, ac fœdus introduxit ad ipsum originale delendum, & ut tale fœdus nunquam è memoria excideret in ejus carne posuit signum tamquam ibi illius memoriale perenne.

53. D. Isidor. *Optima ratio.*

Hoc pactum initum est cum Deo præcisa carne, effuso sanguine, quia amicitia cum Deo non fit nisi interjecto bello cum carne, & sanguine, ut optime notavit Lyppomanus ad caput decimũ-septimum Genes. & ait. *Religio vera contra carnem, & sanguinem militat semper, crux semper portanda docetur, libidinis carnes amputanda toto corpore.* Nulla religio, nullum fœdus potest intervenire inter Deum, & hominem, nisi carni, ac sanguini bellum inferatur.

54. Lyppoman. *Dei amicitia cum sanguine.*

De Ecclesia sancta ait David. Psalm. 127. numero tertio: *Vxor tua sicut vitis abundans in lateribus domus tuæ.* Sancta, & pura Christi Ecclesia, & sponsa, cur cum vite comparatur, quævè combinatio inter utramque? Vitis, ut suos proferat fructus ferro præscinditur, in multis amputatur, & ligonibus terra excavatur; sic & ut Ecclesia in suis palmitibus, nempe filiis, fructum afferat, multa appetitus amputatione premenda, multisque inflictis vulneribus percutienda. D. Zeno serm. sexto de Isai. sic ait: *Dominus Ecclesiam suam pro voluntate plantavit, quam Sacerdotalibus officiis excolens, piaque amputatione fœcundans felici ligno suspensam uberrimam docuit afferre vindemiam.*

55. Psal. 127. *Dei amicitia bellum cum carne, & sanguine.*

D. Zeno.

Et ad quid mandatur Circumcisio, ait Deus: *Vt sit signum inter me, & vos.* Genesis decimo-septimo, numero undecimo. Valde diversimode loquitur Deus cum sponsa sua Ecclesia sancta Canticor. octavo numero sexto: *Pone me ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum.* Signum Circuncisionis erat in carne, signum Christi in corde, hoc est in anima, quæ frequenter per cor significatur: lex autem Christi ob sui excellentiam, cum tota sit spiritualis, in anima ac corde sui collocat signum, quod Deus vult totum sibi offerri, ac consecrari.

56. Gen. 17.

Cantic 8

Lex Evangelica in corde.

Cantant Cœlestes Spiritus Apocal. quinto numero quinto: *Ecce vicit Leo de Tribu Iuda, radix David aperire librum, & solvere septem signacula ejus*, faustis acclamationibus solemnisatur victoria, sed tanti triumphi quænam sunt spolia? *Aperire librum, & solvere septem signacula ejus.* Aperire librum humani cordis, & ita solvere signacula ejus: ut nulli pateat nisi soli Iesu, cui victoria decantatur.

57. Apoc. 5.

Soli Deo cor aperiendum.

Cum ad regales nuptias omnes convenirent splendido ornamento *Intravit Rex ut videret discũbentes, & vidit hominem non vestitum veste nuptiali*: Matth. 22. multi erant discũbentes, & unus non veste præclara indutus, cumque multi essent ministri, nullus illum sordidum agnovit, nisi tantum Rex, & cur solus Rex, & non ministri vident? Illa inquinamenta non proveniebant ab externo vestitu, sed ab

58. Matth. 22.

Non externa quærit Deus, sed internas.

interno corde, quod solus Rex quærebat, & introspiciebat, D. Paschal lib. 10. in Matth. sic habet: *Quia malos in conscientia intus intelligere, nun omnium est, ideo hunc mal m solus Deus terribilis, & Rex magnus invenit.*

D.Pasch.

59. Quærens anima sancta suum dilectum, & inveniens ait: *invent eum, nec dimittam, donec introducam illum in domum matris meæ, & in cubiculum genitricis meæ.* Cantic. tertio numero quarto. Cur non vult eum habere in fœcundo campo, amœno horto, vel frequenti platea, sed tantum in domo, & non solum in domo, sed in intimo, & maximè segregato cubiculo? Fugit sponsa campum, hortum, vel plateas, ut non habeat quo possit dividi, ac separari, sed ita vult esse cum illo, ut nullo modo valeat ab eo diverti, sed vult totis viribus defixa esse in eo, sic fatur Gillibertus Abbas serm. 11. in Cantica: *Novit illa dilectum suum non posse foris secure possideri, nec intingere quidem, & quam durum est amanti animum dividere cum Christo, & mundo? quam durum est, inquam dilectionis jura peregrinas admittere curas, & cœleste secretum sæcularibus infestari bellis.*

Cantic 3 *Connostrum sæper sit unum in Deo.*

Gilliber.

Actor. 7. *num.* 9. Et Patriarchæ æmulatores Ioseph vendiderunt in Ægyptum, & erat Deus cum eo.

Num. 10. Et eripuit eum ex omnibus tribulationibus, & dedit ei Deus gratiam, & sapientiam in conspectu Pharaonis Regis Ægypti, & constituit eum præpositum super Ægyptum, & super omnem domum suam.

N. 11. Venit autem fames in universã Ægyptum, & Chanaan, & tribulatio magna, & non inveniebant cibos Patres nostri.

Num. 12. Cum audisset autem Iacob esse frumentum in Ægypto misit Patres nostros primum.

Num. 13. Et in secundo cognitus est Ioseph à fratribus, & manifestatum est Pharaoni genus ejus.

Versiones,

CVM EXPOSITIONE III.

60. Arabic. Syriac. Vers. 9. ET *Patriarchæ æmulatores.* Arabicus: *Principes Patrum invidentes.* Syriacus: *Invidia moti.* Oecumenius: *Invidia accensi,* & ait *Patriarchæ*, id est, Principes, seu capita fratrum, seu aliorum, ut explicat D. Isidorus lib. 7. Æthymolog. cap. 12. scilicet Filii Jacob capita tribuum, & non omnes, quia Benjamin erat ferè triennius, & Ruben non aderant, sed secundum majorem sui partem. *Æmulatores*: Invidia nempe accensi *vendiderunt in Ægyptum.* Lyra, *breviter narrans, transit ad finem; non enim primo Ægyptiis, sed Ismaelitis negotiatoribus, & Madianitis venditus est, & illi vendiderunt eum in Ægyptum*: & dicitur: *Deus erat cum illo*; quo denotatur singularis Dei providentia erga illum, sicut & cum Davide 1. Reg. 16. n. 18.

D.Isidor. Patriarc. Lyran.

61. Syriac. Vers. 10. *Et eripuit eum ex omnibus tribulationibus ejus.* Syriacus *Et liberavit eum ab omnibus oppressionibus eius*, quæ quidem multæ fuerunt. Primo de manibus quærentium occidere. Secundo de cisterna, ne ibi fame periret. Tertio de captivitate, sub qua venditus est. Quarto de falso adulterio; nam, ut ait D. Chrysost. *singulare Dei beneficium fuit, non occidi eveditum adulterium.* Quinto à carcere, in quo missus est.

D.Chrysost.

Multa tribulationes.

Dedit ei gratiam, & sapientiam. Ut ejus sapientia esset bene accepta, ei Deus gratiam contulit. *In conspectu Pharaonis.* De nomine Pharaonis aliqui Recentiores multa dicunt: Pharao enim lingua Ægyptiaca idem est, ac Rex, ut habet Josephus lib. 8. antiquit. cap. 2. vel 6. Et constituit eum præpositum super Ægyptum. Arabicus: *Statuit eum moderatorem.* Æthyopicus: *Et regem constituit eum totius regionis Ægypti, & dispensatorem fecit eum.* Prosequitur Textus: *Et super omnem domum suam.* Prius dicitur quod constituit eum super Ægyptum, deinde super domum suam; volebat Rex, ut ipse prius intenderet communi bono regni, quam suæ peculiari domui; de quo scribitur Genes. 41. n. 42. ei fuisse dictum à Phraone: *Constitui te super universam terram Ægypti.*

61. Pharao. Ioseph. Arabic. Æthyop. *Rex prius de regno, quam de se.*

Vers. 12. *Venit autem fames.* Syriacus: *Extitit fames, & oppressio magna.* Arabicus: *Vehemens, & angustia maxima.* Post multam abundantiam secuta est fames; felicitas enim catenatim secum affert multa infortunia, quot autem mala fames parturit multi multa scribunt: *Non inveniebant cibos Patres nostri.* Syriacus: *Non habebant unde explerentur.* Arabicus: *Non inveniebant saturitatem*, ut à fame possent liberari.

63. Syriac. Arabic. Syriac.

Vers. 12. *Cum audisset Iacob esse frumenta in Ægypto.* Arias: *Existentia frumenta in Ægypto.* Servata providentia Joseph ex tempore abundantiæ, & licet Iacob probe sciret Deum sibi esse valde propitum, liberavit eum de furore Esau, & ira Labam; tamen pro præsenti necessitate non postulat ab eo frumenta; non enim est tentandus Deus nec miracula inquirenda, quando adsunt media communia. *Misit Patres nostros*, filios, qui sine ulla cunctatione, nec oppositio itineris labore patris mandatum exequuntur?

64. Arias. *Media communia inquirēda.*

Vers. 13. *Et in secundo cognitus est Ioseph.* Græcus: *Secunda vice.* Syriacus: *Cum bis profecti essent*, patefecit se ipsum Ioseph, ut totum constat ex Genesi 44. & quando ipsi erant maximè timidi ob sublatum Benjamin, tunc se eis manifestat Ioseph. Valde benigne totum referens, non ad eorum consilium, sed ad Dei providentiam.

65. Græcus Syriac. Gen. 44.

QUÆSTIO IX.

Quare Divus Stephanus tantus est in præsenti in referenda Abrahami, Ioseph, & aliorum historia?

AD quod respondet Oecumenius, ut præsentium nequitiam arguat, eisque exprobret eorum ferociam, iram, & impatientiam valde oppositam singulari patientiæ: ac tollerantiæ Abrahami, ac Ioseph, quorum primus non est deprecatus abbreviari tempus Ægyptiæ captivitatis sibi revelatæ, Genesis decimo quarto; nec contra ipsos tyrannos aliquid est locutus. Alter, nempe Ioseph injurias compensavit, cùm ulcisci posset: At vero Principes isti Iudæorum valde diversimodè, ac degeneres à suis parentibus, pervicaces, & impatientes, elati cõtra Christum, in eius Discipulos omnium benefactores conspiraverunt undique, & ex omni parte eis mala machinantes.

66. Gen. 14. *Iudæi degeneres à parentũ virtutibus.*

Nullo enim magis poterant comprimi, ac refrænari à sua prævaricatione, ac malitia, quam objectis parentum virtutibus; sic dicebat sanctus ille senex filio suo Tobiæ juniori capite 8. numero 5. *Filij*

67.

sanctorum

Sanctorum sumus, & non possumus ita conjungi, sicut gentes, quæ ignorant Deum. Apparet Deus Moysi, & quærenti nomen ejus ait illi Deus: *Ego sum qui sum.* Et addidit Deus: *Hæc dices filiis Israel, Dominus Deus patrum vestrorum, Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Iacob misit me ad vos.* Exod. 3. n. 15. Nonne sufficiebat dicere: *Ego sum qui sum,* ad quid ergo aliud apponit nomen: *Ego sum Deus Abraham,* &c. Et per hoc nomen vult cognosci, & publicari in populo. Volebat Deus Moysen, ac suum populum tamquam tyrones, ac insipientes instruere, & informare in omni virtute, ac sanctitate, ideoque illis eorum parentes objicit, ac ante oculos ponit, ut eorum virtutibus provocarentur, ut in omnibus cum omni justitia vitam suam componerent, tam in labore, ac pressura, quam in prosperitate. Cassiodor. 1. variar. 4. ait: *Pudeat eum peccare, qui laudatis viris videtur potuisse succedere.*

Ezod. 3.

Filii parentum virtutes imitentur.

Cassiod.

68. Valde execrabile est filios à parentum virtutibus degeneres esse: Loquens Deus per Amos 8. n. 7. ait: *Iuravit Dominus in superbiam Iacob, si oblitus fuero usque in finem omnia opera eorum. Nunquid super isto non commovebitur terra?* Cum dicitur per superbiam Iacob, hoc est filiorum Iacob, seu populi descendentis à Iacob, quæ superbia adeo Deum offendit, ut de ejus vindicta sumenda Deus juramentum fecerit: Tamen maximè ponderandum est; ob superbiam filiorum hominum ædificantium turrim usque ad Cœlum, vel ob superbiam Nabuchodonosor, aliorumvè Regum, nullum à Deo factum juramentum legitur; Cur super superbiam filiorum Iacob ad magnam exequendam vindictam Deus jurat? Jacob vir valde humilis ubique suam demissionem prædicans, habitabat in tabernaculis, cum uno baculo suo transivit Iordanem, longum iter in domum Labam pedibus confecit, quatuordecim annis servivit pro uxore, ante Pharaonem annos suæ peregrinationis paucos, & malos clara voce publicavit, & se, filiosque suos pastores ovium confessus est: At quod filii Regum superborum superbi essent, tolerabile malum; sed filii hominis humillimi in animo suo superbi evaderent, & inflato, elatoque animo extitissent, Deum ad eos exterminandos interposito juramento concitaverunt, & etiam terram, ut omnibus suis elementis eos deglutiret, ac devoraret: *Nunquid super isto non commovebitur terra!* Rupertus lib. 4. in Amos ait: *In filiis Patris ejusmodi, qui tam humiliter vixit, superbia est valde reprehensibilis, imo execrabilis; idcirco satis congruè juravit Dominus, innuens quod graviter tulerit, quod à Patre tam humili, tam longè superbiendo degenerassent filij.* Expende ultima verba.

Amos 8

In filios degeneres à patrum virtutibus omnia insurgunt.

Rupert.

69. Deplorat Isaias cap. 1. Miseram Iudæorum sortem, & primo ponit eorum nobilitatem, de illis ait Deus. *Filios enutrivi, & exaltavi,* n. 2. Et statim n. 4. subdit? *Væ genti peccatrici, populo gravi iniquitate, semini nequam, filijs sceleratis,* gemens paulatim eorum malitiam exaggerat: *Væ genti peccatrici,* id est valde depravatæ, ita ut nil aliud intendat, nisi peccare, *Populo gravi iniquitate:* Magno peccatorum pondere: *Semini nequam* pessimo, & à suo generante valde discrepante, *filiis sceleratis.* Et hoc tamquam extremum omnium malorum ingemiscens lachrymetur; quia ex tam sublimi spirituali generatione: *Filios enutrivi,* in tam profundum criminum abyssum inciderunt. D. Basilius ibi ait: *Ob hoc digni sunt qui opplorentur, & quos prosequamur luctu, qui pro eo, quod filij essent Altissimi, filii facti sunt exleges, & iniqui.*

Isai. 1.

Filii degeneres, ut execrabiles deplorandi.

D. Basil.

QUÆSTIO X.

Quare D. Stephanus facit hic tam amplam mentionem de Ioseph?

QUia ipse extitit peculiaris & insignis Christi D. figura. Primo fratres Ioseph sedentes, ut comederent panem, *Viderunt: : : extrahentes eum de Cisterna, vendiderunt eum Ismaëlitis,* Genes. 37. n. 28. Qui panis allatus fuit ab ipso Ioseph, ut notat D. Chrysost. homil. 9. in Lucam, ex accepto pane à Ioseph, ad ejus venditionem procedunt fratres, ex accepta bucella panis à Christo, Ioan. 13. n. 30. tetendit ad ipsum vendendum Iudas. 70.

Gen. 37. D. Chrysost.

Ex accepto pane ad venditionem.

Secundo: Venditus est Ioseph alto Dei consilio, ut tempore famis daret fratribus suis famescentibus frumentum, & saturitatem panis, venditus Christus, ut nobis divinum impertiretur frumentum corporis sui, ac saturitatem omnium cœlestium donorum; Ad quod tendit D. Paschasius lib. 12. ubi sic ait: *Constituunt ergo pro Iesu pretium servi, quia Christus formam servi susceperat, in cuius figura olim Ioseph cum esset liber, à fratribus venditus est in servum, ut tempore famis erogaret frumenta fratribus.* 71.

Ut daret panem.

D. Paschas.

Tertio fratres ex avaritia, ac amore pecuniarum vendiderunt Ioseph, ut scribit D. Basil. Seleuc. orat. ubi sic habet: *Velut aliquod cædis spolium fratres fratrem tradunt, amorque pecuniæ Iosephum eodem cum illis statu editum à morte in apertam servitutem vendicavit.* Sic & Iudas eadem avaritia cæcus Dominum Iesum vendidit, dicens: *Quid vultis mihi dare, & ego eum vobis tradam? At illi constituerunt ei triginta argenteos,* Matth. 26. n. 15. Quæ verba graviter ponderat D. Chrysost. homil. 6. à in epist. ad Philipp. & ait: *Ex avaritia Dominum Orbis prodidit, quid ista insania peius! gravis est avaritia tyrannis stupidam potens efficere mentem, non ita ab hebrietate quisquam, atque ab avaritia attonitus redditur.* Plus dementat avaritia, quam hebrietas. 72.

D. Basil. Seleuc.

Ex avaritia ad venditionem.

D. Chrysost.

Quarto vendidit Iudas Christum D. & suis manibus accepit pecuniam: *Dum proprio incumbunt sceleri famulatæ sunt Salvatori.* Ut ait D. Leo ser. 12. de Passion. Ad opus, nempe Redemptionis, & ad exaltationem sui nominis, sic & fratres Ioseph ei: ex consilio Dei in obsequium suum, ad sui exaltationem eum vendiderunt, ut ponderat D. Greg. lib. 6. Moral. cap. 12. & ait: *Humana sapientia dum reluctatur, comprehenditur, timuerunt fratres Ioseph, ne super eos excresceret, sed hoc, quod divinitus dispositum fuerat, cavendo factum est, ut eveniret: Unde humana sapientia voluntati Dei per intentionem restitit, inde eius impletioni militavit.* Similiter D. Basil. Seleuc. orat. 8. Venditur Ioseph à fratribus ne adoraretur, sed quia venditus adoratur, imperat, secundus est à Pharaone; eductus de carcere ad thronum, in quo Christi resurrectionem præfiguravit. 73.

D. Leo.

D. Greg.

Pervicacitas interviens aliquando Dei obsequio D. Basil. Seleuc.

In ejus conspectu ait D. Stephanus in præsenti. *Dedit ei Deus gratiam, ac sapientiam.* Non solum dicitur ei data sapientia etiam cum gratia; quia, ut sapientia sit plausibilis apud homines, non solum sufficit sapientia, sed necessaria est Dei gratia. De sanctissimo Puero Iesu scribit D. Luc. 2. n. 52. *Iesus proficiebat sapientia, & ætate, & gratia apud Deum, & homines.* Gratia exigitur ut sapientia sit grata apud homines. 74.

Scientia plausibilis ex Dei gratia.

Luc. 2.

Quinto Iudas vendidit Christum *triginta argenteis,* Matth 26. Fratres autem *vendiderunt Ioseph Ismaëlitis viginti argenteis,* Genes. 17. n. 8. Septuaginta habent *viginti aureis,* Chaldæus *viginti siclis,* at Origenes, Beda, & D. August. citandus. *Vendiderunt eum triginta argenteis.* D. Ambros. citandus: *Vendiderunt* 75.

Matth 26 Gen. 37. Septuag. Chald. Origen. Beda. D. Aug. D. Ambr.

derunt eum viginti quinque argenteis. Unde tanta lectionum varietas? Unum aureum plus valet, quàm unum argenteum, unum argenteũ magis quam unum siclum, & inde alii legunt viginti argentei, alii viginti quinque, alii triginta, cur tanta varietas? Unde aliqui dicunt, quod Ioseph tripliciter fuit venditus. Primo à fratribus Ismaëlitis, secundo ab Ismaëlitis Madianitis, tertio ab his Putiphari in Ægypto.

Ad principale quæsitum de tanta lectionum varietate, respondet S. Ambros. qui cùm Ioseph esset figura Christi, sic ait cap. 3. *Ideo alibi viginti, alibi viginti quinque aureis, alibi triginta invenimus emptum Ioseph, quia non omnibus unius æstimatione pretij valet Christus, aliis minus, aliis amplius, fides ementis incrementum est mercedis.* Et confirmat S. Doctor exemplo peccatricis, Luc. 7. *Quæ super pedes Christi effudit unguentum, & lachrymis lavit, & capillis suis terst, & oculis siccavit, de qua ait ad Simonem: Propter quod dico tibi, remissa sunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum, cui autem minus dimittitur, minus diligit.*

76. D. Ambr. *Christus non æqualiter ab omnibus æstimatur.* Luc. 7.

Similiter D. August. serm. de tempore ait: *Quod autem in diversis translationibus, non æquali pretio Ioseph scribitur venditus, sed alii dixerunt viginti argenteis, alii triginta, hoc spiritualiter significavit, quod Christus non æqualiter ab omnibus credendus, vel diligendus esset; denique etiam nunc in Ecclesia alij plus eum diligunt, alij minus; ipsi enim plus valet Christus, qui eum majori charitate dilexerit.* Ioseph cum esset Christi figura, ideo non æquali pretio comparatur; quia non apud omnes Christus ejusdem æstimationis est, non ab omnibus æqualiter diligitur, plus dilexit Magdalena, quam Simon, ut patet ex Christi verbis, plus Petrus, quam cæteri discipuli; cum enim essent in navi, & audissent, quia Dominus erat in littore fervido quærendi Christum amore, misit se in mare: *Alii autem navigio venerunt*, Ioan. 21. n. 8. Cum Christus vellet ire Ierusalem diverte bant discipuli: *Rabbi, nunc quærebant te Iudæi lapidare, & iterum vadis illuc.* Thomas præ cæteris ostentans suum amorem in Christum ait ad Condiscipulos: *Eamus, & nos, ut moriamur cum eo.* Ioa. 11. n. 16.

77. D. Aug. Ioan. 21. Ioan. 11.

Ob suam immunitatem ait Deus per Ieremiam 23 n. 24. *Cœlum, & terram ego impleo*, & per Isaiam 66. n. 5. *Cœlum sedes mea est, & terra scabellum pedum meorum.* Et tamen de se Christus loquens in Ps. 21. n. 7. ait: *Ego sum vermis; opprobrium hominum, & abjectio plebis.* Quomodo tam diversa cohærent, ac possunt stare. Cum Deus loquitur cum Prophetis cœlesti lumine illustratis, qui ejus celsitudinem, ac magnitudinem agnoscebant, de se prædicat quod cœlum, & terram impleat. At vero per respectum ad homines depravatos, in quorum cospectu, ut ait Lyranus *vilis, & abominabilis apparebat*, inquit, quod sit vermis, & non homo, justis ac illuminatis omnia implet, cæcis, ac depravatis tamquam vermis, ac pene nihilum videtur.

78. Ierem. 23 Isai. 66. Psal. 21. *Valde diversimode Christus æstimatur ab hominibus.* Lyran.

QVÆSTIO XI.

Quare Ioseph tanto tempore extitit in Ægypto absque eo, quod mœrentem Patrem de se certiorem faceret?

79. *Difficultas quæstionis.*

MAximè inquirendum cur Ioseph per fere 23. annos extitit in Ægypto, absque eo quod de se lugenti parenti nuntiaret, optimè, & præcipuè in ultimis novem annis, quando ipse, ut Princeps dominabatur in Ægypto.

80. Ratio à priori est Dei voluntas, supremum ejus Concilium, & altissima ejus ordinatio, ut ipsemet Ioseph indicat cap. 45. Genes. n. 8. Cujus rationem pro nostra tenuitate investigamus. *Dei voluntas.*

81. D. Aug. Beda. D. Tho. *Deus suos laboribus probat.*

Primò. D. Aug. serm. 82. de Temp. Beda D. Thom. & alii in præsenti, quia Deus voluit hoc quasi Purgatorium mœroris dari Iacob, licet justo ob levia ejus peccata; tum etiam quia Deus disposuit occultare Iacob vitam, & statum Ioseph, ut eum probaret, tum ad ipsius Iacobi, ac etiam Iosephi virtutem, patientiam, resignationem in voluntatem Divinam, illiusque cum ea conformitatem probandam, ut probavit obedientiam, virtutemque Isaac, & Abrahæ, cum ei mandavit sibi filium suum immolare, Genes. 22. n. 2.

82. Teod. *Ne à carnalitate exiret.*

Secundò Theodoretus: Si Iacob sciviſſet filium suum Ioseph esse captivum in Ægypto, multo quãvis pretio ipsum redemisset, & sic nunquam Ioseph elevatus esset ad Clavum, & Principatum Ægypti, quo Deus decreverat ejus virtutem, ac humilitatem exaltare, atque remunerari, Sapient. 10. n. 13.

83. Gen. 37. Gen. 46.

Tertiò: Id alto Dei consilio factum, ut hac ratione adimpleretur somnium Ioseph ab ipso immissum, Genes. 37. n. 7. Ut nempe fratres fame vexati, cogerentur in Ægyptum descendere, & Ioseph humiliter adorare, Genes. 46. n. 7.

84. *Deus per vexationem inducit ad pœnitentiam.*

Quartò: Ioseph ex Dei nutu expectavit tempus famis, ut illa oppressi fratres descenderent in Ægyptum, eosdemque aliquantulum dure, ac asperè tractaret, ut per hujusmodi vexationem, suum agnoscerent crimen, ut ita ipsi loquentes ad invicem dixerunt: *Merito hæc patimur; quia peccavimus in fratrem nostrum*, Genes. 42. n. 21. & inde pœnitentia castigati accersito parente gloriosè viverent.

85. *Maximè aliorum defectus occultandi.*

Quinto: Si Ioseph exposuisset suo parenti adventum in Ægyptum, ei etiam erat manifestandum fratrum crimen, quod ne faceret patienter sustinuit Patris dolorem, hacque de causa existimo, quod licet Deus multoties apparuisset Iacob, tamen per illud spatium 23. annorum absentiæ Ioseph nunquam illi apparuit, ne fortè Iacob de Ioseph interroganti scelus filiorum panderet, ideoque Iosephi manifestatio reservata est ad illud tempus, quando apertè comprehenderetur, quod ipse missus esset in Ægyptum, non ex hominum facto, sed potius ex Dei voluntate ita ordinante pro multorum salute; ut ipse Ioseph dixit fratribus: *Præmisitque me Deus, ut reservemini super terram, & escas ad vivendum habere possitis.* Genes. 45. n. 7. Gen. 45.

86. Gen. 13.

Sextò: Hoc ita disposuit Deus, ut Iacob tota cum sua familia in Ægyptum descenderet, ibique multũ multiplicaretur, ut inde illa magna, & valde mirabilia obvenirent in Ægypto ad ostentationem divinæ potentiæ, quæ ejus avo Abrahæ fuerant in revelatione ostensa, Genes. 13. n. 13. 14. & latè referuntur in Exod. à cap. 3. & deinceps.

87. *Homo nõ sibi soli, sed aliis.* D. Naz.

Iterum redeo ad illa verba: *Præmisit me Deus, ut servaremini super terram, & escas ad vivendum habere possitis.* Tantum munus sibi à Deo datum, ut esset quasi Pater Pharaonis, ac Princeps, & Gubernator totius Ægypti, non datum sibi soli esse, sed etiam pro aliorum salute; sublime, & altum Dei donum, non in uno coarctatur, sed in alios exundat. Præclarè ait D. Nazianzen. orat. 14. *Nihil tam divinum homo habet, quàm de aliis bene mereri, scimus neminem sibi nasci, neque nos nobis tantum vivere; sicut enim Angeli, qui sunt administratorij spiritus, totum, quod acceperunt à Deo, in usum humani generis impendunt, ita decet magis hominem homini tempore, & loco opitulari.* Angeli dicuntur spiritus administratorij, non quia sibi ministrant, sed nobis.

88. In persona Christi agens Regius Vates postquam de ejus glorioſa resurrectione locutus est: *Non dabis Sanctum*

Sanctum tuum videre corrruptionem, ſubdit Pſalm. 15. n. 10. *Non relinques animam meam in Inferno.* Ubi ſermo eſt juxta communem ſententiam de animabus Sanctorum Patrum, quas Chriſtus D. reſurgens eduxit de Inferno, ſeu Limbo, ſed cohærentius videbatur dicendum: Non relinques animas eorum, & non ut dicitur: *Non relinques animam meam*, ſed ea eſt ſublimis Chriſti charitas, quod donum ſuis collatum, ſibi datum reputat: *Non relinques animam meam.* Deinde ingens reſurrectionis gratia à Patre accepta non in ſe tantum continuit, ſed in alios redundare fecit, & ſi Pater non reliquit eum in inferno, nec ipſe alios reliquit, ſed magnificum donum non in ſe continuit, ſed aliis communicavit. D. Athanaſ. ſerm. 3. contra Arrianos ait. *Quod non ſolum reſurrexerit, ſed & olim mortuos ex monumentis excitarit, idem cum eo eſt: Non relinques animam meam in inferno:* Expende verba *idem cum eo eſt.*

Pſal. 15. *De Dei ſpiritu eſt donâ non ſibi ſoli ſed etiâ aliis dare.*

D. Ath.

89. De Chriſto D. ait Paulus Rom. 8. n. 29. *Primogenitus in multis fratribus*, & cur ab Apoſtolis appellatur *primogenitus*, non in uno, vel altero, ſed *in multis fratribus*? Nam juxta communes leges primogenitus non totam abſolutè acquirit hæreditatem, ut eam tantum ſibi ſoli retineat, ſed ut ex ea alimoniam aliis fratribus præbeat: Optimo inde jure meus Ieſus primogenitus eſt nuncupatus, quia ampliſſimam divinitatis hæreditatem cum omnibus donis non in ſe uno continuit, ſed etiam alios ſibi cohæredes fecit, cœleſtium donorum eos participes efficiens. D. Bruno ibi ait: *Vt ipſe filius ſit primogenitus in multis fratribus, ut quemadmodum primogenitus filius dominus eſt paternæ hæreditatis, & quod inde alii filii ab eo habent, ſic & Chriſtus D. eſt in hac hæreditate: & quicumque aliquid inde habent ab eo, & per eum totum habent.* Expende ultima verba.

Rom. 8. *Chriſtus dona ſibi data aliis communicat.*

D. Brun.

Actor. 7. *n.* 14. Mittens autem Ioſeph accerſivit Iacob patrem ſuum, & omnem cognationem ſuam in animabus ſeptuaginta quinque.

Num. 15. Deſcendit Iacob in Ægyptum, & defunctus eſt ipſe, & Patres noſtri.

Num. 16. Et tranſlati ſunt in Sichem, & poſiti ſunt in ſepulchro quod emit Abraham pretio argenti à filiis Hemor filii Sichem.

Num. 17. Cum appropinquaret tempus promiſſionis, quã cõfeſſus erat Deus Abrahæ, crevit populus, & multiplicatus eſt in Ægypto.

Num. 18. Quoad uſque ſurrexit alius Rex in Ægypto, qui non ſciebat Ioſeph.

Verſiones

CUM EXPOSITIONE I.

90. Verſ. 14. *Mittens Ioſeph accerſivit.* D. Chryſoſt. *Miſſo autem nuntio vocavit omnem cognationem ſuam.* Arabicus: *Omnes cognatos ſuos*, id eſt omnem proſapiam, filios nempe, ac nepotes Ioſeph. *In animabus ſeptuaginta quinque.* Tam in Exod. 1. n. 5. & Deuteronom. 10. n. 12. Numerantur tantum ſeptuaginta, ad quod dicimus, quod D. Stephanus ſecutus eſt lectionem ſeptuaginta Interpretum, quod eo tempore maximè erat in uſu in Republica Iudaïca; ipſi autem citatis locis poſuerunt ſeptuaginta quinque, & etiã Geneſ. 46. n. 26. numerant etiam duos filios Ioſeph, & tres nepotes; nam ſicut in aliis numerantur filii, & nepotes Iacob, ſic etiam in Ioſeph numerantur filii, & nepotes.

D. Chryſoſt. Arabic.

Exod. 1. Deut. 10.

Gen. 46.

Verſ. 15. *Deſcendit Iacob.* Syriacus. *Proinde deſcendit* ut refertur Geneſ. 46. n. 26. *& defunctus eſt ipſe*: Ex Græco, & Chaldæo habetur *defecit, ſeu dereliquit*, quod, ut notat Lorinus ſignificat dulcem, & ſuavem mortem. 91. Syriac. Gen. 46. Græcus. Chald. Lorin.

Verſ. 16. *Et tranſlati ſunt in Sichem*, Abraham, Iſaac ſepulti ſunt in Hebron, at conſtat ex Geneſ. 25. n. 9. & cap. 50 n. 13. duodecim vero Patriarchæ Iacob ſepulti ſunt in Sichem, ut tenet D. Hieronymus in Epitaphio Sancti Pauli: Tamen primo ex Ægypto tranſlati, & ſepulti ſunt in Sichem, deinde in Hebron, ut apertè tenet Ioſephus lib. 2. Antiquit. cap. 4 ubi aſſerit, omnes, excepto Ioſeph, ſepultos fuiſſe in Hebron; Ioſephum ſequuntur Magiſter hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Carthuſian. & alii: Magnorum virorum corpora ſæpè de uno loco transferuntur in alium, & hoc denotat in præſenti D. Stephanus cum ait: *Poſiti ſunt in ſepulchro, quod emit Abraham* nempe in Hebron, Geneſ. 23. 92. Gen. 25. D. Hier. Ioſeph. Magiſt. hiſt. Carthuſ. Ganæus. Gen. 23.

Et poſiti ſunt in ſepulchro, quod emit Abraham pretio argenti ſcilicet quadringentis ſiclis argenti, quo pretio Ephron ſepulchrum pro Sara vendidit Abrahæ: *Illud pretium inter me, & te*, Gen. 24. n. 15. 93. Gen. 24.

A filiis Hemor filii Sichem: Grandis, & implicata difficultas, quæ maximè torquet expoſitores; Abraham enim ſepulchrum emit ab Ephron filio Seor. Geneſ. 23. n. 16. & non à filiis Hemor filio Sichem, ab his partem agri in Sichem emit Iacob, non Abraham, Geneſ. 33. n. 19. 94. Gen. 23. Gen 33.

Omiſſis multis dico cum D. Gregorio lib. 7. ep. 55 Lyrano, Lorino, Cornelio, quod D. Stephanus agit de agro empto ab Abrahamo Ephron; Pater autem Ephronis erat Binominus, vocatus eſt Seor, & vocatus eſt Hemor, apud Hebræos multi erant binomini, ut patet ex 1. Paralipom. 1. & 2. 95. D. Greg. Lyra. Lorin. Cornel. 1. Parap. 1. & 2.

Poſiti ſunt in ſepulchro, quod emit Abraham. D. Stephanus eleganter, ac breviter multa conjungit. Patres noſtri præcipui, ac principales, ut Abrahamus, Iſaac, ac Iacob poſiti ſunt in ſepulchro empto ab Abrahamo in Hebron; Alii vero filii Iacob poſiti ſunt primo in Sichem, & facit quandam recopilativè diſtributionem, noſtri Patres poſiti ſunt in agro empto ab Abrahamo, & in Sichem priores tres in agro empto, alii in Sichem. 96. *Explicatur difficultas*

Verſ. 17. *Cum autem appropinquaret tempus promiſſionis.* Syriacus: *Illius rei, quam pollicitus fuerat* Lyranus *multiplicandi ſemen ſicut ſtellas cœli, & pulverem terræ*, Geneſ. 13. n. 16. & Geneſ. 15. n. 5. *Quam profeſſus erat.* Syriacus: *Quam pollicitus fuerat jurejurando*, Arabicus, Tigurina: *Quam juraverat*, ad oſtentationem majoris in promiſſione perſeverantiæ. 97. Syriac. Lyran. Gen. 13. cen. 15. Syriac. Tigurin.

Crevit populus, & multiplicatus eſt. Syriacus *creverat populus, & invaluerat.* Alii Codices: *Multus fuit populus*, ita ut intra ſpatium 212. annorum, quo populus fuit in Ægypto, exceptis parvulis, mulieribus, & Tribu Levi *fuerunt omnis numerus filiorum Iſrael per domos, & familias ſuas à vigeſimo anno, & ſupra qui poterant ad bella procedere, ſexcenta tria millia virorum quingenti quinquaginta*, ut habetur Num. cap. 1. num. 46. & tam amplam multiplicationem merito D. Auguſt. lib. 18. de Civit. Dei cap. 7. tribuit magno miraculo. 98. Ar bic. Syriac. Alii Codic. Num. 1. D. Aug.

Verſ. 18. *Quoaduſque ſurrexit alius Rex, qui non ſciebat Ioſeph.* Quanta nempe beneficia Ioſeph Hebræus contuliſſet Ægypto, ideoque ab Hebræis averſus eos dirè affligebat, ut ſcribitur Exod. 1. n. 8. maximè homines obliviſcuntur de beneficiis acceptis. 99. Exod. 1.

Actor. 7. *n.* 19. Hinc circumveniens genus noſtrum, afflixit Patres noſtros, ut exponerent infantes ſuos ne vivificarentur

Num. 20.

Num. 30. Eodem tempore natus est Moyses, & fuit gratus Deo, qui nutritus est tribus mensibus in domo patris sui.

Num. 21. Expositio autem illo, sustulit eum filia Pharaonis, & nutrivit eum sibi in filium.

Num. 22. Et eruditus est Moyses omni sapiētia Ægyptiorum, & erat potens in verbis & operibus suis.

Num. 23. Cum autem compleretur ei quadraginta annorum tempus, ascendit in cor, ut visitaret fratres suos filios Israel.

Versiones

CVM EXPOSITIONE V.

100. Syrus. Græcus. Arabic. Vers. 19. *Circumveniens genus nostrum.* Syrus. *Dolose agens in cognationem nostram.* Græcus: *Sophismatibus implicans, & dolosis artibus.* Arabicus: *Exercuit pernicioſum dolum.* Cum ipse Pharao agnosceret quod nullam justam causam habebat persequendi Hebræos, multis dolis, & fallaciis usus est, ut eos persequeretur, de quo quæst. seq.

Arabicus. *Vt exponerent infantes suos.* Arabic. *Vt infantes eorum projicerentur*, scilicet in flumen; *ne vivificarentur.* Æthiopic. *Ne subadoleſcerent.* Vatablus: *Ne fœtus essent vitales.* Vivificare phrasis Scripturæ id

Æthiop. Vatabl. 1. Reg. 17. est vivum relinquere, 1. Reg. 17. n. 11. dicitur de Davide: *Virum, & mulierem non vivificabat.*

101. Syrus. Vers. 20. *Eodem tempore* tantæ calamitatis, & afflictionis, *natus est Moyses, & fuit gratus Deo*, Syrus: *Charus Deo.* Alter Syrus vertit: *Dilectus Deo, gratioſus Deo.* D. Chrysost. *Irreprehensibilis.* Arabic.

D. Chrysost. Arabic. *Qui erat voto consecratus Deo*, fortè per patrem, & matrem, si puer incolumis à tanto periculo evasisset.

Quidam. Quidam modernus Author legit: *Moyses erat elegans Deo*, id est, insigniter elegans, ac pulcher, quæ Deo sunt pulchra eximia, & præclara sunt.

102. Cajet. Dicitur Deo gratus, & gratioſus; quia Deus Moysen à tanto periculo liberavit; secundo ait Caietanus: fuit Moyses acceptus Deo, non ex propriis meritis, sed ex Dei bonitate tamquam æternaliter prædestinatus, atque *ad plura bona opera agenda præordinatus.* Multis hic ostendit D. Stephanus Moysis excellentias, ut ostendat falsissimè dixisse Iudæos ipsum esse Moysi contrarium.

Cum tā nit Moyſ. 2.

103. Syriac. Arabic. Vers. 21. *Expoſito autem illo.* Syriacus: *Cumque expoſitus fuiſſet à populo*: fortè omnes de populo infantem volebant occultare ob ejus elegantiam, & pulchritudinem, ne periret. Arabicus: *Cum projectus fuiſſet.* Tota hæc historia latè narratur cap. 2. Exod.

Ioſeph. à n. 5. nomen hujus filiæ Pharaonis exprimit Ioseph lib. 2. Antiquit. cap. 5. vel 9. dic Thermutem, & erat filia unica Regis, & valde dilecta ab eo, ut testatur

Clem. Alex. Clemens Alexandr. lib. 1. Strom. cap. 13. Puritiam, ac educationem Moysis latè scribit Ioseph cit. loco, cætera in quæstionibus.

104. Exo. 2. Caietan. Vers. 22. *Et eruditus est Moyses.* De hac sapientia, ac eruditione Moysis nihil habetur in Exodo, sed solum ibi scribitur 2. n. 3. quod filia Pharaonis adoptavit eum filium, & ut ait Caietanus: *Satis innuens illis verbis regiam educationem in artibus liberalibus*, & statim de ejus ingenio, ac sagacitate scribitur: *Et erat potens in verbis, ac operibus*, Syriacus: *Divesque erat dictis, & factis.* Arabicus: *Redditusque potens erat*, in his valde mirabilis *verbis*, eloquentia, qua cunctos in sui sententiam trahebat,

Syriac. Arabic. *& operibus*, efficacia, ac executione rerum; nec obstat, quod Exod. 4. n. 10. Moyses se ineloquentem di-

Exod. 4. cat, hoc enim est comparatione Dei, cū quo loquebatur. Vel dicitur Moses eruditus in omni sapientia Ægyptiorum temporali, ineloquens in scientia spirituali ad gubernandum populum Dei.

105. Arabic. Vers. 23. *Cum autem impleretur ei.* Arabicus: *Vt autem impletum esset spatium quadraginta annorum.* Tanto tempore perseveravit in regali Pharaonis Syriac. palatio, ut Regius filius. *Ascendit in cor ejus.* Syriacus, *Subiit in animum ejus.* Deo inspirante *ut visitaret fratres suos* à quibus abesse, & eorum afflictionem, ac oppressionem videre molestissimum ei erat. Cur autem non antea, hoc pertinet ad supremam Dei providentiam, & quia quadragenarius erat in ætate matura, ac convenienti ad magna; & quia tunc maximè excrevit durities ministrorum, & afflictio populi, & tunc Deus propitius, & benignus remedio subveniens adfuit.

QVÆSTIO XII.

Quare Rex Ægypti tam crudeliter, ac durè persequebatur Hebræos?

106. Novitas in popu. lo. DIcitur Exod. 1. n. 8. *Surrexit Rex novus, qui ignorabat Ioseph.* Rex novus, Princeps novus novitates inducunt, frequenterque non in bonum populi, quod bene probatur exemplo Roboam, qui super onera imposita à Patre suo Salomone multum 3 Reg. 12 aggravarit, 3. Reg. cap. 12. n. 10.

107. Et ait ipse Rex ad suos Ægyptios, Exod. 1. n. 10. *Venite sapientes opprimamus eum*, scilicet Israel, stultè fatuus loquitur ipse, plenus erat odio, & ira, Eccles. 7 indeque nulla ei inerat sapientia. Ait Ecclesiastes 7. n. 10. *Ne sit velox ad irascendum, quia ira in sinu stultorum requiescit.* Nota ubi requiescat ira, in sinu *Vbi ira, non est sapientia* stultorum, quod pulchrè expendens ibi Caiet. ait: Caiet. *Vbi quiescimus diu moramur, & invenimur tamquam in loco proprio: juxta hanc similitudinem describitur ira quiescens in sinu stultorum, quasi proprius locus iræ sit animus stultorum.* Si ira suum incunabulum habet in stultitia, consequens est, ut ira, & stultitia æqualiter distent à sapientia, & ubi est ira, non est sapientia.

108. Et quænam fuerit causa tanti odii & iræ, ut dicatur, Exod. 1. n. 12. 13. *Oderant filios Israel Ægyptii, & affligebant illudentes eis*, & ad hoc movebantur Ægyptii metu, invidia, atque odio: primo metu quia frequenter loquebantur de terra sibi promissa in Abraham, ac proinde timebant Ægyptii, quod Hebræi cum multum excrescerent, & augerentur contra ipsos insurgerent, & expoliato Ægypto exirent. Secundo ex invidia quia videbant Ægyptii ab Hebræis superari, numerosa, & amplissima prole robusta, pulchra magnis dotibus ditata tam corporis, quam animi, sagacisque ac solertis ingenii. Tertia causa ex disparitate cultûs; nam Ægyptii colebant suum Apin, sive bovem, Hebræi reverētes adorabant verum Deum Creatorem Cœli, & terræ. Quartam Ioseph. odii causam scribit Iosephus, scilicet, quod vates quidam Ægyptius prædixerat, breviter quendā nasciturum puerum ex Hebræis, qui eos educeret ex Ægypto, ipsumque Ægypti imperium destrueret, ac spoliaret.

109. *M ultiplex in iuſtitia ob firmā dum re gnum.* Tota persecutionis, & afflictionis causa erat pro firmando, ac stabiliendo Ægyptiaco Imperio, ac statu, & hoc non intendebant justitia, ac virtute, sed vexamine, & oppressione aliorum, ad perseverationem regni Israëlitici in sua progenie. Unam Davidis mortem requirebat Saul, qui ait filio suo Ionathæ: *Omnibus diebus, quibus filius Isai vixerit super terram, non stabilieris tu, nec regnum tuum.* 1. Reg. 30. 1. Reg. 20. n. 31.

n.31. ut ita eum induceret ad procurandam Davidis mortem.

110. Psal. 37. Ex quo ait ipſi David Pſalm. 37. n. 20. *Inimici mei vivunt & confirmati ſunt ſuper me, & multiplicati, qui oderunt me inique.* Unde Saul, ejuſque ſequaces requirebant confirmationem, & augmentum ſui regni, in Davidis morte; ac odio iniquo, quo ipſum proſequebatur: *Qui oderunt me iniquè.* Et in hoc ſe exiſtimant confirmati, & corroborati ſuper me, quæ quidem confirmatio non innitebatur in juſtitia, rectaque ratione, ſed mala, ac depravata intentione mortis David. D. Ambroſ. præclarè ibi ait: *Confirmati, & multiplicati ſunt inimici David in hoc ſæculo, ſed non idoneum firmamentum, niſi ejus, qui confirmatur à Chriſto; denique illi confirmantur in ſæculo, qui oderunt juſtum inique.* Sunt, qui dum confirmantur habent firmum fundamentum, & hoc eſt in Chriſto, & aliud vel infirmum fundamentum, & eſt in hoc ſæculo.

Solecum Deo firmatur regnum.

D. Ambr.

QUÆSTIO XII.

Quare tot, & tantis calamitatibus opprimebantur Hebræi ab Ægyptiis?

111. Exod. 1. VT ſupra retuli ex Exod. 1. n. 13. *Oderant Ægyptij Hebræos, & eos affligebant*, atque ad amatidinem ducebant vitam eorum, & ſic dixit Rex: *Venite, ſapienter opprimamus eum.* Sapienter, callidè, & aſtutè multis, & variis modis; Primo ut firmarent lutum, & lateres, Exod. 1. n. 14. Secundo ut ædificarent urbes, & tabernacula. Tertio, ut ſcribit Ioſephus, ut Nilum in multas foſſas dividerent ad irrigandum ſingulorum agros, & prata. Quarto, ut inſervirent in omni famulatu, cultura, ac operibus terræ, ita ut nec die, nec nocte ullam haberent requiem.

Ioſeph.

112. Exod. 1. Quinto ut dicitur Exod. 1. n. 22. *Præcepit Pharao omni populo ſuo, dicens: quidquid maſculini ſexus natum fuerit, in flumen proiicite, quidquid fœminini, reſervate.* Mandavit Pharao populo ſuo, ſuiſque Ægyptiis, ut cum omni diligentia per univerſas domos Hebræorum pueros inquirerent, & proiicerent in flumen, quod illi omni crudelitate exequebantur, eos è ſinu, pectoreque matrum avellentes.

113. D. Aug. De hac re elegantiſſimè audiendus eſt D. Auguſt. ſerm. 89. de Temp. ubi ſic ait: *Quantæ perierun dolentium preces, quantæ in caſſum effuſæ ſunt lachrymæ, quanti gemitus, ululatuſque mulierum, cum parentes natos manibus exponi viderent, qui ſimile nihilominus mox facturi fuiſſent, ſuos jam caſus in aliis cernebant.* Omnes matres flebant, & lamentabantur, quædam quia eorum nati ex earum manibus extrahebatur, ut in flumen proiicerentur, aliæ lachrymabantur; quia ſimile infortuniũ ſuos naſcituros filios expectabat, ſicque in aliorum interitu imminentem ſuam ruinam profuſis lachrymis deplorabant; *ſuos jam caſus in aliis cernebant.* De pueris occiſis in Bethlehem ait Ieremias 31. n. 15. ut refert D. Matth. 2. n. 17. *Vox in excelſo audita eſt lamentationis, luctus, & fletus Rachel plorantis filios ſuos:* & tamen pueri Bethleemitici, qui occidebantur, non erant Rachelis filii, ſed Liæ, ut eſt communis ſententia, & dixi ſuo loco: Unde ergo planctus Rachelis? Merito quidem, quia etſi filii Liæ occidebantur, multi tamen ex natis Rachelis erant vicini, ac proximati Bethleemiticis, & inde in aliorum caſibus imminens ſuis malum timens deplorat: *Suos jam caſus in aliis cernebant.*

Ierem. 31. *In aliorum caſuum time imminens.*

113. Mandat impius Tyrannus: *Quidquid maſculini ſexus natum fuerit, in flumen proiicite, quidquid fœminei, reſervate.* O Diabolicum & peſtiferum inventum! Viriles virtutes vult perimere, & extinguere; fœmineas vero laſcivas, quibus mulier multum inſervit, intentat retinere. Pulchrè Rupertus tam ibi, quam lib. 1. in Exod. cap. 6. ait: Sapiens: *ergo hic Pharao*, nempe Diabolus, *talem virum odit, & iubet interimi, certus talem fœminam conſentientem adulterare poſſe.* Sicut Diabolus fugit viriles animos, qui fortiter contra ipſum inſurgunt, ſic ad arma perditionis fœminea quærit lenocinia, quibus homines facillimè ineſcantur. Vidit Pharao, quod *aſcendebant ſeptem boves pulchræ, & craſſæ nimis*, Geneſ. 41. n. 1. denotabatur ibi ſumma fertilitas, ac rerũ abundantia, ſed cur boves non erant maſculi, qui fortiores ſunt ad laborem, & ad agrorum culturam; denotabatur ibi multa rerum craſſitudo, ac pinguedo, quæ viriles animos enervat, ſua craſſitudine dant paſtum luxuriæ, & ineptitudinem virilis roboris.

Rupert. *Diaboli eſt curis frangere luxuriãque fovere.*

Gen. 41.

114. Exod. 1. Unde tanta crudelitas in diro Regis mandato exequendo: Graſſatur Pharao in populum univerſum, dicens: *Venite, ſapienter opprimamus eum*, Exod. 1. n. 10. Graſſantur etiam prætores, ac miniſtri pari immanitate ibi n. 13. *Oderant filios Iſrael Ægyptii, illudentes illis*: Facile ad improbitatem volat ſervus, ſed herus prævolat, quod optimè obſervat Salvianus lib. 8. ubi ait: *Promptum eſt intelligere quales illis familiæ omnes fuerint, cum ſerviles animos per ſe malos, etiam dominorum fecerit nequitia peiores.* Nulla difficultas eſt facere ſervũ improbum, quidquid jubet herus improbus, quod ſuo ingenio ſcitè notat D. Hieronym. epiſt. 4. ad Ruſtic. dicens: *Proclivis eſt malorum æmulatio, & quorum virtutes aſſequi nequeas, citò imitaris vitia.*

Salvian. n°

Servus improbus impoſitũ ſequitur. Dominũ

115. Poſtpuam Cain interfecit fratrem ſuum Abel, ſummopere timet ne vi aliena pereat, ſicque dicebat: *Omnis, qui invenerit me, occidet me*, Geneſ. 4. n. 14. Inſanus videri poterit Cain metus: In terris unus, tantum erat Adamus ejus pater, ac Princeps univerſi; unde ergo Cain ſibi timet? quis contra eum manum iniiciet? quis ferrũ acuet? quis gladium evaginabit? Belluane contra eum inſurget? profectò inſurget: Rectè ſanè ſibi timet; ipſe enim ſuo cum parente Adamo conſtitutus eſt belluarum princeps, ac Dominus, cumque fratrem ſuum Abel interfeciſſet, inde verebatur beſtiarum ungues, ac dentes, quæ quidem tamquam ad ſui Domini exemplum, quodam veluti ſingulari impulſu contra ipſum Dominum inſurgere, & interimere potuiſſent. D. Ambroſ. lib. 2. de Cain. cap. 9. ait: *Potuit quidem, & incurſus beſtiarum timere, qui legis divinæ jura violaverat, & præſumere de ſubiectis animalibus cæteris, qui hominem docuerat occidi.* Expende verba *præſumere de animalibus ſubjectis*, quod facerent, quod ipſe docuit facere hominem occidendo.

115. Gen. 4.

Cain ſævitiam diſcat ferr.

D. Ambr.

116. De parentibus Baptiſtæ ſcribit D. Lucas cap. 1. n. 5. *Fuit in diebus Herodis Regis Sacerdos quidam nomine Zacharias, & uxor ejus Elizabeth*, & ſtatim ſubdit: *Erant iuſti ante Deum.* Ad quid Sanctus Evangeliſta deſcribens præclaras parentum Baptiſtæ virtutes, impium Regem ſtatim commemorat; Solet enim Princeps trahere ſecum Senatum, ac populum quocumque velit, ideo pro magna horum parentum commendatione narratur tempus ſub quo impio Rege floruerint. Ea ſcilicet virtute erat Zacharias præditus, ut quod Herodes juberet, facile reiiceret, nec iret vi tractus, quod Herodes præiret. D. Chryſologus ſerm. 89. ait: *Tempus memorat Regis nefandi, & hoc accedit ad meritum Zachariæ.*

116. Luc. 1.

Magnâ laus, bonus ſervus ſub principe proterv.

QUÆSTIO XIV

Quare cum illi boni patres sua providentia potuerint abscondere puerum Aaron ne periret in flumine, non valent abscondere puerũ Moysen?

117. At noster Text. *Natus est Moyses gratus Deo, mãsit in domo patris sui tribus mensibus.* Exod. 2. n. 2. dicitur, quod *mater ejus abscondit tribus mensibus;* Lyran. quia, ut scribit ibi Lyran. *Refecerat statutum, quod in tribus mensibus semel scrutarentur Ægypti domos Hebræorum, ne pueri ibi essent absconditi,* & ita juxta Regis mandatum pueri in fluvium projicerentur. Hac lege tamen non obstante boni parentes potuerunt abscondere filium suum Aaron sua bona diligentia, ne periret, cur etiam eadem solertia, & modo secundum filium natum Moysen non absondũt, quid habuit puer hic Moyses, cui nisi Deus peculiari providentia subveniret, absque dubio demergeretur in flumen, & periret?

118. Natus est Aaron, & tamquam communis, & vulgaris homo apparebat, non sic Moyses, qui eximium, & altum sui specimen præbebat: ait Textus: Exod. 2. quod mater ejus *videns eum elegantem abscondit,* Chald. Chaldæus *bonum*, Pagninus *pulchrum.* D. Chrysost. Pagnin. *gratum Deo,* ita ut de eo scribat Rupertus lib. 1. in D. Chrysost. Exod. cap. 8. *Breviter, & parcè loquens Moyses de* Rupert. *semetipso dixit infantem se esse elegantem, & re vera* Splendor re virtutis excitatur inimica mallia. *tanta fuit elegantia, quanta divinum splendorem præsignari decuit.* Puer Moyses in facie ostendit se magnum, ac præclarum præ cæteris futurum, indeque nulla humana diligentia, sed tantum divina ab imminenti periculo liberari potuit, ne immersus in flumine periret; nam proprii ingenii, ac virtutis fulgores, & radii aliorum arma acuunt ad vulnera, & mortem, ut interimant. Apostoli à militum Magistratu Actor. 5. adducuntur in Synagogæ Concilium, Actor. 5. n. 26. & ad mortem non damnantur: At Stephanus ex Concilio rapitur ad lapides, quænam hujus rei causa? Actor. 6. Eam facer assignat Textus, Act. 6. n. 10. *Intuentes eum omnes, qui erant in Concilio, viderunt faciem ejus tamquam faciem Angeli,* quæ, ut jam ex D. Aug. suo in loco dixi, tanto splendore iniquorum animos accendebat in ira, & odio, ut ad lapides recurrerent.

119. Secundo urgente Regis edicto puer Moyses ponitD. Chrysost. tur in Ripa fluminis, ut imber ab aquis absorberetur. Considera supremum, & altum Dei consilium, ut rectè ponderat D. Chrysost. homil. 14. in Act. ubi sic ait: *Semper quæ videntur esse contra nos pro nobis fiunt. Hoc mirabile est, quod non per ea, quæ videntur securitatis esse, sed planè per contraria omnia pro nobis fiunt. Iussit Pharao proijci in flumen pueros; nisi pueri fuissent projecti, non fuisset servatus Moyses, non in Aula educatus fuisset, quando expositus est tunc factus est in honore.* Impius Tyrannus ad supprimendum, ac immergendum puerum, in fluvium mandat immergi; at alta Dei providentia, id quod erat mandatum ad interitum, ordinat ad salutem, vitam, ac exaltationem. *Quando expositus est, tunc factus est in honore.* Si non fuisset expositus, nunquam Regis filius fuisset habitus, & ut talis in regali aula educatus, atque instructus in omni Ægyptiorum sapientia: solet Deus de majori tyrannorum furore suis salutares vias educere.

Quod inimicus molitur ad pœnã Deus vertit in gloriam.

120. Urgente Nabuchodonosoris mandato tres illi Sancti pueri, ut erant vestiti in ardentem fornacem immittuntur: *Confestim viri illi vincti cum braccis suis, & tyaris, & calceamentis, & vestibus missi sunt in medium fornacis ignis ardentis; nam jussio Regis urgebat.* Dan. 3. Daniel. 3. n. 21. Regis imperium vehementer instabat, ut confestim absque ulla dilatione in ignem projicerentur ita ut non daretur spatium, ut tyaræ à capitibus, vestimenta à corporibus extraherentur, sed tantum vinculis ferreis abirent in ignẽ. Furibunda, ac tyrannica Regis mens sua fervescente ira rapiebatur, ut pueri temporis momento ab igne devorarentur. At ipsum Regis furorem Deus in illorum incolumitatem, atque exaltationem ordinabat. Theodoret. valde eleganter ibi. *Ita devincti Sancti* Theod. *illi in ignem conjecti sunt, & ille quidem celeritatis, ac brevitatis causa ipsos ita comburi præcipit: Divina vero gratia aliud hinc moliebatur mysterium; nam circumvincta illis ferrea vincula usitato more ignis natura dissolvit; indumenta autem, quæ admodum facilia ad comburendum erant, integra, & illæsa conservavit.*

Deus per contraria media salutares effectus disponit.

Tertio D. August. serm. 86. ait: *Comperens processit divina vindicta, ut suis à fletibus puniretur Pharao, & Moyses pro aliis eruendis erueretur.* Notanter expende verba. *Pro alijs eruendis erueretur.* Alta Dei providentja ad populos ex captivitate, ac multis periculis eruendos ordinabatur Moyses, inde providetur, ut ipse prius à periculis eruatur, ut ipse facilius, & valde promptè aliis exhibeat, quod ipse tam mirabiliter ex Dei benignitate receperat. 121. D. Aug. *Assecutus misericordia facilè misereturr.*

Prima Corinth. cap. 15. n. 14. ait Paulus: *Si Christus non resurrexit vana est fides vestra, adhuc est* 122. 1. Cor. 15. *in peccatis vestris.* Si Christus à mortis vinculis per gloriosam suam resurrectionem non est erutus, adhuc nos non sumus à peccatis liberi: Atqui ante resurrectionem præcessit mors Christi, qua copiosissime sumus redempti, & ab omni malo liberi, cur adhuc requiritur resurrectio Christi, ut à peccatis simus justificati, ut idem Apostolus ait: Rom. 4. n. 25. Rom. 4. *Resurrexit propter justificationem nostram.* Ad quod dicimus, quod Christus D. in sua resurrectione tamquam in termino posuit, & absolvit complementũ sui muneris, ac meritorum, qua tam magnificè surrexit ad gloriam, ut nos quoque cum illo ad gloriã resurgeremus, ad quam tota nostra justificatio fuit ordinata, & quemadmodum ille resurgendo liberatus, ac erutus est ab omni malo, ac corporis infirmitate, sic, etiam nos per nostram resurrectionem liberos, ac erutos fecit. Theophylact. ait: *Mortuus igitur est Christus, & excitatus à morte, ut à pravis nos facinoribus eruat, ac justos reddat,* sicut ipse erutus est à corporis infirmitatibus, sic ipse abundantissime nos eruit ab infirmitate corporis, & animæ. Theoph *A malo liberato facilè alios liberat.*

QUÆSTIO XV.

Quare Pharaonis filia puerum Moysen vagientem in filium adoptavit?

123. At noster Textus: *Quem filia Pharaonis sustulit, & adoptavit in filium,* quod latius describitur, Exod. 2. n. 6. Cum filia Pharaonis vidisset fiscellam, aperiens, cernensque in ea parvulum vagientem, ejus commiserata in filium puerum ipsum adoptavit, circa quæ multa adducunt Expositores ad citata verba Exodi: In quo ostenditur singularis Dei providentia erga suos. Primo expendo *Parvulum vagientem*, seu *lugentem*, Septuaginta *flentem*, pro quo audiendus est D. Gregor. Nyssenus de vita Moy- D. Nyss. sis, ubi ait: *Videmus re ipsa si quis turbini, ac procellis humanæ vitæ resistit, nec se obrui patitur, eum à corrupta hominum societate, ac vita tamquam onus grave rejici, atque repelli, quam qui effugit, vagitum imitetur Moysis, nec lachrymis parcat: lachryma enim fidelis quædam custos est eorum, qui veram quærunt virtutem.* Quem nec parentes, nec cognati, ac amici

Lachrymæ custodiunt, & exaltant.

amici potuerunt à morte custodire, ac liberare, unius pueri vagitus, ac planctus ipsum custodivit, incolumemque servavit, ac, ut filius Regis fieret, exaltavit. De lachrymis ait Petrus Damian. lib. 13. de perfect. Monach. c. 12. *Lachryma in conspectu pij iudicis supplicant, nihil hæsitant, sed sic misericordiam tamquam rem quamlibet proprij juris sibimet vendicant, & impetrare se quod petierant, confidenter exultant.* Damian.

124. Secundo, altissima ponderatione dignum, quod puer in ripa fluminis expositus ab omnibus destitutus, à nemine ex suis parentibus notus assumatur, ut nutriatur in aula regali, foveatur in Reginæ sinu, ut filius Regis multis donis, ac beneficiis veneratus, & ab omnibus ut Regis filius, ac regni hæres ita reverentiâ cultus, ut inter sapientes, & doctos multa cum sapientia proficeret; & tamen divina providentia disponit tãtum puerum totius Ægypti depopulatorem, ac ipsius Pharaonis futurum flagellum, & talis domus destructorẽ, & interemptorẽ. Sic sæpè fit Dei ordinatione ad majorem Regum pœnam, ut, ab his, quibus maiora impendunt beneficia, maiora damna recipiant, & beneficia collata adversus Regem ipsum armentur; quod egregiè expendit Lippomanus, ubi sic ait: *Ipsum inter Regiam aulam educari oportuit; intra aulam proficere commodius potuit scientia rerum multarum ob consortia sapientum, experientia rerum omnium; auctoritate quoque crescere, vel ut adoptivus filius Reginæ; & potentia rerum agendarum; sic igitur parabatur à Rege contra Regem volente Deo.* Impense expende verba: *Sic parabatur à Rege contra Regem*, sic ut filius Regis adoptivus, multis donis, ac honoribus ditatus, sapientia, auctoritate, & potentia auctus *parabatur à Rege contra Regem.* Et sic valde frequenter fit, ut plurimi multis beneficiis locupletati parentur à Rege contra Regem.

Beneficia à Rege data cõtra Regem.

125. Tertiò D. Macharius homil. 9. ait: *Cum Deus Moysen prænosset & præordinasset futurum Ducem, & Redemptorem populi, effecit, ut adoptaretur à filia Pharaonis.* Cur Domine puerum hominum servorum, ac captivorum ad tantam elevas dignitatem, ut filius Regis habeatur? Poterat facile fieri, ut à quodam piscatore, vel vili homine inveniretur, & custodiretur in vita: alta Dei providentia disponit, à filia Regis inveniri. Elegerat Deus puerum, ut Præfectum, ac Ducem populi sui, & altè providit, ut viles natales, quos dederat natura deponeret, & nobiles, regalesque parentes per adoptionem compararet, ne absque nobilitate Reipublicæ regimen ei deferretur, unde ait Ecclesiastes 10. n. 17. *Beata terra, cuius Rex nobilis est.* Septuaginta: *Cuius Rex tuus filius ingenuorum.* Venet. *Si Rex tuus fuerit filius nobilium.* Vatablus? *Filius candidorum.* Alius legit: *Rex natus ex clarissimis*, ad auctoritatem, & reverentiam regnãtis multum facit auctoritas generis. De muliere illa forti dicitur: *Nobiles in porta vir ejus.* Proverb. 30.

D. Mach. *Natalitij splendor multum conducit ad gubernatorem.*

Eccl. 10. Septuag. Venet. Vatab.

Prov. 30

126. Vilis in principatu valde durus, & asperus, & ideo populo exprobrat Jonathas filius Gedeon: *Constituistis Regem Abimelech filium ancillæ*, Iudic. 9. n. 18. qui 70. fratres interfecit, ut regnaret, ut ponderat D. Thomas de Regim. Principis cap. 19. ex Aristot. dicens: *De vili loco assumpti ad Principatum, ut pluries lædunt politiam, & læserunt aliquando Chalcedoniam juxta illud Poëtæ: Asperius nihil est humili cum surgit in altum.* Econtrà verò nobilis in sublime valde lenis, & suavis est, ut optimè probat Joseph ex illustri prosapia Abrahæ, Isaac, Iacob prognatus suo exemplo, qui fratres, à quibus multa mala susceperat, benignè, leniterque suscepit, Genes. 45. n. 5.

Iudic. 9.

Ignobilis in dignitate asperus. D. Tho.

Gen. 45.

Quarto puer Moyses erat elegans, ac pulchra facie, ejus elegantia Principis animum multum devinxit, ac ad pietatem, clementiamque attraxit, & cum rectè scitet, ut ipsa fuit testata: *De infantibus Hebræorum est*, & edictum Regis urgeret de enecandis Hebræorum pueris, oraculumque extaret nasciturum quendam Hebræorum puerum, à quo Ægyptiorum populus delendus esset; tanta nihilominus erat pueri pulchritudo, ut eam compelleret puero subvenire, & à periculo liberare. 127. 128.

Ait Zacharias Propheta cap. 11. n. 7. *Assumpsi mihi duas virgas, unum vocavi decorem, alteram vocavi funiculum.* Se præparat tamquam ad exeundum in præliũ, ut valeat placidè, & quiete pascere suum gregem, & quænam ad hoc præparat arma? virgas ferreas, vel gladios? minimè; sed tantum decorem, ac funiculum, quia ubi decor apparet statim est injectus funiculus ad vinciendos, ac attrahendos animos: Pulchritudo, ac elegantia magis devincit ac subjugat, quàm quæcumque bellica instrumenta: Origenes homil. 20. in Numer. ait: Forma vincit armatos, ferrum pulchritudo captivat, vincuntur specie, qui non vincuntur prælio. Zach. *Fortissimè pulchritudo attrahit.*

Et maximè, quia ista pulchritudo in puero Moyse proveniebat veluti ab interno ex peculiari Dei gratia, qua eum ad magna, & alta disponebat, Exod. 2. n. 2. *Videns eum elegantem.* D. Chrysost. legit *gratum Deo* ob multa bona opera, quibus præparabatur ad serviendum Deo: illa autem elegans, & magna pulchritudo, quæ ex gratia futura erat, in anima illa jam elucebat in exteriori. Dicitur Genes. 24. n. 16. *Ecce Rebecca egrediebatur... puella decora nimis, virgoque pulcherrima, incognita viro.* Notanter bis dicitur Rebecca pulchra, semel *puella decora nimis*, & iterum *virgoque pulcherrima*, simul & bis ejus virginitas declaratur his verbis: *Virgoque pulcherrima, & incognita viro*, & qua de causa bis dicitur Virgo, bisque decora? Ut ostendatur quod pulchritudo illa exterior multum ab interiori puritate dependebat, ac virginitate; maximè augetur corporis elegantia ex animi candore, ac proindè toties dicitur pulchra in exteriori facie, quoties Virgo, & pura in interiori, maximè una dependet ab altera, unaq; sine alia non bene relucet. Ad hoc tendit D. Chrysost. tom. 6. homil. *Quales ducendæ sint uxores*, & ait: *Quid mihi narras in Rebecca pulchritudinem corporis? Vt discas insignem ejus pudicitiam, ut discas animi pulchritudinem: suscipienda namque res est ipsa pudicitia, sed magis etiam si conjuncta sit cum egregia specie.* Ubi Sanctus Doctor considerat in Rebecca pulchritudinem corporis cum animi pulchritudine, pudicitiam cum specie. 129. Exod. 2. Gen. 24. *Vera pulchritudo corporis cũ pulchritudine animi.* D. Chrysost.

Actor. 7. *n.* 24. Et cum vidisset quendã injuriam patientem, vindicavit illum, & fecit ultionem ei, qui iniuriam sustinebat percusso Ægyptio.

Nu. 25. Existimabat autem intelligere fratres, quoniam Deus per manũ ipsius daret salutem illis: at illi non intellexerunt.

Num. 26. Sequenti verò die apparuit illis litigantibus, & reconciliabat eos in pace, dicens: Viri fratres estis, ut quid nocetis alterutrum.

Num. 27. Qui autem iniuriã faciebat proximo, repulit eum dicens: quis te constituit principem, & judicem super nos.

Num. 28. Nũquid interficere me tu vis, quẽadmodum interfeciſti heri Ægyptium?

Versiones,

CVM EXPOSITIONE VI.

Vers. 24. *ET cum vidisset quendam injuriam patientem.* Syriacus: *Cum conspicatus esset quendam ex filijs suæ prosapiæ vim patientem.* Arabicus: *Quendam eorum oppressum.* Æthiop. *Quendam opprimentem eum.* D. Chrysost. *Quendam iniustè affligi,* ut scribit Exod. 2. n. 11. Vidit quod vir quidam injustè, atque tyrannicè persequebatur Hebræum; hic autem Ægyptius erat ex his, qui præerant operibus: *Vindicavit illum.* Syriacus *causam ejus egit.* Arabicus: *Vltus est,* cui damnum inferebatur. Chrysost. *Fecit vindictam pro eo.* Ubi maximè nota cum D. Chrysost homil. 5. de laudibus Pauli, celsitudo animi Moysis, qui cum esset habitus filius Regis; non contempsit fratres suos humiles, ac servos, ut pro eis causam agat, & ut advertit Philo lib. de vita Moysis; aliorum animos nobiles, ac generosos maximè sollicitat, & inclinat.

130. Syriac. Arabicus Æthiop. D. Chrysost. Syriac. Arabic. D. Chrysost. Philo.

Percusso Ægyptio. Syriacus: *Interemit Ægyptium illum, qui offenderat eum.* Æthiopicus: *Sepelivit eum in arena,* ad quod eum impulit, tum amor populi, ut ait Procopius, tum etiam crudelitas tyrannica visa, ut ait Lippomanus; hoc ut dicitur in Exodo fecit Moyses multa cum circunspectione; quia ut notat ibi Abulensis nostra opera cum magna cautela sunt agenda, & ideo ex hac cautela eum abscondidit, & sepelivit in arena, seu sabulo.

131. Syriac Æthiop Procop Abulens.

Vers. 25. *Existimat autem intelligere, quoniam Deus,* &c. Arabicus: *Existimans percepturos, atque agnituros, quod Deus per manum ipsius concessurus esset libertatem.* Æthiopic. *Daret Deus redemptionem.* Existimabat Moses jam esse publicum, ac notorium in populo, quod ipse esset designatus à Deo futurus liberator, ac Dux populi Israëlitici, tum ex revelatione facta patri ejus Amram, ut tradit Josephus, quod filius eius Moyses educturus erat populum de Ægypto, tum ex mirabili modo, quo servatus est, & adoptatus filius Regis, tum etiam ex mirabili elegantia, quæ in vultu ejus apparuit. quæ quidem, ut ait Philo de vultu Moysis, erat plusquam quid naturale.

132. Arabic. Æthiop. Ioseph. Philo.

At illi non intellexerunt. Arabicus: *Non perceperunt,* quæ hic adiunguntur à D. Stephano, propter ea, quæ unus ex Hebræis vers. 7. dixit Moysi; tum etiam, ut denotetur prævaricatio Hebræorum resistens divinis ordinationibus; tum etiam quia dicuntur *fratres, & non intellexerunt*; quia sæpe fratres aliorum fratrum magnalia non possunt videre, nec intelligere.

133. Arabic. *Invidia fratrum infratres*

Vers. 26. *Sequenti vero die,* post interfectum Ægyptium *Apparuit illis litigantibus.* Æthiopic. *Invenit duos decertantes,* nempe ex Hebræis, ut patet Exod. 2. n. 13. *Reconciliabat eos in pace.* Syriacus: *Persuadebat eis, ut in gratiam redirent.* Arabicus: *Hortatus est eos ad concordiam, & pacem.* Arias: *Compulit eos in pacem*; Optimi enim Principis est de suorum pace, ac quiete agere; nam pace cuncta florent, ac crescunt, discordia omnia marcescunt, ac pereunt.

134. Æthiop. Exod. 2. Syriac. Arabic. Arias.

Viri fratres estis; fraternitatem commemorat, ut ad amoris vinculum alliciat: *Vt quid nocetis alterutrum.* Syriacus: *Cur alius alium offendit.* Arias: *Quid injuria afficitis alij alios.* O præclara reprehensionis forma! nam, ut ait D. Chrysostom. homil. 5. de verbis Isaiæ: Cum increpatio de se sit dura, & ingrata, brevis sit, deinde sic increpat, ut reprehensio sit æqualis ad omnes, nec magis pungat unum, quam alterum, deinde cum multa modestia, ac benignitate sit, ut notat Procopius ad cap. 2. Exod. *Cum occurrisset fratribus inter se contendentibus non spiravit cædes, sed eorum animas amica castigatione mitigare instituit, quod quidem omen erat, ipsum futurum judicem populi Israëlitici.*

135. Syriac. Arias. *Reprehē sio lenis.* Procop.

Vers. 27. *Qui autem iniuriam faciebat.* Syriacus: *Porro qui offendebat socium suum*: Arabic. *Impedivit autem eum is, qui iniuria afficiebat alterum,* & hic, ut valde facinorosus atroganter contra suum monitorem insurgit; semper enim benignitas inter pessimos periclitatur, ut ait Lippomanus, & tales crimina, quæ faciunt, ac iniurias, quas patiant, volunt esse impunitas, ut advertit Oleaster in Exod. & qui pro beneficio pacis, ac reconciliationis gratias debebat exsolvere contra suum insurgit monitorem; *Numquam non perit, quod datur ingrato.*

136. Syriac. Arabic. Lippom. Oleaster

Quis te constituit Principem, aut iudicem super nos? Semper iniquus à se vult repellere judicem, & nullum alium superiorem vult habere super se, & ex hoc constat, ut advertit Lyranus, istum non intelligere Moysen esse à Deo constitutum iudicem, ac liberatorem populi, & ideo D. Stephanus dixit supra vers. 25. pluraliter: *Et illi non intellexerunt*, & quamvis iste non cognosceret Moysen, ut Judicem, ac Principem populi, tamen maximè ab eo venerandus erat, ut pacis, ac amicitiæ reconciliator, bene tamen notat Lippomanus: Impii neminem habere volunt Iudicem, nec Magistrum.

137. Lyran *Impii nolunt iudicem.* Lippom.

Vers. 28. *Nunquid interficere me tu vis?* Syriac. *Num nos interficere quæris?* Ait Christus Dominus Matth. 10. n. 26. *Nihil est opertum, quod non reveletur, & occultum, quod non sciatur.* Ad quæ verba sic ait D. Paschas. lib. 6. in Matth. *Opertum, & occultum dixit, quia nihil est in carne, aut anima geritur, quod non reveletur, aut nesciatur; revelanda sunt autem illa quæcunque perpetrata sunt, & commissa, scientur vero quæcunque fuerint cogitata; nam statim per varios effectus foris prodeunt, & manifestantur,* quod in anima latet.

137. Syriac. Matth. 10 D. Pasch.

Quemadmodum interfecisti heri Ægyptium? Hæc autem dixit iste malignus, & iniuriosus non leni, ac submissa voce, sed alte clamavit tamquam voce præconis, præ ira, & odio contra suum monitorem; nam ut dicitur Exod. 2. n. 13. illa verba audita sunt à Pharaone, & consequenter odium Moysis in Ægyptios.

139. Exod. 2.

QUÆSTIO XVI.

Quare Moyses occiderit Ægyptium, & an in hoc facto peccaverit?

Missis multis, de quo latè Scripturarii ad cap. 2. Exodi, dicendum existimo, quod Moyses licitè occidit Ægyptium, ex divina inspiratione, qua cognovit se esse constitutum à Deo ducem, ac defensorem, & liberatorem populi Israëlitici; hoc apertè significat Divus Stephanus in præsenti vers. 5. *Fecit ultionem percusso Ægyptio, existimabat autem fratres intelligere, quoniam Deus per manum ipsius daret salutem.* Reputabat Moyses apud omnes esse manifestum, se esse iam à Deo designatum ducem populi, & ideo pro ratione officii sibi commissi, fecit ultionem in Ægyptium pro defensione sui subditi, ac Hebræi, & pro hac re facit revelatio facta patri Moysis, & alia, quæ dixi supra adversus 25. n. 132. Ita D. Aug. D. Tho. Rupert. Lyranus Hugo, communiter Recentiores,

140. *Moyses à peccato excusatur.* D. Aug. D. Tho. Rupert. Lyranus Hugo.

Estius. Lorin. recentiores, Ioannes de Lahai Estius, & hic Acta latè Lorinus.

141. Moyses educatus erat in regali aula, ut filius Regis Ægypti habitus, cum videns Ægyptium Hebræum percutientem in eum insurgit, ac interficit, cur non timet ipsos Ægyptios, nam Regis, perdere tantum dignitatis locum? Ferebatur Moyses amore sui populi, & veluti pondere naturæ, quod nunquam occultari potest, quin in effectum prodeat, & prosperum habeat eventum, ut optimè dixit D. Nazianz. epist. ad Eudoxium: *Quæ ad naturæ ductum fiunt, plerumque bene succedunt, quæ vero præter naturam præsumantur, frustra tentantur.* Cumque naturæ impetu Moyses operaretur, feliciter Ægyptium interfecit.

Natura affectus non potest occultari D. Naz.

142. Percutit David Philisthæum, percutit Iudith Holofernem, tamen de tam magnificis, ac gloriosis trium his, quilibet diversa spolia sibi assumit, David post devictum, & prostratum Philisthæum *Assumens caput Philisthæi attulit illud in Iusalem, arma vero ejus posuit in tabernaculo suo*, 1. Reg. 17. num. 54. De percusso hoste caput ejus, & arma secum asportat; At Iudith jugulato Holoferne, non pugionem, quo jugulavit, sed caput ejus, & Conopeum secum assumit, & veniens in Civitatem convocatis omnibus magnatibus, ipsa in loco alto ostendit illis dicens: *Ecce caput Holofernis Principis militiæ Assyriorum, & ecce Conopeum illius, in quo recumbebat in ebrietate sua*, Iudith 13. n. 19. Confer modo unum cum altero, ambo pro Dei populo pugnant, ambo adversariorum capita præcindunt, ambo pro monumento victoriæ spolia deferunt, David non pretiosas inimici vestes, sed arma sibi elegit; at Iudith non arma, sed Conopeum quærit: Unde tanta rei diversitas? Ex affectu uniuscujusque naturæ: David vir bellicosus ad arma currit, fœmina Iudith assueta domui, Conopeum, tamquam velum, quo se abscondat, sibi eligit, unusquisque volat ad ea, quæ sunt sui proprii ingenii. Rectè dixit Salvianus lib. 7. *Vir in bello, mulier in domo; Vir cum lancea, mulier acu in manu; vir cum scuto; mulier cum circulo.*

1. Reg. 17. Iudith 13. *Natura prodit in suum affectum.* Salvian.

143. Semel, & iterum vidit Ioseph integro aspectu decem fratres suos, imo & duris verbis locutus est ad eos, at in ultima vice, cum ingressus fuisset cum eis Beniamin, in ipsumque oculos defixisset Ioseph, ait Textus: *Commota fuerunt viscera ejus super fratre suo*, Genes. 43. n. 30. Septuaginta: *Convolvebantur intestina ejus super fratrem suum.* Pagninus: *Incaluerunt miserationes super fratrem suum.* Et cur modo, & non antea, tam vehemens viscerum fit commotio, Notat Moyses: *Vidit fratrem suum uterinum Beniamin*, & cum esset frater suus uterinus, quodam veluti naturæ impulsu ferebatur in eum, ut minimè se continere posset. Oleaster ait: *Non potest enim natura negare quod suum erat, non est super alios fratres, sed solum super hunc commotus est.*

Gen. 43. *Quid est à natura negare?* Oleast.

QUÆSTIO XVII.

Quare Moyses videns duos rixantes se intromittit ad illorum pacem?

144. Exod. 2. *Iniuste offensum Regis animi est defendere.*

AIt Textus: *Vidit*, scilicet Moyses, *duos Hebræos rixantes, dixitque ei, qui faciebat iniuriam, quare percutis proximum tuum?* Ex hoc facto rectè conjecturat D. Chrysost. magnum futurum Principem, cum eo, quod non posset sustinere alicuius iniurias, absque eo quod ei succurreret, ac opem ferret. Cum Nathan proposuisset Davidi parabolam quod dives oppresserit pauperem, ut tolleret ovem eius ad convivium hospitis, ait Textus *Iratus autem indignatione David, dixit ad Nathan, Vivit Dominus, vir qui fecit hoc ovem reddet in quadruplum*, 2. Reg. 12. n. 5. Valde mirum, non indignatur David indignatione magna contra suum persecutorem Saulem, contra suum filium rebellem Absalon, & contra maledicentem Semei, sed contra istum, qui opprimit pauperem? Abulens. *Indignatur ob magnam iræ affectionem erga virum, qui talia fecerat.* Ut Rex magnanimus patienter sustinet insurgentes in se, non vero contra pauperculum, absque eo quod ab oppressione eum liberet, ac ei subveniat. 2. Reg. 12. Abulens.

145. Secundò ait: *Cur percutis proximum tuum*, non exaggerat culpam, non aggravat crimen, sed cum modestia loquitur, ut notat D. Chrysost. & ait: *O iusti longanimitatem, ò excellentem modestiam!* Reprehensio dura exasperat, mitis proficit, & sanat. Cum Achan per sortes divinitus esset criminis reus in præda facta in Jericho, ait ad eum Iosue 7. n. 19. *Fili mi, da gloriam Deo, & confitere, atque indica mihi, quid feceris.* Ob cujus furtum multa confusio facta est in populo, & multi milites corruerunt in prælio, & tamen in auctorem tantorum malorum non dure insurgit Iosue, nec aliquo nomine aspero eum compellat, sed eum vocat, dicens, *Fili mi* ut suaviter, ac dulciter eum alliciat ad medicinam, ac salutem Carthusian. ait: *Sanctus Iosue vir discretus ac mansuetus non turbulenter, sed piè, ac mitè, primo alloquitur reum, ne ex dura allocutione perterritus, aut exacerbatus non acquiescat veram dare responsionem.* D. Chrysost. Iosue 7. *Reprehensio non sit aspera, sed suavis.* Carthus.

146. Tertio, rectè sciebat Moyses se esse à Deo constitutum Principem ac Ducem populi Israëlitici, cur sua potestate, ac jurisdictione non utitur imperans huic injurianti, ut à sua iniqua oppressione desistat, sed ait: *Cur percutis proximum tuum.* Ac ratione proximi objecta eum compescere vult, ut optimus, ac magnus Princeps optimè callebat, quod res potius ratione, quam potentia, ac vi sunt disponendæ: ait Ieremias 23. n. 5. *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, & suscitabo David germen justum, & regnabit Rex; & sapiens erit.* Ad litteram loquitur de Christo D. ut est communis sententia Sanctorum Patrum nostror. D. Cyrill. D. Hieron. Theodor. & aliorum, & ait: *Regnabit, & sapiens erit.* Consequentius videbatur dicendum: Regnabit Rex, & potens, & magnificus erit, sed ait *Sapiens*, quia ut valde, & supremus Rex cuncta agebat, ac disponebat, non vi, ac potentia, sed ratione, ac sapientia: Eusebius Gallicanus homil. 6. de Paschate ait: *Potuit filius Dei hostem humani generis in Cœlo positus, nutu ipso Divinitatis illidere, sed ne quid tale Diabolus conqueri posset, placuit Deo secundum iustitiam suam pro humano genere offerre filium*; noluit agere secundum potentiam, sed secundum rationem justitiæ. *Res ratione, & non potentia agenda.* Ierem. 23. D. Cyril. D. Hier. Theod. Gallic.

147. Quartò videns facientem injuriam ait ei: *Cur percutis proximum tuum?* Qui respondit ei: *Quis te constituit Principem, aut iudicem super nos.* Fatuè, ac insipienter loquitur, ubi enim charitas urget, nullus est necessarius Princeps, vel iudex: Ipsa charitas cuncta componit, ac redintegrat, ut supervacaneus sit iudex. Cum Sciphus Ioseph deesset, de illius furto accusabatur Beniamin, Ioseph personam iudicis agens severam protulit sententiam: *Qui furatus est Sciphum, ipse meus servus sit.* Gen. 44. n. 17. quo audito cæteri fratres in lachrymas prorupit, omnesq; cum periculo se exponunt, & offerunt carceri, vinculis, ac servituti, & captivitati pro liberando Beniamin. Quid Ioseph? personam iudicis deponit & voce Gen. 44.

magna clamat: *Ego ſum Ioſeph frater veſter*, Gen. 45. Geneſ. 45. n. 4. Uſque modo tanquam ad alienos judex ſeverus, at ubi tanta charitas reſplendet, non judex, ſed frater eſt. Pulchrè Theodoret qu. 105. & ait: *Experiri volens animum fratrum, & liquido noſſe, an Benjamin calumniam paſſum defenderent; ob id in ejus ſaccum ſcyphum abſcondit: At ubi non tantum patrocinari, ſed & pro eo certare illos proſpexit, perſona ejus, qui imperaret, depoſita, fraternum vultum exhibuit.* Quandiu dubitat de eorum fraterna charitate, ut judicem ſeſe oſtentat, at ubi vidit eos pro fratre tam fervidè decertare ad vincula uſque, & carceres: *Perſona ejus, qui imperaret, depoſita, fraternum vultum exhibuit.*

Vbi fraterna charitas nullus iudex neceſſarius Theod.

QUÆSTIO XVIII.

Quare modo Moyſes de afflictione populi agit, & non antea?

148. *Difficultas quæſtionis.* EXtitit Moyſes uſque ad quadrageſimum ætatis annum in aula Pharaonis, & per hos annos videns crudelem, & barbaram tyrannidem Pharaonis, & duritiem eorum, qui præerant operibus, tamen Moyſes ad hæc ſemper obmutuit, nec ad minimum ullam actionem fecit; at verò modo egrediens viſitans fratres ſuos pro vindicando uno ab injuria *fecit ultionem percuſſo Ægyptio*, unde illi tam novus, & repentinus zelus?

149. *Palatini maximè ſibi conſulunt* D. Ambr. Quandiu erat Moyſes in aula, & ſi apud ſe tantam damnaret crudelitatem, tacebat tamen; at ubi corpore, & animo egreſſus ab illa eſt, ſtatim miſerabilium patrocinium ſuſcepit, eorum cauſas agit, & illatas injurias ulciſcitur. D. Ambroſ. lib. 2. de Cain cap. 4. *Interfecit Moyſes Ægyptium, & fugax factus eſt de terra Ægypti, ut declinaret ejus terræ tyrannum, ſed non ante illum interfeciſſet Ægyptium, niſi prius in ſe abdicaſſet regalium luxum bonorum.* Expende ultima verba, quandiu erat in regali aula, & ſinu, & ſi bene oppreſſiones agnoſceret tacebat; at ubi corpore, & animo receſſit ab ipſo regali luxu egreſſus ad fratres miſerabilium miſeretur, omnia contemnens juxta Apoſtol. Hebræor. 11. omnem eorum tutelam aſſumens, ut eos liberaret.

150. *Qui in Regis aula pauperum non miſeretur.* Ad ſuum dilectum ait Anima ſancta, Cantic. 8. num. 1. *Quis mihi det te fratrem meum ſugentem ubera matris meæ, ut inveniam te foris, & deoſculer te.* Eum exoptat non inter ſuaviſſima, ac dulciſſima matris ubera, ſed foris, ac extra illa, ut ejus colloquiis fruatur, & ſibi opem habeat, & illi in ſuis neceſſitatibus ſubveniat, tunc eum maximè ad miſerandum inveniat. Ad hoc tendit D. Ambroſ. lib. de inſtitut. Virgin. Dum anima ſancta exoptat Chriſti adventum, & ait: *Vide illum intus, quod in ſinu eſt Patris: cognoſce illum foris, quando nos quærit; ut redimat, foris tibi factus eſt, ut mihi intus eſſet: Idem ferè habet Philo referens ad paſſionem.* D. Ambr. Philo.

Actor. 7. n. 29. Fugit autem Moyſes in verbo iſto, & factus eſt advena in terra Madian, ubi generavit filios duos.

Num. 30. Ex expletis annis quadraginta apparuit illi in deſerto montis Sina Angelus in igne flammæ rubi.

Num. 31. Moyſes autem videns, admiratus eſt viſum, & accedente illo, ut conſideraret facta ad eum eſt vox Domini, dicens.

Num. 32. Ego ſum Deus Patrum tuorum Deus Abraham, Deus Iſaac, Deus Iacob. Tremefactus autem Moyſes non audebat conſiderare.

Verſiones

CVM EXPOSITIONE VII.

Verſ. 29. FVgit autem *Moyſes in verbo iſto.* Arabic. *Fugit ad hujuſmodi ſermonem.* Æthiopic. *Propter hunc ſermonem timuit.* Syriacus: *Factus eſt inquilinus.* Vatabl. *Peregrè habitavit.* Explicat Textus: *In terra Madian*, à qua Madianitæ, & Urbs quædam fuit condita à Madian filio Abrahæ ex Cætura, Geneſ. 25. n. 2. Ibi Moyſes duxit uxorem filiam Iethro Sacerdotis, qui ut advertit Euſebius lib. 9. de Præpar. Evangel. cap ultimo ex Demetrio hiſtorico, erat ex progenie Abrahæ per Ieſſan, & Cætura, Geneſ. 25. n. 3. ex ea habuit Moyſes duos filios Gerſan, & Elieſer, Exod. 18. n. 3. Iethro autem Sacerdos erat hoc tempore Idolorum, poſtea videns mirabilia, quæ fecit Deus in Ægypto per Moyſen factus eſt Sacerdos veri Dei, Exod. 18. num. 12. 151. Arabic. Æthiop. Vatab. *Madianita à quo?* Gen. 25. Euſeb. Gen. 25. Exod 18.

Verſ. 30. *Expletis annis quadraginta.* Arabicus: *Cum abſolviſſet annos quadraginta*, ut notat Lyran. à fuga Moyſis de Ægypto, agebat tunc Moyſes annos octoginta; hos autem quadraginta annos tranſegit Moyſes paſcendo oves meditando, & contemplando Dei mirabilia. Pererius vult, quod hoc tempore compoſuerit librum Iob, & librum Geneſeos, ut Hebræos in Ægypto oppreſſos conſolaretur. 152. Arabic. Lyran. Perer.

In deſerto montis Sina. In Exod. 3. n. 1. dicitur, in monte Horeb. Mons Sion, & Horeb in radice eſt idem mons, poſtea in ſummitate dividitur in duos colles, unus dicitur Horeb à voce Hebraïca ſignificante ſiccitatem, vel ſolitudinem; alter dicitur Sion reducta ſignificatione à nomine Hebraico, quod idem valet, ac copia, ſeu multitudo ruborum, notant Adrichomius, & alii Horeb propriè eſſe partem, vel jugum eminens montis Sion. 153. Exod. 3. *Mons Sion & Horeb.* Adrich.

Apparuit Angelus. Syriac. *Viſus eſt ei Angelus.* Exod. 3. dicitur *Apparuit ei Dominus.* Re vera Angelus erat, ut ait hic D. Stephanus agens, & loquens in perſona Dei, non Patris, nec Spiritus ſancti, ſed Dei Filii; denotabatur ibi quomodo ipſe deſcendit de Cœlis ad terram, ut nos liberaret à captivitate Dæmonis, ita D. Chryſoſtom. in præſenti S. Iuſtin. contra Tryphon. Tertullian. lib. 2. contra Marc. D. Hilarius lib. 4. de Trinit. D. Ambroſ. lib. 1. de fide. Angelus autem iſte communiter exiſtimatur, quod fuerit Sanctus Michael; ſicut enim olim fuit cuſtos Synagogæ, ſic & nunc eſt Eccleſiæ Sanctæ Dei. 154. Syriac. Exod. 3. *in perſona Dei Filii.* D. Chryſoſt. D. Iuſtin Tertull. D. Hilar. D. Ambr.

In igne flammæ rubi. Syriacus: In igne, qui ardebat in rubo. Arabicus: *In flamma ignis Rhamni.* D. Chryſoſt. *Flammæ incendio.* In rubo materia valde facilis, & apta ad comburendum, ad majorem evidentiam miraculi. *In flamma ignis.* Ignis non fuit tantum apparens, ſed verus, & realis, aliàs deciperetur Moyſes, & ex aëre circunjacente excitatus fuit ab Angelo, in cujus medio apparebat illud ſymbolum, ſeu imago Angeli, quæ plus ſuper ipſum ignem reſplendebat. 155. Syriac. Arabic. D. Chryſoſt.

Verſ. 31. *Moyſes autem videns admiratus eſt viſum,* Arabicus: *Demiratus eſt ſpectaculum.* Æthiopic. *Admiratus eſt horrorem ejus*, quem ex viſione concepit, nam, ut ipſe dixit, Exod. 3. n. 3. *Vadam, & videbo viſionem* 156. Arabic. Æthiop. Exod. 3.

visionem hanc magnam, quare non comburatur rubus. Cum de se facilis sit combustibilis, de quo plura in quæstion.

157. *Cur dicitur. Deus horum.* Vers. 32. *Ego sum Deus, Patrum tuorum, Deus Abraham.* Non dixit: Ego sum Deus Abraham, Isaac, Iacob. Sed in singulis peculiariter se nominat Deum, *Deus Abraham, Deus Isaac,* & ac si glorietur Deus de tantis, ac talibus servis, & peculiariter dicitur *Deus eorum.* Primo quia toto mundo ardente in idololatria Deum coluerunt; Secundo, quia ad hos tres promissa fuit terra Canaan, ad quam Deus per Moysen Hebræos ducebat. Tertio quia his tribus maximè se Deus beneficum ostenderat multa bona suis posteris promittens. Quarto, quia in his tribus maximè resplenduerunt virtutes, in Abrahamo fides, & obedientia; in Isaac animi puritas cum contemplatione; in Iacob laborum tolerantia cum patientia, & constantia.

158. *Syriac. Arabic. Æthiop.* *Tremefactus Moyses non audebat considerare.* Syriacus: *Non audebat intueri visum.* Arabicus: *Non ausus contemplari.* Æthiopic. *Tremuit, & obstupuit,* ob celsitudinem jussionis rem novam, & non visam, quod rubus arderet, & non combureretur, & quod Angelus in medio ignis plus resplendesceret super ipsam flammam, tandem ob reverentiam tantæ visionis tremefactus est.

QUÆSTIO XIX.

Quare D. Stephanus tantum hic dilatatur in rebus, ac laudibus Moysis?

159. QUinque intervenerunt causæ, ob quas D. Stephanus tantum hic ampliatur, & maximè in laudibus Moysis; Primo quia Iudæi oppositerunt contra Stephanum, Act. 6. n. 11. quod ipse dicebat verba blasphemiæ in Moysen, & in Deum, id est, ejus legem, ostendit totum esse falsum; nam Moysen, maximè honorificat, cujus magnalia tam ampla, ac talia extollens refert. Secundo nil contra legem, quam multum veneratur, utpote datam per manum Angeli, hoc cap. num. 37. Tertio dixerunt citato cap. 6. quod ipse Stephanus loquebatur contra locum Sanctũ, scilicet Tabernaculum Dei, ac Templum, ostendit totum esse à veritate alienum, testificatur factum à Moyse juxta Dei ordinationem & templum ædificatum à Salomone infra in hoc cap. à n. 44.

Actor. 6. Tres primæ rationes.

160. *Sugillatur Iudæorum crudelitas.* Quarto Moysis exemplo tanti benefactoris, toties tamen à populo contempti, repulsi, exulperati, & ad mortem, ac lapides expetiti, tacitè sugillat ingratitudinem Iudæorum in Christum, à quo, tot, & tantis beneficiis, & sanctissimis præceptis instructi, tamen eum post varias persecutiones, & contumelias, in Cruce inter Latrones crucifixerunt, propter quod D. Stephanus in fine hujus orationis eos vocat proditores, & homicidas, patrumque suorum imitatores.

161. *Testimonium de Christo.* Quinto ut illius tam magni Prophetæ præclarum, ac manifestum de Christo testimonium, quod proferre volebat, commendabilius, acceptabiliusque redderet. Unde ita de Moyse sermonem concludit: *Hic est Moyses, qui dixit filiis Israel, Prophetam suscitabit vobis Deus, de fratribus vestris, tamquam me ipsum audietis.* Infra n. 37. nempe Christum D. omnium Prophetarum Principem, quem audietis dissolvens peccata, & dans verba salutis æternæ.

162. *Cant. 2.* De Christo D. ait divina Sponsa: *En ipse stat post parietem nostrum respiciens per fenestras, prospiciens per Cancellos,* Cantic. 2. n. 9. Septuaginta legunt: *Prospiciens per retia.* D. Ambros. *Eminens super retia.* Erat homo in mundo maximè laqueis, ac retibus peccatorum colligatus, carnalium concupiscentiarum catenis irretitus, & non habebat unde à tot ligaturis se posset expedire, venit Iesus filius Dei factus homo *Eminens super retia,* ut in se purus, & liber ab omni labe, & fæce peccati, *Eminens super retia,* ut nostrorum peccatorum, ac prævaricationum tendicula, ac irritamenta, ut illa conculcaret, comminueret, ac dissiparet, suosque doceret talia vincula disrumpere, ut cum ipso valeant in vitam æternam evolare. D. Ambros. serm. 6. in Psalm. 118. sic ait: *Venit Iesus ad laqueos. Omnes retibus tenebamur, nullus alium eruere poterat, cum se ipsum non posset eruere. Talis ergo necessarius fuit, qui vincula generationis humanæ non teneret: Is solus erat Iesus, qui cum huius carnis se circumdedisset vinculis, captus non erat, non erat alligatus, sed disrumpens illa, atque dissolvens ad se magit vocavit Ecclesiam prospiciens per laqueos, eminensque super retia, ut & ipse discerat vinculis non teneri.*

A Iesu præsentia omne peccati destruitur.

D. Ambr.

163. *Cant. 2. Vbi Iesus, peccatũ destruitur.* Ab eadem similitudine, ac metaphora non discedamus: ait divinus Sponsus animæ sanctæ, Cantic. 2. n. 10. *Surge, propera amica mea, formosa mea, columba mea, & veni.* Quæ verba sic legit D. Ambros. *Surge, veni proxima mea, noli timere retia, jam hiems præterit.* Iubetur quod non timeat retia peccatorum, & unde illi securitas, ut talem à se amorem excutiat; quia Iesus eminet super retia, ad illa conculcanda, ac comminuenda, ita ut hyemalis, ac frigida peccatorum tempestas jam præteriit, ac dissoluta est. D. Ambros. lib. de Isaac cap. 4. ait: *Iure ergo retia timere non debet, cum is vocat ad se animam, qui tentamentis, & retibus mundi non potest capi; nam cum nos homines ambulemus in medio laqueorum per appetentiam escæ, retibus simul, & laqueis obnoxij sumus. Ille in corpore positus retia non timebat, sed eminebat super retia, id est super tentamenta mundi, & corporis passiones; imo & alios eminere faciebat.*

D. Ambr.

QUÆSTIO XII.

Quare D. Stephanus ait in præsenti, quod Moyses præ timore Pharaonis fugerit, cùm Apostolus dicat ipsum veritum non fuisse Regis præsentiam.

164. NUnc ait D. Stephanus, quod publicata, & manifestata morte Ægyptij à Moyse facta, timens Pharaonem fugerit ipse, sicut etiam habetur, Exod. 3. n. 15. Hoc videtur repugnare cum Apostolo Hebræor. 11. n. 27. Ubi ait: de Moyse, *fide reliquit Ægyptum, non est veritus animositatem Regis.* Timere, & non timere contradictoria sunt, quomodo ergo hæc possunt cohærere.

Exod. 3. Hebr. 11

165. *Duo consideranda in timore.* Respondet D. Thomas ad citatum Hebræorum locum, & ait: *Dicendum quod in timore duo sunt consideranda, & unum est vituperabile, si propter timorem, aut fiat, quod non est faciendum, aut quod faciendum non fiat, sic non timuit Moyses, qui propter timorem non omisit iuvare fratres suos; alterum est laudabile, si quis salva fide refugiat periculum instans, sicut Dominus præcepit discipulis suis,* Matth. 10. 23. Cum persequentur vos in Civitate ista, fugite in aliam: *Si quis autem salva honestate sua posset vitare periculum, & non vitaret, stultus esset, & tentaret Deum.*

D. Tho.

Matth. 10.

166. *Abulens. Lyranus. Perer.* Tamen Lyranus, Abulens. Pererius aliter explicant locum Apostoli: *Fide reliquit Ægyptum non veritus animosi-*

animositatem Regis. Referunt ad egressum quando Moyses eduxit Israëlitas de Ægypto fide plenus non timuit potentiam Regis, quod Deus eum adjuvaret faciens multa prodigia, & miracula contra Pharaonem.

167. At in præsenti loquitur D. Stephanus ob timorem iræ, ac furoris Pharaonis: Maximè inter viros fortissimos decantandus est David, qui de se ait: *Veniebat Leo, vel Vrsus, & tollebat arietem de medio gregis: & persequebar eos, eruebamque de ore eorum: & illi consurgebant adversum me, & apprehendebam mentum eorum, & superabam & interficiebam eos,* 1.Reg.17 1.Reg.17.n.37. Quæ major virium fortitudo, ac robur, animique generositas, ac audacia, potest in uno homine excogitari, quam quod ipse inermis occurrat Leonibus, atque Ursis, illosque, aut suffocet elisis faucibus, aut manibus in frusta concerpens dilaceret. Unde de eo scribitur Ecclesiast. 47. n. 3. *Cum* Eccl. 47. *Leonibus lusit, quasi cum Agnis, & Vrsis similiter fecit, sicut in agnis ovium in juventute sua.* De quo aliquo alio homine talia scribuntur? Ubinam talis fortitudo inveniri potest? & tamen tam magnanimus vir, qui ad prælium exiit cum Goliath, sæpe sæpius fugit à facie Saul, 1.Reg.18.n.10.& cap.22. n.1. & multoties alibi Adrichom. in tribu Juda 201. ait: *Fugiebat David, non ex pusillanimitate, sed ex cautela.* Plus timenda ira, & furor unius maligni hominis, quam rabies, ac sævitia omnium Bestiarum, ac feratum etiam Leonis, & Ursi, & qui hos contemnebat ab indignatione unius hominis toto pectore recedit, ac fugit.

Fortes timêt ex cautela. Adrich.

168 Hæc autem sæva, & crudelis duritiæ communiter invenitur in Regibus; ac porentatibus, ut in Pharaone erga Israelitas, in Saule erga David. Ait Joan. in Apocalyps. 17.n.13. *Vidi mulierem super bestiam* Apoc. 17 *coccineam, plenam nominibus blasphemiæ, habentem capita septem, & cornua decem; & mulier erat circundata purpura, & coccino.* Nonne sufficiebat, quod mulier esset induta purpura, ad quid insuper coccino, rubeus, & sanguineus color; ut denotetur quod purpura regalium tyrannorum semper sitiens est humanum cruorem, ut ipsi in omniũ perditionem regnent. Rupertus lib.10. in Apocalyps. & ait: *Rectè cum purpura sociatur coccinum dicendo, & mulier erat circundata purpura, & coccino; quia profecto purpuram regnorum semper comitata est ignea crudelitas homicidarum.* Rupert.

Crudelitas in Regibus.

QVÆSTIO XXI.

Quare Deus apparet Moysi in flamma ignis?

169. *Deus à mundo abdicatus apparet.* CUm Moyses duxisset gregem ad interiora deserti, apparuit ei Deus in flamma ignis in rubo, qui ardeat, & non comburatur, ut ait hic D. Stephanus, & dicitur Exod. 3.n.2. Cum tendit ad interiora deserti segregatus ab hominum tumultu, ac frequentia, tunc dignatur videre Deum, ut expendit D. Gregor. Magn. lib. 23. Moral. cap. 5. D.Greg.

170. Deut 4. Ad Hebr. 12. D. Dion. *Cur Deus in igne.* D. Tho. D. Ambr. D. Aug. Apparet Deus in forma ignis quia, ut dicitur Deuteron. 4.n.24. & ad Hebræos 12. n. 29. *Deus noster ignis est.* De cujus similitudine cum Deo latè agit D. Dionysius de Cœlesti Hierarchia cap. 15. & *primo*, ut ipse ponderat ignis subtilissimus est. Deus purissimus Spiritus. *Secundo*, quia ut ipse ait ignis est immixtus, & simplicissimus; talis est Deus, ut etiam considerat D. Thomas in cap. 10. Isai. *Tertio*, ignis est lucidissimus, Deus autem est lux immensa. D. Ambros. serm. 5. in Psalm. 118. *Quarto*, ignis semper sursum fertur, Deus autem, ut ait D. August. q. 7. ex veteri Testam. semper suis inspirationibus nos mente, ac contemplatione sursum elevat. *Quinto* ignis inflammat, & accendit; & calefacit, sic Deus, ut ait Author Catenæ, cor nostrum inflammat in sui amore, ac cœlestium. *Sexto* Deus apparet in forma ignis in rubo; quia tunc viridior apparet. Rubus spinosa significat peccatores, ad quos Deus tamquam severitatem minans, venit, non ut consumat, & perdat, sed ut eos faciat germinare, ac virides florescere gratia, ut ait D. Ambros. in Ps. 43. Author. Catenæ. D.Ambr.

168. *Mala ex manu Dei ad salutem.* *Septimo* sub forma ignis apparet Deus rubo insidens: Valde multum damnum timendum erat rubo, ex tanto igne in illo residente. At tota illa ignis flamma à Deo veniebat, & ideo non damnum, sed multum bonum rubo offerebat, ut inde illustrior, ac viridor appareret. D. Hilarius lib. 12. de Trinit. & D.Hilar. ait: *Moysi in forma ignis ostenditur Deus, ut naturæ creatatam potius ad speciem, quam ad substantiam disceres. Habuit tum in se potestatem conflagrandi, nec tamen naturalem suscipiens urendi necessitatem, quia sine rubi damno conflagratio ignis apparuit.* Ignis ut talis minatur combustionem rubo, sed cum ignis sit à Deo, non damnum, sed multum emolumentum secum importat.

172. Iob. 2. Magna ira flagrabat Satan ad Jobi perditionẽ. & ait ad Deum cap. 2.n.5. *Mitte manum tuam, & tange os, & carnes, & tunc videbis, quod in faciem benedicat tibi.* Petit Satanas ad perdendum Iob, quod Deus missa manu sua eum tangat, multum insipienter loquitur, quæ enim à manu Dei veniunt, non ad perditionem, sed ad profectum conducunt. D. Ambros. in Psalm. 36. ait: *Diabolus suo sermone deceptus est, qui dixit: mitte manum tuam in eum, & videamus si in faciem te non benedicat; misit Deus manum suam, & confirmatus est Iob, cœpit benedicere, qui maledicere credebatur; sanat enim iustos cùm tangit, manus divina, non vulnerat* Diabolus sua ipsius malitia deceptus est, postulat ut Deus sua manu Job tangat, ut ipsum maledicat Deum, è contra accidit, Deum benedixit, multa patientia, & gratia adauctus duplicata bona obtinuit. *Cum tangit manus Divina non vulnerat.* *Deus cũ vulnerat, sanat.* D.Ambr.

173. Disponunt Pharisæi sua depravata nequitia Christum capere in sermone, quærentes ab eo de tributo dando Cæsari, quibus iratus Dominus ait: *Quid me tentatis hypocritæ*, Matth. 22. n. 19. tam aspero Math. 22 verbo eorum nequitia flagellatur, ad quæ verba ait D. Chrysostom. in Catena D. Thomæ; *Dixit ergo* D.Chrysost. *eis: Hypocritæ, ut considerantes eum humanorum cordium cognitorem, quod facere cogitabant, perficere non auderent. Vide ergo quod Pharisæi blandiebantur, ut perderent, sed Iesus eos confundebat, ut salvaret; quia utilior est homini Deus iratus, quam homo propitius.* Christus contra eorum depravatam nequitiam se ostendit iratum, declarans eorum cogitationes cordium penetrare, quod proprium Dei est, ut ita eorum malitiam, ac perversitatem confundat, ut ipsi resipiscant, & ad salutem veniant? quia ipsa etiam ira Dei cum sit Dei, valde proficua & utilis est homini: *Vt salvet, quia utilior est homini Deus iratus, quam homo propitius.* *Ira Dei etiam nobis utilis est & proficua.*

QUÆSTIO XXII.

Quare Rubus ardebat, & non comburebatur?

VT ait hic D. Stephanus, & dicitur Exod. 3.n.2. 174. *Rubus ardebat, & non comburebatur.* Chaldai. *Non consumebatur.* Oleaster *Non comedebatur.* Quod videns Moyses, dixit: *Vadam, & videbo visionem hanc magnam.* Quæ visio dicitur magna, quod de aliis visionibus Exod. 3. Chald. Oleaster

visionibus communiter non dicitur in scriptura, & unde Moyses tantam promeruit visionem? Præclare D. Basilius Seleucus orat. 26: *Moyses, ut inquit Apost. Hebræor. 11. numer. 25. magis eligens affligi cum populo Dei, quam temporalis peccati habere jucunditatem: Cujus electionis, ipsum Deus admiratus, se videndum offert viro tam cordati meriti.* Expende verba. *Cujus electionis ipsum Deus admiratus,* Adeo excelsum, & sublime est, regnum contemnere præ ærumnosa vita, & cũ ærũnoso populo affligi, ut Deus quoad speciem videatur admiratus, ut pro tanto merito tam magnam concedat visionem.

D Basil. Seleuc. Her. 11.

Regni despectio valde mirabilis.

175. Cur rubus arderet, & non combureretur, multæ sunt rationes, & communes, quas breviter attingam. *Primo*: Rubus significabat Hebræos oppressos, ac vexatos igne persecutionum, ac tribulationum Ægyptiorum, sed minime peribant, ac consumebantur, sed magis crescebant, & augebantur, ita Philo Theodoret. & alii. *Secundo* Deus apparet non in aliqua arbore magna, & nobili, ut Cedro, sed in vili rubo, quia Deus nullam vilem conditionem respuit, sed eam nobilitat, & exaltat, non ut pereat, sed ut magis virescat, ac floreat D. Basilius Seleuc. orat. 9. ait: Vilis rubus assumitur, qui succensæ flammæ obsistit.

Philo. Theod.

Vilis eligitur à Deo.

D. Basil. Seleuc.

176. *Tertio* Rubus cum flamma significat justos, ac sanctos, qui igne, ac flamma laborum persecutionum, tormentorumque non consumuntur, ac pereunt, sed inde magis virent, ac floreſcunt. Ita D. Gregorius Nissenus de vita Moysis, ait Regius Vates Psalm. 67. num. 14. *Si dormiatis inter medios cleros, pennæ columbæ deargentatæ, & posteriora dorsi ejus in pallore auri.* Cleros à voce græca, id est *sors*, si justus inter sortes omnium descriminum, ac periculorum quietus dormiat velociſſimè illi adest divina columba Spiritus Sancti omni cum cœlesti dono, ac gratia in argento, & auro denotata, quibus dorsum ejus in verberibus, ac fuga exarmatur. Noster Incognitus, Genebrardus.

D. Greg. Nissenus *Justi laboribus non consumuntur, sed crescunt.* Psal. 67.

Incogn.

177. *Quartò*, Rubus significat Ecclesiam, quæ nulla adversariorum flamma potuit imminui, ait Oleaster: *Rubus habet spinas, ut ostendatur, quod omnes, qui tetigerint eum à spinis pungendi, nullus enim cuiuscumque potentiæ, aut conditionis Ecclesiam unquam læsit, qui non maximas, & gravissimas pœnas daret.*

Eccleſia.

178. *Quintò*, Ignis in rubo significat Divinum Verbum in utero Virginali puriſſimæ, ac Sanctiſſimæ Deiparæ. Ita D. Gregor. Nissen. orat. de Nativitate Christi, D. Leo serm. 1. de nativit. D. Hieronym. serm. de assumpt. D. Bernard. serm. in signum magn. Apocalyps. 12. Et Ecclesia canit. Rubum, quem viderat Moyses incombustum conservatã agnovimus tuam laudabilem virginitatem, Sancta Dei Genitrix. Idem habet D. Hieronymus serm. de assumpt. Theodoret. Rupertus, & alii. Nam sicut ignis descendens in rubo, nullum illi nocumentum intulit, sed viridior factus est, sic Deus noster, qui ignis est, descendens in sanctiſſimum uterum Deiparæ nullam illi intulit maculam, vel læsionem, Virgo concepit, Virgo peperit, imo in partu virginitas adaucta est, & ex umbra Mariæ habuit rubus virtutem, ut non combureretur ab igne. Ita Germanus Patriarcha Constantin. orat. in adoration. Crucis, & ait: *Neque rubus inconsumptus, & illæsus suavi in igne perduravit* (non tanquam à sua natura), *sed propter Mariam, quæ in mortali, & non ad corruptionem naturæ ignem Deitatis portavit.*

D. Nisſ. D. Leo. D Hier. D. Bern. Eccleſia.

Deipara Virgo in partu.

German.

179. *Sextò*, Etiam hic dicimus præfigurari puram, ac Immmaculatam Virginis Mariæ Conceptionem: Omnes filii Adæ flammâ peccati adusti sunt, sed sicut rubus umbra Virginis Mariæ, ut dixi superiori numero, permansit incombustus, sic nec ulla flamma peccati eam attigit, eam Deo specialiter præservante: Unde ait D. Augusti. lib. de natura, & gratia contra Pelagium cap. 63. *Excepta Sancta Virgine Maria, de qua propter honorem Domini, cum de peccatis agitur, nullam prorsus habere volo quæstionem, scimus enim, quod ei plus gratiæ collatum fuerit ad vincendum omni ex parte peccatum, quæ concipere, ac parere meruit eum, quem constat nullum habuisse peccatum.*

Virgo Mariæ sine peccato originali.

D. Aug.

180. *Septimo* Rubus vilis, humilis, & spinosus denotat Christi humanitatem, quam ipse multis ærumnis, molestiis, ac laboribus, tamquam spinis subjectam, ac circunceptam, & humilem sponte pro nostra salute suscepit, sed sicut ignis rubum, sic Deitas humanitatem, ejusque mortalitatem, ac infirmitatem non consumpsit. D. Gregor. lib. 28. Moralium cap. 2. ait: *Per succensum rubum Moysen alloquens Deus, quid aliud ostendit, nisi quod ex illo populo exiret, qui in igne deitatis, carnis nostræ dolores, quasi rubi spinas susciperet, & inconsumptam humanitatis nostræ substantiam, etiam in ipsa Divinitatis flamma servaret.* Quo exemplo probat noster D. Cyrillus contra Eurychetem duas naturas in Christo mansisse illæsas, integras, ac inconfusas, ut extiterunt rubus, & ignis.

181. *Octavo* In tali visione apparet Deus Moysi, quem instruebat, ut ducem, & gubernatorem sui populi: Bonus prælatus debet esse sicut ignis in rubo, debet sicut ignis lucere sapientia doctrinæ, ac etiam prudentia regiminis, & ardere calore charitatis, debet secum habere conjunctas spinas justitiæ, & severitatis ad puniendum, ac castigandum errantes, ac inobedientes, quod argumentum latè prosequitur Petrus Damianus opuscul. 57. cap. 3. exemplo Apostolorum Petri, & Pauli, qui fuerunt maximè resplendentes doctrina, & tamen Petrus punivit Ananiam, & Saphiram Actor. 5. & Paulus dicebat: *Vultis ut in virga veniam ad vos?* 1. Corinth. 4. n. 25.

Bonus prælatus cum sapientia, & rigore.

Damian.

182. *Nono*, Clemens Alexandrinus lib. 2. Pædag. cap. 8. *Postquam verbum legem ferre, & cum hominibus versari desiit, mystice rursus spinea corona coronatur, veteris descensus initium instaurans, ut quod primum per rubum verbum visum fuerat, per spinam rursus assumptam ostenderet omnia esse unius potentiæ.* Deus olim liberaturus Israel, in quo præfigurabatur nostra Redemptio à servitute Dæmonis, venit per spinas in rubo, nunc in exequutione mysterii per spinas, illis coronatus implevit Ioan. 19. n. 5. Ostendens ex modo operandi, quod idem sit Dominus, & sine spinis noluit tantum opus perficere, docens, quod si illius fructum volumus assequi, per spinas sit incedendum; magna enim sine spinis, & ærumnis non obtinentur.

Clem. Alexand.

Ioan. 19

Per spinas ad salutem.

183. *Decimo*. Apparet hic Deus Moysi *in flamma ignis de medio rubi*. Aliter sese ostentat Iosue 5. numer. 13. qui ait: *Vidi virum stantem contra se tenentem gladium evaginatum, qui dicebat sum Princeps exercitus Dei.* In utroque loco apparet Angelus in persona Dei, cur & tam diverso modo? Moysi in igne, Iosue in gladio: Rupertus lib. 1. in Iosue cap. 18. ait: *Moysi apparuit Deus in flamma ignis de medio rubi, Iosue tamquam vir præliator, evaginatum habens gladium; Illi splendet facturo miracula, ignis apparuit: Huic mox cruenta bella facturo evaginatum gladium tenens apparet.* Destinabatur Moyses, ut splendesceret claritate miraculorum, Iosue ut fulgeret potentia gladii, & prout uterque se exhibebat, in obsequio Dei, sic & Deus illis similem se exhibebat, splendenti miraculis in igne splendet, forti bellatori, bellator apparet.

Iosue 5.

Qualis homo Deo, talis se Deus illi exhibet.

Rupert.

184. Scribitur Genes. 32. numer. 24. de Iacob: *Traduxitque omnibus, quæ ad se pertinebant mansit solus,*

Gen. 32.

& ecce vir luctabatur cum eo uſque mane. Sub forma luctatoris apparet Deus Iacob, cur non potius in aliqua nube ſplendida, ut communiter dicitur de Abrahamo, quando Deus illi apparuit, vel in throno majeſtatis, ut Iſaïæ 6. ſed ſpecie luctatoris? Repræſentabantur in Iacob filii ejus Iudæi, qui rigidè, & crudeliter obluctaturi erant, & ideo in eadem luctatoris forma ſe Deus illis exhibet. Noſter D. Cyrillus Alexandrinus epiſt. ad Anaſta. ait: *Patriarchæ Deus antea oſtenſus eſt, quod & homo futurus eſſet olim unigenitus eius verbum, & quod obluctantem habiturus eſſet Ieruſalem, & quod coram eo non eſſent inceſſuri recte.* Expende illa verba: *Et quod obluctantem habiturus eſſet Ieruſalem*; quia Iſraelitæ in Iacob repræſentati obluctaturi erant cum Deo, ideo & illis ſe Deus obluctatorem exhibet.

Quod quiſquis fuerit Deo, ſic Deum ſibi inveniet. D. Cyril.

Conqueritur David Pſalm. 101. numer. 12. *Dies mei declinarunt*, & cur viro præclariſſimo in omni virtutum genere, de quo dicitur à Deo *vir ſecundum cor ejus*, cur dies ſic declinaverunt, cùm ad vocem Ioſue Sol, & Luna ſtetiſſent, & ad fletum Ezechiæ dies multiplicentur? 4. Reg. 20. numer. 5. Cur ergo Davidi clamanti non ſteterunt, ac multiplicati ſunt ejus dies? Elegantiſſimè D. Auguſt. ibi ait: *Potuerunt eſſe dies tui non declinantes, ſi tu à die vero non declinaſſes. Declinaſti, & accepiſti dies declinantes, quid mirum, ſi dies tui, facti ſunt ſimiles tui? Ipſi ſunt dies declinantes, quia tu deviaſti*; Per id, quod homo eſt Deo, dies, & bona omnia erga eum menſurantur, ſtant cum ſtante, declinant cum declinante.

185. Pſal. 101.

Dies declinant declinanti à Deo. D. Aug.

Cap. 7. num. 33. Dixit autem illi Dominus, Solve calceamentum pedum tuorum, locus enim, in quo ſtas, terra ſancta eſt.

Num. 34. Videns vidi afflictionem populi mei: qui eſt in Ægypto, & gemitum eorũ audivi, & deſcendi liberare eos, & nunc veni, mittam te in Ægyptum.

Num. 35. Hunc Moyſen, quem negaverũt dicentes, quis te conſtituit Principem, & Iudicem? Hunc Deus principem & redemptorem miſit, cum manu Angeli, qui apparuit illi in rubo.

Num. 36. Hic eduxit illos faciens prodigia, & ſigna in terra Ægypti, & in rubro mari, & in deſerto annis quadraginta.

Num. 37. Hic eſt Moyſes, qui dixit filiis Iſrael, Prophetam ſuſcitabit vobis Deus de fratribus veſtris, tamquam me ipſum audietis.

Num 38. Hic eſt qui fuit in Eccleſia in ſolitudine cum eo, qui loquebatur ei in monte Sion, & cum patribus noſtris, qui accepit verba vitæ dare vobis.

Verſiones
CVM EXPOSITIONE VIII.

186. Syriac. Æthiop.

Verſ. 33. *Et illi Dominus, ſolve calceamentum.* Syriacus, *Solve calceos tuos.* Æthyopicus. *E ice calceamenta, quãdo conculcaveris hanc terram*; Hoc ei præcipit Deus, ut reverentiam exhiberet Divinæ Majeſtati in loco illo præſentiam ſuam exhibenti, & ut magna animi ſubmiſſione, ac veneratione accederet ad percipienda Dei oracula. *Locus, in quo ſtas, terra ſancta eſt.* Non ratione ſui, ſed præſentia Angeli apparentis in perſona Dei, de quo quæſtione ſequenti.

Verſ. 34. *Videns vidi afflictionem populi mei, qui eſt in Ægypto.* Syriacus: *Vidi oppreſſionem populi mei.* Arabicus: *Videns vidi damnum populi.* Hæc latius in Exod. cap. 3. à num. 6. Illa repetitio *videns vidi* ſignificat magnum, & peculiarem affectum, & Deus, cui omnia ſunt præſentia, dicitur videre oculo pietatis, & clementiæ, ut notat D. Baſilius Seleucus orat. 26. *Gemitum eorum audivi.* Arabicus: *Et audivi ſuſpirium eorum.* Æthyopicus: *tribulationem populorum.* Afflictio dat vires orationi, ejuſque oratio maxime evolat ad Deum, ut obſervat D. Gregor. relatus in Gloſſa; etſi cito non exauditur, ex eo eſt, ut meritum creſcat, & augeatur, ut notat idem D. Gregor. lib. 2. Moral. cap. 24. 187. Syriac. Arabic. Exod. 3. D. Baſil. Seleuc. D. Greg.

Deſcendi, ut liberarem eos. D. Chryſoſtomus: *Ut eripiam eos* locutio non eſt propria, quaſi Deus de uno loco ſe trahat ſferat ad alium, cum ipſe ſit ubique, ſed eſt metaphorica, cum Deus in terra aliquid inſigne, ac ſpeciale operatur, ut obſervat D. Auguſt. lib. 16. de Civit. cap. 5. & ait: *Significat aliquid in terra fieri præter uſitatum naturæ curſum.* Fere ſimiliter Origenes homil. 4. in Geneſ. D. Hieronym. Theodoret. in cap. 1. Michææ. Dicitur ergo deſcendere Deus cum ſua potentia operatur ad liberandum Hebræos de tyrannide Pharaonis, ſicut deſcendere dicitur ad impediendam fabricam turris Babel Geneſ. 11. numer. 5. & ad delendam Sodomam Geneſ. 18. numer. 21. quamvis, ut bene notat Lyranus per reſpectum ad Angelum, qui loquebatur in perſona Dei bene competit aſcendere, & deſcendere de uno loco ad alium. 188. D. Chryſoſt. D. Aug. Origen. D. Hier. Theod. Gen. 11 Gen. 18.

Et nunc veni. Si ipſe erat præſens, ad quid ei dicitur *veni*. Rupertus, & Lyranus dicunt, quod ipſe erat præſens corpore, non tamen animo: tamen ex magna obedientia Moyſis exiſtimo cum Lorino Ioanne de Lahay, quod ipſe erat valde promptus ad omnia Dei mandata. Dicitur ei *veni* phraſis hebraica, ac ſi dicatur: Eia age, diſpone, & præpara te. 189

Verſ. 35. *Hunc Moyſen, quem denegaverunt.* Graviter, & fortiter pungit hic D. Stephanus rebellionem, & contumaciam Iudæorum, quia hunc Moyſen, quem Deus tot, & tantis ſublimavit miraculis, negaverunt, dicentes: *Quis te conſtituit Principem, & judicem?* Supra verſ. 27. & multoties in deſerto Numer. 15. & ſæpe. *Hunc Deus Principem, & Redemptorem miſit.* Syriacus: *liberatorem*, vobis contradicentibus, ac invitis, ut vos educeret de captivitate Ægyptiaca, ſic & nunc vobis invitis, & contradicentibus, negantibuſque conſtituit Deus Ieſum Chriſtum Redemptorem, ac Salvatorem totius mundi. 190. Num 15. Syriac.

Cum manu Angeli. Id eſt cum auxilio, ope, ac miniſterio Angeli, hæc enim omnia ſignificat manus, cum illorum omnium ſit inſtrumentum, ac proinde ope ipſius Angeli tot, & tanta mirabilia operatus eſt Moyſes in liberando Iſraele. 191. *Aux ili Angeli.*

Verſ. 36. *Hic eduxit illos faciens prodigia, &c.* Syriacus: *Dum edidit miracula: virtuteſque.* In Ægypto, ut patet Exod. à cap. 5. uſque ad 12. & in mari rubro diviſione aquarum, ac ſubverſione curruum Pharaonis Exod. 14. & ut teſtantur Paulus Oroſius lib. 1. Hiſtoria. cap. 10. & Gregor. Turon. p. 1. Hiſtor. cap. 10. ſuo tempore extare impreſſos in rubro mari tractus curruum, rotarumque orbitas: *Et in deſerto annis quadraginta* de quo agitur lib. Numer. & Deuteron. ob eorum contumatiam non eduxit eos Dominus per viam rectam, ſed tamquam per gyrum. 192. Syriac. Exod 14. Oroſius. Gregor. Turon.

Verſ. 37. *Hic eſt Moyſes, qui dixit filiis Iſrael Prophetam* nempe Chriſtum Dominum Principem 193.

omnium

Redarguit D. Stephanus Iudæos.

omnium Prophetarum. *Suscitabit vobis Deus*, quo ergo pacto fingitis me adversari Moysi, dum Christum à Moyse promissum vobis denuntio, potius vos illi adversamini, dum Christum ab illo promissum, & præceptum, ut audiatis, & à me denuntiatum repellitis, & opprimitis. *Prophetam suscitabit vobis Deus.* Explicatum est cap. 3. vers. 22. q. 21.

Vers. 28. *Hic est, qui fuit in Ecclesia in solitudine.*

194. Syriac. Arabicus

Syriac. Æthyopic. *Qui fuit in Congreg.* Arabicus, *qui fuit in cœtu* Hebræorum cum Angelo, qui illi assistebat dans verba vitæ, nempe decalogum, aliasque Dei leges, quarum observatio ducit ad vitam æternam, ac gloriam.

QVÆSTIO XXIII.

Quare Deus mandat Moysi solvere calceamenta pedum suorum?

195. *Ex malo Prælato etiam Deus dat voces.*

EX Rubo clamat Deus ad Moysen: *Solve Calceamentum de pedibus tuis.* Rubus arbor spinosa, agrestis, & infructifera, & ex illa dat Deus Cœlestes voces, quia sæpe ex malo Prælato in rubo adumbrato dat Deus magna, & alta documenta ad salutem, & vitam. Mens est D. Ambros. lib. de Virginib. ait: *Haud dubitat, ut ex eo divinæ voces aliis profuturæ audiantur.* Ad quæstionem.

196. *Cũ magna reverentia.*

Primo mandat Deus solvere calceamenta, ut ad illam magnam visionem accederet, non tamquam ad materialem rubum, nec materialem ignem, sed tamquam ad magnum, & altum divinum mysterium cum magna reverentia, veneratione, ac submissione, & humilitate; hoc enim denotat, & significat pedes discalceare. Ita Eusebius, Hugo Victorinus, Rupert. Caietan. & ex hac ratione Angelus præcipit Iosue 5. numer. 15. calceos deponere, & Sacerdotibus Aaronicis mandabatur, ut nudis pedibus in tabernaculo inservirent Exod. 3. num. 19.

Euseb. Hugo. Rupert. Iosue 5

Exod. 30

197. Theod.

Secundo, & ita hac de causa mandat Angelus Moysi calceamenta deponere, ait Theodoret. q. 7. in Exod. *Et merito ut religiosiorem hac ratione Moysen redderet.* Tertio ut ita Moyses tanta religione veneratione, humilitate, ac etiam spinarum compunctione mereretur tam sublime, & altum mysterium intueri, ac contemplari, & mereretur magnam potestatem faciendi miracula accipere, mereretur quoque altum gubernatoris munus; ac ducis totius Populi. Petrus Damian. lib. 3. epist. 8. *ad illa obtinenda tanta compunctio requiritur.*

Per spinas merentur magna.

198. Theod.

Quartò Theodoretus arguens contra Hæreticos orat. de Christi Nativit. habita in Concilio Ephesi tom. 6. cap. 10. ait: *Tu Deum ex rubo loquentem, Moysique dicentem: Ego sum Deus Abraham audiens, & ipsum Moysen pronum adorantem cernens, credis, non ignis, qui cernebatur, sed Dei tantum, qui loquebatur, rationem habens:* Moyses magno affectu currebat tamquam ad rubum, & ignem materialem, clamat Deus: Solve calceamenta, ut ita multa reverentia attendat, non ad ea, quæ oculis videntur, sed ad Dei voces alta mysteria testificantes: *Non ignis, qui cernebatur, sed ad Dei tantum, qui loquebatur rationem habens.* Quod maximè in omnibus fidei mysteriis est considerandum, ut non attendat ad oculis ac sensibus patentia, sed ad Deum loquentem. In illo rubo ignito incombusto insinuabatur altum, & sublime Incarnationis mysterium, eminentissima, ac integerrima puritas Sanctissimæ Virginis Mariæ, ut dixi superiori quæstione 22. quæ omnia transcendunt nostræ mentis capacitatem. Bruno in Allegor. Tilm. *Ne appropies huc, ne quæras ea, quæ supra te sunt, noli Virginis castitatem, noli Christi Incarnationem investigare.* Similia habet Gualfrid. in iisdem allegor. Tilm.

Fidei mysteria non attendenda secũdum sensus, sed Dei verba. Puritas Deiparæ transcèdit nostram mentem.

Bruno.

199. D. Ambr. *Ad divina percipiẽda temporalia dimitte.*

Quinto D. Ambros. de fuga sæculi cap. 5. *Transi sicut Moyses, ut videas Deum Abraham, Isaac, & Iacob, & videas visum magnum, sed si videre vis, solve calceamenta pedum tuorum, solve vincula sæculi, relinque calceamentum, quod terrenum est.* Calceamentum sit ex pellibus animalium, proindeque significat quid terrenum, temporale, ac carnale, qui properat ad Cœlestia, ac divina contemplanda, debet illa omnia à se abjicere, si terrenis vale dixeris, sensum acuisti, mentem excitasti, ut alta, & sublimia valeas penetrare. Arnold. tract. de septem verbis Domini: *Consecratum enim pectus doctrinæ, & veritati, ut intelligat, non debet sæcularibus negotiis, ac actionibus, & lucris occupari.*

Arnold.

200. *Doctor, ac gubernator carnis affectus deponat.*

Sexto, calceamenta fiunt ex pellibus animalium, quæ producuntur, ac crescunt, ex eorum carne, ac sanguine, & inde denotant temporales affectus carnis, & sanguinis, deponendi, ut notant D. Hieronym. lib. 1. contra Iovinia. Theodoret. quæstione 7. in Exod. Cum Moyses vocaretur à Deo, ut legem Divinam populo daret, ipsumque duceret, ac gubernaret, recte ei mandatur calceamenta deponere, omnesque terrenos affectus carnis, & sanguinis à se abdicare, ac alienare, à quibus maximè debet esse sequestratus legis doctor, ac populi gubernator. D. Ambros. lib. de Isaac: *Dicitur solvere calceamenta pedum suorum, ut evocaturus Populum ad Dei regnum prius carnis exuvias deponeret, & nudo spiritu mentis incederet.* Ita similiter Procopius.

D. Ambr.

201. Iosue 5.

Septimò vocat Deus Moysen, ut abjectis calceamentis incedat per terram inaquosam plenam spinis & tribulis acutissimis, mandat Iosue 5. n. 15. ut nudatis pedibus ingrediatur terram hostilem inimicorum; suis Apostolis, ut discalceatis pedibus Matth. 10. num. 10. peragrent per totum orbem, sub torrido Cœlo, & alia ex parte frigido, inter serpentes, & Leones, cur ergo nudis pedibus, cum exinde videantur multa pericula, & nocumenta insurgere? Pro certo habe, quod cum Deus vocat, ne timeas spinas, nec inimicos, nec horrendas feras, & leones inter hæc omnia lætus, & securus vives absque aliquo nocumento. Procopius ad caput 5. Iosue ait: *Securitatem pollicetur Angelus Iosue, quemadmodum Moysi, discipulis autem Dominus, nec virgam, nec peram, nec calceos concessit, dedit eis potestatem calcandi semper scorpiones, & serpentes.*

Matth. 10

Cũ Deus vocat nullum periculũ timendũ.

Procop.

202. D. Greg. Nissenus *A virtutis via, quã homo semel tenuit non desistat.*

Octavo: Mandavit Deus Moysi discalceare pedes, & eos inde semper discalceatos habuit per totam vitam, ut notat D. Gregorius Nissenus orat. 11. in Cantic ait: *Nec Moyses quidem postquam ex Divino mandato semel cadaverosa pellium tegumento pedes suos exuit, quo tempore in solo sacro, & illuminato incedebat, calceamentis pedes deinceps cinxisse creditur.* Moyses semel deposuit calceamenta, inde semper nudis pedibus incedere voluit; qui enim semel curis sæcularibus vale dixit, & qui semel nudam, & liberam ab omni carneo, & libero affectu animæ affectionem gesserit, & qui semel sanctitati studere cœperit, ab ea nullo modo cessare, aut retrocedere debet.

203. Gen. 28.

Nono, compone modo Moysen cum Abrahamo, Moysi mandatur calceamenta solvere, quia terra, in qua stat, sancta est. Abrahamus etiam in terra sancta stabat, in qua erat sacrificaturus filium suum, indeque proprio vocabulo appellabatur: *Dominus videbit.* Ipsaque terra à Deo ei est demonstrata, pergebant ergo pariter & venerunt *ad locum, quem ostenderat ei Deus.* Genes. 22. numer. 6. Et tandem ille locus designatus erat à Deo ad futurum Templum, & tamen Abrahamo in terra tam sancta non mandatus

Evacuãda est mens à temporalibus, ut divinis adimpleatur.

mandatur calceos deponere, cur ergo Moysi? Moyses veniebat ex Ægypto, terra immunda cujus aliquem pulverem secum asportabat, & adhuc in temporalibus detinebatur, pascebat oves soceri sui Iethro, & ideo locus sanctus ei prohibetur, nisi abjiciat calceamenta, terrenos nempe affectus. At Abrahamus ab his maxime erat denudatus: *Exivit de terra sua, de cognatione sua, de domo patris sui,* Genes. 12. & ita ab omni carnali affectu erat sequestratus, ut proprio filio suo non parceret, & illi, qui omnia creata à se abjecerat, merito locus sanctus non prohibetur, sed conceditur. Origenes homil. 8. in Genes. & ait: *Moyses cum venisset ad locum, quem ostendit ei Deus, non permittitur accedere, sed ante ei dicitur, solve corrigiam calceamenti de pedibus tuis; Abrahæ nil horum dicitur, & Isaac, sed ascendunt, nec calceamenta deponunt. In quo illa fortassis est ratio, quod Moyses, quamvis esset magnus, tamen de Ægypto veniebat, & erant aliqua mortalitatis vincula pedibus ejus annexa; Abraham vero nihil horum habet, sed venit ad locum, ædificat altare.* Dico etiam, quod cum Abrahamus pergeret ad sacrificandum filium suum, considerabat mortem Christi in tali sacrificio præfiguratam, & contemplatione tanti mysterii, maxime dispositus, ac præparatus erat, ut ad magna, & alta divina admitteretur.

Gen. 12.

Origen.

Contemplatione mortis Christi elevamur ad magna.

204. Decimo: Mandat Deus Moysi solvere pedum calceamenta, cur non potius denudare caput, quod signum reverentiæ, ac venerationis valde frequens est apud omnes, ad quid pedum discalceatio, quod nulli antea dictum fuit? Informabat Deus Principem, & Gubernatorem populi in optima, ac præclara gubernandi methodo, capitis operimentum fit ex lana ovium, quæ tondendo absque ulla oppressione desumitur, calceamenta vero ex animalium pedibus, quæ multa vi excoriando extrahitur: Bonus Gubernator à subditis exquirat, quæ levi, ac suavi tonsione haberi possunt, ea vero, quæ excoriando, ac degluberando fiunt procul se abjiciat, & repellat: Hinc notat Concilium Parisiense sub Gregorio X. lib. 2. cap. 1. Rex dicitur à rectè, ac suaviter regendo, tyrannus vero à vi, ac oppressione.

Princeps subditos non violenter, sed suaviter regat.

205. Undecimo, Qui olim omni juri suo cedebat calceamentum extrahebat, & propinquo dabat, Ruth. 4. num. 7. Hinc Deus cum Moysen ad se vocat, mandat ei calceamenta deponere; qui enim à Deo vocatur, ut in terra sancta vivat, ut ei debitum obsequium, ac famulatum præstet, debet omni juri cedere, omnibusque temporalibus vale dicere. Quod argumentum late prosequitur B. Antioch. homil. 73. *Dixit Deus Moysi, solve calceamentum de pedibus tuis; hoc est solve justificationem tuam carnalem; istam prudentiam, ac fastum propriæ voluntatis, locus enim, in quo stas, terra sancta est*: late prosequitur.

Ruth. 4.

Propriæ voluntati cedat, qui Deo servit.

Anthioc.

206. Duodecimo: Per rubum inflammatum, ac incombustum diximus superiori quæstione denotari Sanctissimam Virginem Mariam, ejusque illibatam puritatem, supremam, & altissimam ejus excellentiam, indeque merito mandatur Moysi solvere calceamenta, quia ad tantam celsitudinem, ac majestatem contemplandam ab omnibus mundanis, ac terrenis mens est denudanda: cum magnalia Sanctissimæ Deiparæ transcendant omnem creatum captum Richardus de S. Laurentio lib. 10. de laudibus Virginis sic ait: *Mens sopita esse debet à curis sæcularibus, ac occupationibus exterioribus, quæ videre appetit, id est intelligere dignitatem, & altitudinem Mariæ Virginis.*

Ad intelligẽda Mariæ magnalia terrena dimitte.

Richard.

207. Clamat unus Angelus ad Ioannem: *Veni ostendam tibi sponsam uxorem Agni, & sustulit me in spiritu in montem magnum, & altum.* Apocal. 21. n. 9. & 10. Per hanc sponsam uxorem Agni interpretatur Richardus à S. Laurentio lib. 5. de laudibus Virginis; Ipsam Sanctissimam Virginem, ait: *dici sponsam, & uxorem, utpote omnibus titulis conjunctissimam Agno.* Dicam etiam, ut ibi dixi quæstione 15. num. 125. Sponsa ea nuncupatur, quæ nondum ad conjugium venit, Deipara decantatur sponsa ob suam eximiam puritatem, uxor tamquam fœcundissima, quæ quotidie sua prece, ac intercessione innumeros filios spirituales Deo generat, ac producit, tamen in rem nostram, cur ad hanc videndam, & contemplandam Angelus Ioannem elevat spiritu in montem altum, & sublimem, quod ad percipienda sublimia, & alta mysteria de morte, passione, ac Christi victoria, ejusque potestate judiciaria factum non legimus in Apocalyps. cap. 4. 5. & 11. cur ergo hic in sublimem, & altum montem elevatur? Magnalia Sanctissimæ Deiparæ ita nostræ mentis transcendunt captum, ut ad tot, & tanta in una pura creatura contemplanda necesse sit multum spiritu elevari, ac veluti super ambitum transcendere. Ad illa verba Proverb. 31. num. 9. *Multæ filiæ congregaverunt divitias, tu supergressa es universas.* Sic ait D. Bonavent. in speculo cap. 2. 8. ac 10. *Supergressa est Maria cunctas filias, supergressa est in natura, supergressa est in gratia, supergressa est in gloria universas filias, id est universas animas, & universas intelligentias, tam hominum, quam Angelorum supergressa est.*

Apoc. 4. 5. 11.

Deipara magnalia supra omnem intelligentiam.

Prov 31.

D. Bona.

Quæ est ista, quæ ascendit per desertum, sicut virgula fumi ex aromatibus mirrhæ, & thuris, & universi pulveris pigmentarij. Cantic. 3. num. 6. De Sanctissima Virgine admirantium vox est sanctorum, ac justorum, ut interpretantur Cassiodor. Aponius, Beda, & D. Anselmus, vel Cœlestium spirituum Angelorum, ut vult D. Gregor. Nissenus homil. 6. Rupertus, & alii, tamen id mihi facit quæstionem dum cœlestes spiritus quærunt: *Quæ est ista*, sicut & Cantic. 8. num. 5. nullus est, qui respondeat quæ, & qualis illa est, nam dum Christus ingrederetur in gloriam, & mandantur portas tolli adintroitum ejus, & interrogatur: *Quis est iste Rex gloriæ?* Respondent *Dominus virtutum, ipse est Rex gloriæ* Psalm. 23. 10. seu ut legit D. Hieronymus *Dominus exercituum ipse est Rex gloriæ.* Dum de Beata Virgine quæritur: *Quæ est ista?* nullus respondet, & tamen de Christo respondent. De Christo Domino dicunt quod sit *Rex virtutum, Rex exercituum*, quod est proprium Dei, ac quod sit Deus, ut notant D. August. D. Remig. Noster Incognitus, ipsumque Deum acclamant, qui est immensum pelagus omnium perfectionum, indeque de eo decantant, omne id, quod dici, ac concipi potest; at totum, & amplissimum, quod resplendebat in una pura creatura Virgine, non est methodus, nec phrasis, quæ de ea tantillum valeat investigare, ac leviter attingere, huc refero, quæ pie, ac devote dixit doctus Idiota cap. 11. *Cum ad te se convertit nostra devotionis affectus, verba deficiunt, os comprimitur, lingua obmutescit, mens obstupescit, ratio hæsitans inhæret, de te magis contemplandum, quam loquendum est, taceant de te Insulæ, & omnes gentes mutam faciant fortitudinem suam.* Vide quæ dixi tom. 2. in Apocalyps. cap. 12. q. 55.

208.

Cantic.

Cassiod.

Aponius

Beda.

D. Anselm.

D. Nyss.

Cantic. 8

Psal. 23.

D. Hier.

Nullus intellectus creatus potest investigare magnalia Virginis.

Idiota.

Actor. 7. n. 39. Cui noluerũt obedire Patres nostri, sed repulerunt, & aversi sunt cordibus suis in Ægyptum.

Num 40. Dicẽtes ad Aarõ: Fac nobis Deos, qui præcedant nos; Moyses enim hic, qui eduxit nos de terra Ægypti, nescimus quid factum sit ei.

*Num.*41. Vitulum fecerunt in diebus illis,& obtulerunt hostiam simulachro, & lætabantur in operibus manuum suarum.

*Num.*42. Convertit autem Deus,& tradidit eos servire militiæ Cœli, sicut scriptum est in libro Prophetarum: Nunquid victimas,& hostias obtulistis mihi annis quadraginta indeserto, domus Israel?

Num. 43. Et suscepistis tabernaculum Moloch, & Sydus Dei vestri Rempham, & figuras, quas fecistis, adorare eas, & trãsferam vos trans Babylonem.

Num. 44. Et tabernaculum testimonii fuit cum Patribus nostris in deserto, sicut disposuit illis Deus loquens ad Moysem, ut faceret illud, secũdũ formã, quã viderat

Versiones

CUM EXPOSITIONE IX.

Vers. 39. ℣ *Vi noluerunt obedire Patres vestri.* Syriac. *Noluerunt ad eum mentem* 209. Syriac Æthiop. *advertere.* Æthyopic. *Spreverunt eum.* Advertit Lyranus, quod hic facit corollarium de rebellione Iudæorum. *Reversi sunt cordibus in Ægyptum.* Vatablus, *Desiderio Ægypti flagrarunt.* Æthyopic. *Converterunt verba sua ad terram Ægypti, non solum dolentes quod eos educeret de Ægypto,* Exod. 14. nu. 11. *Quid hoc facere voluisti, ut educeres nos de Ægypto,* sed etiam omni affectu volebant revertere in Ægyptum, & dicebant: *Constituamus nobis ducem, & revertamur in Ægyptum.* Numer. 14. num. 4. Unde de tam constanti rebellione maxime conqueritur Deus: *Tentaverunt me jam per decem vices, & non* Num. 14. *obedierunt voci meæ* citat. Numer. 14. n. 22.

Lyra. Vatabl. Æthiop.

210. Syriac. D. Chrysost. D. Cyril. Vers. 40. *Dicentes ad Aaron; fac nobis Deos, qui præcedant nos,* Syriacus: *Qui præeant nobis.* Recte D. Chrysostom. D. Cyrill. Alexandr. homil. de prodit. Iuda exclamant: *Incredibilis est hæc insipientia, & stupiditas, cum effrænata quadam, & contumaci diffidentia, atque recentium beneficiorum nullo modo ferenda oblivio*: Et dicunt, *Moyses autem hic,* loquuntur tamquam per contemptum, tamquam de ingrato homine: Ingratitudo semper ignorat suum Exod. 32. benefactorem, de his latè Exod. 32. n. 1. & 2.

211. Syriac. Æthiop. Vers. 41. *Et vitulum fecerunt.* Syriac. *Proinde fecit eis vitulum.* Æthiop. *Fecerunt vitulum fusilem*, quia Aaron ad hoc faciendum coëgerunt & aurum ei ministrarunt, in quo graviter peccavit; quia facere idolum est intrinsece malum; quia debebat potius mortis periculo se exponere, quam idolum fabricare, quamvis ex tumultuante, & furibundo populo aliqualiter ejus culpa potest minui. *Et lætabantur in operibus manuum suarum* Syriacus: *Oblectaverunt se se,* Arabic. *Exhilarati sunt* circa idolum, quod fabricaverunt, cantantes, saltantes, & convivia agentes, quæ latius referuntur Exod. 32.

Syriac. Arabic.

212. Vatabl. Syriac. Vers. 42. *Convertit autem Deus, & tradidit eos servire militiæ Cœli.* Vatabl. *Avertit se ab eis Deus.* Syriac. *Aversus est Deus ab eis.* Alii *Retraxit se ab eis*: ergo cum dicitur convertit, & tradidit eos, intelligitur activè, non positivè impellendo, sed permissivè, & occasionaliter, deserendo eos sua gratia, & auxilio, & objiciendo occasiones, & hoc in pœnam suarum iniquitatum, ac peccatorum, & in hoc sensu dicitur: *Peccatum est pœna peccati* D. Thom. 1. D. Tho. Psal. 104. D. Aug. 2. q. 87. art. 2. & dicitur Psalm. 104. n. 25. *Convertit cor eorum, ut odirent populum ejus.* D. August. ibi: *cor eorum sponte malum, & invidum convertit ad odium.*

Militiæ Cœli. Pagninus: *Ut colerent militias Cæli,* id est Solem, Lunam, & Stellas, quæ in phrasi Scripturæ militiæ Cœli dicuntur, quia cùm sint multæ, sunt tamquam ordine dispositæ, ac ordinatæ, tamquam exercitus, & unaquæque manet in suo loco, & omnes ad nutum Domini sui sunt paratæ. 213. Pagnin.

Sicut scriptum est in libro Prophetarum locus desumptus ex Propheta Amos cap. 5. numer. 25. Sed quomodo hoc verum; nam in consecratione Aaronis obtulerunt victimas Levit. 9. num. 7. & in dedicatione Tabernaculi Numer. 7. num. 2. Respondent primò D. Hieronym. Albertus, Rupertus, & hic in Actibus D. Chrysostom. Beda, quod non obtulerunt sponte, sed, ut coacti, ac obligati à Moyse, obsequium non voluntarium suum valorem deperdit. Lyran. Vatabl. Arias dicunt, quod Hebræi in deserto rara, & pauca sacrificia obtulerunt, quia versabantur in continua peregrinatione, nec certi erant de statione ad unum diem, quia movebantur ad motum Angeli columnam moventis, ob quam causam non fuerunt circuncisi in deserto Iosuë. 5. numer. 7. 214. Amos. 5. Levit. 9. Num 7. *Cur dicitur nõ sacrificasse in deserto?* D. Hier. D. Chrysost. Rupert.

Dicam etiam, præmisit D. Stephanus superiori vers. 41. quod execrabili vitulo fecerunt sacrificia, cum multa lætitia, ac jucunditate: ait ergo Deus: Non mihi obtulistis victimas in deserto; eadem nempe festivivitate, ac solemnitate, ut fecistis diabolico idolo multa cum lætitia. 215. *Propria expositio*

Vers. 43. *Et suscepistis tabernaculum.* Syriacus *Portastis tabernaculum.* Alii *Portastis conopæum*, quod erat operimentum tabernaculi; locus etiam desumptus est ex Amos cit. cap. 5. num. 25. *Moloch,* vel *Melech*, id est *Rex eorum*, id est Saturnus, vel Iupiter, vel Sol, qui in Cœlesti militia, ut Principes eminent, *& Rempham*, id est Lucifer, seu Stella Veneris, de quo quæstione sequenti. *Et transferam vos in Babyloniam.* Apud Amos habetur: *Trans Damascum.* D. Hieronym. respondet, quod S. Stephanus potius respexit ad sensum, quam ad verba; Israelitæ enim captivi ducti fuerunt trans Damascum apud Assyrios, & simul fuerunt trans Babyloniam, de quo ibi Lyra, & alii. 216. Syriac. Alii. Amos 5. D. Hier. Lyra.

Vers. 44. *Tabernaculum testimonii fuit cum Patribus nostris.* Syriacus: *Ecce tabernaculum Patrum nostrorum in deserto fuit.* Ecce ostendit Divus Chrysostomus falso sibi imponi esse blasphæmum contra Dei templum, quod dicit esse factum, & ordinatum ex dispositione Divina Tabernaculum testimonii, seu fœderis, dicebatur testimonii, quia in eo erat arca, in qua erat Urna, Manna, in testimonium beneficiorum, quæ eis dedit in deserto, erantque in ea tabulæ legis, quæ testabatur Dei voluntatem, & quid eis Deus præceperat, & quidquid Deus ab eis exigebat. 217. Syriac. *Cur tabernaculum testimonii.* 218. Arabic.

Vt faceret illud secundum formam, quam viderat. Arabicus: *Iuxta delineamentum, & figuram, quam viderat.* Deus Ideam, & exemplar Moysi ostendit in monte Sina, & juxta eam illud fabricavit; sic enim est ei mandatum: *Inspice, & fac secundum exemplar, quod tibi in monte monstratum est.* Exod. 26. numer. 1. Cujus tanta erat dispositio, fabrica, architectura, ac magnitudo, ut notat D. Hieronym. epist. 1. cap. 28. ut dicatur, quod totus orbis in eo erat descriptus. Exod. 25 D. Hier.

QUÆSTIO XXIV.

Quare D. Stephanus Luciferum appellat Rempham ſtellam obſcuram, & tenebroſam?

219. DIvus Stephanus arguens perverſitatem Iudæorum, quia derelicto cultu veri Dei à quo tot, & tanta beneficia receperant, adorarunt Solem, Lunam, & Stellas, & præcipue ſplendidiſſimum Sydus, quod D. Stephanus appellat Rempham, quod Interlin. Sydus Interlinealis, Beda, Lyranus, ac M. Didacus de Baeça lib. 6. de Chriſto figurato lib. 12. cap. Beda. 8. §. 2. & alii tenent eſſe Luciferum matutinum, Lyran. ſeu Auroram, quæ ante Solem fulgentiſſime reſplendet, quam etiam multo tempore coluerunt Turcæ, Baeça. ac Sarraceni ſub nomine *Cobar*, ut memorat Conſtan Conſtantinus Imperator lib. de adminiſtratione Imperii ad Romanum filium cap. 14.

220. Quæſtio tamen eſt cur tam ſplendidum Sydus appellatur à D. Stephano *Rempham*, quod Theodo- Theod. ſius, & ejus Scholiaſtes, ſimul & Oecumenius di- Scoliaſ. cunt *Rempham verè eſt ſpecies tenebrarum*; quæ ta- Oecum. men cohærentia datur inter fulgentiſſimum Sydus; unde ergo venit in mentem D. Stephano tam ſplendidum aſtrum, quod tenebras diſſipat, dum mane

221. ſcintillat, tenebras appellare, ac dicere.

Expende, ait D. Stephanus: *Sydus Dei veſtri Rempham, figuras, quas feciſtis, ut adoraretis eas.* Cum autem ſydera tamquam quid divinum cœperunt ab hominibus coli, ac adorari ex tam indebito cultu, cœperunt apud homines obſcurari, ac obtenebrari, ut non ſint fulgentiſſima ſydera, ſed denſa, ac colligi novæ tenebræ mentes obſcurantes, ac obtenebrantes: Ad hæc pulchrè ait D. Athanaſius oratione in Paraſceve, quæ habetur apud Prethſer tom. 2. de Cruce, & ait: *Magnum quidem opificium eſt Cœlum; magnum quoque Angelorum natura eſt: cum his Sol contendens, & terra, ſed cum hæc omnia pulchra imprimis fuerint, homo tamen eorum pulchritudinem deturpavit immoderata venerationis abundantia injuriam iis ipſis, quæ coleret, molitus? cum enim in res conditas admirationem contuliſſet, quæ rerum conditarum modum ſuperaret, & excederet, ignominiam iis, quæ coleret, effudit.* Cultus, & dignitas diſconveniens, & improportionata non inſervit ad honorem, ſed ad injuriam, & opprobrium: *Ignominiam iis, quæ coleret, effudit.*

222. Prodigus reverſus ad patrem exclamat, *Pater* Luc. 15. *peccavi in Cœlum, & coram te.* Luc. 14. numer. 20. Quod contra Patrem peccaverit, Deumque offenderit, facile intelligitur, ſed in quo extitit ejus peccatum, ac offenſa contra Cœlum, cujus aſtra magno cultu, ac reverentia venerabatur, ut tamquam Deum adoraret, in eo graviter offendit, quod adoraret; immodicus honor, ac improportionatus non extollit, ſed deprimit, & in contumeliam, & injuriam illius, cui tribuitur, vertitur. D. Chryſologus ſerm. 5. ait: *Peccavit in Cœlum, dum in Cœlo Solem, Lunam, ſydera Deos eſſe blaſphemat, & hæc eadem profanat adorando.* Vide ſupra cap. 1. q. 39. n. 276. 277. 278. & cap. 3. expoſit. 8. n. 94.

Honos improportionatus injurioſus. D. Chryſolog.

Actor. 7. num 45. Quod & induxerunt ſuſcipientes Patres noſtri cum Ieſu in poſſeſſionẽ gẽtiũ, quas expulit Deus à facie Patrũ noſtrorũ uſque in diebus David.

Num. 46. Qui invenit gratiam ante Deum, & petiit ut inveniret tabernaculũ Deo Iacob.

Num. 47. Salomon autem ædificavit illi domum.

Num. 48. Sed non excelſus in manufactis habitat, ſicut Propheta dicit.

Num. 49. Cœlum mihi ſedes eſt; terra autẽ ſcabellum pedum meorum: quam domum ædificabitis mihi dicit Dominus? aut quis locus requietionis meæ eſt?

Num. 50. Nõne manus mea fecit hæc õnia.

Verſiones

CVM EXPOSITIONE X.

Verſ. 45. *Vod induxerunt Patres noſtri.* Syriacus: *Quod quidem tabernaculum etiam introducendo introduxerunt.* Iſta repetitio ſignificat magnam vehementiam, multumque ardorem Hebræorum in transferendo tabernaculum: Illud autem tabernaculum dicebatur, in quo arca tenebatur incluſa: Unde apud nos locus, in quo Sacra Euchariſtia habetur, dicitur tabernaculum, ut obſervat Maſius ad cap. 3. Ioſue: & ubi nos habemus *Suſcipientes Patres noſtri*, alii legunt: *Portantes*; quia ad tranſitum Iordanis ſtupendo miraculo Sacerdotes portaverunt Arcam Ioſue 3. num. 12. ſicut ad expugnandam Iericho Ioſue 6. n. 6. 223. Syriac. Maſius. Alia loca.

Cum Ieſu, ſeu Ioſue, quo ſignificabatur, quod cum Ieſu Chriſto nobis datur ingreſſus in Cœleſtem patriam: In poſſeſſionem gentium, eos introduxit Ioſue in terram Chanaan, quæ erat poſſeſſio gentium: Uſque in diebus David, ſeu ut clarius habet Græcus: *Uſque ad dies David*; nam tabernaculum Moyſis perſeveravit uſque ad dies Davidis; ipſe enim David per filium Salomonem pro tabernaculo mobili, & anguſto Moyſis decrevit facere templum firmum, ſtabile, valde amplum, & magnificum. 224. Græcus.

Verſ. 46. *Qui invenit gratiam apud Deum.* Syriacus: *Qui invenit miſericordiã in conſpectu Dei.* Arabicus: *Qui pactus fiduciam apud Deum*: qui gratus fuit Deo, & dilectus ab ipſo *petiit, ut inveniret tabernaculum.* Petiit, ut Deus deſignaret ei locum ad ædificandum templum, & tanta vehementia, ut ediderit votum non ingrediendi propriam domum, donec à Deo acciperet locum demonſtratum à Deo Pſalm. 131. numer. 2. *Votum vovit Deo Iacob, ſi introiero in tabernaculum domus meæ, donec inveniam locum Domino, tabernaculum Deo Iacob.* 225. Syriac. Arabic. Pſal. 131.

Hunc locum poſtulavit David à Deo ſibi oſtendi, cum peſtis valdè horrenda ſæviret in populum. 2. Reg. 24. & tunc per Gad Prophetam intellexit, velle Deum in eodem loco, & colle, in quo Davidi apparuit Angelus gladium vibrans, id eſt in monte *Moria*, ubi Deum offenſum ſibi placaverat, ubi illico ſacrificium obtulit, & emit arcam Ornam Iebuſæi, cæteraque omnia ad ſacrificandum, templum comparavit, atque congregavit. 226. 1 Reg 24

Deo Iacob, ſicque dicitur citato loco Pſalm. 131. num. 2. & peculiariter dicitur Deus Iacob, quia fuit primus, qui fecit ſimile votum, & erexit lapidem, qui dicebatur domus Dei Geneſ. 28. num. 22. & cum dicitur Deus Iacob; intelligitur etiam Deus Patrum ſuorum Abraham, Iſaac. 227. Pſal. 131. Gen. 28

Verſ. 47. 48. *Salomon ædificavit domum, id eſt* templum. 48. *ſed non excelſus in manufactis habitat.* Syriac. *At altiſſimus ille non habitat.* Arabicus: *Excelſiſſimus*; Deus cum ſit infinitus, incomprehenſibilis, & immenſus ubique eſt, & omnia replet, & hic D. Stephanus refutat errorem Iudæorum exiſtimantium Deum eſſe affixum ſuo templo. Unde 228. Syriac. Arabic.

Chriſtus

Christus Dominus dixit Samaritanæ: *Vos dicitis, quia Hierosolymis est locus, ubi adorare oportet* Joan. 4. numer. 20. Deus enim, cum ubique sit, ubique adorari potest; Deus tamen propriè, & formaliter habitat in semetipso in sua Divinitate, & immensitate, effectivè, ac demonstrative in toto mundo, ac in templis, prout Deus in eis vult honorari, coli, ac adorari, & ob talia obsequia ibi peculiariter exaudit nostras preces, ac orationes. Joan. 4.

Dicitur autem Deus; *Altissimus, Excelsissimus*, ut ait D. Thomas ad cap. 31. Iob. vers. 28. quia ille solus, & nullus alter venerandus est supremo, & alto latriæ cultu. *Sicut Propheta dicit* Isaïam intelligit. 229. D. Tho.

Vers. 49. *Cœlum mihi sedes est, terra autem scabellum pedum meorum.* Syriac. *Cœlum mihi thronus sit, & terra suppedaneum.* Locus desumptus est ex Isaïa 66. n. 1. & ex eo probant omnes Patres Deum esse immensum ubique, & omnia implere; *Cœlum mihi sedes*, seu thronus, sic & multis in locis Psal. 10. n. 9. *Dominus in Cœlo sedes ejus.* Psal. 102. n. 19. *Dominus in Cœlo paravit sedem suam.* Dicitur Cœlum sedes ejus, quia ibi electis suam Divinitatem ostendit, gloriamque, & hoc indicat *sedere*. 230. Syriac. Isaïæ. 66 Psal 10. Psal. 120

Terra autem scabellum pedum meorum. Sic etiam ait Christus D. Matth. 5. n. 35. *Nolite jurare, neque per terram, quia scabellum est pedum ejus*, & dicitur scabellum pedum ejus, quia terra est quid minimum, ac inferius, veluti sub pedibus supposita, ut ait D. Thomas, & in ea minora ostendenda præbet Deus; quam in Cœlo. 231. Matth. 5. D. Tho.

Quam domum ædificabitis mihi. Syriacus: *Quam adem*, tamquam si dicat (explicat Lyranus) nullam, sed tantum ad hoc, quod ibi fiat Deo oblatio orationum, ac sacrificiorum, ut dixit Salomon 3. Reg. 8. *Aut quis locus requietionis meæ*: tamquam si dicat, nullus creatus est, nam Deus habitat, & quiescit in se ipso antequam mundū crearet per infinita sæcula, in se ipso habitabat, & quiescebat, & per mundi creationem nihil ei denuò advenit, neque in illo aliqua mutatio facta est, cum ipse sit immutabilis. 232. Syriac. 3. Reg. 8.

Actor. 7. num. 51. Dura cervice, & incircuncisis cordibus, & auribus, vos semper Spiritui sancto resistitis, sicut Patres vestri, ita & vos.

Num. 52. Quē Prophetarū non sunt persecuti Patres vestri, & occiderunt eos, qui prænuntiabāt de adventu justi, cujus vos nunc proditores, & homicidæ fuistis.

Num. 53. Qui accepistis legem in dispositione Angelorum, & non custodistis.

Versiones;

CVM EXPOSITIONE XI.

Vers. 51. *Dura cervice, & incircuncisis cordibus, & auribus.* Syriacus: *Duri cervice, & auditu.* Arabic. *O quorum duræ sint cervices.* D. Chrysost. *Incircuncisis labiis.* Æthyopic. *Incrassati cordibus, & surdi auribus.* Tria notat D. Stephanus in Judæis. Prima, quod sint *dura cervice*, id est obstinati, inflexibiles, & obdurati, qui nolunt Evangelio obedire, sumpta metaphora à vitulis, qui jugum cervici impositum reiiciunt. Secundo *Incircuncisis cordibus*, id est cor, & aures habetis, pelle, ac tegmine infidelitatis obductas, & non vultis circūcidere, & auferre à vobis, & hoc cor obduratum, ac lapideum notabat in eis Deus per Ezechiel. 36. n. 3. Tertio, *& auribus* ut legit Æthyopicus *surdis*, nempe obduratas habentes, in hujus rei signū Constātinus Imperator, ut refert D. Chrysost. homil. 2. contra Judæos jussit eis amputare auriculas, & in hujus rei Symbolum D. Petrus Malchum valde sollicitum in Christi comprehensione amputavit auriculā dexteram, ut denotaretur Judæos perdituros aurem dexteram ad percipienda Christi mysteria. 233. Syriac. Arabic. D. Chrysost. Æthiop. Ezech. 36 D. Chrysost.

Vos semper Spiritui sancto resistitis. Syriacus: *Vos in omni tempore Spiritui Sanctitatis obstinatis.* In quo admonemur de nostra libertate, ut docet Concilium Trident. sess. 6. cap. 5. *Sicut & Patres vestri, ita & vos*, ut dicitur Psalm. 27. n. 8. *Ne fiant sicut patres eorum generatio prava, & exasperans, quæ non direxit cor suum*, & non est creditus cum Deo spiritus ejus. 234. Syriac. Psal. 27.

Vers. 52. *Quem Prophetarum non sunt persecuti Patres vestri* Græcus habet: *Quem ex Prophetis.* Ostendit Divus Stephanus suorum Patrum prævaricationem *Patres vestri*, ut explicat Lyranus, pauci fuerunt, qui non persequerentur, & occiderent eos, scilicet Prophetas, ut notat D. Hieronymus passim in prologo Prophetarum Isaïæ, Jeremiæ, Ezechielis, &c. qui ferè omnes ab eis interfecti sunt, ut ostendi in Opusculis opusculo 1. resol. 3. 235. Græcus. Lyran. Opuscul

Qui prænuntiabant de adventu Justi. Græcus: *Qui prophetabant de adventu Justi*, scilicet Christi Jesu, qui antonomastice simpliciter, & absolutè omnibus modis est justus, & omnes in eum credentes facit justos, ideo à Daniele cap. 9. numer. 24. *Vocatur Sanctus Sanctorum, justitia sempiterna*; sic & Isaïæ 45. n. 8. *Nubes pluant justum*, Ierem. 23. num. 5. *Germen justum.* 236. Græcus Daniel. 9 Isaïæ 45 Ie. 23

Cujus vos nunc proditores, & homicidæ fuistis, Græcus *Occisores*, quia per Judam eum prodidistis, & data pecunia eum emistis, ejus proditionem sollicitantes, & vos eum proditum à Juda tradidistis Pilato, & Gentibus, ut ipse Christus prædixit: *Tradent eum gentibus ad illudendum, & flagellandum, ac crucifigendum.* Matth. 20. n. 19. 237. Græcus Matth. 20

Vers. 53. *Qui accepistis legem in dispositione Angelorum.* Syriacus: *Per manum mandati Angeli*, Arabicus: *Secundum præscripta Angelorum*, Oecumen. Isidor. *Per dispositiones Angelorum* D. August. de Civit. Dei cap. 20. *In dictis Angelorum.* Graviter, & valde opportunè hæc adjungit Divus Stephanus retorquendo argumentum contra ipsos Judæos; Ipsi accusābant Stephanum tamquam legis contemptorem, ipse vero ostendit eam habere in magna veneratione, utpote datam per Angelum, & inde ostendit ipsos, & Patres eorum esse legis contemptores, quia contra legis præcepta ipsi justum occiderunt, & patres eorum Prophetas, *& non custodistis*, ut ait Christus D. *Irritum* fecistis mandatum Dei propter traditionē vestrā Matth. 15. 238. Syriac. Arabic. Oecum. Isidorus D. Aug.

QUÆSTIO XXV.

Quare Divus Stephanus tam acriter invehitur in Judæos, cum valde lenis extiterit in exordio prædicationis, ac fine, ut pro eis etiam exoraret?

VAlde lenis extitit Divus Stephanus in exordio suæ prædicationis, ut eos diceret: *Viri fratres, & Patres audite* ut patet ex hoc cap. num. 2. cum eos quietos, & tamquam benevole audientes, vidit, benevole, ac placide cū eis agit, cū eos protervos, ac obstinatos agnovit rigide in eos invehitur. Oecum. *Quia videbat illos nō advertere animū his, quæ dicebantur.* Ut ergo obfirmatos, eos vidit sua in pertinacia rigide in eos invehitur, audacia, & fortitudine Apostolica, ut sic eorum nequitiā magis cōtereret, ac cōminueret; 239. Oecum. *Prædicator accommodet se auditoribus.*

Spiritus Apostolicus valde diversis verbis utitur pro auditorum dispositione, ut quos benevole allicere non potest, severitate compescat. Vide quæ dixi tom. 2. in Evang. cap. 10. q. 3. n. 18. 19, 20. & tom. 1. in Apocalyps cap. 8. q. 4. n. 48. 49. 50.

240. Secundo, & notatu dignissimum; modo tam dure increpat *dura cervice*, & statim flexis genibus pro eis exorat: *Domine ne statuas illis hoc peccatum*, ut significaretur, ait D. August. serm. 1. de S. Stephano, quod ipse non habebat odio Iudæos, sed eorum malitiam, ac perversitatem, in quo sensu ait Regius Vates: *Perfecto odio oderam illos.* Psal. 138. n. 22. Perfectum odium non odit hominem, sed peccatum

Psal. 138.

241. Tertio ad idem D. Augustin. Psal. 132. & ait: *Quando debuit plus irasci Stephanus, quando audiebatur, aut quando lapidabatur? Ecce mitis factus est cum lapidaretur, & saviebat cum audiretur. Venientibus in se lapidibus non victa est charitas, quia unguentum à capite descendebat.* Sapientissimus Medicus, ac Magister, primo leniter, ac suaviter agit, dicens: *Viri fratres, & Patres*, & cum nihil proficit ad ferrum severitatis recurrit, *Dura cervice, & incircuncisis cordibus*, cum adhuc eos obstinatos, & obduratos vidit pro sua ferventi charitate ad Deum se convertens recurrit, ut eorum animos emolliscat, & ideo omisso increpationis gladio, suave Christi unguentum adhibet, pro eisque rogat: *Ne statuas illis hoc peccatum.*

D. Aug.

Pro obduratis ad Deũ recurrendum.

242. Quarto, compone modo hanc acerbam, & duram reprehensionem: *Dura cervice, & incircuncisis cordibus.* Cum illa summa clementia, ac pietate: *Domine ne statuas illis hoc peccatum*, an cum reprehendebat, minus amabat, quàm cùm pro eis orabat, an in prima reprehensione erat aliquod odium adversus rebelles? absit, sed totum erat ex ferventi charitate erga hostes suos. D. Fulgentius serm. de Sancto Stephano ait: *Neque enim fratres, existimandus est Stephanus tunc inimicos dilexisse, cum pro eis oraret, & non dilexisse cum eorum incredulitatem arguendo corriperet, absit hoc ab anima martyris ad Cœlum festinantis.* Ab anima ad Cœlum festinantis valde longe abest, quod in hostium amore aliquantulum tepescat, sed maxime in eorum amore ferveſcit, ut cum ad Cœlum festinat omnes secum vult habere socios, ut cum ipso Cœlum ingrediantur, & suæ Cœlestis felicitatis vult eos secum habere participes. *Absit hoc ab anima Martyris ad Cœlum festinantis.*

D. Ful.

In horæ mortis charitas erga sibi infensos.

243. Quinto Stephanus si homicidas, & proditores vocat, quando eis salutem negotiatur: *Ne statuas illis hoc peccatum*, severitatem illam, non odium, sed charitas imperabat, cujus eximius affectus inter sævissimas iras interdum, & aspera relucet, & cohibere non potest, quin sui radios emittat. Divus Chrysostomus homil. 17. in Acta ait: *Quod non ex furore locutus fuerit Stephanus, ostendebat quando in cruciatibus pro illis orabat, & dicebat: Ne statuas illis hoc peccatum, adeo non irascebatur illis, sed dolebat pro illis, & mordebatur hæc dicens: Proditores, & homicidas.*

Inter magnas iras affectus amoris relucet.

D. Chrysost.

244. Ait Deus Moysi: *Ecce constitui te Deum Pharaonis* Exod. 7. numer. 5. cur non potius illius fit Judex, sed Deus, cur tantam supereminentiam Deus sibi non reservat, sed etiam eam committit Moysi? datur magna differentia, Judex potest inferre malum delinquenti, sed non potest auferre, cùm non sit supremus Dominus; at cum Deus talis sit, solus ille potest removere malum, quod infligit. Divus Hilarius lib. 7. de Trinit. ait: *Ad Moysen dictum est: Dedi te Deum Pharaonis, cum Cynomiam, quam immiserat, abigit, cum grandinem potestate, qua evocaverat, avertit; cùm locustas ea virtute, qua invexerat, repulit, cum in operationibus ejus Magi confitentur digitum Dei esse, sic Moyses Pharaoni Deus datus est, dum timetur, dum oratur, dum punit, dum medetur.* Expende ultima verba *Dum punit, dum medetur*? talis est Spiritus Divinus, dum punit, ibi radios suæ pietatis, ac clementiæ ostentat, effudit Deus iram suam in Ægyptum, sed cum clementia, ut amoveri, ac suspendi valeret.

Exod. 7.

E. Hilar. *Deus dũ infert malum confert mendacia.*

Ait Regius Vates Psalm. 74 numer. 9. *Calix in manu Domini vini meri plenus mixto, & inclinavit ex hoc in hoc, veruntamen fæx ejus non est exinanita.* Allusio ad pestilentiam, quam misit Dominus in Israelem per tres dies ob numeratum populum, & non perduravit per unum integrum 2. Reg. 24. Cur ergo fæx illa non est exinanita; quis illam continuit? misericordia nempe continuit Calicem ne totum effunderetur, semper Deus in omni ira sua misericordiæ recordatur. Divus Ambrosius in Psal. 37. ait: *Plenus erat Calix ad terrendum, ad feriendum non est exinanitus; Plenus erat Calix, cum mors per triduum mandaretur, sed occurrit Misericordia Dei, tenuit manum Angeli, priusquam Calicem istum exinaniret.*

245. Psal. 74.

Deus in suos nũquam effundit totam iram.

D. Ambr

QVÆSTIO XXVI.

Quare Divus Stephanus dum præsentes Iudæos arguit, eorum parentes commemorat nequissimos?

Ait D. Stephanus in præsenti: *Vos semper Spiritui Sancto resistitis, sicut Patres vestri, ita & vos, quem prophearum non sunt persecuti Patres vestri..... cujus vos proditores, & homicidæ fuistis.* Expende illa verba: *Ita & vos*, ut tam intolerabiles, & inveterata sit vestra malitia, ita ut cum sanguine, ac successione hausta, ac participata, D. Chrysostomus ibi: *Et quod majus est, sicut Patres vestri, inquit, ita & vos.* Et quidem maius est, & intolerabilius, & ruinæ extremæ valde vicinum, quod cum sanguinis propagatione propagentur, & vitia, ut videantur cum ipsa natura congenita, & inde valde difficiliter, ut evelli possint.

246. *Peccata ex genere propagata.*

Ait Christus Dominus Matth. 23. numer. 31. *Væ Scribæ, & Pharisæi..... Itaque testimonium estis vobismet ipsis; quia filij estis eorum, qui Prophetas occiderunt; & vos implete mensuram patrum vestrorum, serpentes, genimina viperarum, quomodo fugietis à judicio gehennæ.* Ad quæ verba sic ait Divus Hieronymus: *Sicut de viperis nascuntur viperæ, sic de homicidis parentibus vos nati estis homicidæ.* Veniunt enim cum sanguine mores. Illud in rem nostram maxime est expendendum: *Quomodo fugietis à judicio gehennæ.* Cum in vobis malitia ita sit congenita à majoribus: *Quomodo fugietis* juxta communem sensum Patrum; nullo modo fugietis à meo judicio, quo ego vos condemnabo ad supplicium Inferni sempiternum tam propter meam, quam propter mortem meorum discipulorum.

247. Matth. 23.

Sed unde isti miseri, ac patres eorum in tantam nequitiam, ac stultitiam venerunt, ut interficerent Prophetas justos, & sanctos, qui ad eorum salutem missi erant, quos eorum Patres maximè venerari, ac coleredebebant, ait de eis Regius Vates Psalm. 105. numero 37. *Immolaverunt filios suos, & filias suas Dæmoniis.* Quid magis execrabile, ac inhumanum excogitari potest, quam quod Patres contra omne naturæ jus filios jugularent, ac sacrificarent Dæmonibus? sed cum ad tantum nefas inaudita

248. Psal. 105.

malitia

Vnum peccatũ aliud grauius secũ importat. malitia pervenit, ibi non quievit, sed ultra processit, & ad aliud horrendum crimen se extendit, ut cum ferro armato, & gladio evaginato justos, ac Sanctos Dei occideret. Divus Hieronymus ad cap. 57. Isaiæ ait: *A parricidio liberorum, ad Prophetarum sanguinem pervenerunt*, & ideo in Ierosolymitanum excidium tot hominum millibus interfectis inciderunt. L. Hier.

249. Veniunt Angeli in Sodomam, statim Sodomitæ insurgunt, ut eis abuterentur, ita ut domum Loth, in quam se receperant, vallaverint, ut Angeli ad eorum manus pervenirent. *Tunc Dominus pluit super Sodomam, & Gomorrham sulphur, & ignem à Domino de Cœlo, & subvertit Civitates has, & omnem circa regionem.* Genes. 19. numer. 24. Cur Domine, non magis misereris creaturæ? esto quod Sodomitæ vellent abuti hospitibus Loth, tu valde benignus, & longanimis expectans peccatores ad pœnitentiam, cur hos non expectas, vel saltem cur ante tantum suplicium aliqua non præcessit admonitio, ut factum legimus cum Ninivitis? *Adhuc & quadraginta dies & Ninive subvertetur*, Ionæ 3. nu. 4. Cur etiam eis non conceditur aliqua reprehensio, vel aliquod pœnitentiæ tempus? Ubi tantum excrevit eorum malitia, ut non tantum quiescerent suo nefando crimine in suos, sed etiam extrancos, & alienos vellent ad illud adducere, & trahere, addendo, & multiplicando suis peccatis nova peccata, ex tanto criminis excessu, fiebat evidens, quod nulla admonitio proficeret, indeque in eos extrema ruina evolavit. D. Machar. homil. 4. ait: *Temporibus Sodomorum accidit; nam cum multa deliquissent, ne se converterent, postremo in tam grave peccatum ceciderunt ob pessimum in Angelos initum consilium, ut nullam posteà pœnitendi facultatem habuerint, sed perpetuo reprobati sint: Impleverant terminum scelerum, imo etiam excesserant, quapropter Divino judicio incendio traditi sunt.* Quod etiam probat exemplo Pharaonis, qui post decem plagas non quievit, sed insecutus est Israelitas per medium maris, à quo suffocatus est. Exod. 14.

Ionæ 3.

Grandis pœna in addẽtes peccata super peccata. D. Math.

Exod. 14.

QUÆSTIO XXVII.

Quare lex dicitur data per dispositionem Angelorum?

250. Aliqui Codices habent per dispositiones, per mandata, & præcepta Angelorum, per Angelos Magister sententiarum, D. Chrysostomus, Oecumenius, D. Ambrosius, Theophylactus, Euthymius, Primasius, & alii, multi in Epist. ad Galatas cap. 3. numer. 19. & epist. ad Hebræos cap. 2. num. 20. Ubi dicitur *Lex ordinata per Angelos*, per hos non Angelos intelligunt Moysen, Aaron, & Iosue; Tarer. Glossa, & alii veros, ac proprios Angelos interpretantur, qui sunt administratorii spiritus missi à Deo, ut ait Apostolus Hebræor. 1.

Magister sententiar.

Galat. 3. Hebr. 2 Vetus Angelus.

251. Divus Stephanus hic, & Apostolus citatis locis dicunt in plurali *per Angelos*, & D. Stephanus in hoc cap. 7. numer. 35. & 38. loquitur in singulari *In manu Angeli, cum Angelo*, Revera unus fuit Angelus, scilicet Michael, tamen dicitur in plurali ad majorem auctoritatem reconciliandam, ut sæpe Reges loquuntur. Deinde quamvis Angelus loqueretur nomine Dei, etiam multi Angeli inferiores videntur in hoc negotio intervenire ad excitandum ignem, fumum, fulgura, tonitrua, ac tubarum sonitum, aliaque prodigia, quæ ibi intervenerunt. Exod. decimo nono.

Vnus Angelus.

Multi ministri.

Exod. 19.

Et recte dicitur cum dispositione, seu per dispositiones, quas observavit Angelus in lege tradenda: Nam primo dedit legem naturalem, seu Decalogum, & in hoc dando illa tria, quæ pertinent ad Dei honorem, deinde alia, quæ spectant ad proximum Exod. 20. Secundo Tradidit leges judiciales cap. 21. 22. Tertio reges Ceremoniales cap. 25. & sequentibus.

252. *Magna & alta dispositio.*

Exod. 20. 21. 22.

Deinde Angelus ante dandam legem multa, & magna disposuit, ut omnes ablutis vestibus se purificarent, ac mundarent, & ut ex monte exirent ignis, fumus, tonitrua, & fulgura, & cum Moyses descenderet portans legis tabulas, maximè resplendebat ejus facies, ita ut *filij Israel non intenderent in faciem ejus*, 2. Corinth. 3. num. 13. quæ omnia maxime inducebant ad magnam reverentiam, venerationem, ac promptam obedientiam, ac observationem erga legem.

253. *Ad observationẽ legis multa dispoũntur.*

Tandem, & maximè ponderandum, quod ait Divus Stephanus: *Qui accepistis legem in dispositionem Angelorum.* De hac lege data ab Angelo nomine Dei audiendus est Salvianus lib. 1. de Gubern. Dei, & ait: *Adde tonitrua, adde fulgura, terribiles buccinarum Cœlestium sonos, tremendum undique totius aeris fragorem..... loquentem quominus Dominum, discentem populum, ac mixtis pene hominibus, atque Angelis unam Cœli, ac terræ Scholam.* In quonam est ista Schola Cœli, & terræ, in qua magna, & alta doctrinæ dantur documenta? Angelus nomine Dei, & ex mandato Dei dabat legem, & tot, ac tanta commovebat in monte, ut inde discerent homines Dei mandatis obedire: Angelus, ut obediens Deo dabat legem tot, ac tantis signis: ergo etiam homines tot, & tantis tenebantur legi etiam esse obedientes; unde *mixtis pene hominibus, atque Angelis una Coeli, ac terræ Schola* constituerettur.

254. Salvian.

Prælata, quod imperat in se exequatur.

At hac data lege non discedamus: Cùm Deus descenderet in monte Sion, ut daret legem populo Israelitico: *Coeperunt audiri tonitrua, micare fulgura, & nubes densissima operire montem, clamorque buccinæ vehementius perstrepebat, totusque mons fumabat, eo quod descendisset Dominus super eo in igne, & ascenderet fumus ex eo quasi ex fornace.* Exod. 19. numer. 16. & 18. quæ verba ponderans Philo Hebræus lib. 1. Decalogi ait: *Interea, ut par erat in præsentia Numinis omnia perstrepebant prodigiosis tonitribus aures obtundentibus, coruscabant fulguribus micantissimis, sonus tubæ invisibilis è longinquo exaudiebatur, &c.* Et ad quid tam extraordinaria omnium elementorum commotio? subdit ipse Philo: *Oportebat enim ad Dei adventum turbari mundum omnibus suis partibus, & excìri ad ministerium.* Descendebat Deus leges condens, ac promulgaturus, omnes mundi partes concutiuntur, elementa commoventur tamquam ad promptum obsequium præparata, si forte aliquid eis mandatum sit, & tamquam præsto se exhibentes ad sui Domini famulatum, inde consuetos naturæ terminos transiliunt, sic Deo alto judicio omnia disponente, ut ab insensibilibus elementis informentur homines in debita, & prompta obedientia suo conditori.

255. Philo Hebr.

Obedire Deo discant homines ab elemẽtis.

Actor. 7. num. 54. Audientes autem hæc, dissecabantur cordibus suis, & stridebant dentibus in eum.

Num. 58. Cũ autẽ esset plenus Spiritu sancto intendens in Cœlũ, vidit gloriam Dei

& Ieſum ſtantem à dextris Dei, & ait: Ecce video Cœlos apertos, & Filium ſtantem hominis à dextris Dei.

Verſiones

CVM EXPOSITIONE

256. Syriac. Arabic. Æthiop. D. Chryſoſt.

Verſ. 54. *Audientes autem hæc diſſecabantur cordibus ſuis.* Syriacus. : *Repleti ſunt furore intra ſe, & fremebant.* Arabicus: *Ægre tulerunt, & eorũ corda acerbo dolore affecta ſunt.* Æthyopic. *Incraſſati cordibus.* E Græco legũt multi: *Diſſerrabantur*, præ furore, ira, ac indignatione, tamquam veluti ſerra ſcindebantur; quia, ut notat D. Chryſoſt. omni affectu volebant occidere Stephanum, & cum accuſarent eum, ut blaſphæmum contra legem, videbant eum legem laudantem, ac extollentem tamquam ab Angelo datam, inde nulla erat cauſa ad ipſum accuſandum, ac interficiendum, unde tãquã canes rabidi ſtridebãt dentibus in eum.

257. Syriac. Æthiop.

Verſ. 55. *Cum eſſet plenus Spiritu ſancto* Syriacus: *Cum eſſet plenus fide, & Spiritu Sanctitatis.* Æthyopicus: *Cum plenus eſſet Spiritu Sanctus ſuper Stephanum.* Introducitur hic Stephanus cum nova gratia, noviſque donis Spiritus Sancti, illiuſque illapſu ad eum in tanta adverſariorum contrarietate corroborandum. *Intendens in Cœlum* Syriacus: *Suſpexit in Cœlum.* D. Gregor. Niſſen. *Intentis oculis in Cœlum contuitus*: terrena omnia ut vilia deſpiciens oculis animæ, & corporis totus in Cœlum ferebatur.

Syriac. D. Greg. Niſſen.

258. *Vidit gloriam Dei*, non Eſſentiam Divinam, ut aliqui dixerunt, ſed quandam imaginem valde magnificam, ac auguſtam, & ſummopere nitentem, quæ quandam Dei ſpeciem repræſentabat, inſtat ſupremi regis, vel Judicis judicantis: *Et Ieſum ſtantem* cum ſuo naturali, ac glorioſo corpore, ſtabat tamquam dux pugnaturus cum ſuo milite Stephano, ut advocatus rogans pro eo ad Patrem, & tamquam Rex, aut quaſi Agonotheta, bravium cœleſtis gloriæ oſtendens, ac exhibens martyri ſuo in ſtadio.

256. *Ecce video Cælos apertos*, vel ut multi volunt qui ſi quendam hiatum Cœli, & in eo Chriſtum Dominum ſe viſibiliter oſtendentem, vel ut mihi probabilius eſt, ejus oculus per virtutem Dei ſupernaturalem, elevatus eſt, quaſi omnes Cœlos patentes penetravit, provectuſque eſt uſque ad Cœlum Empyreum, ibique ipſum *Vidit ſtantem à dextris Dei*, ſeu, ut multi codices habent, *à dextris virtutis Dei*, hoc eſt ſtantem cum multa gloria, & majeſtate. De hac Cœli apertione dixi tom. 1. in Evangel lib. 3. cap. 2. q. 15.

QUÆSTIO XXVIII.

Quare D. Stephanus, nec attendit in ſe, nec in ſuos perſecutores, ſed ſolum in Cœlum?

260. *Qui cœleſtia cõtemplantur terreſtria deſpiciunt.*

MAgna conſideratione dignum quod dicitur in textu Stephanus *cum eſſet plenus Spiritu Sancto intendens in Cœlum vidit gloriam Dei, & Ieſum ſtantem.* Stephanus in Cœlum intendens Ieſum videt & contemplatur, cur non etiam oculos in ſe convertit, cur etiam eos non conjicit in perſecutores ſuos, ſed omnibus his omiſſis totus eſt intendens in Cœlũ. Adverte ad id, quod immediate ante dicitur: *Cum eſſet plenus Spiritu Sancto*: Cum ergo totus à Divino Spiritu ageretur, ac moveretur, totus rapiebatur ad Cœleſtia dona, illarumque meditatione nil de corpore cogitabat, quod expoſitum erat ſuis inimicis, ut lapidibus illum confringerent, ac dirumperent. Petrus Damianus ſerm. de S. Stephano ait: *Simul ſignanter intellige conſecutionem verborum; Plenus eſt Spiritu Sancto, & ſic intendit in Cœlum, quia, qui Spiritu Divinitatis aſſlantur conculcatis terreſtribus, cœleſtibus inhiant, & æternis.* Qui animum elevat ad Divina, temporalia contemnens faſtidit, & ſolum Cœleſtia quærit. Petrus Damian.

Divus Ambroſius ſerm. in feria 5. poſt Paſcha pulchram quæſtionem excitat inter D. Stephanum, ac Magdalenam, nam ut ſcribit Ioan. 20. n. 11. *Magdalena ſtabat ad monumentum foris plorans; dum ergo fleret inclinavit ſe, & proſpexit in monumentum, & vidit duos Angelos in albis ſedentes.* Inter Angelos ſtabat Magdalena, & à lachrymis non poterat temperari, quia Ieſum non inveniebat, nec videbat: At D. Stephanus ſtans inter crudeliſſimos, ac furibundos hoſtes, *videt Ieſum ſtantem à dextris.* Stephanus inter fremientes hoſtes tamquam Leones videt Ieſum, & Magdalena inter placidos, & feſtivos Angelos in albis Ieſum non videt; Stephanus elevavit oculos in Cœlum: *Video Cœlos apertos*, & inde videt Ieſum, at Magdalena oculos demiſit ad ſepulchri terram: *Inclinavit, & proſpexit in monumentum*, & ſolus ille videt Ieſum, qui terrenis dimiſſis ſpiritu fertur ad Cœleſtia. D. Ambroſ. citatus ait: *Stephanus non ſupra terram quæſivit, qui ſtantem Ieſum ad dexteram Dei vidit. Maria autem, quæ quærebat in terra, tangere non poterat: Stephanus tetigit, quia quæſivit in Cœlis; Stephanus inter Iudæos vidit abſentem, Maria inter Angelos non vidit præſentem.* Vis habere Ieſum, quære in Cœlis, inter terrena non invenies, & facilius invenitur inter ſuos Athletas pro eo decertantes, quam inter Angelorum choros cantantes. 261. Ioan. 20. *Vt Chriſtum habeas dimitte terrena, & quære cœleſtia.* D. Amb.

Ait Apoſtolus ad Coloſſ. 3. numero primo: *Si conſurrexiſtis cum Chriſto, quæ ſurſum, ſunt quærite ubi Chriſtus eſt ad dexteram Dei ſedens: quæ ſurſum ſunt ſapite, non quæ ſuper terram.* Qui etiam cum Chriſto volunt vivificari, ut ſuæ reſurrectionis participes fiant, ſolum debent intendere, & quærere quæ Cœleſtia ſunt, & non terrena; ſic ait Divus Ambroſius ſupra proxime citato loco: *Ergo non ſupra terram, nec in terra, nec ſecundum carnem Ieſum quærere debemus, ſi volumus invenire.* 262. Coloſſ. 3. *Solum abiectis terrenis invenitur Ieſus.*

263. Cum Chriſtus Dominus triumphali pompa ingrederetur Ieruſalem acclamantes turbæ occurrunt, *Benedictus qui venit in nomine Domini Oſanna in Altiſſimis* Matth. 21. n. 9. *In excelſis* Marc. 11. n. 9. Si cum tanta gloria illi occurrunt ex civitate, cur eum non acclamant, ut Benedictum inter nos, vel in hac noſtra Civitate, vel regno, ſed in Altiſſimis, vel Excelſis, ſeu, ut explicat Lyranus: *Salve ſalute excelſa, & æterna.* Cum ab Spiritu Divino moverentur, ac agerentur, ut explicavi ſuo loco tom. 4. in Evangel. cap. 40. nil de terrenis cogitant, ſed tantum ad excelſa, altiſſima, & Cœleſtia ſublevantur. Matth. 21. Marc. 11. Lyran

QUÆSTIO XXIX.

Quare ait D. Stephanus, Video Cœlos apertos cum alibi ſolum dicatur Cœlum apertum?

AIt D. Stephanus in præſenti: *Video Cœlos apertos*, & tamen Chriſtus Dominus de ſe agens ait: Ioan. 1. n. 51. *Videbitis Cœlum apertum, & Angelos aſcendentes, & deſcendentes ſuper filium hominis*, & ſcribens Chriſti baptiſmum D. Lucas 3. n. 21. ait: *Ieſu baptiſato, & orante apertum eſt Cœlum, & deſcendit Spiritus Sanctus*, & D. Marc. 16. n. 19. *Dominus quidem Ieſus aſſumptus eſt in Cœlum, & ſedet à dextris Dei.* Et Pſalm. 10. numer. 5. *Dominus in Cœlo ſedes ejus*, & Pſal. 102. 264. Ioan. 1. Luc. 3. Marc. 16 Pſal. 10.

Pſal.102 Pſalm.102.num.19. *Dominus in Cœlo paravit ſedem ſuam.* Cum de Chriſto D. eſt ſermo, dicitur Cœlum, cum verò de ſervo D. Stephano Cœli.

265. *Ad celebrandum Stephani triumphum.*

Reſpondeo, quod cum Chriſtus Dominus dicatur, ac ſit declaratus in Baptiſmo, & vita ſua, ac Aſcenſione verus Filius Dei, ſecum importat omnem magnificentiam, ac majeſtatem; at quod in una pura Creatura, ut Stephano inter ad verſariorum exercitus tanta virtus, fortitudo, conſtantia, fides, claritaſque reſplendeſcerent, tamquam quid novum, ac valde mirabile in mundo novo, ac quodam mirabili modo, fuit declaranda, ac honoranda, ut omnes Orbes Cœleſtes patentes illi inſervirent.

266. Origen. *Omnes Angeli ad Stephanum.*

Secundo: *Video Cœlos apertos* ad hoc refero id, quod ait Origenes homil. 1. in Ezech. *Aperti ſunt Cœli; non ſufficit unum Cœlum aperiri, aperti ſunt plurimi, ut deſcendant non ab uno; ſed ab omnibus Cœlis Angeli ad eum.* Ad tam inclyti Martyris animam deferendam in Cœlum non ſufficit unus Angelus, ſed veniunt omnes Angeli, ideoque aperti ſunt omnes Cœli.

267. D. Tho. Petr. Damian.

Tertio: In Chriſti Baptiſmo ſcribit Evangeliſta: *Apertum eſt Coelum.* D. Thom. 3. p. quæſtione 39. art. 5. & ibi cum eo multi Theologi de viſione imaginaria exponunt, ac ſi in imaginatione Cœli aperti viderentur. At Petrus Damianus ſerm. de Sancto Stephano exiſtimat, *quod ipſe verè, & realiter viderit Cœlos apertos*, Chriſto Domino Cœli imaginatione aperiũtur, Stephano verò in realitate. Unde hoc cum Chriſtus ſit omnium ſupremus Dominus, Chriſtus Jeſus eùm ſit Deus: *Hic eſt Filius meus dilectus*, ſecum naturaliter habet omnem celſitudinem, ac ſublimitatem; at quod in uno puro homine, ut Stephano tam præclara virtus, ut magnum Orbis miraculum irradiaret, illuceret, novo etiam Cœlorum miraculo fuit honoranda, ac condecoranda, ut Cœleſtes Orbes natura ſua incorruptibiles rumperentur, atque aperirentur: Huc pertinet id, quod ait D. Auguſt. ſerm. 37. de tempore in Appendice 29. *Aperti ſunt Cœli*, ait, *exiſtimo, ut in Cœleſtibus eſſet miraculum de his; quæ gerebantur in terris.*

Cœli veluti novo miraculo venerantur Stephanum.

268. *In Stephani agone multa mirabilia.*

In agone Divi Stephani omnia multis miraculis clareſcunt, tam in naturalibus, quam in ſupernaturalibus. In naturalibus Cœli rumpuntur, moriente homine vox deficit; at Stephanus ad Chriſti ſimilitudinem *clamat voce magna.* In tormentis membra laxantur, ac proſtrantur in terram; Stephanus in ipſo certamine generoſo animo firmus *ſtat*, & ut Dominus ſuarum actionum flexis genibus orat.

Ioan. 1. In ſupernaturalibus, ut ait Joannes in 18. *Deum nemo vidit unquam*, nempe in hac vita mortali, ut communis eſt ſententia; at cum D. Stephanus ait: *Video gloriam Dei*, quod etiam Divinitatem viderit, multi affirmant, de quo quæſtione ſequenti, Cœleſtem gloriam non videt, niſi poſt mortem; at Stephanus in hac vita ante obitum. D. Marcus agens de Chriſti Aſcenſione, ait de Chriſto Domino: *Aſſumptus eſt in Coelum, & ſedet à dextris Dei*, D. Stephanus ait hoc, ut multi Codices habent; *Video, & Filium hominis à dextris virtutis Dei*, quia in Stephano tam generosè patiente ipſa virtus Divina multis mirabilibus, ac ſignis ſe ſe oſtentabat, ac manifeſtabat. Emiſſenus in feſtivitate Sancti Stephani ait: *Tuba Stephanus ſonabat, quando incredulos Judæos arguebat, & prædicabat: Lampadem manu tenebat, cum prodigia, & ſigna magna faciebat.* Alludit ad lampades Gedeonis Judic. 7. n. 16. ac proinde lapides in Stephano erant veluti lampades ad eum illuſtrandum in multis magnalibus, & mirabilibus. Tandem nota, quod Chriſtus ſuo pretioſo ſanguine, ac Cruce tamquam clave regia aperuit Cœlum, Stephanus ſuis lapidibus, tamquam vocibus ſublime ſonantibus apertum publicavit.

Alii Codices. D. Greg. Emiſſen. Iudic. 7.

QUÆSTIO XXV.

Quare D. Stephanus de ſe teſtatur, quod viderit gloriam Dei, & quomodo viderit?

269. Lyran. D. Niſſe. D. Aug.

ALiqui apud Lyranum teſtantur, quod D. Stephanus viderit Eſſentiam Divinam, quibus favent D. Gregorius Niſſenus orat. de Sancto Stephano cum ait: *Eum vidiſſe ipſum lumen de lumine Dei plena mentis comprehenſione, atque Deum, & Trinitatem*, & ſimiliter D. Auguſt. ſerm. 96. ſcribit: *Eum vidiſſe revelata facie Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum*: & ſerm. 99. ait: *Vidiſſe Deum, ac Trinitatem ipſam, & Divinitatem.* Et etiam favent Divus Hilarius Arelaten. Petrus Damianus, & alii ſerm. de Sancto Stephano, atque jam oſtendi ad illa verba: *Deum nemo vidit unquam*, Ioan. 1. num. 18. talem viſionem nemini conceſſam fuiſſe in hac vita. Aliqui, ut Carthuſianus, hoc referunt ad viſionem imaginariam.

D. Hilar. *Sententia quod viderit.* Ioan.. Carthuſ.

270. Caiet. *Vera ſententia.*

Dicendum tamen exiſtimo cum Caietano, ut jam dixi in Expoſitione, quod Beatus Stephanus videret quandam imaginem corporalem multa majeſtate valde magnificam, multo fulgore, ac claritate reſplendentem, quæ Dei gloriam repræſentabat, ſic dicitur de Moyſe Exod. 24. numer. 17. *Erat autem ſpecies gloriæ Domini, quaſi ignis ardens*, Et idem habetur Numer. 14. num. 10. & 3. Reg. 8. num. 18.

Exod. 24 Num. 14. 3. Reg. 8.

271. D. Hilar. Arelat.

Quæſtio tamen principaliter inquirit; cur hic tanta Dei gloria Stephano eſt manifeſtata? Primo eleganter reſpondet Divus Hilarius Arelaten. ſerm. de Sancto Stephano, ubi ſic ait: *Ecce video Cœlos apertos, & gloriam Dei. Iuſte incunctanter offert ſanguinem ſuum, qui pra oculis habebat regem ſuum ſimul, & bravium ſuum, & Filium hominis à dextris virtutis Dei. Vides quod expectantis intuitus armat conſtantiam triumphantis? Digne patentibus Cœli portis comparatur Cœlum, & bella ſuadent.* Et pondera ultima verba *Bella ſuadent.* Conſidera ordinem rerum. Videt Stephanus Dei gloriam, quid inde ſequitur ſtatim extrahitur, ut lapidibus opprimatur. Dei apparitio, ac oſtentatio in hac vita, non vocat ad quietem, ac requiem, ſed ad certamina, ac bella: *Bella ſuadent.* Sua præſentia, ac præmio oſtenſo armat milites, & fortes, ac alacres facit. Apparet Deus Abrahamo Geneſ. 12. numer. 1. *Exi de terra tua, & de cognatione tua*, ad laborioſam peregrinationem eum vocat.

Dei apparitio ad certamen vocat, & armat. Gen. 12.

272. *Charitas in proximos mentem illuſtrat ad divina.*

Secundo Petrus Damianus ſerm. de Sancto Stephano ait: *Intendit in Cœlum, & vidit jam non Cœlum, ſed Cœlos apertos, vidit gloriam Dei, & Ieſum ſtantem à dextris virtutis Dei. Movet me hac intentio, qua de cordis puritate refuſa, vim facit Cœlis, & ad ipſius Divinitatis conſiſtorium penetrat, & attigit. Cœli aperiuntur, gloria Dei videtur, Ieſus conſpicitur; hanc intentionem fecerat dilectio Dei, amor proximi.* Unde intuitus Stephani tam fortis, ac efficax extitit, ut non unum Cœlum, ſed Cœlos penetraret, ut uſque ad ipſã Dei gloriã, & uſque ad ipſum unigenitum Dei Filium Chriſtum Ieſum intuẽdum elevaretur. Unde illi tanta perſpicacia? Ejus eximia charitas, ut pro inimicis exoraret: *Ne ſtatuas illis hoc peccatũ*, viſum acuebat, ut omnia illi patefierent, omnia penetraret, uſque ad ipſum Dei thronũ; tam illuſtris intẽtio animi valde illuſtrẽ reddit intẽtionem oculorũ, ut omnia perſpiceret. Huc veniat Emiſſenus datus in

ſine ſuperioris quæſtionis, qui aſſerit lapides Stephani fuiſſe tamquam lampades Gedeonis ad illuſtrandam, illuminandamque ejus mentem.

273. Cantic. 8 *Charitas lucerna.* Dicitur Canticotum 8. n 6. *Fortis eſt, ut mors dilectio: dura ſicut Infernus æmulatio: lampades ejus, lampades ignis, atque flammarum.* Ecce charitas in proximos habet lampades flammarum, quæ ſunt tamquam lucernæ ardentiſſimæ, quæ illuminant ad omnia excelſa, ac divina penetranda. Ita habent tres Patres apud Delrio, *quæ illuſtrat in luce veritatis mentem, atque ignorantiæ tenebras diſcutit.*

Tres Patres.

274. D. Cyrill Hier. Tertio D. Cyrillus Hieroſolymit. Catech. 17. ait: *Video Cœlos apertos & filium hominis ſtantem ad dexteram Patris. Vidit autem non ſua virtute, ſed, ut inquit, Scriptura, cum eſſet plenus Spiritu Sancto, ſuſpiciens Cœlum vidit gloriam Dei, &c.* Unde tam acuti, ac perſpicaces fuerunt oculi Stephani, ut omnia pervaderent uſque ad ſolium æterni Patris: Unde illi tantus intuitus? rationem indicat Scriptura: *Cum eſſet plenus Spiritu ſancto.* Ex eo quod erat in eo Spiritus, ac ejus efficaci luce illuſtratus, ac illuminatus, ut ſuis oculis ſecreta, & alta divina penetraret.

Cum lumine Divini Spiritus omnia penetrantur.

275. *Lux ſpiritus ſancti in Stephano ſuper alios.* Ex effectu cognoſcitur cauſa, de nullo altero ſancto legitur ſimile efflatum, ut de B. Stephano dicente: *Video Cœlos apertos, & gloriam Dei, & Filium hominis ſtantem à dextris Dei*: quod totum proveniebat à plenitudine Divini Spiritus, qua erat impinguatus, proindeque cum talis effectus viſionis extiterit ſuperabundans ſuper omnes alios, excepta Sanctiſſima Virgine Maria, inde ejus ampla plenitudo Spiritus Sancti ſuperexcelluit ſuper cæteros alios. Petrus Damianus ſerm. 8. Sancti Stephani ait: *Quod ſi corporalibus oculis inſpexit, certum eſt hunc omne hominum genus diſparitate gloriæ prætervolaſſe, pennis fidei, & virtutum, incorporea corporeis, etſi non comprehendiſſe, apprehendiſſe tamen luminibus.* Expende verba: *Omne hominum genus diſparitate gloriæ prætervolaſſe.*

Damian.

QVÆSTIO XXXI.

Quare D. Stephanus ante certamen abſolutum, & mortem guſtatam gaudet ſupremo felicitatis præmio?

276. ALiis poſt mille paſſos labores, poſtque multas antelatas ærumnas tranſeuntibus per ignem, & aquam, datur in magnum præmium, quo nullum majus eſt, videre gloriam Dei, & Chriſtum ſtantem ad dexteram Patris; Cur ergo Stephanus ante pugnam abſolutam, & in ipſo conflictu gaudet felicitatis præmio.

277. Emiſſen. Maximè notandum id, quod ſcribit Euſebius Emiſſenus homil. de Sancto Stephano, ubi ait: *Vide quantum agat in pectoribus ſervorum ſuorum Divina charitatis ardor, quod ſperabatur deſideriis, oculis demonſtratur; Nec dum explet famulus miniſterium ſuum, & jam Dominus aperit regnum ſuum.* Nondum ſervus curſum ſuum abſolverat, & jam ſui triumphi coronam contemplatur, præ oculis habet quod totis viribus, omnique affectu exoptabat, quod totum ad charitatem, ac ad amorem Dei, & proximi in Stephano refert citatus Emiſſenus, dicens: *Vide quantum agat in pectoribus ſervorum ſuorum charitatis Divinæ ardor, & proximi.*

Exclaritate anticipatur præmiũ.

278. Valde notum eſt in toto Canticorum libro quam ferventer Anima Sancta per vicos, & plateas, & inter Cuſtodes Civitatis quærat ſuum dilectum Chriſtum Ieſum, & per adoleſcentulas, ac Sodales diligenter exquirat, & inveſtigetur, ubi eum invenire valeat, & cum in tam ſedula, ac diligenti perſcrutatione verſetur, ſtatim dicitur: *Ecce iſte venit ſaliens in montibus, tranſiens colles, ſimilis eſt dilectus meus Capreæ hinnuloque cervorum.* Cantic. 2. numer. 8. quæ verba eleganter expendit D. Ambroſius ſerm. 6. in Pſalm. 118. in nomine ſponſæ ſic loquens: *Ecce iſte advenit ſaliens ſuper montes*: adhuc ego eum quæro, ille jam venit, adhuc ego ſuffragia capto, & ipſe jam proximus eſt: *Ego ſuſcitari mihi charitatem cupio, ad me plus charitatis ipſe feſtinat?* Maxime charitate inclinatur, & allicitur Chriſtus, ut noſtros affectus præveniat: Anima Sancta quærit antequam ſuum curſum terminet, *& ille iam venit* ſi illum vehementer deſidero: *Iam ille proximus eſt*: Si ego multo charitatis fervore exopto, *ad me plus charitatis ipſe feſtinat*, ſic Deus tantopere antevertit ſuæ dilectiſſimæ animæ affectus.

Cantic. 2. *Servi Dei aliquando præmiũ ſolet præveniri.*

279. Dicam etiam quod D. Stephanus tam purus, ac ſanctus omnique juſtitia, ac virtute reſplendens, omnique gratia plenus, adhuc degens in terris, ac ſi quodammodo jam eſſet Beatus in Cœlo, & ideo cum adhuc in hoc mortali corpore detineretur, jam jure Beatorum gaudet; *Video* (ait) *gloriam Dei, & Ieſum ſtantem à dextris Dei*, in quo tota noſtra felicitas ſita eſt.

Stephanus ita purus in terra, ac ſi eſſet in Cœlo.

280. Niſſenus Tertull. Omnes, qui erant in Concilio viderunt faciem Stephani tamquam faciem Angeli, Actor. 6. nu. 15. Circa quæ verba ait D. Gregorius Niſſenus orat. de Sancto Stephano: *Angelicum decorem, & mutationim faciei in Angelicam formatam habuiſſe.* Tertullianus lib. de Reſurrect. cap. 55. ait: *Stephanum inſtar Chriſti in Transfiguratione Angelicum faſtigium induiſſe*, de quo late dixi citato cap. 6. quæſtione 14. Atqui Chriſtus in Transfiguratione reſplenduit corporis glorioſi dotibus, ſimili glorificatione Stephani facies radiabat, ut inter mortales degens jam Beatorum dono conſpicuus apparet, qui ſic vivebat in corpore, ac ſi eſſet extra illud, & totus in Cœleſtibus, ac divinis verſabatur; nam, ut ait Beda, Stephanus: *Advena in terra* D. Fulgentius *Corpore in terra, ſpiritu totus in Cælo.*

Beda. D. Fulg.

QUÆSTIO XXXII.

Quare D. Stephanus primo dicit Ieſum, deinde ſecundo Filium hominis?

281. DUplici nomine hic D. Stephanus Chriſtum nominat. Primo, *Video Ieſum.* Secundo *Video Filium hominis*, ut omnibus nominibus, quibus Chriſtus Dominus nominabatur, & erat cognitus, ejus gloriam publicaret; nam, ut notat D. Maximus ſerm. de S. Stephano, Iudæi fortiter negabant Chriſti reſurrectionem, ut multoties ſupra ſæpe diximus; inde D. Stephanus generosè, ac alta voce eum dicit, ac acclamat vivum, reſuſcitatum, glorioſum, ac regnantem in Cœlo, quo duriores lapides mittebat in Iudæos, quam ipſi Iudæi in Stephanum.

D. Maxi. *Oſtenditur Ieſus vivus & reſuſcitatus.*

282. Dicit Ieſum, & filium hominis, ut ait citatus S. Maximus: *Plus honoris Domino delaturus videretur, ſi Dei potius, quam hominis Filius diceretur.* Primo eum vocat *Ieſum*, ut ipſo ſanctiſſimo nomine pronuntiato maxime eſſet armatus, & corroboratus ad certamen, & pugnam. Secundo, quia Divus Stephanus in ſuo ſermone loquutus eſt de Patribus; ac aliis, nũc verò incipit de ſe agere, ac proinde à nomine Ieſu exordium facit. Tertio cum nomen *Ieſu* ſit nomen Salvatoris, maxime de eo gloriatur Chriſtus,

Nomine Ieſu corroboratur ad martyrium.

Christus, & maximè Iesus dicitur in præsenti, quia apparebat, ut subveniret Stephano.

Quarto Iesum dicit; quia eum maximè habebat
283. præ oculis, ut ipsum imitaretur, ut sequeretur orans
Iesum imitatur. pro inimicis, sic ait D. Prosper lib. 2. de vita Con-
D. Prosp. templativa cap. 2. *Quid est Christum sequi nisi præstare beneficia etiam ingratis, non retribuere secundum sua mala vobis, & orare pro inimicis.*

Filium hominis dicit, in quo denotatur quod Fi-
284. lius Virginis Mariæ sit, de quo ipse Dominus tamquam de sui magno splendore multum gloriatur. Secundo, quia ipse in supremo gloriæ throno se Filiũ hominis agnoscit, ut hominibus misereatur. Tertio Beda in præsenti ait: *Ne innoxius homo lapidatus tubaret in terra Deus homo crucifixus patet coronatus in Cœlo.* Filius hominis cum suorum vulnerum signis ostenditur, ad præsentiam signorum mortis Christi, ac ejus Crucifixionis, omnis mors est levis, & suavis, omnis cruciatus dulciter præferendus, cum hæc omnia in coronam, & triumphum absolvantur.

Beda. *Morte Christi considerata mors nostra suavis.*

285. Ait Apostolus 1. Cor. 15. n. 54. *Absorpta est mors in victoria.* Mors etsi ex se sit horribilis, & tremenda,
1. Cor. 15 interveniente jam Christi morte, & apparente, jam non est formidolosa, cum tota sit transmutata in gloriosam victoriam, ac magnificum triumphum. D.
D. Ath. Athanas. homil. de Incarnat. ait: *Homo certè naturaliter mortem, & corporis sui desolationem expavescit, is tamen ubi indutus est fidem Crucis, res naturales vilipendit, & mortem per Christum non exhorrescit.* Imo ipsum pati pro Christo pro gloria, & honore habet.

In persona Christi ait Regius Vates: *Singulariter*
286. *sum ego donec transeam.* Psalm. 140. n. 10. Ibi eleganPsal. 140 ter D. August. ait: *Quid est singularis? In passione tu solus pateris, tu solus occideris, ab inimicis, singularis ergo, sed quid est donec transeam, nisi de hoc mundo ad Patrem: Tunc enim confirmavi columnas ejus, id est columnas terræ, quando in me didicerunt mortem non esse timendam: donec ergo transeam singularis sum; cùm transiero, multiplicabor, multi me imitabuntur, multi patientur pro nomine meo.* Antequam Christus crucem subiret, solus ille in mortis agone erat, at postquam sanguine laureatus apparuit, jam non est solus, sed multis Martyrum millionibus concomitatus, qui tamquam Columbæ ad fenestras suas ad Crucem, ignem, & gladium ejus amore convolarunt.

Christũ passum promtè sequuntur milites.

QVÆSTIO XXXIII.

Quare D. Stephanus vidit Iesum non sedentem, sed stantem à dextris Dei?

287. AIt D. Stephanus: *Video Iesum stantem à dextris*
Multi Angelitũ Christo. *Dei.* Dicitur ad dexteram pro valde magnifiD. Aug. co, & honorifico loco; multi Codices debent. *A dextris virtutis Dei*; quia Divina virtus maximè se ostentavit, ac declaravit cum D. Stephano in hoc suo Martyrio, & ut notat D. August. serm. 98. de Divers. notat quod Christus D. hic apparuit cum multa malitia cœlesti Angelorum stipatus.

288. Dicitur quod Christus stabat à dextris Dei, sci*Pater videtur stans.* licet Patris, qualiter ipse Pater tunc apparet, stans, Nissen. vel sedens. Textus non exprimit, D. Gregor. Nissenus Damian. orat. de Stephano ait: *Quod si qui objiciunt, quod filius stabat, ostendant hoc loco, quod Pater sedebat.* Petrus Damian. statim citandus ait: *Quod Christus cum Patre stante stabat.* Tota Trinitas erat valde propensa, & sollicita in adjutorium Stephani, Pater, & Filius stantes, & Spiritus sanctus habitans in eo; dicitur hic Christus stans, cum Marc. 16. & in symbolo habetur sedere ad dexteram Patris.

Primo stans apparet Christus, ut Sacerdos, (qui 289.
stans sacrificabat Levitic. 16. n. 17.) offerens suo Æterno Parenti illud magnificum sacrificium mortis, & sanguinis Stephani. Secundo stabat tamquam Damian. optimus Princeps, & Dux, ut cum suo milite, ac *Proprium divinitatis subvenire.* servo pugnaret. Petrus Damianus serm. de S. Stephano ait: *Christus cum Patre stante stabat, & cum bellante bellabat, nec minor illo erat.* Expende ultima verba, cum staret, ut cum suo milite pugnante illi opem ferret, in hoc ostendebatur non minor Patre, sed illi æqualis, cum magnum elogium Divinitatis sit laborantibus subvenire.

Tertio, stat Christus tamquam valde promptus ut 290.
si in opem, & adjutorium suo Martyri, simulque illi coronam triumphi præstet. D. Ambrosius epist. D. Ambr. *Promtus in adiutorium.* ad Vercellensem 25. vel 82. ait: Dicitur *Christum* D. Hier. *stetisse, ut sollicitus juvaret Athletam, quam paratus coronaret.* Imo D. Hieronymus in Psal. 34. ait: *Quid fortius, quid pulchrius, quam Christum armatum stare pro suis Sanctis, sicut Beatus Stephanus vidit, quando dixit: Video Iesum stantem*, id est tamquam pro suo milite armatum.

Quarto stat Christus tamquam advocatus ad Pa- 291.
trem, & maximè compatiens de doloribus, ac vulneribus sui Martyris, D. Gregor. lib. 1. Moral. cap. 1. D. Greg. *Christus compatiens.* & lib. 1. Reg. ait: Patiente Stephano *Christus stabat, quoniam stare ejus compati est.*

Quinto olim judices stantes judicabant, unde di- 292.
citur in Psalm. 81. n. 1. *Deus stetit in Synagoga deo-* Psal. 81. *rum, in medio autem deos dijudicabat.* Apparet Deus *Vt iudex* Stephano tamquam judex, ut ei debitam coronam pro suo inclyto martyrio reddat, & suis tortoribus, ac carnificibus pœnas debitas infligat.

Sexto Christus D. qui pro sua majestate sedebat 293.
ad dexteram Patris, surgens stat ad videndum cum magno gaudio magnificum spectaculũ in Martyre. Damian. Petrus Damian. citato serm. ait: *Curramus ad spectaculum, ad quod currit, qui exultat ad currendam viam, & videamus quibus armis armatus vexilifer Martyrum in campum descendit.* Ex more humano loquamur. Cum se oculis offert aliquod magnum, *Stat prõ lætitia ad vidẽdũ magnum spectaculum.* novum spectaculum præ gaudio, ac desiderio videndi, solemus surgere: Cum tam magnum, eximiumq; spectaculum in forti Athleta divinis oculis præsentaretur, præ gaudio, & lætitia significanda Christus D. non sedens, sed stans introducitur: *Curramus ad spectaculum, ad quod curit, qui exultat*, &c.

Cum tres pueri essent in fornace, ad hos viden- 294.
dos accedit Rex, & ait: *Video quatuor viros solutos, ambulantes in medio ignis, & nihil corruptionis est in* Dan. 3. *eis, & species quarti similis Filio Dei.* Daniel. 3. n. 92. Prudent. & qualiter Filius Dei ad tantum spectaculum venit, canens explicat Prudentius in Apoth.

Nempe, ait, ô Proceres, tres vasta incendia anhelis
Suscepere viros fornacibus, additus unus
Ecce vaporiferos ridens, interfecat ignes
Filius ille Dei est, &c.

Expende verba: *Ridens interfecat.* Videns nempe Dei Filius suorum servorum generositatem in tanto luctamine, gaudio, ac risu perfusus; sic apparente Stephani fortitudine, Christus eum ingenti lætitia, ad tantum spectaculum videndum, veluti currens stabat: *Curramus ad spectaculum, ad quod currit, qui exultat*, &c.

Septimo stat Christus, ut cum eximio gaudio, ac 295.
honorificentia coronet, ac excipiat Stephanum. Lo- *Christus honorat, & exaltat Stephanum.* quens Christus de judicio finali, ait: *Cum venerit Filius hominis in majestate sua, & omnes Angeli cum eo, tunc sedebit super sedem majestatis suæ*, Matth. 25.

n.31. Tunc in ipſo finali judicio ſuis electis dicet: *Venite Benedicti Patris mei poſſidete paratum vobis regnum.* Ibidem. n.34. Ecce electi à Chriſto ſedente vocantur ad gloriam, ac præmium; Chriſtus autem D. hic ſtans introducitur Stephanum vocans ad coronam, & gloriam, ut cum multo gaudio, & honorificentia, ac gratulatione ipſum excipiat. Sedebat Rex Salomon in ſuo magnifico throno, ex quo omnium cauſas dicebat, tamen cum videret quod Mater ejus Bethſabee veniebat ad loquendum cum eo, 3.Reg.2. Abulenſ. *Surrexit Rex in occurſum ejus*, 3. Reg. 2. 19. Abulenſis ibi: *Surrexit Rex ad eam honorandam*, ac ſingulari modo venerandam. Supremus, ac verus Rex Salomon ſuos electos in ſede majeſtatis ſedens beatitudine remunerat; at Stephanus, ut ſingulari condecoretur honore non ſedens, ſed ſtans ipſum excipit, ab eoque Beatitudinis diademate inſignitur.

QVÆSTIO XXXIV.

Quare D. Stephanus ſuam viſionem non tacet, ſed publicat, ac prædicat?

296. D. Chryſoſt. in præſenti exiſtimat, D. Stephanum à principio ſuæ prædicationis cap. 6. hanc habuiſſe viſionem, gloriam Dei, & Chriſtum ſtantem, ac proinde ex tanta viſa gloria faciem ejus Angelicum fulgorem participaſſe, & uſque modo tacuiſſe, nunc verò neceſſitate compulſum ipſam prædicaſſe, & manifeſtaſſe.

Primo Iudæi fortiter negabant Chriſtum reſuſcitatum, ac glorioſum, & verbis Stephani id affirmantis, ac docentis nolebat credere; nunc verò Stephanus adeo hoc certum eſſe affirmat, ut ipſe propriis oculis viderit gloriam Dei, & Chriſtum ſtantem à dextris Dei. D. Auguſt. ſerm. 1. de Sanctis, alias 94. de diverſis ait: *Ut teſtimonium liberè ederet de Chriſto*, ac ſi diceret: Ecce video cœlum apertum, & Ieſum, quem crucifixiſtis, quem illuſiſtis morientem, quem ſignato ſepulchro poſuiſtis jacentem, video ego ad dexteram Patris ſtantem.

297. *Oculatæ teſtimonium de gloria Chriſti.* D. Aug.

Secundò ut oſtendat tantam ſuam fortitudinem, ac conſtantiam non ab ipſo provenire, ſed à Ieſu ſtante, cujus conſpectu omnes mortis horrores fugantur, & vehemens deſiderii ardor accenditur ad eum veniendi, ipſoque fruendi. D. Auguſt. ſerm. 95. de Diverſis ait: *Ad Chriſtum flagrantiſſimo amore ſuſpenſus carnem quantoties relinquere deſiderabat, & ad ipſum cupiebat evolare, nec mortem jam timebat, quia Chriſtum, quem pro ſe occiſum ſciebat, viventem videbat, ac per hoc feſtinabat, etiam ipſe mori pro illo, ut viveret cum illo*

298. *A Chriſti conſpectu honores mortis fugatur.* D. Aug.

Tertio D. Hilarius Arelatenſis homil. de S. Stephano ait: *Fuit nimirum ineffabilis exultatio, quæ exundavit etiam exterius.* Tanto gaudio, ac lætitia repletus eſt Stephanus ex Chriſto viſo, ut non potuerit ſe continere, quin exterius erumperet, ac declararet eximium, quo flagrabat, deſiderium veniendi ad Chriſtum, ut ait Auguſt citato ſermone de Diverſis 94. ubi ſic habet: *Non tacuiſſe Stephanum, quod vidit, ut perveniret ad eum, quem vidit.*

299. *Præ gaudio exterius erũpit.* D. Hilar.

Quarto D. Stephanus divino afflatus Spiritu ait: *Video Cœlos apertos, & Filium hominis*; Nam cum ipſe eſſet Princeps, & dux omnium Martyrum eos ſuo exemplo hortatur, ut fortiter, ac conſtanter Martyrium ſubeant, & non timeant; Chriſtus enim adſtat ad eos juvandos ac corroborandos, & tamquam ad januam expectans ad dandam eis coronam, & præmium. Quinto ut oſtenderet, quod Iudæorum furor non tantum erat contra ipſum Stephanum, ſed etiam contra Chriſtum D. qui pro ipſo pugnans & adjuvans ſtabat.

300. *Stephanus exhortatur Martyres ad Martyrium.*

Sicut laudabile eſt aliquando tacere, & non loqui, unde ait Iſaias 24.n.16. *Sacramentum meum mihi*, ſic etiam aliquando laudabile eſt loqui, & non tacere, ſic Iſaias poſtquam vidit Deum in throno elevato, & magnifico inter alas Seraphim clamans dixit: *Væ mihi quia tacui, quia vir polluti labiis ego ſum*, cap. 6. n. 5. ſeu ut habent Septuaginta, *O miſer ego*: Quia illa viſio manifeſtata eſt ei, ut eam publicaret, Deumque laudaret, vel ut Regem Oziam increparet. D. Hieronym. ait: *Plangit ſe Propheta, quia non eſt auſus laudare Dominum, quia labia habebat immunda, vel certè intelligendum, quia tacui, & non audaciter Oziam impium Regem corripui.*

301. Iſai. 24. Iſai. 6. Septuag. *Laudabile aliquando loqui; & non tacere.* D. Hier.

Actor. 7. n. 56. Exclamantes voce magna cõtinuerunt aures ſuas, & impetum fecerũt unanimiter in eum.

Num. 57. Et extrahentes extra civitatem lapidabant, & teſtes depoſuerũt veſtimẽta ſua ſecus pedes adoleſcentis, qui vocabatur Saulus.

Verſiones,

CVM EXPOSITIONE XIII.

Verſ. 56. *Exclamantes autem voce magna continuerunt aures ſuas.* Syriacus: *Clamaverunt alta voce, & obturaverunt aures ſuas.* Arabic. *Tenentes aures ſuas.* D. Auguſt. *Clauſerunt aures ſuas.* Lucifer: *Compreſſerunt aures ſuas.* Ex Græco: *Horribili voce crocitantes.* Corvorum more clamaverunt voce magna, & alta, ac horribili, ne audiretur Stephanus dicens: *Video Cœlos apertos*, &c. quem ipſi ut blaſphemum reputabant, & ſimul, ut ait D. Aug. ſerm. 98. de Diverſis, contra Ieſum Chriſtum, quem Stephanus ad dexteram Dei glorioſum prædicabat, de quo ipſi maximè dolebant; clamabant etiam ut ait Gloſſa, tamquam ad Deum, ut tantam blaſphemiam in Stephano vindicaret.

302. Syriac. Arabic. D. Aug. Lucifer. Græcus. D. Aug. Gloſſa.

Continuerunt aures ſuas, quas tamquam manibus objectis obturaverunt, de quo quæſt. ſequenti. *Impetum fecerunt unanimiter in eum.* Syriac. *Irruerunt in eum omnes*, non ratione, ſed furore agitati, ut ait Lyranus, & facile, ac promptè iniqui ad malum conveniunt, ac uniuntur. Caietan. exiſtimat hoc factum fuiſſe cum conſenſu Prændis Pilati, potius dicam ipſo non contradicente.

303. Syriac. Lyran. Caietan.

Verſ. 57. *Et ejicientes extra Civitatem.* Syriacus: *Comprehenſum ejecerunt*, ne ſua blaſphemia civitatem contaminaret juxta Domini mandatum, Num. 24.n.14. vel potius, ut ait Beda, Stephanus erat tamquam advena in mundo, non habens Civitatem. Tertio, ut in hoc, ſicut & cæteris eſſet Chriſto ſimilis, ut ait Apoſtolus: Exeamus ad eum extra caſtra improperium ejus portantes. Hebræor. 13.n.23.

304. Syriac. Num. 24 Beda. Hebr. 13

Teſtes poſuerunt veſtimenta ſua; quibus ex legis mandato Deuteron. & Levitic. 24.n.14. incumbebat auſpicari lapidationem, *veſtimenta ſua*, pallia, ut expeditius lapides jacularentur, ad pedes Sauli, qui poſtea dictus eſt Paulus, & ita omnium veſtimenta ſervabat, ut ait D. Auguſt. *Ut eſſet in omnium lapidantium manibus*, & hoc faciebat, quia valde indignè ferebat Stephanum cognatum, ac condiſcipulum ſuum à ſe, ſuæque Scholæ doctrina deficere.

305. Levit. 24. D. Aug.

Adoleſcentis, id eſt, juvenis juvenili fervore, & audacia plenus, cur non dicitur ad pedes Sauli, cur additur *Adoleſcentis*? Ad quod rectè reſpondet D. Ambroſ. lib. de Ioſeph cap. 10. *Ideo adoleſcentior dicebatur à Chriſto, ut qui vocabatur ad gratiam, excuſaretur*

306. D. Ambr.

cuſaretur à culpa, quod ea lubricæ fuiſſet ætatis. Tamquam ſi diceretur, Paulus deſtinabatur, ut eſſet vas electionis à Chriſto, proinde adoleſcens nominatur, ut culpa, quam committebat, levior, ac minor appareret; quia in ætate lubrica perpetratur; talis eſt enim Paulus, ut ejus culpa cum refertur, levis, & minor oſtenditur.

Culpa Pauli minuitur.

QUÆSTIO XXXV.

Quare miſeri Iudæi claudunt aures ſuas cùm loquitur Stephanus?

307. LOquente Stephano, impii Iudæi præ furore, ac ira exclamarunt, *& continuerunt aures ſuas*, clauſerunt, & manibus injectis obturaverunt aures ſuas, ne audirent Stephanum dicentem: *Video Cœlos apertos*, &c. quod ipſi ex ſua impietate, tamquam blaſphemiam reputabant, tamen ex alto Dei judicio aliter factum eſt.

308. D.Niſſ. Primo D. Gregor. Niſſen. orat. de S. Stephano; *Neque enim* (ait) *fuerunt dignæ profanorum, & impiorum aures, quæ divinæ apparitionis exciperent narrationes.* Dicebat Stephanus ſublimia arcana, nempe, ſe videre Cœlos apertos, *gloriam Dei, & Ieſum ſtantem à dextris Dei*; aures autem impuræ, & ſacrilegæ tantum non poterant capere myſterium: Cum Chriſtus turbis loqueretur in parabolis ait ſuis diſcipulis: *Ideo in parabolis loquor eis, quia videntes non vident, audientes non audiunt, neque intelligunt.* Matth. 13. n. 13. D. Remig. *Hoc autem dicebat de Scribis, & Phariſæis infideliter perſeverantibus, quibus non eſt datum; Adeamus ergo cum diſcipulis puro corde ad Dominum, ut nobis Evangelicam doctrinam interpretetur, qui appropinquant ad eum, accipient de doctrina ejus.*

Immundi non accipiũt divina Myſteria. Matth 13 D.Rem.

309. D.Aug. Secundo D. Auguſt. ſerm. 99. de Diverſis, ait: *Cum Cœli januæ aperirentur, Iudæi januas claudebant.* Ecce Cœli januæ ſunt apertæ effundentes gratias ſuper omnes, Iudæi tamen pro ſua extrema miſeria aures claudebant, ne perciperent verba vitæ, ut per januas Cœli ingrediantur, ut tamen ab illo maneant excluſi à ſua malitia provocati aures claudunt.

In omniũ ſalute perditio, miſeria ſumma.

310. Matth. Reſurrecto Chriſto, facto terræmotu: *Exterriti ſũt cuſtodes, & facti ſunt velut mortui*, Matth. 28. n. 40. Chriſtus reſurrexit, ut nos omnes cum eo reſurgamus ad vitam, & cuſtodes, qui erant prope ſepulchrum, ubi tantum myſterium agebatur, facti ſunt velut mortui; quæ certè major miſeria, quàm inter perennes vitæ fontes, ut mortuum jacere, nullumque vitæ ſenſum recipere, ac inter radiantes lucis ſplendores in tenebris ſepultum tamquam mortuum jacere? D. Paſchaſius: *Miniſtri perfidiæ, & executores mortis alienæ, nequeunt ſufferre cœleſtia viſu, neque fiduciam ſumere de ſupernis, ô quam miſeri ſunt, quos tunc pertulit timor mortis; quando ſecuritas credentibus reddita eſt vitæ.*

Inter fontes vitæ mors.

Actor. 7. n. 58. Et lapidabant Stephanum invocantem, & dicentem: Domine Ieſu, ſuſcipe Spiritum meum.

Num. 59. Poſitis autem genibus, clamavit voce magna, dicens: Ne ſtatuas illis hoc peccatum; & cum hoc dixiſſet, obdormivit in Domino; Saulus autem erat conſentiens neci ejus.

Verſiones

CUM EXPOSITIONE XIV.

Verſ. 58. ET *lapidabant*, Syriacus, Æthiopicus: *Lapidibus obruebant eum.* Lapides undique in eum jaciebant, *Domine Ieſu.* D. Chryſoſt. cum addimento ait: *Domine Ieſu Chriſte.* Syriac. *Domine noſter Ieſu*, cum ipſe precaretur, *ſuſcipe ſpiritum meum.* Æthiopicus: *Suſcipe animam meam.* In ipſo mortis articulo ſanctiſſimum Ieſum nomen dicit, ut nos in hoc ſanctiſſimo nomine in ore vitam demus. 311. Syriac. Æthiop. D. Chryſoſt.

Verſ. 59. *Poſitis autem genibus*, id eſt flexis genibus, ut oratio eſſet maximè devota, ac efficacior, quam pro ſe fuerat: *Clamavit voce magna*, Græcus *alta*, & hoc ex eximio affectu: *Ne ſtatuas illis hoc peccatum.* Aliqui Codices addunt, *Quia neſciunt quid faciunt.* Alii legunt: *Ne imponas eis hoc peccatum* commiſſum in morte mea, *& cum hoc dixiſſet obdormivit in Domino.* Syriacus: *Recubuit in Domino.* Alii ex Græco: *Requievit in Domino*, jucundo, ac læto animo. *Saulus autem erat conſentiens neci ejus.* Arabicus: *Saulus autem erat lætus de nece illius.* Æthiopicus: *Saulus conſociatus eſt eis pro nece Stephani.* Multa de his in quæſtionibus. 312. Græcus. Syriac. Arabic. Æthiop.

QUÆSTIO XXXVI.

Quare D. Stephanus tot, & tantis circumſtantiis reſplenduit in ſuo Martyrio?

AB ejus nomine incipiamus: Stephanus idem eſt Græcè, *ac corona*, & aptiſſimè hoc illi nomen convenit pro excellentia ejus; Corona de quolibet Sancto, ac Iuſto canitur: *Poſuiſti in capite ejus coronam de lapide pretioſo*, Pſalm. 20. n. 4. At corona Stephani pro ſua excellentia, ac magnitudine; non de uno lapide, ſed de innumerabilibus componitur: fundamenta ſanctæ Civitatis ſunt duodecim lapides in quibus *ſcripta ſunt duodecim nomina Apoſtolorum*, Apoc. 21. n. 18. & in unoquoque lapide unuſquiſque Apoſtolus reſplendet, ut ſuo loco explicavi; At ad Stephani magnalia declaranda, non unus, vel alter lapis, ſed innumerabiles coruſcant, & fulgent. 313. Pſal. 20. Apoc. 21. *Corona Stephani valde excellẽs.*

Antiquus Pontifex cum ingrederetur Sancta Sanctorum duodecim lapides cum totidem tribuum Iſrael nominibus geſtabat, Exod. 28. n. 9. ut pro eorum cauſis ageret. Noſter inſignis Levita, Primarius Dux, ac Coryphæus omnium innumerabilium Martyrum, qui poſtea ipſum ſecuti ſunt, ingrediens cœleſte Palatium innumerabiles ſecum aſportat lapides, unde & ipſi Martyres coronentur. D. Auguſt. ſer. 94. de Diverſis ait: *Quando Beatus Stephanus pro Chriſto primus ſanguinem ſuum fudit, quaſi corona proceſſit de Coelo, ut eam ſumerent ſequentes in præmio, qui præcedentis pietatem imitarentur in prælio.* Expende *quaſi corona proceſſit de Coelo, ut eam ſumerent ſequentes in præmio.* 314. Exod 28. *Ex corona Stephani aliorum Martyrũ corona.* D. Aug.

Noſter inſignis Levita vir ſapientiſſimus, ac doctiſſimus cum ageret circiter 34 annos, ut ait D. Aug. ſerm. 2. de Sanctis: *In ipſo juventutis flore, decorem ætatis ſuæ ſanguine purpuravit.* Anno Chriſti 34. qui fuit ejus ſacratiſſimæ Paſſionis paulo poſt Pentecoſtem, menſe Decembri die 26. ut celebrat Eccleſia, illuſtriſſimo Martyrio inſignitus in valle Joſaphat, qui interjacet inter montem Oliveti, & Ieruſalem juxta torrentem Cedron; Unde porta, quæ ex Civitate ducit ad hanc vallem, dicitur porta S. Stephani; in loco ejus Martyrii, ei ædificatum eſt magnificum 315. D. Aug. *D. Stephani martyrium.*

Templum

Templum ab Eudoxia Augusta, in quo ostendebatur lapis, super quem D. Stephanus expirans cadens retrorsum oculis in Cœlum reclinavit caput, in quo signa, & effigies capitis, ac scapularum, tamquam molli cera remanserunt impressa.

Simulque cum alio lapide, in quo B. Virgo Maria cum sancto Ioanne erant orantes pro Stephano toto lapidationis tempore; Sanctus ergo Stephanus coronam sui Martyrii debet sanctissimæ Virgini Mariæ, sicut Paulus suam conversionem Stephano oranti. Hæc omnia ex multis gravissimis Authoribus referunt Lorinus, Cornelius à Lapide, simulque multa miracula, quæ saxa sanguine Stephani insignita ediderunt.

316. *Virgo Maria orat pro Stephano.* Lorin. Cornel.

317. *D. Stephanus sequitur passionis Christi vestigia.* Hæc tamen moraliter expendamus, in quibus maximè D. Stephanus sequutus est passionis Christi vestigia, Primo trans torrentem Cedron, Ioan. 18. n. 1. comprehenditur Iesus, & deducitur ad mortem, trans torrentem Cedron adducitur Stephanus, ut ibi pro Christo vitam profunderet: 2. In monte Oliveti orans Christus ad Patrem sanguine rubricatur: *Factus est sudor eius, sicut gutta sanguinis decurrentis in terram*, Luc. 22. n. 44. Ibi Stephanus sanguine purpuratus orat ad Deum: *Ne statuas illis hoc peccatum* Tertio Christus D. abiens in Cœlum sacrorum pedum suorum vestigia, ac signa reliquit in terra, quæ nullo modo deleri potuerunt, & usque in hodiernam diem perseverant, ut dixi tom. 5. in Evangelia lib. 9. cap. 10. q. 15. n. 107. Stephanus spirans, ut jam dixi, reclinavit caput super quendam lapidem, in quo illius signum, ac effigies impressa est. Quarto Christo D moriente *Stabat juxta Crucem* Virgo Maria, Ioan. 19. n. 20. ut explicat Carthusianus lib. 2. de laudibus Mariæ cap. 23. deprecans pro omnium salute, ut de fructu passionis Christi omnes participes fierent; dum Stephanus patiebatur, erat Sanctissima Virgo orans pro ipso, & etiam, ut existimo, ut ejus oratio, *ne statuas illis hoc peccatum*, esset exaudita.

Luc. 22.

Ioan. 19. Carthus.

318. Merito insignis Levita, qui primus in martyrio sanguinis Christi vestigia est secutus, tot illius passionis vestigiis, ac umbris condecoratus, pro quo elegantissimè audiendus est Emissenus homil. de S. Stephano, & ait: *Iudæi ergo illo spiritu ebrij, quo dudum clamabant, Crucifige, Crucifige, in necem sacri testis incumbunt. Beatus, qui cælestis illius agonis proximo pedissequus intervallo, reliquias excipere furoris illius meruit, quo paulo ante, sæviente mundo, Salvator occubuit. Beatus, qui fumantem adhuc Dominici victimam sanguinis primus honoravit recenti sacrificio passionis.* O felix, & nimium felix, qui fumantem, seu odorantem Dominicæ Passionis victimam, recenti suo sacrificio sequutus est! O felix, qui illum sævum furorem à Iudæis contra Christum conceptum, excipere gloriosè ambivit! O felix, qui talem, & tantam prærogativam emeruit, qui Dominicæ Passionis, tamquam substitutus subrogaretur, *qui reliquias excipere furoris illius meruit in se*, qui contra Christum est commotus ac excitatus, quo paulo ante ipse Salvator occubuit.

Emiss.

Stephanus in se excepit furorem inimicorum Christi.

QUÆSTIO XXXVII.

Quare D. Stephanus lapidatur à Iudæis?

319. Levit. 24. Deut. 13. Uxta legis mandatum blasphemus extra civitatem educebatur, & à populo lapidabatur, Levitic. 24. n. 14. Deuteron 13. n. 10. & cum D. Stephanus falsò, ac iniquè ut blasphemus accusaretur, extra civitatem ejicitur, & ibi lapidatur, seu, ut alij legunt, *lapidibus obruitur*, & sanè magna lapidum multitudine, ut dicat D. Gregor Nissenus orat. de S. Stephano: *Quod orbe lapides undique conjicientium, quasi corona cinctus Stephanus*: pro multitudine lapidantium non ex una parte saxa mittebant, sed undique, & ex omni parte, & hanc lapidantium multitudinem indicat Textus; non enim dixit semel, sed bis *lapidabant* tanta enim lapidantium multitudo, non uno verbo, sed repetito sermone fuit explicanda. De lapidibus D. Stephani jam aliqua dixi superiori quæst. in principio notatu digna.

D. Niss. *Immanerabilis lapidantium multitudo.*

Primo: Cur impii carnifices manibus vestris Prophetarum sanguine plenis, mortem justo non inferris, cur ad lapides curritis? Sane in lapidibus quandam sui similitudinem considerabant ob duritiem, ac inflexibilitatem: Unde ad sui similes confluunt, ut justum interficiant. D. August. serm. 92. de Diversis, ait: *Cum ad lapides cucurrissent duri ad duros, tactabant in illum pares suos*; Ad mortem infligendam, non aliud instrumentum eligunt, nisi lapides pares suos, ut duritiem cordis lapideam, quam intus habebant, exterius cum lapidibus ostenderent.

320 D. Aug. *Interius exterius manifestatur.*

Secundo Actor. 6. n. 7. dicitur, quod multiplicaretur numerus discipulorum in Ierusalem; Stephanus autem plenus gratia, & fortitudine faciebat multa prodigia, & signa in populo; ut ergo tamquam frumentum Christi multum fructum afferret, lapidibus fuit trutinandus, ac conterendus. D. August. serm. 24 de Sanctis, ait: *Missi messores cum falce Evangelii portaverunt manipulos ad aream Dominicam, ubi Stephanus trituratur.* Ut messis Christiana exurgat, & multum fructum faciat, necesse est, ut durissima tritura, ac contritio præcedat. Ait Isaias 21. n. 10. *Tritura mea, filii areæ meæ, quæ audivi à Domino exercituum, Deo Israel annuntiavi vobis.* Filios areæ meæ vocat fideles, & Christianos, in quibus, ut puritas inveniatur, requiritur, ut laborum tritura, aut comitetur, aut antecedat, valde opportunè D. Hieronymus ibi ait: *O populi, qui contentus es in horrea mea, quem idcirco trivi variis angustiis, ut paleas abeo excuterem, & purissimum triticum in meis horreis conderetur.*

321. Actor. 6. D. Aug. *In area Christiana tritura purificatur ut triticum.* Isa. 21. D. Hier.

322. Tertio alta, & sublimi divina dispositione lapidatur Stephanus, quia multa magnalia, quæ Deus olim in lapidibus est operatus, in Stephani lapidibus recapitulantur. Jacob dormiens super unum lapidem vidit Scalam in Cœlos porrectam per quam ascendebant, & descendebant Angeli, Genes. 28. n. 2. Stephanus tamquam dormiens inter lapides, videt Cœlos apertos, & Angeli descendentes, & ascendentes ut ipsum quærerent & asportarent in Cœlum, per lapidem, super quem orans, lassaque brachia sustentans Moyses victoriam impetrat Josue contra Amalec, Exod. 17. n. 12. Dū Stephanus inter suos lapides orat, magnam de furiis infernalibus consequitur victoriam, educens de eorum potestate magnam hominum multitudinem, qui videntes Stephani constantiam ad fidem conversi sunt: Lapis percussus à Moyse dedit aquam populo sitienti Numer. 20. n. 11. Percussus Stephanus lapidibus dedit sitientibus ingentes aquarum fontes charitatis: *Ne statuas illis hoc peccatum*, Moyses se recipiens in uno lapide speluncæ vidit gloriam Dei, Exod. 33. n. 12. Stephanus stās inter petras videt gloriam Dei. Per lapideas tabulas conscriptas digito Dei, dedit Deus ipse legem ad perennem, perpetuamque memoriam, Exod. 34. n. 4. Stephanus moriens reclinavit caput super unum lapidem, in quo digito Dei, seu ejus potentia effigies capitis Stephani mansit impressa ad omnium Martyrum perpetuum documentum, ut sequantur, ac imitentur ejus fortitudinem, ac constantiam. In medio Iordanis erexit Iosue 4. n. 5. lapides in memoriam beneficiorum Dei, sic & in ipsis lapidibus, quibus

Magnalia lapidum in Stephano recapitulatur. Gen. 28. Exod. 17. Num. 20. Exod. 33. Exod. 34. Iosue. 4.

D. Stepha

D. Stephanus est percussus, erexit Deus memoriale perenne illius victoriæ, ac triumphi, cùm usque hodie rubricatæ ejus sanguine appareant. Lapide interfecit David Goliath, 1. Reg. 17. n. 49. Stephanus lapidibus, quos Iudæi in eum jactabant, eorum nequitiam, ac prævaricationem destruxit, ac dissipavit. Cum Deus auxiliatus fuit Israëli insigni contra Philistheos victoria, illo in loco erexit Samuel lapidem, qui ab ipso est vocatus lapis adjutorii, 1. Reg. 7 n. 17. Stephanus potest dici lapis adjutorii per multa, & magna miracula, quæ Deus per ipsum operatur, ut D. August. serm. 31. 32. de diversis testatur de lapide, in quo recubuit ejus caput, qui ad Anconam Urbem Italiæ delatus est perpetuorum mirabilium operativus.

1. Reg. 17

1. Reg. 7.

323. Quarto ait Iob cap. 8. n. 17. *Super acervum petrarum radices ejus densabuntur, & inter lapides commorabitur.* Quod etiam justo tribuit Pineda; sæpe enim vineæ, ex quibus optimum generatur vinum, plantantur in montibus petrosissimis, quorum nulla apparet terra, sed saxa, & rupes, & cautes, ut videre est nostris in Insulis vulgo *del Pico, vel S. Gregorii.* Inter ipsas Petras non opprimitur palmes, sed viridissimus surgit, ac dilatatus in folia, aureos ostentat racemos; Cum ergo Stephanus esset optimus, ac generosus palmes vitis Christi: *Ego sum vitis, vos palmites,* Ioan. 15. non debuit plantari, ac oriri in molli, ac fluxida terra, sed inter rigidos lapides, ac durissima saxa: Ad hoc tendit D Augustinus homil. 1. de S. Stephano, ubi sic ait: *Virebat Stephanus de Christo, sicut sarmentum de vite; miraris fructum de sarmento pendentem, vide sarmentum in vite manentem. Eia Stephane, dic aliquid Iudæis, ut incipias lapidari, & possis coronari, jacula verba, & excipe saxa.* Ubi Stephanum sarmentum manen in Christo vites dicit, & Sanctum vinum hortatur Augustinus, ut prædicationem Iudæis faciat, indeque lapidibus opprimatur: Vitis inter lapides exorta excellentirers, ac illustriores germinat fructus.

Generosus Christi palmes inter lapides.

Ioan. 15.

D. Aug.

324. Quinto lapidibus petitus Stephanus occubuit, ex cujus nimia felicitate venit, ut lapidibus prematur, in quibus salvatoris nomen relucet, dicente Paulo: *Petra autem erat Christus,* felices, & suaves lapides, qui Salvatoris nomen secum important. D. August. serm. 6. de S. Stephano, in fine ait: *Currunt cum lapidibus Iudæi, ulnas erigunt, brachia dirigunt, petras jaciunt, lapidantque justum orantem, ac dicentem: Domine Iesu meus, propter quem sævit in me mundus, lapidator meus exaudi me Virginis Filius, lapis vivus.* Iudæi lapides jactabant in Stephanum; Stephanus autem recipiens lapides Deum appellabat, de cujus nomine multam suavitatem, ac felicitatem in ipsis lapidibus gustabat.

Ex Christi nomine suaviantur lapides. D. Aug.

325. Mandat Deus Iosue 5. n. 2. *Fac tibi cultros lapideos, & circuncide secundo filios Israel,* & quare ad Circuncisionem exequendam eliguntur cultri lapidei, id est lapides exacuti, tamquam cultri, qui est valde extraordinarium instrumentum ad præscindendum. In lapide notabatur Salvatoris nomen, qui est petra angularis faciens utrumque unum, & si dolor, & præsura Circumcisionis esset multum gravis præsentato Salvatoris nomine in lapide fieret lenis, & suavis; cum Circumcisio illa non esset facta in damnum carnis, sed in spiritus augmentum. D. Zeno ser. de Circunci. ait: *Iesus Nave Christi imaginem præferebat, qui verus omnium Salvator esse cognoscitur, & factis, & nomine; hic enim, quia ipse dictus etiam petra, rectè cultellos petrinos fecit.* Ut ex suo nomine dolor omnis mitigaretur.

Iosue 5.

Ab umbra Christi fugatur dolor. D. Zeno.

326. Ait Iob. 5. n. 24. *Cum lapidibus regionum pactum meum, & bestiæ terræ pacificæ erant tibi, & scies, quod pacem habeat tabernaculum meum.* Quodnam est pactum cum lapidibus, ut non essent ei duri, sed molles, & leves, ut explicat Lyra, *& bestiæ terræ,* quæ licet aliis sint feroces tyranni, mihi erunt pacifici, & unde illi tanta pax, & felicitas? quod pacem habeat tabernaculum meum. Per pacem intelligit Spiritum sanctum juxta illud Pauli ad Galat. 5. n. 22. *Fructus autem Spiritus est charitas, gaudium, pax.* Cum igitur tabernaculum corporis Stephani in se haberet Spiritum sanctum: *Cum esset plenus Spiritu sancto,* inde ejus carnifices non erant ei tamquam feroces bestiæ, sed tamquam adjutores, ac ministri suæ Coronæ: *Et cum lapidibus pactum,* ut ei essent molles, ac suaves. D. Nissenus tract. de Beatit. ait: *Magnus ille Stephanus gaudet lapidibus undique petitus, ac veluti suavem quendam rorem crebros lapidum ictus in modum floccorum nivis incidentium, corpore cupide excepit, ac benedictione nefarios homicidas prosequitur.* Et orat. de S. Stephano sic ait: Per omnia magnitudine animi, atque indolis excellebat, ira quidem lenitatem, minis vero despicientiam, mortis terrore vitæ contemptum, odio dilectionem, malevolentia benevolentiam, &c.

Lyra.

Ad Gal. 5

Lapides ut flores Stephano.

Nissen.

QUÆSTIO XXXVIII.

Quare D. Stephanus pro se orans stat, pro inimicis vero genuflexo orat?

DUbium attingunt, & solvunt communiter Sancti Patres, D. Aug. serm. 1. de S. Stephano, ubi sic ait: *Qui stando suum spiritum comméndavit Domino,* Iesu suscipe Spiritum meum: *pro illorum delicto flexo genu oravit,* positis autem genibus clamavit: Ne statuas illis hoc peccatum.

327. D. Aug.

Ad quod respondet D. Bernard. serm. de S. Stephano; *Positis genibus, quia vera, & humili simplicitate pro se orans stat, & erigitur; pro lapidantibus flectit genua, quis audivit unquam talem? & quis vidit huic consimilem? plus dolet persequentium peccatum, quam sua vulnera, illorum iniquitatem, quam suam mortem.* Eadem fere habet Petrus Damianus serm. de S. Stephano: Ecce quomodo ex mente Sanctorum Patrum magnus Athleta sibi ipsi lapidantes proponit, amplius anxius de illorum salute, quam de se ipso; majorem amorem ostetans erga suos persecutores, quam erga se ipsum.

328. D. Bern.

Damian. *D. Stephanus magis suos diligit inimicos, quam se ipsum.*

Secundo D. August. serm. 2. de S. Stephano, sic ait: Loquens cum eo: *Quare protestans orasti, & pro inimicis genu flexisti? Pro me stans oravi, quia pro me, qui rectè Deo servivi orando, & impetrando non laboravi, quia qui pro justo orat, non laborat, ideo pro se stans oravit: Ventum est, ut oraret pro Iudæis, & attendens tam multam esse iniquitatem eorum, quæ difficile donari posset, genu flexit, & ait: Ne statuas illis hoc peccatum.* Stephanus cùm pro se orat, pro justo deprecatur, proindeque res est facilis, & non multi laboris Deum propitium, ac benignum sibi reddere: At cum peccatorum causa agitur, ut eis valeat veniam impetrare, cum ob multitudinem eorum iniquitatum res est valde difficilis, & laboriosa apud Deum, & ideo ad hoc multi lachrymarum imbres, ac pœnitentiæ austeritates requiruntur. Hinc pro expiandis peccatis in Ninive dicebat Ionas cap. 3. n. 8 *Operiantur saccis homines, & jumenta, & clament ad Dominum in fortitudine.*

329. D. Aug.

Multum laboris in oratione pro tollendis peccatis.

Ionas 3.

Tertio: Cum Stephanus staret in Concilio viderunt *faciem Stephani tamquam Angeli,* nunc autem divina ordinatione positis genibus orat pro inimicis, ut splendor ille, qui erat in facie, derivaretur in genua flexa pro causa inimicorum, ad hoc tendit Tertullianus lib. de resurrectione Carnis, cùm ait:

330.

Ter.

Sic & Stephanus Angelicum jam fastigium induerat, sed nondum alia genua in lapidatione successerant. Genua nondum alia, sed eadem, sic orans pro inimicis flexis genibus, ipsa genua fulgebant, ut non viderentur eadem, sed alia, ut Tertullianus judicaverit exprimere non esse alia, sed eadem, bonus affectus, orationis pro inimicis totum hominem facit splendescere, ac irradiare, multaque nitere pulchritudine, sic ait D Aug. serm. 6. de Sanct. *Audiunt Stephanum sapientissimum, & conspiciunt speciosissimum.*

maxima pulchritudo ex benevolentia in hostem.

D. Aug.

331. Isai. 63. De Christo D. ait Isaias 63. n. 1. *Quis est iste, qui venit de Edon tinctis vestibus de Bosra? Iste formosus in stola sua gradiens in multitudine fortitudinis suæ? Ego qui loquor justitiam, & propugnator sum ad salvandum.* Et unde illi tantus decor, tamque elegans pulchritudo? Rationem apponit: *Ego qui loquor justitiam, & propugnator sum ad salvandum.* Non ad vindictam hostibus inflig endam sed ad indulgentiam illis dandam, & dum tanta benevolentia in adversarios nitet, ibi omnis pulchritudinis pompa refulget. D. August. serm. 50. de Verbis Domini, ait: *Ille, qui vos quasi fœdos toleravit, pro vobis formosus oravit: Pater, inquit, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt.* Meus Iesus totus semper formosus, sed cum pro inimicis orat, super omnem nitorem tunc refulget, ac resplendet.

D. Aug.

QUÆSTIO XXXIX.

Quare D. Stephanus pro se primo orat, deinde pro inimicis, cum Christus D. prius oraverit pro inimicis, deinde secundo pro se?

332. UT patet ex Textu, prius D. Stephanus oravit pro se, dicens: *Domine Iesu suscipe spiritum meum*, deinde pro inimicis: Positis autem genibus clamavit voce magna: *Ne statuas illis hoc peccatum.* Aliter verò Christus D. primo pro inimicis: *Pater dimitte illis, quia nesciunt quid faciunt*, Luc. 23. n. 34 Deinde pro se: *Pater in manus tuas commendo spiritum meum*, Luc. ibidem n. 46. Cur ergo D. Stephanus non eodem modo, ac ordine, sicut suus Magister Iesus, se habuit?

Luc. 23. *Difficultas quæstionis.*

333. Respondeo, quia cum Christus D. esset impeccabilis per naturam, & à justitia non posset excidere, de se erat maximè securus, & de peccatorum salute multum sollicitus, quos in tantis iniquitatibus immersos conspiciebat, & inde pro tanta eorum miseria solertè eis erat subveniendum, proindeque prius pro eis orat; deinde ut ostenderet unicam sui adventûs, ac passionis causam fuisse peccatores salvos facere, deque eorum salute agere: Stephanus autem adhuc erat in via positus, & in magno certamine, & poterat, ut homo excidere, ut dicitur Apocal. 3. n. 11. *Tene, quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam.* Inde merito servato charitatis ordine, quæ incipit à se ipsa, prius pro se ipso orat, deinde pro aliis deprecatur.

Homo in hac vita sollicitus sit de sua salute.

334. Emissen. *Stephanus de alieno peccato justitiam suam accumulat.* De qua excellentissima virtute elegantissime ait Eusebius Emissenus serm. de S. Stephano: *Quid agit Fidei magnitudo, quæ non vincitur à malo, sed vincit in bono malum, dum Stephanus pro impiis Deo plenus exorat, etiam de alieno peccato justitiam suam cumulat.* Vide unde augmentum accipiant, & incrementum Stephani merita ingenio charitatis, quæ crudelior, sævior, ac atrocior fuit persecutorum impietas, eo ipso de pietatis industria, virtutes elaborat, sanctitates extruit, merita architectatur, ut quod inservit inimicorum sævitiæ, suæ militet pietati; nam dum Stephanus pro impiis *Deo plenus exorat, etiam de alieno peccato justitiam suam cumulat.*

Non vellē prætereire, quod satis ingeniosè notavit citatus Emissenus prælegato loco: Dat Deus facultatem Satanæ, ut sæviat in Iobum: *Dixit Dominus ad Satan, universa, quæ habet in manu tua sunt;* Iob. 1. n. 12. Valde exultabundus Satan, tanta sibi potestate data, vehementem, ac sævissimam omnium calamitatem, dolorum, ac persecutionum tempestatem laxis habenis mittit in Iobum, de quibus omnibus invicto robore, ille gloriosus triumphator exultat, Satanque devictus confusione, ac dolore premitur, & si dolet, quia devictus, alio tamen acutiori, ac vehementiori pungitur, ac cruciatur dolore, dum videt omnia, quæ paraverat, tentamenta ad prostrandum Iobum, ad majorem ipsius exaltationem, amplissimum gratiarum cumulum inferviſſe, & ad ejus virtutes maximè firmandas, corroborandasque fuisse instrumentum, inde Satan multū mæret, & angitur, ut qui erat vitiorum auctor trasmutaretur in virtutum fomentum, sic ait citatus Eusebius: *Antiquus ille Religionis inimicus* (Diabolus scilicet) *& jam ante judicium sentiat pœnam malitiæ suæ, per quam se Sanctorum gloria intelligit militasse.* Expende ultima verba: *Per quam se Sanctorum gloria intelligit militasse.*

335. *Iobi tentator instius sua gloriæ minister.*

Euseb.

336. Secundo, prius Stephanus suum spiritum Deo commendat: *Domine suscipe spiritum meum*, deinde pro inimicis orat; quia solus ille, qui totus spiritus est in Deo, & qui se totum in manibus Dei committit, illiusque tamquam filius ipsum sequitur, ac imitatur pro suis inimicis valet exorare. Ait Christus: *Diligite inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos, ut sitis Filij Patris vestri, qui in cœlis est.* Matth. 5. n. 45. Quæ verba tractans Tertullianus de Patient. cap. 6. ait: *Video quem nobis Patrem patientia acquirat?* Si ex tali Patre Filii, inde & Christi fratres, qui pro persecutoribus exoravit; & D. Cyprianus apud Corderium, ait: *Patientia efficit, ut perseveremus Filij Dei, dum patientiam Patris imitamur.* Dilectio inimicorum facit ut simus filii Dei, & ut in ipsa filiatione perseveremus.

Dilectio inimicorum ex spiritu Dei venit.

Matth. 5.

Tertull.

D. Cypr.

QUÆSTIO XI.

Quare D. Stephanus clamans voce magna rogat pro inimicis, & dat spiritum?

337. STephanus positis genibus voce magna clamat: *Ne statuas illis hoc peccatum*; hanc divinam vocem didicit à suo divino Magistro Christo D. nam cum meus Iesus penderet in Cruce clamavit: *Pater dimitte illis; non enim sciunt quid faciunt*, Luc. 23. n. 54. Cumque D. Stephanus adesset juxta Crucem hac in occasione, qua Christus patiebatur crucifixus, ut ait D. August. serm. 93. de Divers. hanc admirabilem charitatem semper impressam in mente retinuit, ideoque ad illius imitationem clamat: *Ne statuas illis hoc peccatum.*

Luc. 23.

D. Aug. *Stephanus juxta Crucem.*

338. *Prætereuntes blasphemabant: Salva te ipsum si Filius Dei es*, Matth. 27. n. 40. Iesus verò clamans, dicebat: *Pater ignosce illis*: Ad ostensionem divinæ Filiationis petebant illi, ut se ipsum salvaret at Iesus ut Filius Dei totus imperfusus erat in eorum salutem, utque indulgentiam, veniamque peccatorum à Patre suo illis impetraret. D. Chrysost. orat. in Paraſceve apud Grethser. ait: *Illi, qui dicebat, si Filius Dei es, salva te ipsum, ipse vero, ut Dei Filius laborabat quomodo illos salvaret, illos, inquam, à quibus opprobria perpetiebatur, illudebatur, & o probris præcindebatur.* Pro his clamabat: *Pater dimitte illis.* Ecce divina progenies in Christo potentissime ostendebatur, ut pro suis inimicis crucifixoribus, ac convitia-

Matth. 27

Filius Dei ostenditur dū de aliorū salute agit.

D. Chrysost.

toribus

toribus oraret, ex quo considerat celsitudinem, ac sublimitatem virtutis Stephani.

339. Marc. 15. Scribit D. Marc. 15. n. 37. quod *Iesus emissa voce magna expiravit. Videns autem Centurio, qui ex adverso stabat, quia sic clamans expirasset,* ait: *Vere hic homo Filius Dei erat.* Unde deprehendit Centurio quod ille homo Filius Dei erat? Beda ait: *Manifesta autem causa miraculi Centurionis exponitur, quod videns Dominum sic expirasse, spiritum emisisse, dixerit. Vere hic homo Filius Dei erat.* Omni homini morienti vox deficit, quod vero Christus D. valido clamore expirasset, non hominis erat, sed solius potestatis Filii Dei. *Quod sic clamans expirasset, dixit: Verè hic homo filius Dei erat.* Stephanus clamans voce magna obdormivit in Domino, ac expiravit, super omnes vires humanas se exaltatum ostendit, & voce veluti ad quosdam Divinitatis confines, ac umbras evolaverit. *Videns quod sic clamans expirasset, dixit, Verè hic homo Filius Dei erat.* Stephanus dum clamans expirat, aliqualem Divinitatis umbram in se ostentat ex plenitudine Spiritus S. quam in se habebat.

Beda. Ostenditur Dei Filius dum clamans expirat.

340. Hebr. 12. Sanguis Christi postulat misericordiam Gen. 4. Clamat D. Stephanus non solum voce, sed etiam sanguine suo, ad hoc refero id, quod ait Paulus de Christi sanguine Hebr. 12. n. 24. *Melius loquente, quàm Abel*, seu ut alii legunt, *clamantem*; Sanguis Abel clamabat vindictam: *Vox sanguinis fratris tui Abel clamat ad me de terra*, Gen. 4. n. 10. at sanguis Christi clamat, ac postulat pietatem, indulgentiam, ac remissionem peccatorum.

341. D. Fulg. Ad ejus umbram Stephani sanguis postulat misericordiam, & clementiam, ut visum est in miraculosa Pauli conversione. D. Fulgentius serm. de S. Stephano ait: *Per charitatem pro lapidantibus orabat, ne punirentur, charitatis virtute subnixus vicit Saulum crudeliter sævientem, & quem in terra habuit persecutorem, in Cœlo meruit habere consortem. Ipsa scivit Charitas desiderando, orando acquirere, quos nequivit monendo convertere.* Pro qua re maximè, ac eleganter audiendus est D. August. serm. 94. de Diversis, & ait: *Putas verba ista audivit Saulus? Audivit subsannans, & irrisit, & tamen ad orationem Stephani pertinebat. Adhuc grassabatur, & jam pro illo Stephanus exaudiebatur.* Et ubi nostra vulgata habet: *Saulus erat consentiens neci ejus*; Arabicus legit: *Erat lætus de nece ejus.*

Oratione Stephani luctatur Saulus irridens.

342. Oecum. Oecumenius in præsenti existimat, non solùm Saulum, sed multos alios ex lapidantibus per has Stephani preces fuisse ad fidem conversos, & gratiam & salutem animæ comparasse, sicque multos per intercessionem Stephani Christi fidem accepisse. Sic refert Baronius an. Christi 518. quod cùm reliquiæ S. Stephani translatæ essent in Civitatem Majoricam 540. Judæi per miraculum ad fidem conversi sunt, cum viderent, quod saxa, quæ in Christianos, ac portantes sacras reliquias iniiciebantur, nullam inferrent læsionem. Quid simile refert D. Augustin. lib. 22. de Civitate cap. 8.

Baron.

QUÆSTIO XLI.

Quare mors D. Stephani dicitur obdormitio?

343. Syriac. Græcus. 1. Cor. 15. 2. Thes. 5. CUm exorasset Stephanus pro suis inimicis, Domine, ne statuas illis hoc peccatum, *obdormivit in Domino*: Syriacus: *Recubuit in Domino.* Alii ex Græco: *Requievit in Domino.* Quæ omnia denotant perjucundum, ac suavem Stephani transitum; & licet justi, qui in Domino moriuntur, dicantur dormientes, 1. Cor. 15. n. 18. & 1. Thessal. 5. n. 5. & ad hoc pertinet illud. Apoc. 14. n. 13. Beati mortui, qui in Domino moriuntur.

Tamen de Stephano, non dicitur, dormivit, ut de aliis justis, sed *obdormivit*, qui quidem dicendi modus indicat aliquâ peculiarem, suavemque dulcedinem in ipsa morte, tamquam inter brachia Domini; inde Syriac. vertit: *Recubuit in Domino.* Petr. Dam. serm. de S. Stephano, & post illum Lyran. inquiunt: *Quoniam absorptus est in Charitatis abyssum, & inter Dei suis brachia requiescens, dormivit securus, & quietus in æterna pace, quia Spiritum suum Domino commendavit.*

344. Suavissima Stephani mors. Damian. Lyran.

Non solum Stephanus in suo transitu dicitur dormire, sed etiam inter lapidantium manus D. Aug. ser. 92. de Diversis ait: *O somnus pacis, qui inter lapides inimicorum dormivit!* Jactabantur saxa, lapides tamquam aquarũ imbres currebant, vulnera, & ictus infligebantur, membra in frusta cadebant, & inimici terribili voce clamantes, ac blasphemantes, ipseque sic quietus, & placidus erat, alienus ab omni iræ, atque malevolentiæ affectu, tamquam dulci somno quiescens. Dicitur Prov. 3. n. 24. *Si dormieris non timebis*, qui enim inter pressuras, ac persecutiones hujus sæculi maximè alienus est ab omni affectu, nihil timet. Pergit Textus: *Quiesces, & suavis erit somnus tuus.* Ex Hebræo legitur: *Oppignoratus erit somnus tuus*, ipse somnus tuus tam suavis inter adversa erit jam pignus æternæ felicitatis, ac gloriæ.

345. D. Aug. Inter lapidantiũ furores erat Stephanus quietus, & dormiens. Prov. 3. Hebr.

Stabat magnus noster Athleta inter furibundos lapidantes, & positis genibus *clamavit voce magna, dicens, Domine, ne statuas illis hoc peccatum, & cum hoc dixisset obdormivit in Domino.* Cum hæc vox tantæ charitatis plena esset, ac si ad ultimum perfectionis apicem perveniisset, *obdormivit*, seu *recubuit* tamquam in florido, ac perjucundo lecto. Eleganter D. Nissen. homil. de S. Stephano ait: *Magnus Stephanus veluti teneris floribus, vel rore quodam levi circumfusus, in dulcem, simul ac beatum somnum delatus est.* Dum generosus noster Levita pro hostibus deprecatur, veluti inter suavissimos, ac odoriferos flores, delectabili mortis somno rapitur.

346. Amor in hostes floridam pro lucro mortem. D. Nisse.

Clamat Anima Sancta, Cant. 2. n. 4. & 5. *Introduxit me Rex in cellam vinariam, ordinavit in me charitatem; Fulcite me floribus, stipate me malis.* Cum Anima sancta vidit in se charitatem perfectam, & ordinatam, primo tendens in Deum, deinde in proximum, & inde in inimicos, quid sequitur: *Fulcite me floribus, stipate me malis.* Ut explicant tres Patres Philo, Carpath. Nissenus, & alii; floribus omnium virtutum, cœlestium donorum, ac gratiarum Spiritus sancti, hæc universa ipsa charitas in hostes secum asportat, dum non malum pro malo, sed bonum pro malo rependitur. Guillelm, apud Delrium ait sic: *Ordinavit in me charitatem, docuit eam quomodo imprimis Deum diligere debeat, proximum ut se ipsam, denique & hostem, eatenus ut malum malo non rependatur, sed cum injuria beneficium commutetur.* Cum hac doctrina de inimicis diligẽdis, non mirum quod omnibus cœlestibus, ac divinis donis locupletata, omniumque virtutum floribus exorta sit.

347. Cant. 2. Tres Patres. Philo. Carpat. Nissen. Amor in hostes secum asportat omnes virtutes.

CAPUT VIII.

1. *Facta est autem in illa die persecutio magna in Ecclesia, quæ erat Ierosolymis, & omnes dispersi sunt per regiones Iudææ; & Samariæ præter Apostolos.*
2. *Curaverunt autem Stephanum viri timorati, & fecerunt planctum magnum super eum.*
3. *Saulus autem devastabat Ecclesiam per domos intrans, ac trahens viros, ac mulieres, tradebat in custodiam.*
4. *Igitur qui dispersi erant pertransibant evangelizantes Verbum Dei.*

5. *Philippus autem descendens in Civitatem Samariæ prædicabat illis Christum.*
6. *Intendebant autem turbæ his, quæ à Philippo dicebantur, unanimiter audientes, & videntes, signa quæ faciebat.*
7. *Multi enim eorum, qui habebant spiritus immundos, clamantes voce magna exibant.*
8. *Multi autem paralytici, & claudi curati sunt.*
9. *Factum est ergo gaudium magnum in illa Civitate. Vir autem quidam nomine Simon, qui ante fuerat in Civitate magus, seducens gentem Samariæ, dicens se esse aliquem magnum.*
10. *Cui auscultabãt omnes à minimo usq; ad maximũ, dicẽtes: Hic est virtus Dei, quæ vocatur magna.*
11. *Attendebant autem eum, propter quod multo tempore magiis suis dementasset eos.*
12. *Cum vero credidissent Philippo evangelizanti de regno Dei, in nomine Iesu Christi baptizabantur viri, ac mulieres.*
13. *Tunc Simon, & ipse credidit: & cum baptizatus esset, adhærebat Philippo: Videns etiam signa, & virtutes maximas fieri, stupens admirabatur.*
14. *Cum audissent Apostoli, qui erant Ierosolymis, quod recepisset Samaria Verbum Dei, miserunt ad eos Petrum, & Ioannem.*
15. *Qui cum venissent, oraverunt pro ipsis, ut acciperent Spiritum sanctum.*
16. *Nondum enim in quenquam illorum venerat, sed baptizati tantum erant in nomine Domini Iesu.*
17. *Tunc imponebant manus super illos, & accipiebant Spiritum sanctum.*
18. *Cum vidisset autem Simon, quia per impositionem manus Apostolorum daretur Spiritus sanctus; obtulit eis pecuniam, dicens:*
19. *Date & mihi hanc potestatem, ut cuicumque imposuero manus, accipiat Spiritum sanctum: Petrus autem dixit ad eum.*
20. *Pecunia tua tecum sit in perditionem, quoniam donum Dei existimasti pecunia possideri.*
21. *Non est tibi pars, neque sors in sermone isto, cor enim tuum non est rectum coram Deo.*
22. *Pœnitentiam itaque age ab hac nequitia tua: & roga Deum, si forte remittatur tibi hæc cogitatio cordis tui.*
23. *In felle enim amaritudinis, & obligatione iniquitatis video te esse.*
24. *Respondens autem Simon dixit: Precamini vos pro me ad Dominum, ut nihil veniat super me horum, quæ dixistis.*
25. *Et illi quidem testificati, & locuti Verbum Domini redibant Ierosolymam, & multis regionibus Samaritanorum evangelizabant.*
26. *Angelus autem Domini locutus est ad Philippum dicens: Surge, & vade contra Meridianum, ad viam, quæ descendit ab Ierusalem in Gazam: hæc est deserta.*
27. *Et surgens abut. Et ecce vir Æthiops Eunuchus, potens Candacis Reginæ Æthiopum, qui erat super omnes Gazas ejus, venerat adorare in Ierusalem.*
28. *Et revertebatur sedens super currum suum, legensque Isaiam Prophetam.*
29. *Dixit autem Spiritus Philippo: Accede, & adjunge te ad currum istum.*
30. *Accurrens autem Philippus audivit legentem Isaiam Prophetam, & dixit: Putasne intelligis, quæ legis?*
31. *Qui ait, & quomodo possum, si non aliquis ostenderit mihi? Rogavitque Philippum ut ascenderet, & sederet secum.*
32. *Locus autem Scripturæ, quem legebat, erat hic: Tamquam ovis ad occisionem ductus est: & sicut agnus coram tondente se, sine voce, sic non aperuit os suum.*
33. *In humilitate judicium ejus sublatum est. Generationem ejus quis enarrabit, quoniam tolletur de terra vita ejus?*
34. *Respondens autem Eunuchus Philippo, dixit: Obsecro te, de quo Propheta dicit hoc? de se, an de alio aliquo?*
35. *Aperiens autem Philippus os suum, & incipiens à Scriptura ista, evangelizavit illi Iesum.*
36. *Et dum irent per viam, venerunt ad quamdam aquam, & ait Eunuchus: Ecce aqua, quid prohibet me baptizari?*
37. *Dixit autem Philippus: Si credis ex toto corde, licet. Et respondens, ait: Credo Filium Dei esse Iesum Christum.*
38. *Et jussit stare currum, descenderunt uterque in aquam, Philippus, & Eunuchus, & baptizavit eum.*
39. *Cum autem ascendissent de aqua, Spiritus Domini rapuit Philippum, & amplius non vidit eum Eunuchus. Ibat autem per viam suam gaudens.*
40. *Philippus autem inventus est in Azoto, & pertransiens Evangelizabat Civitatibus cunctis donec veniret Cæsaream.*

ARGUMENTUM.

MOrtuo Stephano exoritur magna persecutio in Ecclesia, cõvertitur Samaria; & in eo Simon Magus, qui intendens dona Spiritus sancti emere pecuniâ graviter increpatur à D. Petro. Eunuchus Reginæ Candacis baptizatur à Philippo Diacono.

Actor. 8. *n.* 1. Facta est autem in illa die persecutio magna in Ecclesia, quæ erat Ierosolymis, & omnes dispersi sũt per regiones Iudææ, & Samariæ præter Apostolos.

Num. 2 Curaverunt autem Stephanum viri timorati, & fecerunt planctum super eum.

Num. 3. Saulus autem devastabat Ecclesiam per domos intrans, & trahens viros, ac mulieres, tradebat in custodiam.

Num. 4. Igitur, qui dispersi erant, pertransibant Evangelizantes Verbũ Dei.

Versiones,

CVM EXPOSITIONE I.

Vers. 1. *Facta est autem in illa die.* Syriac. *Facta est per illud tempus persecutio.* Cum dicitur *in illa die*, more Hebraico dies pro tempore ponitur, ac proinde à die mortis Stephani, & per tempus subsequens à Judæis contra Christianos vehemens est exorta persecutio. *In Ecclesia* id est contra Ecclesiam, sic legit D. Chrysost. *Adversus Ecclesiam.* Æthiop. *Contra domum Christianorum.* Quid

I. Syriac.

D. Chrysost. Æthiop.

deinde sequitur? *Omnes dispersi sunt.* Nempe fides aliqui se in fugam dederunt juxta Domini mandatum: *Cum persecuti vos fuerint in una Civitate, fugite in aliam.* Et alii etiam sub latebris se absconderunt. Syriac. *Per regiones Judææ, & Samariæ.* Syriac. *Per pagos Judææ, atque ideo inter Samaritanos.* Et subditur: *Præter Apostolos*, ut Ecclesiam Christi incipientem firmarent, & Judæorum Synagogam destruerent.

2. Vers. 2. *Curaverunt autem Stephanum.* Syriacus: *Collectum autem in arcam.* Arabic. *Tulerunt autem Stephanum.* Alii ex Græco *comportaverunt.* Quæ omnia significat verbum *curaverunt*, quod dicit corpus defuncti abluere, ungere, lineis componere, ac ad sepulchrum deferre, ac sepelire. Pagnin. Tigurina: *Curaverunt unà*, seu pariter, veluti communi consensu. *Viri timorati.* Syriac. *Viri fideles.* Arabic. *Viri Religiosi*, & omnia reddunt in eumdem sensum; nam in Scriptura pietas, religio, ac timor idem valent.

3. *Fecerunt planctum magnum super eum.* Syriac. *Planxerunt super eum vehementer.* Æthiop. *Luxerunt propter eum magno luctu.* Prosequuti sūt eum multis lachrymis, utpote destituti optimo parente, & magna fidelium frequentia funebrem pompam celebrarunt.

4. Vers. 3. *Saulus autem devastabat Ecclesiam* Syriac. *persequebatur Ecclesiam Dei.* Intendens illam, ait Lyranus, annihilare, ac destruere. *Per domos intrans.* Tigurina *intrans domesticatim.* Pagnin. *per singulas domos*, præ furore, ac ira per singulas domos, angulosque Christianos scrutans perquirebat, sive viros, sive mulieres, nemini parcens. *Tradebat in custodiam.* Syriac. *Traderetque carceri.* Æthiopic. *Incarcerabat omnes Christianos.* Quamvis Saulus furore, ac ira exardesceret in fideles, non excedebat suam commissionem, non interficiebat, sed incarcerabat, ut sibi erat mandatum.

5. Vers. 4 *Igitur qui dispersi erant pertransibant.* Syrus: *Perlustrabant.* Condecorabant, illustrabant prædicatione Divini Verbi, seu, ut habet Arabic. *Annuntiabant sermonem prædicationis.* Ecce cur divino inspirante spiritu fideles vendiderunt omnia sua, & eorum pretia ad pedes Apostolorum deferebant, Act. 4. n. 14. non solum ut in hoc ingens eorum charitatis fervor ostenderetur, sed etiam ut expeditiores, & à nullo detenti facilius pergerent per regiones prædicantes Verbum Dei.

Syriac. Pagnin. Tigurin. Arabic. Syriac. Æthiop. Syriac. Lyran. Tigurin. Æthiop. Syriac. Arabic. Actor. 4.

QVÆSTIO I.

Quare mortuo Stephano tam dura, & crudelis persecutio contra Ecclesiam exorta est?

6. E Mortuo Stephano Judæi tamquam ejus sanguine ebrii facti sunt, tamque gravissima persecutio, ab eis mota, contra Ecclesiam orta est, ita ut Nicanor Diaconus cum Stephano occisus sit, ut dixi c. 6. q. 6. & refert Dorotheus in synopsi. Cū Stephano, & Nicanore, aliisque Christianis ferè ad duo millia interfecti sunt, & magnam fuisse multitudinem indicat Paulus, Act. 26. n. 10. *Cum occiderentur detuli sententiā.* Loquitur in plurali, & hæc fuit prima persecutio.

Act. 26.

7. Sub hoc tempore, ut cōstat ex revelatione Gamalielis, & refert Lucianus de Invent. S. Stephani, quod Nicodemus ex eo, quod esset Christi discipulus à Judæis fuisset privatus suo principatu, & ab eis anathematizatus, & extra Synagogam ejectus, ac in exilium pulsus, & idem ferè scribit Nicetas Philosoph. orat de Invent. S. Stephani.

Nicodemus deponitur. Lucian. Nicetas.

8. Et etiam sub hoc tempore, ut existimat Baronius tom. 1. Annal. ex Historia Vaticana, atque ex actis S. Mariæ Magdalenæ, quod ipsa cum sorore sua Martha, ac fratre Lazaro, atque Maximino, Marcella pedissequa, & Joseph ab Arimathia, & alii, à Judæis in navi sine velis, & remis ad infallibile, certūque naufragium omnes expositi sunt, tamen Dei providentia ad Massiliam appulsi sunt, ibique fidem Christi mirabiliter plantarunt. Josephus ab Arimathea Dei nutu in Britanniam transivit, & ibi in pace Christi quievit: Lucius Dexter in Chronico tardius id contigisse affirmat, nempe an. Christi 48. quod aliquibus cōfirmat documētis, Francisc. Baverius in Comment.

Baron. Magdalena & Martha expellun. tur. Dexter. Baverius

9. Mortuo Stephano intendūt Judæi destruere Dei Ecclesiam. Actor. 6.

Mortuo Stephano dura sanè, & crudelis persecutio exorta est in Ecclesia Dei; erat enim illius Stephanus strenuissimus Dux, ac fortissimus propugnator. Doctissimi Judæorum *disputantes cum Stephano non poterant resistere sapientiæ, & spiritui, qui loquebatur in eo*, Act. 6. n. 10 ac proinde mortuo tam robustissimo bellatore Judæi sibi habebant persuasum posse destruere, ac dissipare totam Ecclesiam Dei. *Percutiā Pastorē, & dispergentur oves gregis.* Math. 26. n. 31.

Math. 26 10.

Cum ægrotaret Elisæus infirmitate, qua & mortuus est, descendit ad eum visitandum Ioas Rex Israel; *Et flebat coram eo, dicebatque Pater mi, Pater mi, currus Israel, & auriga ejus*, 4. Reg. 13. n. 14. Tot profusus lachrymis Elisæi mortem deplorabat Ioas, non ex amoris affectu erga Prophetam, sed quia ex mortuo in magnum periculū se, suumque regnum incidere pro certo habebat; nam eius præsentia erat illis magnum munimen, qua destituti, omnia facile in præcipicium ruerent. Lyranus ait: *Flebat coram eo, qui vita illius multū valebat ad defensionem sui regni.*

4. Reg. 13 *Absentia magni viri destructio regni.*

10. Dicitur Gen. 21. n. 9. *Cum vidisset Sara filium Agar Ægyptiæ ludentem cum Isaac filio suo dixit ad Abraham: Eiice ancillam*, &c. Qui ludus vel erat Idolorum fabricatio, vel aliqua contentio rixosa, vel aliquid simile, quæ strepitum, rumoremque important, sed cur hoc solum vidit Sara, & non potius Abrahamus, qui valde sollicitus erat pro tota sua familia? ut advertit D. Ambros. lib. de Abrahamo: Ismael, quamvis esset ingenij depravati, nihil tamen inordinatum in Abrahami præsentia audebat perpetrare, sed eius absentia præstolabatur, ut venenum suæ pestiferæ indolis evomeret. Salvianus lib. 2. de Gubernat. ait: *Depravata nequitia latebras noctium perquirit, & magnorum præsentiam exhorrescit.*

11. Gen. 21. D. Ambr. Salvian.

QUÆSTIO I.

Quare exorta persecutione tot, tantique fideles dispersi sunt?

12. Baron. Quindecim millia.

DE bacchante tātæ persecutionis procella dicitur in Textu, quod omnes, qui erant in Ecclesia *dispersi sunt per regiones Judææ, & Samariæ* qui in tanto extiterunt numero, ut cōiecturet Baronius tom. 1. Annal. dispersorum numerum ad quindecim millia.

13. Cum autem dicitur omnes, intellige, secundum sui maiorem partem, aliqui enim remanserunt, qui curaverunt Stephanum vers. 2. & Saulus perscrutabatur per domos, & viros, ac mulieres tradebat in custodiam vers. 3. omnes, qui erant magis noti, ac habiti discipuli Apostolorum, ita Carthus. hic Eusebius lib. 2. Historiæ cap. 1. ait: *Qui erant antiquiores fideles*, Caietan. inquit: *Sermonem esse de iis; in quibus descenderat Spiritus sanctus in variis linguis in die Pentecostes*; ac proinde omnes veniunt in hunc sensum, qui magis noti, & cogniti erant fideles, vel qui se commodè non potuerunt abscondere.

Carthus. Euseb. Caiet.

14. Cum autem dicitur in Textu: *Dispersi sunt per regiones Judææ, & Samariæ*, intellige primo ad has regiones, deinde alta Dei providentia ad alias diversas regiones prædicantes Evangelium, & hoc testatur ipse D. Lucas infra cap. 11. n. 19. & ait: *Illi quidem,* Actor. 11

qui dispersi fuerant à tribulatione, quæ facta fuerat sub Stephano perambulaverunt usque ad Phenicem, & Cyprum, & Antiochiam. Ubi tanta fuit fidelium multitudo, quod ibi primi dicti sunt *Christiani.* Ibidem n.26.& ad hos scribunt suas epistolas Petrus epist.1.
1.Petr. cap.1. n.1. *Electis advenis dispersionis Ponti Galaciæ,*
Iacob. 1. *Cappadociæ,*&c.Et Iacobus in sua Canonica c.1.n 2. *Duodecim tribubus, quæ sunt in dispersione, salutem.*

15. Ex his, qui fuerunt dispersi, aliqui Iudæi venerunt in Hispaniam, ut testatur Lucius Dexter, qui floruit tempore D.Hieron.in suo Chronico anno Christi 35. qui Iudæi ad conversionem Hispaniarum vocarunt ad se Apostolos,& anno Christi 37.qui fuit tertius
Dexter. ab ejus Ascensione sic scribit Dexter: *Iacobus Apo-*
Iacobus in Hispania. *stolus Zebedæi filius peragratis urbibus Hispaniæ, multisque erectis Ecclesiis,& Episcopis creatis ex advenis Petrum Bracharæ reliquit Episcopum, ac primum oratorium B.Virgini ejus jussu, præsentiaque super columnam Cæsaris Augusti erexit.*

16. Luitprandus, seu Eutrandius, in tractatu illustrissimi ipsius nomine, qui vocatur: *Fragmenta* ex Bibliotheca Thom.Tamaio de Vargas Regis Philippi eruditissimi Historici, ex multis exemplaribus fide di-
S.Elpid gnis sic habet n.101. S.Elpidius, quem S. Iacobus præfecit Toletanis primum Pontificem, Carmelita Monachus fuit,& in prima Petri concione cõversus ad fidem, & n.171. sic scribit: *Magna pars eorum, qui dispersi in persecutione S. Stephani ad varias partes trajecerunt, & ad Hispaniam plurimi venerunt, erant ex Monachis montis Carmeli prædicationibus Christi, & Apostolorum ad fidem conversis, in quibus Elpidius, & socy Pontifices à S.Iacobo creati, & postea Martyres effecti.* Quod latè multo, gravique Authorum pondere probat M. Lezana tom. 2. Annal.
Lezaua. anno Christi 35. n. 6.

17. Ecce quantum bonum ex malis elicit Deus ex impugnatione Ecclesiæ ejus incrementum, ut iam dixi supra c.4 q.2.n.18.& 19.omnes persequuntur fideles Christi,& fiunt dispersi per Orbem, ut Christi Evan-
Nissen. gelium in universo mundo prædicetur, ut ait Nissen.
D.Ath. hom. de S.Stephano, persecutionem Stephani Evangelium in toto Orbe evulgasse D.Athanas.homil. de Semine ait: Dispersi sunt, *non quod imbecillitate dissecti sed fidei gratia ita divisi essent.* Et cum Christus D. præcepisset suis discipulis: *Si vos persequentur in*
Math.10 *hac Civitate, fugite in aliam.*Matth.10.n.23. Perbel-
Tertull. le Tertull. lib.de Fuga c.6. ait: *Ideo illis fugere tunc*
Fuga utilis ad fidõ propaganda. *præcepit, non propter eludendum periculum proprio nomine persecutionis, sed propter profectum annuntiationis.* Fuga consulitur non tam pro conservanda vita, quàm ut, quò abeant, homines instruant in fide, ac religione.

18. Cum Deus valde sollicitus de hominum salute, est veluti vigilans in mittendis prædicatoribus, & Doctoribus ad populum docendum, & illuminandum in fide; sic Deus de suis Prophetis loquitur per
Ierem.17 Ierem. 26.n.5. *Quos ego misi ad vos de nocte cõsurgens.*
Ierem.25 Et cap.25.n.4. *Et conjungens diluculo, mittensque.* In-
Fistinat. troducitur tamquam optimus, ac sollicitus Paterfa-
Deus ad hominũ salutem. milias valde mane consũrgens ad mittendos operarios.D.Hieron.ait: *Et quasi in vigiliis, atque excubijs constitutus surrexit diluculo, ut suum populum commoneret.*
D.Hier.

19. Ex hoc fervore sponsã evocat Deus de tugurio ad vineam excolendam Cant.2.n.10.& ait: *Surge, propera amica mea, & veni.* Et iterum adurget n.13. *Surge*
Cant.2. *amica mea, & veni.* Quæ vox denotat ingentem
Suos vult Deo sollicitos de sal. & aliorum Dei ardorem de hominum salute,& ideo repetita voce eam compellit, ut moras abiiciat, citoque veniat
D Bern. D.Bernard.serm 61.in Cant.ait: *Quod rursum ad laborem vinearum sollicitet dilectam, ostendit, quàm sit de animarum salute sollicitus.*

QUÆSTIO III.

Quare D.Stephanus lapidatus à Iudæis, valdè honorificè sepelitur.

D.Stephanus à malignis, ac perfidis Judæis lapi- 20.
datus est tamquã blasphemus, ac facinorosus; cur ergo permittitur tam magnifico, ac pomposo funere sepeliri: Ratio à priori est alta, & suprema Dei dispositio, qui Sãctos suos in hac vita vult honorati.

Nostra tamen conjectura; quia etsi lex præcipie- 21.
bat iniquos lapidare, ac punire, non tamen prohibebat sepeliri: Delinquentes etenim vivi puniẽdi sunt, mortui honorandi: Propheta ille, qui cõtra Dei mandatũ comedit in civitate, cum abiret, interfecit eum Leo in via, eumque custodivit ne ab aliis animalibus offenderetur, stans juxta cadaver; cumque hoc esset divulgatum, Propheta qui eum invitaverat accurrens: *Invenit cadaver ejus projectum in via, & asinũ, & leonem stantes juxta cadaver non comedit leo de cadavere, nec læsit asinum,* 3.Reg.13.n.28. Leo ut optimus Dei minister vivum punivit inobedientem, sed
3.Reg.13 mortuum honoravit custodiens ad sepulturã. D.Am-
D.Ambr. bros.lib.de Tob.c.1. *Feræ hanc humanitatem defunctis corporibus detulisse produntur, & homines denegabunt.*
Crimi. nosi etsi vivi puniendi sint, mortui honorandi.

Secundo Stephanũ curaverunt, ac sepelierunt viri 22.
timorati, quorum Dux, ac Princeps fuit Gamaliel, ut ipsi revelavit Luciano, qui id ipsũ scribit lib.de In-
Lucian. vent.S.Stephani ei referens, quod aliqui Judæi commoti odio in S.Steph.ejus sacrum corpus abjecerunt in agrum, ut à bestiis, ac volucribus devoraretur; & hac de causa per unum diem, & noctem, Dei tamen providentia, semper intactũ humi jacuit, quod cum sciret Gamaliel, ipse cũ aliquibus piis fidelibus nocte sepelivit quodam in agro suo, quod ex suo nomine dicebatur *Caphargamla* distans à Ierusalem viginti millia passuum, ibique eum posuit in suo monumento novo, facientes planctum 70 dierum super eum.
Sepelitur Stephanus.

Mortua Sara postulat Abraham à filiis Heth ad 23.
emendum speluncam duplicem quam ei gratis, ac liberaliter, ut notat Carthus. dabant; ramen *Abrahamus appendit pecuniam, quam Ephron postulaverat,* Gen.23.n.16. ostendens suam pietatem, ac generositatem faciens expensas pro defunctis, eos honorans. *Facere* D.August.lib.de Cura pro mortuis agenda c.9.ait: *Quod ipsi exhiberi volunt post mortem suam corporibus suis, quando sensuri non sunt, aliis non sentientibus, curam exhibent dum ipsi sentiunt.* Vel emit illum Abrahamus ad sepulchrum Saræ, quia omnes possessiones suas voluit nobilitare, cum in sua possessione haberet sepulchrum illustrissimæ fœminæ, quod erat in magnum decus, munimen, ac protectionem omnium suorum.
Gen.23. *expensas pro defunctis generositas*

Tradunt Hebræi ad cap.8.Geneseos, quod Noe in- 24.
grediens in Arcã, secum asportavit Adami ossa; post-
Hebræi. ea vero egrediens, illa ossa divisit inter filios, & nepotes, dans unicuique unum ex illis ossibus, ut cuilibet esset pretiosus thesaurus ad magnã bonorum locupletationem, ad munimen omnium adversitatum, ac custodiam omnium periculorum. Præclarè Abbas Theofridus serm.de Reliquiis sic ait: *Has*, scilicet re-
Theofr. liquias, *singulis Provinciarum, & Civitatum populis dedit Deus in solatium, ut dum importunis urgentur incursibus hostium visibilium, & invisibilium per harum defendantur meritum*, quod latè prosequitur, quod sicut Rex dum timet fortiora inimicorum agmina, ibi ponit majus, & fortius præsidium, sic Cœlestis Rex videns nostrorum hostium vehementes insultus ad magnum munimen dat nobis Sanctas Reliquias, & sic concludit citatus Abbas. *Sic omnipotens Deus magnas Sanctorum Reliquias nobis accommodat, quatenus ab indigenis digne, ac familiariter*

riter honorantur, iidem indigenæ earum perpetua defensione firmentur.

25. Exeuntes filii Israel de Ægypto maximè occupati erant accipientes ab Ægyptiis vasa aurea, & argentea, aliaque pretiosa munera, ut valde locupletes egrederentur; at Moyses nil de his rebus magni valoris curat, sed tantum sollicitus est, ut secum efferat ossa Joseph: *Tulitq; Moyses ossa Ioseph secum*, Ex. 13.n. 19. Inter omes divitias magnas Ægypti, nihil aliud scimus, quod Moyses secũ asportaverit; nisi ossa Joseph; quia illa, ut amplissimum thesaurum cæteris omnibus anteponebat, cùm in illis recognosceret tutamen, ac munimen in adversitatibus & securitatem in periculis. Procop. ait: *Moyses elegit viri justi ossa, quæ præfert immensis Ægyptiorum thesauris.*

Exod. 13

Ossa iusti valde pretiosa & ad munimẽ.

Procop.

QUÆSTIO IV.

Quare viri pij, ac devoti S. Stephanum sepelierunt; & cum planctu magno.

26. VAlde Sanctum, piumque est sepelire mortuos; quod maximè præstant viri Sancti, pij, ac devoti, ad quod nos admonet præsens Text. *Curaverunt Stephanum viri timorati*, & etiam Sanctus Tobias qui etiam contra Regis edictum mortuos sepeliebat Tobiæ 1.n.22. in quo multum resplenduit ejus charitas, siquidem cum mortis periculo pietatis officium deferret. Unde merito ait D. Ambros. lib. de Tobia cap. 1. *Erat misericordiæ pretium, mortis pœna, quæ non revocabatur, magisque incitabatur.* Mortis pœna dedit magnum pretium, ac valorem ejus pietati, ac misericordiæ, comtempta morte mortuos sepeliebat.

Pietas in sepultura defunctorũ.

Tob. 1.

D. Ambr.

Si enim multa obsequia vivis damus, non minora

27. debemus mortuis exhibere, imò eorum miseria nos debet summopere commovere, & excitare, de quo differit eleganter D. August. de consolat. mortuorum: *Iacet corpus exanime, & gelidum, homo sine homine, cadaver sine spiritu, nemo suorum adjuvat, neque ipse sibi auxilium postulare potest*; postulet ergo ipsa misera conditio.

D. Aug

Cum Ismael appropinquaret ad mortẽ omnes sui

28. convenerunt ad illum, & ait Text. *Coram fratribus suis obiit*, Gen. 25.n.18. Oleaster legit: *Super faciem omnium fratrum suorum cecidit*; ac si mortuus est, ac esset præsens ante oculos, ac facies suorum fratrum ad ipsum venerandum, ac recolendum. Abulensis ibi, ait: *Fratres sui omnes venerunt ad mortem suam, ut eum honorarent*, sicut cum viveret Ismael, eum fratres sui multa reverentia prosequebantur, sic; & mortuum, ac si vivus esset præsens.

Gen. 25. *Mortuus honorandus sepulchro.*

Oleaster Abulens

Secundo *viri timorati* viri religiosi, magni, & de-

29. voti; piorum, magnorumq; est mortuos sepelire, adeo ut etiam Deus hoc munus sibi adscribere non dedignetur. Mortuo Moyse dicitur Deuter. 34.n.6. *Mortuus est Moyses servus Domini in terra Moab jubente Domino, & sepelivit eum in valle terræ Moab, & non cognovit homo sepulchrum eius.* Communis est Patrum sententia, quod Angeli sepelierunt Moysen, cur non dicitur Angelos hoc persolvisse; sic & lex scribitur data per dispositionem Angelorum, Act. 7.n.54. Cur ergo etiam non refertur Moysen ab Angelis sepultum, sed ab ipso Deo? *Sepelivit eum Dominus*, ut notat Petrus Damian. serm. 2. & ait: *Sed quid est, quod Moysis corpus, ipse per se Dominus sepelivit*, ut denotetur, quàta sit celsitudo muneris sepeliẽdi mortuos, ut ipsa suprema Dei majestas per se illud exsolvat, illiusque opificem agnosci velit, ad alia munia ad dandam nempe legem, ducendum populum publicentur Angeli, at ad sepeliendum mortuum Deus ipse adstat, & ad suum servum maximè honorandum.

Deut. 34.

Actor. 7. *Sepelire mortuos valde honorificum.*

Damian.

Sed cur Moysis corpus tanto honore sublimatur

30. à Deo, ut dicatur quod eum *Dominus sepelivit*. Et Philo lib. de vita Moysis scribit, quod in tam admirando sepulchro sepultus est, ut nullus hominũ fuerit dignus unquam illud conspicere; unde illi tantus honos! Moyses exiens de Ægypto asportavit secum ossa Joseph, Exod. 13. ut dixi superiori quæst. eaque in tanta veneratione, ac cultu habuit, ut pretioso aureo vase reposuerit, ut testatur Theofridus Abbas serm. de Sanct Reliquiis, & qui vivens tam magnifico ornatu mortuum honorificavit, alta divina Providentia correspondente, ipse moriens admirabili sepulchro conditur, ad cujus præsentiam alia omnia disparent, cum de nullo alio simile legatur: *Sepelivit eum Dominus.*

Philo.

Exod. 13

Theofr. *Honorificantes mortuos honorificantur à Deo.*

Postquam Magdalena cum fratribus ad Massiliam

31. advenit perfunctoque Apostolico prædicandi munere, se recepit ad desertum quoddam, ubi per triginta annos in orationibus, & lachrymis Angelicam degit vitam, eique apparens Michael Archangelus, dixitque Deum in primo rerum molimine illum condidisse locum propter ipsam, ut in eo viveret, mortuaque sepulchrum haberet, ut referunt Sylvester Pereira in ejus vita: Cur Deo tanta inest cura de Magdalenæ sepulchro cum primo conderet orbem: Magdalena venit ad ungendũ corpus Domini ad sepulturam, ut ipse Dominus dixit: Mittens hæc unguentum hoc in corpus meum ad sepeliendum me fecit, Matth. 26. n. 12. Si Magdalena sedula, ac sollicita fuit ad corpus Jesu unguento venerandum, multo majori sollicitudine anticipatè Deus vigilavit, ut ipsam perenni, ac perpetuo sepulchro nobilitaret.

Sylvest. *Magdalena curat de Christi sepultura, sic Deus de illa.* Matth 26.

Tertio *Curaverunt Stephanum viri timorati.* Inter

32. quos maximè eminentes fuerunt sacri Apostoli, ut testantur Nicetas oratione de Inventione S. Stephani, D. Hieronym. epist. 53. ad Riparium cum Psalmis, Hymnis, & accensis cereis, ex quibus existimat Baronius originem habuisse ritum funeris Christianorum in sepeliendis mortuis.

Funus Stephani. Nicetas. D. Hier.

Fecerunt planctum magnum, quod fiebat ad funeris

33. pompam, & præ desiderio abeuntis: Mortua Sara, ait Textus: *Venit Abraham. ut plangeret, & ferret eam*, Genes. 23.n.2. & repetita voce dicitur, ut plangeret, & fleret ad denotandam vehementiam doloris, & planctus, quod notans D. Paulinus ep. 37. ad Pamm. ait: *Pater fidei matrem vocationis nostræ Saram flevit, non utique de fidentia recipiendæ, sed progressæ desiderio.* Et postea subdit: Scriptura divina producere nos lachrymas, quasi evaporando dolore permittit.

Gen. 23. *Dolor lachrymis evaporatur.* D. Paul.

Act. 8. *n.* 5. Philippus autẽ descendens in Civitatẽ Samariæ prædicabat illis Christũ.

Num. 6. Intendebant autem turbæ his, quæ à Philippo dicebantur unanimiter audientes, & videntes signa, quæ faciebat.

N. 7. Multi enim eorũ, qui habebant spiritus immũdos clamãtes voce magna exibãt.

Num. 8. Multi autem paralytici, & claudi curati sunt.

Versiones

CVM EXPOSITIONE II.

Vers. 5. *Philippus.* Non Apostolus, ut aliqui dixerunt, & dubitat August. tract. 6. in Ioan. Nam Apostoli remanserunt in Ierusalem, & hic Samaritanis Spiritum sanctum nõ potuit conferre, ad hoc enim missi fuerũt Petrus, & Ioannes infra n. 4. Iste Philip. inter Diaconos Stephani proximus. Act. 6.n.5. Tamẽ, ut ait Glossa, ejus in pietate, doctrina, zelo hæres. Hic Philip. licet Diaconus, quia tamen Christum cum multo fervore, ac zelo evangelizabat,

34. D. Aug.

Actor. 6.

Tertull. D.Clem. D.Ambr D.Aug. vocatus Apostolus à Tertu l.lib.de Baptismo cap.8. D.Clem.lib.6.Cõstit.c.7.D.Ambros.lib.lib.9.in Lucam,D.Aug.lib.1.de Doctr. Christi.in Proœm.sicut & similiter Paulus, & Barnabas vocantur Apostoli.

35. *Samaria quæ sit, & unde dicta.*

Descendens nempe à Jerusalem *in civitatem Samariam*; nam Ierusalem erat in altiori loco, quam Samaria; Samaria Civitas principalis, ac Metropolis Provinciæ,quæ à tam illustri Civitate nomen accepit, dicitur Samaria, fuit Regni Israel, ac decem tribuum, interjacet inter Judæam, & Galilæam,distat à Ierusalem sexdecim leucis,ædificata est in monte *Someron*,à quo nomen habuit.sicut & mons à suo Domino, ac possessore Semer 3.Reg.16.n.24. qui illum montem emit; postea vero Herodes Ascalonita eam reædificavit, amplificavit structura murorum, domorum, ac Palatiorum, & in gratiam Cæsaris Augusti eam Augustam nuncupavit.Ita Joseph lib.13 Antiquit.cap.11. & 17. Hic verò in præsenti sumitur pro Civitate.

3.Reg.16 Ioseph.

36. *Prædicabat illis Christum*; nam licet ipse Dominus olim suis Apostolis præcepisset: *Ne in viam gentium abieritis, & in Civitates Samaritanorum ne intraveritis.* Matth 10.n.3.Cuius rei rationes dedi to.3. cap.7.q.2.Ipse tamen postea intravit,& eis prædicavit, Ioan. 4.n.40. & abiens in Cœlum eis mandavit, ut eum prædicarent,atque evangelizarent in Judæa, ac Samaria, Act 1.n.8. ideoque Samaritani fuerunt primi, qui post Judæos Christi fidem receperunt, & quia Samaritani erant valde affines Judæis, ideo sæpe sub Iudæorum nomine veniunt, licet ab eis multis erroribus, ac diversa religione, & regno essent divisi.Philippus autem ad prædicandum missus est ab Apostolis, ut docet D.Cypr. ep.73 ad Iulian.

Matth.10 Ioan.4. Actor.1 D.Cypr.

37. Syriac. Æthiop. Beda.

Ver.6. *Intendebant autem turbæ.* Syrus Regius: *Auscultabant ei, & acquiescebant*, quæ quidem verba indicant non solum esse audientes,sed etiam credentes, ac recipientes doctrinam Philippi. Æthiopicus sic legit: *Et populi manserunt audientes sermonem Dei.* Quæ verba denotant perseverantiam in ipsa doctrina credita, & recepta, & advertit Beda, quod Samaritani fuerunt tam faciles, & prompti ad credendum, quia jam erant dispositi verbis, ac sermonibus Christi, ac mulieris Samaritanæ, Ioan.4.

38. Æthiop. Arabic.

Vnanimiter Æthiopicus: *Simul una anima* Charitas unionem, ac conformitatem generat. *Videntes signa,quæ faciebat.* Arabicus *videbant miracula*, non solum Apostoli, sed etiam Diaconi,ut Stephanus,& Philippus faciebant signa, & miracula, Deus omnes ordines, ac hominum genera condecorat, ac illustrat: *Dividens singula singulis prout vult.*

39. Syriac. Pagnin. Tigurin.

Vers.7 *Multi autem eorum, qui habebant spiritus immundos.* Syriacus: *Multi, quos tenebant spiritus*, Pagninus, Tigurina: *Spiritus immundi è multis,vel multorum, qui illis tenebantur exibant* ab obsessis,& dicuntur multi, non omnes; quia non omnes erant digni, ac capaces, ut gratiâ miraculorum reciperent sanitatem.

40. Matth.8 Marc.3. Luc.4.

Clamantes voce magna. Eodem modo clamabant Dæmones cùm à Christo eiiciebantur, Math.8.n.29. Marc.3.n.11.& cap.5 n.7. Luc.4.n. 41. Clamabant ex organis obsessorum, & formantes vocem, clamantes alta, & divina dispositione, ut testificarent se invitos exire,coactos, ac compulsos superiori Dei virtute, ut notat D.Cyrillus Ierosolymitanus Catech.7. & ait: *In eadem virtute Spiritus sancti Philippus in nomine Christi in Civitate Samaria eiiciebat spiritus immundos magna voce clamantes.*

D.Cyril. Ierosol.

41. Syriac. Lyran.

Vers.8. *Multi autẽ paralitici & claudi sanati sunt.* Syriacus: *Sanitati restituti sunt.* Lyranus existimat; quia talium sanitas solum divina virtute fieri potest, & ideo exprimitur, ut significetur hæc miracula à solo Deo facta esse, tamen non dubito,quod talium infirmitatum sanitas à Dæmone fieri posset, applicando activa passivis per suam scientiam, quam habet, tamen cum hæc fiant per dispositiones rerum naturalium requirunt tempus, ut sensim res disponantur, à solo autem Deo hæc possunt fieri in instanti, ut latè dixi in opuscul. 2. resolut. 42. de miraculis.

Actor.8.n. 9 Factum est ergo gaudium magnum in illa Civitate, vir autem quidam nomine Simon, qui antea fuerat magus, seducens gentem Samariæ, dicens se esse aliquem magnum.

Num. 10. Cui auscultabant omnes à minimo usque ad maximum, dicentes: Hic est virtus Dei,quæ vocatur magna.

Num. 11. Attendebant autem eum,propter quod multo tempore magiis suis dementasset eos,

Num. 12. Cum vero credidissent Philippo evangelizanti de regno Dei, in nomine Iesu Christi baptizabantur viri, ac mulieres.

Num. 13. Tunc Simon ipse credidit,& cum baptizatus esset adhærebat Philippo videns etiam signa, & virtutes maximas fieri, stupens admirabatur.

Versiones,

CVM EXPOSITIONE III.

Vers.9. *Factum est ergo gaudium magnum* propter beneficium sanitatum, & maximè, & præcipuè propter lucem Evangelii, ac gratiam sanctificationis receptam, ex qua verè gaudium resultat. Vide tom.4. cap. 26. 11. *Vir autem quidam Simon, quia antea fuerat in Civitate.* Syriacus: *Qui habitaverat in illa Vrbe multis temporibus*,Græcus: *Qui præxtiterat*, suumque domicilium habebat in illa Civitate principali Samariæ. 42. Syriac. Græc.

Qui antea fuerat Magus, D.Chrysost. *Antea exercuerat artem Magicam*,Græcus: *Magica faciens opera; vel magicas præstigias ostentans.* qua de causa subdit Textus: *Seducens gentem Samariæ*, Arabic. *Stupefaciens gentem Samariæ*, tamquam dementare, ac extra mentem, ac rationem facere gentem Samariæ, *Dicens se esse aliquem magnum*, Syriac. *Cum magnificaret se ipsum,diceretque ego sum ille magnus.* Æthiopic. *Constituebat seipsum præceptorem, & sapientem*, Origen. *Qui se prænuntiabat esse Dei virtutem magnam.* De hoc Simone quæst. seq. 43. D.Chrysost. Græcus. Arabic. Æthiop Origen.

Vers. 10. *Cui auscultabant omnes à minimo usque ad maximum.* Syrus: *Proinde inclinabantur ad eum tam proceres, quam tenues.* Æthiopicus: *A junioribus eorum ad grandævos eorum*, Goth. *Cui intendebant,omnes*, quem nempe omnes à minimo usque ad maximũ nullo excepto audiebant,credebant,& operam dabant omnibus,quæ ille dicebat,& mandabat. 44. Syriac. Æthiop. Goth.

Hic est virtus Dei,quæ vocatur magna. Syriac. *Iste est virtus illa magna Dei.* Arabic. *Hic est robur Dei maximum.* Caiet. *Hic est magna potentia.* Tigurina: *Iste est potentia Dei illa magna.* Sic Simon eos dementabat,& seducebat,ut sibi persuaderent,ac dicerent, quòd ille erat virtus,ac potentia Dei,non qualiscumque, sed magnas & maxima. 45. Syriac. Arabic. Caiet. Tigurin.

Vers.11. *Attendebant autem eum.* Syriac. *Acquieverant ei*,eum audientes,credentes,& operam dantes ejus dictis,mẽdacitas,ac perversitas facilè omnes ad se adducit, ac attrahit: *Magiis suis dementabat eos.* 46. Syriac.

Syricaus

Syriac. D. Chrysost. Syriacus : *magicis suis incantationibus obstupefaceret eos.* D. Chrysost. *magicis suis artibus* dementasset eos, hoc est, mentes eorum à veritate alienasset.

47. Arabic. Vers. 12. *Cum verò credidissent Philippo.* Arabicus ; *Cum credidissent sermonibus ejus ; In nomine Jesu Christi baptizabantur.* Veræ fidei affectus ostenditur in opere, baptizabantur baptismo instituto à Christo Domino, tamen in illis primis temporibus ad magis nomen Christi publicandum, ad majoremque illi benevolentiam, ac venerationem reconciliandam, baptismus dabatur forsitan sub hac forma : *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii ejus Jesu Christi & Spiritus Sancti.* Vide quæ dixi supra cap. 2 ad vers. 38.

Baptismi forma.

48. Arabic. Vers. 13. *Tunc Simon & ipse credidit.* Arabicus : *Ipse Simon credebat*, fictè, & simulatè, vel tantum fide humana, & naturali, ut Dæmones credunt, & contremiscunt. Adhærebat Philippo, ut ejus socius assiduus, ne à suis discipulis credentibus Philippo fieret desertus, tum *videns signa, & virtutes maximas fieri.* Pagninus : *Potentias maximas*, ut potestatem faciendi talia signa, miracula, sanandi infirmos, ac loquendi variis linguis acciperet, sicut videbat fieri à Philippo. *Stupens admirabatur.* Æthyopicus : *Miratus, & stupefactus.*

Pagnin. Æthiop.

QUÆSTIO V.

Quare Simon magus tanta nequitia repletus extiterit, & quisnam esset?

49. D. Ignat. D. Aug. Prima hæresis Ecclesiæ Simonis. ECce primus Hæresiarcha in Ecclesia Christi post ipsum Ascensum in Cœlum, caputque omnium Hæreticorum qui contra ipsam insurrexerunt, & ideo à Sancto Ignatio epistol. ad Trallianos appellatur *Filius Primogenitus Satanæ*, & ideo à S. Clemente, Epiphanio, D. Augustin. inter Hæresiarchas in capite ponitur, & Satanas vocatur à Baronio Christi Simia ; nam sicut Christus Simonem constituit caput, ac fundamentum suæ Ecclesiæ, ideoque eum nominavit Petrum ; sic & Diabolus primum suum Antagonistam opposuit Simonem magum omnium magicarum artium, ac falsitatum inventorem.

50. Quis Simon. Clemens Iste Simon natus est in quodam vico, seu oppido, Provinciæ Samariæ Gitthon, unde ipse Gitthæus, vel Citthæus cognominatus est, Patrem habuit Antonium nomine, & matrem Rachelem, ut testatur D. Clemens lib. 1. cap. 20. de eo ibi refert fuisse apprimè eruditum in literis græcis, & in arte magica exercitatum valde.

51. Pagnin. D. Hier. Fuitque Simon superbissimus, totiusque vanitatis terminos excedens, ita ut diceretur, ut ait Textus in præsenti, *Hic est virtus Dei, quæ vocatur magna*, seu ut Pagninus : *Iste est potentia Dei magna* ; Et tanta superbia inflatus, ut in tantam blasphemiam prorumperet, & diceret, ut scribit D. Hieronymus in cap. 24. Matth. *Ego sum sermo Dei, ego sum speciosus, ego paraclytus, ego omnipotens, ego omnia Dei* : & D. Augustin. lib. de Hæresibus cap. 1. ait de illo se dixisse *Christum, & Iovem*, ut apud Iudæos haberetur, ut Messias, & apud gentes, ut Deus, ut ita ab utrisque esset habitus, ut Deus, & subdit D. Augustin. *Et dixerat se in monte Sina legem Moysi in Persona Patris dedisse Iudæis* : Tempore Tiberii in Filii persona putative apparuisse, postea se in linguis igneis Spiritum Sanctum super Apostolos venisse ; Christum autem, nec venisse, nec à Iudæis quicquam pertulisse.

D. Aug. Simon se Deum dicebat.

52. Tertull. Tertullianus lib. de Præscript. cap. 4. sic ait : *Simon Magus ausus est se dicere virtutem Dei*, id est summum Deum : *mundum autem ab Angelis suis institutum.* D. Irenæus lib. 1. cap. 10. sic inquit : *Hic*, nempe Simon magus, *à multis, quasi Deus glorificatus est, & docuit semetipsum esse, qui inter Iudæos quidem quasi Filius Dei apparuit in Samaria, quasi Pater descenderit ; In reliquis vero gentibus, quasi Spiritus Sanctus adventârit*, & in tantam venit dementiam, ut diceret se esse plusquam Deum, Clemens Roman. lib. 2. Recognit. se etiam dicebat *esse excelsam virtutem supra Creatorem Deum.*

D. Iren. Clemens

53. Unde huic misero tanta dementia? Ex superbia, qua erat inflatus, ut nollet Deo se subjicere, sed extollere. Ingrediuntur Moyses, & Aaron ad Pharaonem, eique dicunt, quod Dominus Deus Israel præcipit, ut eant via trium dierum ad ei sacrificandum; quibus respondet Pharao : *Quis est Dominus, ut audiam vocem ejus, & dimittam Israel, nescio Dominum.* Exod. 5. num. 2. ait : *Quis est Dominus?* tamquam si dicat nullus est Dominus, cui ego teneat obedire, & vocem ejus audire? Unde illi tanta insipientia? Ipsa naturalis ratio dictat esse unum Deum superiorem, ipsa naturæ vicissitudo demonstrat, ipsa totius Orbis dispositio proclamat, imò ut ait Iacobus 1. *Dæmones credunt, & contremiscunt* ; credunt esse Deum, & ad ejus imperium pavent, & contremiscunt. Pharao cum esset superbia dementatus pejor Dæmone effectus Deum esse negat, & ei non esse subjectum, nec ejus vocem audire affirmat. Lyppomanus inquit : *Vide quo se extendat cæca superbia, ut naturalem etiam rationem Deum esse noscentem obnubilet penitus, & extinguat? Eo enim usque devenit impudens superbia, ut quod Cœli enarrant, & ea, quæ facta videntur proclamant, nempe Dei gloriam, ipsa negare audeat.*

Exod. 5. Superbus stultus Deo injuriosus, & blasphamus. Iacob. 1. Lippom.

54. Adhuc in ipso Pharaone persisto, postquam multis plagis esset jam verberatus, ingressi Moyses, & Aaron dixerunt ei : *Si resistis, & non vis dimittere populum, ego inducam cras locustam in fines tuos.* Exod. 10. num. 4. Qui autem resistit, pugnat, excistimat se posse vincere, ac de adversario triumphare. Quomodo talia potuerunt in mentem Pharaonis venire? cum ipse esset tot, & tantis flagellis oppressus, peste, grandine, ulceribus, & tenebris, cur non se subjicit, ac obedit Deo, & à sua nequitia non quiescit, sed adhuc resistit, adhuc pugnat cum Deo, seque de illo victorem promittit? Ecce in quantam stultitiam superbia miserum hominem præcipitat, ut velut indomita fera a nullo domari posset, ut sic evanescat, ut contra Deum stare audeat, & cum illo certare contendat, ut eum sibi subjectum facere præsumat. D. Ambros. epist. 84. ad Demetriadem, ait : *Inter omnes lapsus hominum, inter commissa peccantium, nulla est gravior, quam superborum ruina, maxime cum ipsa elatio certet in Dei injuriam.* Expende ultima verba, certet in Dei injuriam.

Exod. 10. Superbus existimat se cum Deo posse contendere. D. Ambr.

QUÆSTIO VI.

Quare Simon credit, & baptizatur, cum hoc non ex corde haberet?

55. Caiet. Beda. Glossa. Lyranus. AN verò Simon verè, vel fictè, ac simulatè credidisset? quæstio est præsens, Caietanus rem indeterminatam relinquit : Beda, Glossa Ordinaria, Lyranus dubitant, an hoc saltem firma fide fecisset?

56. Simulatè & ficte agit Simon. Communis, & vera sententia est, quod non ex animo, sed fictè, & simulatè crediderit, & baptizatus fuerit, ne à suis discipulis adhærentibus Philippo esset desertus, & ut inter Domini discipulos computaretur. Adhærebat Philippo *videns signa,*

& prodigia, ut talem potestatem haberet faciendi miracula, & variis linguis loquendi, & ita in multa veneratione apud omnes reputaretur. Ita Oecumenius in præsenti: *Se sub nomine Apostolorum venditans cum esset magus.* D. Cyrillus Ierosolymitanus præfat. in Cathech. *Accesserat aliquando Simon magus ad hoc lavacrum: baptizatus est, sed non illuminatus; corpus quidem lavit aqua, cor autem non illustravit Spiritu.*

Oecum.

D. Cyrill. Ierosoly.

57. Divus Chrysostomus homil. 60. ad Populum, ait: *Quod Simon accessit ad Fidem, & Ecclesiam, sicut Iudas in ultima Cœna accessit ad Eucharistiam.* D. August. tract. 6. in Ioan. ait: *quod in Ecclesiam Simon, ut corvus ingressus est, quærens quæ sua sunt, non quæ Iesu Christi.* & quæstione 84. in Levit. ait: *In Christianis Simon potentiam magis amans, quam justitiam nihil illi profuit visibilis Baptismus, cui sanctificatio, invisibilis defuit.* Idem comuniter docent omnes Patres, D. Iræneus lib. 1. cap. 20. Eusebius lib. 2. Histor. cap. 1. D. Hieronym. in cap. 16. Ezechiel. D. Ambros. lib. 2. de Pœnit. cap. 4. D. Gregor. in Psalm. 4. Pœnit. Theodorus in Cantic.

D. Chrysost. ut Iudas.

D. Aug

D. Iren. Eusebius D. Hier. D. Ambr. D. Greg. Theod.

58. Inter Diabolicas Simonis artes, una fuit ficta simulatio, quæ est execrabilis quædam pestis. Cum esset in Synagoga homo quidam Dæmoniacus, cumque audisset Iesum: *Exclamavit, dicens: Quid nobis; & tibi Iesu Nazarene venisti perdere nos? Scio quod sis Sanctus Dei; Et comminatus est ei Iesus, dicens; Obmutesce, & exi de homine.* Marc. 2. num. 24. Diabolus magnam veritatem dixit, & maximè in laudem Christi, & quod esset Sanctus Dei, & Filius Dei, & ipse Dominus non solum imperat ei, *Obmutesce*, sed etiam *comminatus est*; Syriacus *Objurgavit eum, increpavit.* Pagninus, Vatablus magno imperio eum obmutescere facit, cur tam rigide se habet Dominus in Dæmonem cum tantam proclamat sanctitatem? Diabolus illa dicebat, non animo Christum laudandi, sed ut Dominus eum permitteret esse in homine, & exire non imperaret, inde simulationem Diaboli agnoscens rigide in eum invehitur: *comminatus est ei obmutesce.* Rupert. lib. 8. in Matth. hujus rei assignans rationem ait: *Quia non est speciosa fides, vel confessio in ore, si dilectio non sit in corde.*

Simulatio, & fictio maxime execranda.

Marc. 2

Syriac Pagnin. Vatabl.

Rupert.

59. Volentes Pharisæi Iesum capere in suis verbis mittunt Herodianos, ut interrogarent Christum; An liceat tributum dare Cæsari. qui accedentes multa cum reverentia, dicunt: *Magister scimus, quia verax es, & viam Dei in veritate doces, & non est tibi cura de aliquo; non enim respicis personam, dic nobis, an liceat censum dare Cæsari.* Tunc Christus valde durè, & severè respondet: *Quid me tentatis hypocritæ.* Matth. 22. num. 18. maximè notatu dignum, quando injuriosè contra Dominum locuti sunt: *Cum dixerunt Pharisæi non ejicit Dæmonia nisi in Beelzebub principe Dæmoniorum* Matth. 12. num. 24. Valde blande respondet ex quadam ratione communi: *Omne regnum in se ipsum divisum desolabitur. Cum dixerunt Dæmonium habes*, mansuetè respondit: *Dæmonium non habeo.* At verò modo suavibus verbis Encomiastes facti: *Viam Dei in veritate doces, non respicis personam.* Tunc acerrimè invehitur, hypocritas eos dicens Accesserunt Herodiani non puro, ac sincero animo, sed ficto, & simulato, ut eum arguerent, & qui patitur blande injuriosa, fictas simulationes non sustinet, sed acerrimè eorum iniquitates arguens, reicit: Abulensis ad cap. 22. Matth. quæstione 94. *Quando blande loquebantur, dure respondebat, ne eorum blanditiis, & adulationibus videretur consentire.*

Matth. 12

Matt. 12

Christus iniurias pertulit, simulationes nō sustinet.

Abulens.

Actor. 8. num. 14. Cum audissent Apostoli, qui erant Ierosolymis, quod recepisset Samaria Verbum Dei, miserunt ad eos Petrũ, & Ioannem.

Num. 15. qui cum venissent oraverunt pro ipsis, ut acciperent Spiritum Sanctum.

Nmm. 16. Nondum enim in quemquam illorum venerat, sed baptizati tantum erant in nomine Domini Iesu.

Num. 17. Tunc imponebant manus super illos, & accipiebant Spiritum Sanctum.

Versiones

CVM EXPOSITIONE IV.

Vers. 14. *Cum audissent Apostoli* per epistolam, vel nuntium missum à Philippo Diacono, *quod recepisset Samaria Verbum Dei.* Arabicus: *Incolas recepisse Sermonem Dei*, scilicet. Evangelicum Verbum; nam Philippus erat tantum Diaconus, ideoque tantum poterat baptizare, non tamen manus imponere, aliavè Sacramenta Sacerdotalis Ordinis propria ministrare: *Miserunt Petrum, & Ioannem*; Cum Petrus esset omnium superior, miserunt non imperativè, sed rogatu ex quadam convenientia, sicut Capitulum mittit Episcopum, Collegium Rectorem; miserunt Petrum ex convenientia, ut omnium Pastor videret novam Ecclesiam illi subjectam, in eaque disponeret, ac ordinaret, quæ ei erant necessaria. 60. Arabic.

Vers. 15. *Qui cum venissent.* Syriacus: *Itaque descenderunt*, utique à Ierusalem, quæ erat in superiori loco super Samariam: *Oraverunt pro ipsis*, ut soli Apostoli, vel simul cum ipsis Samaritanis baptizatis, ut ipsi per orationem maximè disponerentur, ac præpararentur ad novam gratiam Spiritus Sancti recipiendam. 61. Syriac

Vers. 16. *Nondum enim in quemquam illorum venerat*, scilicet Spiritus sanctus; Græcus, *Erat illapsus*, Syriacus: *Ingressus fuerat, sed baptizati tantum erant*: Illud *tantum* refertur ad Baptismum, ut optimè notat Lyranus; In Baptismo quidem acceperunt invisibiliter Spiritum Sanctum ad sanctificationem; non enim acceperunt visibiliter, ut loquuntur omnes Expositores in præsenti, Lyranus, Lorinus, Cornelius, Menochius, Estius, Tyrinus, quia per Sacramentum Confirmationis visibiliter dabatur. 62. Græcus. Syriac. Lyran. Lorin. Cornel. Menoch. Tyrinus.

Quod sic explico; non omnes, qui recipiebant Sacramentum Confirmationis, à gratia Spiritus Sancti visibiliter hoc demonstrabatur, vel dono linguarum, seu curationis, ut ait: Apostol. 1. Corinth. 12. numer. 30. *Nunquid omnes habent gratiam curationis? nunquid omnes linguis loquuntur*: tribus, vel quatuor diebus, post adventum Spiritus Sancti, fere octo millia hominum conversi sunt ad Fidem, illa tamen gratia dabatur aliquibus, qui magis dispositi, & præparati erant in fide; In omnibus tamen per effectus demonstrabatur gratia Spiritus Sancti, in firmitate constanti confitendi, & prædicandi fidem, contempto omni vitæ discrimine, & tyrannorum furore. 63.

Vers. 17. *Tunc imponebant manus super illos.* Syriacus: *Imponebant manum.* Arabicus: *Imposuerunt igitur ambo tunc*, non simul ambo Apostoli in eodem homine, sed Petrus ponebat manus in uno, Ioannes in altero, imponere manus phrasis Hebraïca est, & idem valet, ac tangere per sanctam unctionem Confirmationis, ut notat noster doctissimus Vualdensis, ut renati baptismate fierent fortissimi Christi 64. Syriac. Arabic. Vualden

Christi milites ad profitendam intrepide Christi fidem, de quo latius infra in quæstionibus.

QVÆSTIO VII.

Quare Philippus insinuavit Apostolis, ut in Samariam mitterent operarios, & missi sunt Petrus, & Ioannes.

65. VIdens Philippus uberem fructum Evangelii in Samaria, magnamque fidelium conversionem, insinuavit Apostolis, vel per nuncium, seu epistolam, de qua per Ciceronem ait D. Hieronym. epist. 42. *Solares est, quæ absentes facit præsentes vicissitudo literarum*: Cumque ipse Philippus esset Diaconus solum poterat baptizare, non tamen alia Sacramenta conferre, quia hoc pertinet ad Sacerdotale munus.

D. Hier. *Epistolarum effectus.*

66. Et etiam Philippus fecit certiores Apostolos de tam ampla messe ac multiplicato fructu in Ecclesia Dei, ad eorum gaudium, ac lætitiam augendam, & cumulandam. Ait Regius Vates Psalm. 88. nu. 13. *Thabor, & Hermon in nomine tuo exultabunt.* D. August. legit: *Tota die exultabunt* magno, & perenni gaudio. Per Thabor, & Hermon. Hugo intelligit justos, & sanctos floridos omni virtutum genere *Exultabunt in nomine tuo publicato, ac adorato in toto orbe*, ut ait Valentia.

Iusti gaudent de aliorum salute. D. Aug. Psal. 88 Hugo.

67. Tunc Apostoli *miserunt Petrum, & Ioannem*, ut jam dixi in expositione, & ait Cajetanus: *Petrum Apostoli mittunt, non imperio, sed fraterna charitate; ac impulsione, ut multi fratres mittunt quandoque majorem, ut Capitulares mittunt Episcopum ad Papam, vel Cæsarem.* Miserunt Petrum rogantes ex multa convenientia, quia cum ipse esset Pastor, ac Pontifex totius Ecclesiæ inviseret novam sibi Ecclesiam aggregatam, eique disponeret, ac ordinaret ministros aptos, & sufficientes ad ministrationem Sacramentorum, ad instructionem fidei, ejusque prædicationem; nam Spiritus Sanctus rapuit Philippum ad Eunuchum infra numer. 26. tum etiam, ut Petrus sua præsentia nullum adjuvamen, ac consolationem eis exhiberet, & suis verbis, signis, atque operibus multum illustraret.

Caietan.

Petrus ex multa convenientia.

68. In eo maxime resplendet Pastoris excellentia, ac Præsulis dum in pertractanda suorum salute verbis connectit opera. Arguens Christus Dominus Iudæos, ait: *Viri Ninivitæ surgent in judicio cum generatione ista, & condemnabunt eam, quia pœnitentiam egerunt in prædicatione Ionæ, & ecce plusquam Ionas hic.* Matth. 12. num. 40. In quo Christi prædicatio excellentior resplenduit supra prædicationem Ionæ? Ionas vocibus intonuit tantum opus, nec signum præstitit, totus in minis extorquendis erat: *Adhuc & quadraginta diebus, & Ninive subvertetur.* Ionæ 3. nullum opus, vel signum ad hoc demonstravit. At Iesus, etsi vocibus proclamabat: *Pœnitentiam agite*, vitia increpabat, multa magna, & mirabilia opera, qualia nunquam visa sunt, præstitit, ac exhibuit, quæ homines ad salutem trahebant, & inde inter cætera multo excellentior extitit ejus prædicatio, quam Ionæ. Noster D. Cyrillus Alexandr. in cap. 1. Ioannis, ait: *Quomodo autem plus in Christo, quam in Iona? quoniam hic tantummodo comminatus est Ninivitis eversionem; Christus propter miraculorum efficientiam ineffabilem homines obstupefaciens in admiratione erat; semper autem currentia prodigia, quasi machina quædam ad fidem trahunt.* Machina miraculorum destruit adversariorum errores.

Matth. 12. *Ille magnus prælatus, qui verbis, & opere agit de salute.* Ionæ 3. D. Cyril. D. Ambr.

69. Ait Iob. 37. num. 4. *Tonabit Dominus voce magnitudinis suæ, tonabit in voce sua mirabiliter, qui facit magna*, & quænam est vox magnitudinis Omnipotentis Dei seu ut legit Aquila *superlationis, & celsitudinis*, & subdit; *Tonabit in voce sua mirabiliter, qui facit magna*: Non est vox nuda, sed secum affert opera, *qui facit magna*, & vox, quæ secum importat opera, tunc tonat, *ut vox magnitudinis, superlationis, & celsitudinis*; talis vox omnia magnalia secum involvit, quæ tanta mirabilia secum importat.

Iob. 37. Aquila. *Vox sublimis, quæ secum portat opera.*

QVÆSTIO VIII.

Quare Apostoli imponendo manus dabant Spiritum Sanctum; Agitur de sacramento Confirmationis.

70. AIt Textus: *Imponebant manus super illos, & accipiebant Spiritum sanctum.* Imponebant manus, ut omnes docent cum nostro Vualdensi tom. 2. cap. 113. id est tangebant, Marc. 3. num. 2. Quidam postularunt à Christo Domino, ut homini lunatico manus imponeret, ipse verò digito tetigit linguam ejus, & aures, & Apostoli non tantum manibus tangebant, sed ungendo tangebant, & ideo Pagninus, verbum Hebraicum, quod significat imponere, significat etiam ungere, & ideo Apostoli imponebant manus ungendo, ut tenet Ecclesia Catholica à suo principio, & omnes Patres docent, quos latè referunt citatus Vualdensis, Bellarminus de Confirmat. cap. 8. Soares tom. 3. ad 3. p. disp. 32. sect. 2.

Marc. 3. *In onere manus, id est tangere.* Vuald. Bellarm. Soares.

71. Sacramentum Confirmationis est unum ex septem Sacramentis, quæ fuerunt immediatè instituta à Christo Domino, ut definitum est de fide in Concilio Florentino, & Trident. fuitque institutum à Christo Domino in ultima Cœna, quoad materiam, & formam. Tunc Christus Dominus consecravit Chrysma, ut habetur ex epistol. 2. Fabiani Papæ, & multis Conciliis apud Authores citatos, & ideo ad imitationem Christi tempore Cœnæ Domini conficitur Chrysma.

Confirmationis Sacramentum institutum in ultima Cœna.

72. Chrysma autem conficitur ex oleo olivarum, & balsamo, quod est necessarium ad materiam hujus Sacramenti. Hoc autem Chrysma consecrandum est ab Episcopo, ut declaratum est in Concilio Toletano 8. Carthag. Florentino, materia remota Sacramenti, ipsum Chrysma; proxima, unctio; forma Sacramenti, *Consigno te signo Crucis, confirmo te chrysmate salutis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*, minister Ordinarius, Episcopus, ex dispensatione Summi Pontificis simplex Sacerdos.

Materia forma, & minister Sacramenti.

73. Effectus hujus Sacramenti explicat Textus; Accipiebant Spiritum Sanctum cum omnibus suis donis, indeque in Confirmatione datur plenitudo gratiæ accepta in Baptismo cum fortitudine, ac multo robore ad profitendam fidem, contempta omni Dæmonum tentatione, ac tyrannorum persecutione, ut ita qui erant fideles jam fierent generosi Christi milites, & robustissimi Athletæ, & pugiles Christi, S. Melchiades Episcopus ad Episcop. Hispan. inquit: *In Baptismo regeneramur ad vitam, in Confirmatione armamur ad pugnam.* Tertullian. lib. de resurrect. cap. 8. agens de hoc Sacramento, ait: *Caro ungitur, & anima consecratur: Caro signatur, ut anima muniatur; caro manûs impositione adumbratur, ut anima Spiritu illuminetur.* Quæ omnia de hoc Sacramento explicat Apostolus 2. Corinth. 1. num. 21. *Qui confirmat nos vobiscum in Christo, & qui unxit nos Deus, qui & signavit nos, & dedit pignus spiritus in cordibus nostris.*

Effectus corroborare ad confessionem fidei. S. Melch. Tertull. 2. Cor. 1.

QUÆSTIO IX.

Quare cum olim manus impositio esset signum condemnationis ad mortem, Apostoli imponentes manus dabant vitam?

74. *Impositio manus signum mortis.* Danie. 13 Levit. 24

CElebris extitit antiqua consuetudo, ut esset signum condemnationis ad mortem, sic *duo Presbyteri in medio populi, posuerunt manus suas super caput Suzannæ.* Daniel, 13. num. 34. & de blasphæmo disponit lex: *Ponant manus suas super caput ejus, & lapidet eum populus universus.* Levit. 24. num. 14. Si ergo manus impositio secum adducebat mortis sententiam, quomodo Apostoli impositis manibus dant vitam?

75. *Indigni in dignitate ad perniciē, digni ad bonum.*

Respondeo primò. Considera quantum distat affectus humanus à divino, ex humano mors prodit, ex divino vita, & salus: Secundo illi presbyteri Susannam accusantes injustè tantam presbyteratûs dignitatem obtinebant, sacri Christi discipuli optimo, ac præclarissimo jure Apostolico apice gaudebant: Indignus in dignitate aliorum perniciem machinatur; Benemeritus verò omnium adjuvamen, ac promotionem negotiatur. Tertio Alii, utcumque manus imponebant, Apostoli verò non simpliciter, sed signo Crucis facto manus imponebant, & signum Crucis salutem, vitam, ac omne bonum secum importat.

76. Exod. 12.

Percutiens Dominus Ægyptum ultima plaga ordinat, ut Angelus nocte pertransiens interficiat omne primogenitum in terra Ægypti, & ut Hebræorum domus, ac familiæ eorum essent custoditæ, præordinat, ut de sanguine Agni ponant in superliminaribus Exod. 12. numer. 23. *Transibit enim Dominus percutiens Ægyptios, cumque viderit sanguinem in superliminari, & in utroque poste, transcendet ostium domus, & non sinet percussorem ingredi domos vestras, & lædere.* Cur in sanguine illo tanta virtus esset, ut sit tutamen veluti scutum ad custodiendam vitam, salutem, ac habitacula Hebræorum, ut Angelus percutiens Ægyptios, non valeat intrare, sed necesse habeat pertransire? Sanguis ille impositus est in superliminaribus in figura, & forma Crucis, cumque signum Crucis appareret, ibi dabatur munimen, & tutamen ab omni malo, ut illo muniti salvi, & incolumes persisterent à quocumque eminenti periculo. S. Hilarius Arelatensis Episcopus homil. 6. ait: *Hodie de luto, ac paleis populus Dei, id est, de vilissimis, & inanissimis operibus liberatur, hodie Agnus ille, qui tollit peccata mundi, in redemptionem humanæ salutis effertur, quando postes domorum sanguine illius jubentur inscribi, id est Crucis titulo.* Nota ultima verba.

Crucis figura protegit, ac defendit.

S. Arelat.

77. Exod. 3. Exod. 19. Exod. 33. *A ligno Crucis salus mundi.*

Descendens Dominus ad liberandum populum suum de ergastulo Ægyptiorum, Moysi *apparuit Dominus in flamma ignis de medio rubi.* Exod. 3. nu. 2. Cur modo se se ostentat Deus Moysi in rubo, cur non potius in aliquo eminenti monte, ut quando dedit legem in Syna, Exod. 19. vel potius in spelunca, vel foramine petræ, ut ei ostenderet partem gloriæ suæ, Exod. 33. numer. 21. Sed in rubo igne inflammato, quæ flamma denotabat afflictionem populi in Ægypto, à qua liberandum Dominus descendebat, & dum de hac libertate agit, cur primū lignum eligit? Figurabatur ibi lignum Crucis quod futurum erat initium nostræ libertatis, salutis, ac vitæ, Procopius inquit: *Initium miraculorum per lignum fit, quod novi testamenti Crucem prædicit.*

Procop.

78. *Crux initium omnium mirabilium.* Exod. 4. Procop.

In cujus rei confirmationem notat ipse Procopius quod initium omnium mirabilium, quæ fecit Moyses in Ægypto, ita ut non sint facta similia in universa terra, exorsum per lignum; nam primum omnium extitit, ut virga, quam tenebat in manu projecta in terram, *Versa est in colubrum*, Exod. 4. num. 2. Procopius ibi inquit: *In hunc modum induxit eum ad Symbola, quæ latent in virga, nempe, ut initium signorum fiat per lignum*, nempe Crucis, cujus multa mysteria symbolicè in illa virga Moysis denotantur.

QUÆSTIO X.

Quare Apostoli imponebant manus facientes signum Crucis in fronte?

79. Concil. Trid.

SAcri Apostoli ponebant manus, & ungebant, ministrantes Sacramentum Confirmationis faciēntes signum Crucis in fronte, ut fit in ipso sacramento Confirmationis, & Baptismi, ut docet Concilium Florentinum, D. Thomas, & alii, cur potius in fronte, quam in alia corporis parte.

80. *Fideles de Cruce gloriantur.* Rom. 1. Tertull. *Veritas non vult abscondi, sed publicari.* Math. 10.

Respondeo primò. Frons verecundiæ sedes est, fideles ibi inunguntur, quia de Cruce Christi, ac ejus fide non verecundantur, nec illam pro ignominia reputant, sed illam pro magno honore, ac ornamento habent, & de illa maximè gloriantur, ut dicit Paulus Rom. 1. numer. 16. *Non enim erubesco Evangelium*; Unde præclare ait Tertullian. lib. adversus Valentinianos cap. 1. *Nil veritas erubescit, nisi solummodo abscondi; quia nec pudebit illum aures ei dedere.* Et ideo Christus Dominus suis discipulis dicebat: *Quod dico vobis in tenebris dicite in lumine, & quod in aure auditis, prædicate super tecta.* Matth. 10. numer. 27. D. Hilarius Canon. 10. ait: *Id quod à se dictum est, cum libertate fidei, & confessionis vult esse loquendum.* Hinc dicitur Proverb. 1. numer. 20. *Sapientia foris prædicat, in plateis dat vocem suam.*

81. *Fides, quæ est in corde exterius manifestatur.* Salvian. Luc 9. Beda.

Secundo: In fronte, ut fidem, ac Crucem Christi, quam intrinsecus fideles habent in corde, exteriori signo ostendant, ac manifestent; nam, ut ait Salvianus: *facies os cordis est*; id enim, quod in corde latet, in faciem exundat, ac per ejus gestum, ac notam declaratur. Cum Christus Dominus pergeret in Ierusalem ad passionem, & mortem suam scribit. Lucas 9. num. 51. *Factum est dum complerentur dies assumptionis ejus, ipse faciem suam firmaret, ut iret in Ierusalem.* Expende *firmavit faciem*; Beda *Obstinata, ac imperterrita mente*; Illam enim fortitudinem, generositatem, ac firmitatem, quam habebat in mente patiendi pro salute generis humani, in faciem, ac frontem redundabat.

82. Math. 21.

Tertio: In fronte inungitur, ac ponitur Crux, in superiori hominis parte, tamquam scutum ad totum hominem custodiendum, atque ad hostium, tam invisibilium, quam visibilium tela repercutienda, eorumque jacula infringenda: Ille optimus Pater familias: *Plantavit vineam, & sepem circumdedit ei, & fodit in ea torcular.* Matth. 21. numer. 33. Circa hanc rem multas considerationes morales faciunt Sancti Patres, de quo egi tom. 4. cap. 43. quæstione 2. qui omnes per vineam intelligunt Ecclesiam sanctam. Per sepem D. Chrysost. homil. 40. in Imperfecto, Euthym. Theophilact. Angelorum custodiam, & ad majorem vineæ excellentiam, ac tutelam posuit in ea torcular, in quo exprimuntur uvæ sub rigido ligno, quod Sanctam Crucem denotat, sub cujus umbra fit optimum vinum sanguinis Sanctorum Martyrum, sed ad tantum fructum, ac vineæ custodiam posuit Crucis delineamentum; Nonne ad defensionem vineæ, seu Ecclesiæ sufficiebant

D. Chrysost. Theoph. Euthym. *Fortissima tutela à Christi Cruce.*

bant exercitus Angelorum, ad quid insuper Crux? Prævidit, quod contra suam Ecclesiam multi adversarii visibiles, & invisibiles præliantes erant insurrecturi, & ideo ad majus tutamen non contentus est Angelorum custodia, sed adhibuit Crucis notam, sub cujus umbra Ecclesia, ac ejus fideles à quacumque adversitate præstantissimam obtinent tutelam, D. Isidor. in 3. lib. Regum cap. 2. ait. *Sub*
D.Isidor. *Dominicæ Crucis tutela protegantur omnes sancti, qui in dextræ pacis perseverantia solidantur.*

Valde celebratur Debora de illustri victoria,
83. quam habuit de Sisara crudeli adversario populi Dei, ut inde ipsa dicatur benedicta inter mulieres; nam cum obdormiret Sisara: *Sinistram manum misit ad clavum & dexteram ad fabrorum malleos, percussitque Sisaram, quærens in capite vulneri locum, & tempus, valide perforans.* Iudicum 5.num.26.quo
Iudic. 5. mortuus est crudelis adversarius populi Dei, & maxime victor, & glorioſus triumphator de illo extitit, ideoque commentatores magna indagine scrutantur mysteria in clavo, ac malleo, quibus tempora Sisaræ lethaliter perforantur, ut inde auspicia tanti triumphi valeant investigare: Opportune ad rem nostram Rupertus ibi ait: *Factum est, ut capiti ejus defigeret clavum valide in cerebrum usque ad terram.* Et post pauca subdit: *Prima suggestio clavo Dominicæ Crucis cum timoris Domini malleo transfigatur.* Ecce Christianæ militiæ arma, quibus inexpugnabiles reddimur, ac inimicorum glorioſi triumphatores clavo Crucis Domini, ac malleo timoris, ubi Crux Domini conjuncta cum ejus timore refulget victoria certa, inimici destructi, ac dissipati, *Clavo Dominicæ Crucis cum timoris Domini malleo;* fugatur hostilitas adversa, & prosternitur, & exultat triumphatrix acclamatio.

A Cruce Christi victoria certa, & hostilitas destructa. Rupert.

84. Ait Isaïas 11. num. 10. *In illa die, radix Iesse, qui stat in signum populorum, ipsum gentes deprecabuntur,* Pagninus ex Hebræo legit *Vexillum.* Septuaginta *Consurget, ut Princeps populorum.* Et unde sic consurgit ut Princeps populorum suis hostibus debellatis, in signum populorum, seu vexillum, quod est Crux: *Cum apparuerit signum filii hominis* Matth.
Isaias 11. Pagnin. Septuag. Math. 24 24. num. 31. statim proclamatur Princeps populorum, in quo ipse, & Populus ejus exultant, ut ipse habeat pro sui signo Crucem, in ipsaque fideles exultent, & ideo Crucem in fronte ponunt. Rupertus ad
Rupert. Crucis vexillū triū, hus populoru locum Isaïæ ait: *Ecce hodie gentes ipsum deprecantur, & in morte ejus gloriantur, in quo enim alio gloriari se profitentur, inquit Apostolus;* Absit gloriari, nisi in Cruce Domini nostri Iesu Christi, *Idipsum cum Apostolo gentes quoque actu quodam loquuntur pingentes jugiter signum Crucis in suis frontibus. Hoc facere glorioſum est, & regibus.*

Actor.8.num. 18 Cum audisset autem Simon, quod per manus Apostolorū daretur Spiritus Sanctus, obtulit eis pecuniam.

*Num.*19. Dicens: Date mihi hanc potestatē, ut cuicumque imposuero manus, accipiat Spiritum Sanctum. Petrus autem dixit ad eum.

*Num.*20 Pecunia tua tecum sit in perditionem: quoniam donum Dei existimasti pecunia possideri.

Versiones,

CUM EXPOSITIONE V.

85. Syriac. Vers. 18. *Videns autem Simon.* Syriacus: *Conspicatus,* quod per manus Apostolorum daretur Spiritus Sanctus, ex hoc recte colligunt D. Chrysostomus, Oecumenius Spiritum Sanctum descendisse in confirmatos visibili aliquo signo ut loquerentur virtute linguarum, & haberent gratiam curationis; quod non intelligo de omnibus, sed de illis, qui magis præparati, ac dispositi convertebantur, & recipiebant Sacramentum, ut jam dixi supra n.67. *Obtulit pecuniam,* Syriac. Æthiopicus: *Munus argenti,* obtulit non in parva quantitate, sed magna.
D.Chrysost. Oecum. Syriac. Æthiop.

Vers. 19. *Dicens, date mihi hanc potestatem.* Infelix non erat contentus, ut reciperet dona Spiritus sancti, ut alii fideles, qui convertebantur, sed super alios volebat exaltari, ut haberet potestatem illa dona conferendi cuicumque ipse voluerit. *Petrus autem dixit ad eum.* Ait Glossa Interlinealis: *Quasi Princeps loquitur Petrus primus,* & publicè peccantem arguit publicè, sic monet Paulus 1. Tim. 5. n. 20. *Peccantes coram omnibus argue, ut & cæteri timorem habeant.*
76. Glossa Interlin. 1. Tim. 5

Vers. 20. *Pecunia tua* ut tanti criminis causa, & occasio: *sit in perditionem.* Origenes *in interitum.* Ut cum tuis sacrilegis nummis pereas, & damneris; nam pecunia habita in malum finem est in perditionem, & damnationem, in finem vero bonum, in salutem, & vitam *Peccata tua eleemosynis redime,* Daniel. 4. n. 24. Nempe datis pecuniis: *Ex stimasti pecunia possideri.* Arabic. *Acquiri pecunias.* Cum voluisset pecunia emere illud admirabile donum conferendi Spiritum sanctum.
87. Origen. Dan. 4.

QVÆSTIO II.

Quare Simon commisit peccatum simoniæ, & quæ grande illud crimen sit?

VIdens Simon per manus Apostolorum dari Spiritum sanctum, sicut justis, & Sanctis omnia cooperantur in bonum, sic & malis omnia cooperantur in eorum perniciem, & malum; nam boni, & recti videntes signa, & miracula, quæ faciebant Apostoli, convertebantur, & fidem Christi recipiebant, & vestigia Apostolorum omni affectu imitari conabantur; at malus, & pessimus Simon videns signa, & miracula Apostolorum causam arripuit ad grave, & turpe simoniæ peccatum, volens emere dona Spiritûs sancti, ideoque simoniæ peccatum est contra Spiritum sanctum, cum per tale peccatum Divini Spiritus dona, ac beneficia emantur; Unde de quo-
88. *Simoniæ peccatū contra Spiritum sanctum.* Damian.
dam simoniaco refert Petrus Damianus epist. 5. c. 7. qui cum vellet repetere illum versum: *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto,* nunquam potuit dicere *Spiritui sancto,* sed tantum Gloria Patri, & Filio, subdit ipse Damian. *Et merito Spiritum sanctum, dum emit, amisit, ut qui exclusus erat ab anima, procul etiam consequenter esset à lingua.*

Gravitatem tanti peccati satis declarat Tharasius p. 1. q. 2. cap. eos, ubi inquit illos esse pejores hæreticis Macedonibus, negantibus Spiritus sancti divinitatem, unde ait: *Illi,* scilicet Macedones, *creaturam, & servum Dei Patris, & Filij Spiritum delirando fatentur, isti verò eundem spiritum faciunt suum servum; omnis enim Dominus, quod habet; si vult, vendit, sive servum, sive aliquid aliorum, & qui emit potest etiam vendere* v. g. tamquam ovem, vel bovem, & quid magis abominabile, ac exectabile excogitari potest; unde merito ipse Tharasius comparat simoniacos cum his, qui Christum blasphemantes dixerunt: In Beelzebub ejicit dæmonia, Matth. 12. n. 24.
89. *Simoniaci pejores hæreticis Macedonibus.* Math. 12
90. Etiam simoniacos comparant cum negotiatoribus, quos Christus D. ejecit de Templo, Ioan. 2. n. 15. Ioan. 2

Theophy

Theoph. Beda. D.Hier. D.Ambr. Theophylactus, & Beda ibi, & D.Hieronym. in c. 21. Matthæi, & D. Ambros. in cap. 19. Lucæ; isti enim vendebant, & mercaturam faciebant in templo, illi verò volunt negotiare, ac mercaturam facere cum donis divinis, in quibus habitat Spiritus Sanctus.

91. D.Greg. Imo D.Gregor. homil. 4. & 17. in Evangelia eos confert cum Iuda proditore; nam sicut iste vendidit Christum Filium Dei, sic illi vendunt Spiritum, & eos ut hæreticos male sentientes de persona Spiritus sancti refutat, & condemnat, noster Guido Carmelita apud Alphonsum à Castro, verbo *Simonia*. Guido Castro.

QUÆSTIO XII.

Quare Simon videns Apostolos divitiarum contemptores audet offerre pecuniam pro emendis divinis donis?

92. REspondeo primo: Primus Hæresiarca, ac Simoniacus post promulgatum Evangelium, ad quod forte instigatus aliquorum malorum antiquorum exemplo; nam Esau vendidit jus primogenituræ Genes. 25. numer. 31. cui annexum erat Sacerdotale jus, ut traditione Hebræorum habet D. Hieron. de traditionibus, Clemens de Constitutionibus cap. 3. & ideo Paulus Hebræor. 12. numer. 16. eum vocat *profanum*, id est, irreligiosum, ac Sacrilegum. Baalam accepto pretio volens maledicere populo Dei Numer. 22. num. 7. ut observat Hugo de S. Victore; Giezi à Naaman postulans pretium pro miraculosa sanitate, ut post D. Thom. notant ibi Lyranus, & Abulensis 4. Reg. 5. num. 20. Iason emens ab Anthioco Pontificatum 2. Machab. 4. numer. 8. sicut & Iudas vendens Iesum Christum Filium Dei, sicut æqualiter Annas, & Caïphas ementes Pontificatum à Romanis, ut cum communi sententia dixi ad cap. 3. Lucæ num. 2. Horum exemplum secutus volebat Simon creari Patriarcha, & Episcopus Samariæ, semper multi depravati iniquorum vestigiis inhærent, eorumque sequaces fiunt.

Gen. 25 D.Hier. Clemens. Hebr. 12. Num. 22. Hugo. D.Tho. Lyran. Abulens. 4. Reg. 5. 2. Mac. 4. Luc. 3. *Iniquorum exempla mali sequuntur.*

93. Secundo: Iste miser, cum esset valde indigens lumine Spiritus sancti, non sibi postulabat, sed ut cuicumque imposuero manus accipiat Spiritum sanctum, quod notans D. Chrysost. homil. 18. ait: *Oportebat petere, ut ipse acciperet Spiritum sanctum; at ille, quoniam hoc ei non erat curæ, ut det aliis, petit.* Iste miser non de salute animæ suæ cogitabat, sed de lucro, ut dando aliis lucraretur. D. Cyrill. Ierosolymit. Cateches. 16. *Petit* ait; *Non enim dixit: date mihi Spiritus Sancti communionem, sed potestatem.* D. Chrysost. *Non de animæ sed de lucro.* D. Cyrill.

94. Tertiò Clemens Romanus lib. 6. constit. cap. 7. tamquam ex Petri ore sic loquitur: *Voluntas Diabolo erat, ut ipsum Adamum post de usitatum cibum interdictum promissa immortalitate privaret, sic nos pecunia delinitos, & captos dono Dei privare, sic hac permutatione facta, donum Spiritus Sancti, quod æstimationem superat nummis addiceremus.* Malignitas Diaboli in hoc extitit, quod sicut antiquitus latens in pomo, Adamum hominum caput suo veneno infecit, & inde illud pestiferum in universum genus humanum, sic modo latens in Simone, sibi persuasit posse tantum mundum veneno suo pestilentiare, si Ecclesiæ caput pecuniarum amore corrumperet, & Ecclesiasticos viros Cœlestium donorum venditores faceret. Avaritia in Ecclesiastico totius Orbis ruina. Prævidens Iesus destructionem Ierusalem, *Videns Civitatem flevit super illam*, & statim subdit D. Lucas 19. numer. 42. *Et ingressus in templum cœpit ejicere vendentes in illo, & ementes*, ac si illud esset causa totius devastationis Civitatis. Perbelle Galfridus apud Tilmanum in allegoriis ait: *Liquet quod ob avaritiam maxime eorum, qui in templo negotiabantur, imminere Civitatis excidia videantur, quando post lachrymas, & querelas illi potissime sunt erecti.* *Depravato capite depravatur populus.* Luc. 19. *Avaritia Ecclesiasticorum ruina populorum.*

Quartò, Tertullianus lib. de Idololatr. cap. 9. ait: *Simon magus jam fidelis quoniam aliquid adhuc de circumdatoria secta cogitaret, ut scilicet ipse inter miracula professionis suæ etiam Spiritum Sanctum per manuum impositionem emundi aret.* Verbum hoc enundinaret explicat Cerda, id est *venditare*, cum Textus dicat, quod pecunia oblata accesserat empturus Spiritum Sanctum: quomodo Tertullianus ait, quod intendebat ipsum venditare argento, & auro. Ingeniosè quidem Tertullianus, Simon eo modo, quo intendebat accipere Spiritum Sanctum, eodem modo cogitabat illum communicare, ac dare. Ille data pecunia affectabat accipere, & data pecunia disponebat vendere, ac repartire. Proh dolor! multi rapinis obtinent prælaturas, & rapinis illius officia vendunt, & expendunt. De divite mundiali sua mala arte, ac rapinis pleno ait Habach cap. 1. num. 16. *Super hoc lætabitur, & exultabit; propterea immolabit sagenæ suæ, & sacrificabit reti suo;* quia sagena, ac rete rapinarum habet pro Deo, à quo accipit, quæ habet, & inde illis defert cultum Dei. 95. Tertull. Cerda. *Mundialis rapinis acquirit, rapinis vult dare.* Habac. 1

96. Quinto D. Cyrillus Ierosolymitanus Catech. 16. ait; & maxime ad quæstionem: *Simon obtulit pecuniam nihil possidere volentibus, etiam si viderit illos, qui rerum venditarum pretia afferebant, ad pedes Apostolorum projiciebant, neque id reputabat.* Videbat Simon ipsos Apostolos divitiarum contemptores, & quod ægrorum pretia, quæ vendebantur, ad eorum pedes ponebantur, ut inde in pauperes dividerentur, & tamen pecunias eis offert Simon Ambitio valde cæca, cumque ipse esset valde ambitiosus omnes alios ambitiosos judicat; sic ait Apostol. Roman. 2. n. 1. *In quo judicas alterum te ipsum condemnas, eadem enim agis, quæ judicas.* D. August. epist. 105. ait: *Ex sua perversitate, qua alios judicat, se ipsum condemnat.* In eadem perversitate, ac malitia: Vide supra cap. 4. q. 3. n. 96. D. Cyrill. Ierosoly. *Quilibet de se judicat ut de aliis.* Romana D. Aug.

97. Sextò: Forsitan Simon sic secum ratiocinavit, Apostoli in publicum, ac patenter se puros, ac incorrupros ostendunt, & omne lucrum temporale à se exp. llunt; at vero in occulto, & abscondito fieri potest, quod recipiant. In hac cogitatione Diabolus, qui Simonis cor stimulabat, cum videret Christum Dominum summæ paupertatis amatorem omnia mundialia contemnentem, ducit eum in montem excelsum valde, & ostendit ei omnia regna mundi, dicens: *Hæc omnia tibi dabo si cadens adoraveris me.* Matth. 4. numer. 9. ex aliis hominibus hoc judicium apud se statuit Diabolus, Magni viri in omnium oculis, ac manifestè valde puros se exhibent nihil accipientes, ac occulte, & sub pallio omnia libenter devorant. *Sæpe ministri non in publico, sed occulte accipiunt.* Matth. 4

98. Maximè sollicitus Saul cum suo servo pro quærendis asinis, quos perdiderat, desiderans accedere ad Samuelem, ut ei aliquid indicaret, de his, quæ optabat, dixit ad servum suum: 1. Reg. 9. num. 7. *Ecce ibimus, quid feremus ad virum Dei? panis deficit in Cisterciis nostris, sportulam non habemus, ut demus homini Dei, nec quidquam aliud*: Tunc puer respondens Sauli, ait: *Ecce inventa est in manu mea quarta pars stateris argenti demus homini Dei.* Et quomodo cogitant Samueli offerre aliquod munusculum, cum ipse coram omni populo se maximè alienum ab omni munerum acceptione justificaverit 1. Reg. 12. num. 3. *Loquimini de me coram Domino, &* 1. Reg. 9. 1. Reg. 12

Minister non accipit in publico, sed in occulto.

& Christo ejus, utrum bovem cujuspiam tulerim, aut asinum, si de manu cujuspiam munus accepi. Quomodo ergo Saül, & servus ejus disponunt aliquid ei exhibere? Forsitan apud se statuerunt, quod Samuel more aliorum ministrorum, qui licet in manifesto se eximie puros ostentent, in secreto non retractant, oblata contemnere, sed benigno vultu recipiunt.

QVÆSTIO XIII.

Quare D. Petrus tam rigidè, ac acerrime insurgit in Simonem, ac ejus pecuniam?

99. Oecum. Hugo.

AIt magnus Ecclesiæ Pontifex Simoni: *Pecunia tua tecum sit in perditionem*, quæ verba non esse execrantis, sed corripientis existimat Oecumenius, & ait, ac si dicat: *Pecunia tua simul tibi pereat cum hujusmodi voluntate.* Aliter exponit Cardinalis Hugo dicens tamquam optare Petrum *Perire Simonem pecuniæ, & Simoni pecuniam: ut jactura pecuniæ peccandi ansam tollat.*

100. *Sententia ex zelo justitiæ charitatis, & religionis.*

Dico tamen, quod Petrus protulit hanc sententiam execrationis, & maledictionis in Simonem, ac ejus pecuniam, utpote tanti criminis materiam, ex zelo justitiæ, non vindictæ, ut tanti criminis vindex, studioque etiam Charitatis, ac religionis: Ut Simon suum perpendens tam abominabile crimen resipiscat, & pœnitentiam agat, ad quam Petrus eum inducit infra vers. 22. & ut cæteri Christiani discant à tanto crimine fugere, & non permittant se illo coinquinari. Pro hac sententa stant D.Hier. D.Hieronymus in cap. 3. Michææ, ubi ait; quod Petrus *Oblatam pecuniam cum offerente damnavit.* D.Chrysost. Et D. Chrysost. pecuniam appellat peccatum, dicens: *Peccatum tuum sit tecum in damnationem.* Beda. Gloss. Aliter tamen Beda, & Glossa explicant, & dicunt, quod *Imprecatio, & maledictio est prævidentis divinam de Simone sententiam, & hujus reprobationem, atque æternam perditionem.* Proindeque Petri verba non fuerunt tantum imprecationes, sed potius prophetiæ, ac prædictio, quod Simon in suo peccato esset periturus, & damnandus, & hic modus dicendi probabilis est.

101. *Sententia comminatoria ut alii à peccato fugiant.*

Dico secundo, quod hæc Petri sententia non absoluta, ac executoria fuit, sed tantum comminatoria; nam si fuisset absoluta, Simon periret, & demergeretur in Infernum, sicut ex sententia absoluta Petri Ananias, & Saphira Actor. 5. qui minus deliquerunt occisi sunt, sed fuit tantum comminatoria, ut Simon tanta imprecatione audita resipisceret, & ageret pœnitentiam, & sic fiunt passim in Scriptura, ut homines à suis peccatis, ac Psal. 71. criminibus deterreantur. Psalm. 68. numer. 26. *Effunde super eos iram tuam.* Galat. 3. Ad Galat. 3. numer. 13. *Maledictus omnis, qui pendet in ligno*, maledicitur hic etiam pecunia, cum in se entitative sit bona, cum fuerit occasio, ac materia tanti sceleris, ac criminis. De maledictionibus latè agunt Theologi cum D Tho. D.Thom. 2.2.q.76.

102. D.Valer. *Dives mendax*

Secundo aliter explicat S. Valerianus homil. 10. & air: Pecunia tua tecum sit in perditionem, sic ait: *Ventura tecum est pecunia, non ut putas ad ornamentum, sed ad testimonium falsitatis.* Putat dives se divitiis suis exornari, & fallitur; quia divitiæ non inserviunt ad ornamentum, sed ad testimonium falsitatis, opulentia enim mendaciorum est matrix, & dum dicit se habere mentitur; quia respectivè ad suum desiderium, quamvis multum habeat, nihil videtur habere, ob vehementiam, qua fervescit, plus possidendi: Ait Regius Vates Psalm. 33. numer. 11. *Divites eguerunt, & esurierunt.* Divites copiis abundant, quomodo igitur *eguerunt, & esurierunt?* esuries, & fames paupertatis comes, valde aliena à divitum abundantia, sed in ipsa sua abundantia stat esuries magis habendi. Unde præclare dixit D.Hieronymus epistol. ad Paulinum: *Avaro tam deest quod habet, quàm quod non habet.* Opulento avato omnia desunt; si enim habet, idem est, ac si illorum esset expers, cum illis non utatur, est in perpetua flamma obtinendi, unde pulchrè ad præfatum Psalm. ait D.Augustin. *Divites eguerunt, &c.* ait: *Non sunt illis divitiæ, sed mendicitas, quia quanto magis abundant, tanto magis crescit inopia.* Opulentia non extinguitur inopia, sed illa magis crescit, ac flammescit veluti ignis lignis adhibitis. D. Hier. *Divet avarus ejus videatur habere, nō habet.* D Aug.

103. Tertul.

Tertiò veniat hic iterum Tertullianus lib. de Idolatria supra datus & ait: *Quoniam aliquid de circulatoria fidelia cogitaret, ut inter mirabilia professionis suæ, etiam Spiritum sanctum venderet*: Unde miser Simon in horribilem damnationis sententiam irruit, ex eo nempe, quia id, quod erat institutum in salutem spirit. alem animæ intendebat invertere in mercaturam temporalium bonorum Ait Michæas Mich. 3. 3. à numer. 13. *Prophetæ ejus in pecunia divinabant..... Propterea causa vestri Sion quasi ager arabitur.* Alii legunt *Depopulabitur*; Et unde Sion civitas valde inclyta in tantum malum præcipitatur: *Prophetæ ejus in pecunia divinabant*, quia donum prophetiæ venale faciebant. Ibi noster D. Cyrill. Alexandr. inquit: *Nefarium plane est, pietatem quæstus occasionem facere, & res divinas acquirendæ pecuniæ viam arbitrari.* Valde execrabile ex rebus divinis lucrum quærere. D Cyril. Alexan.

Scribit D. Matthæ. 8. numer. 19. Accedens ad Christum Dominum scriba quidam ait illi: *Magister sequar te quocumque ieris. Dicit illi Iesus: vulpes foveas habent, & volucres Cœli nidos, filius autem hominis non habet, ubi caput reclinet.* Quæ cohærentia datur inter illam interrogationem, & hanc responsionem, ille offerebat se ad Christi sequelam per quamcumque viam, Christus Dominus illi objicit illam extremam paupertatem? Ad quid tendit doctrina D. Magistri? Scriba volebat Christum sequi, non ad ejus virtutes imitandas, sed ut disceret facere miracula, ut salute data magnum emolumentum pecuniarum sibi compararet, inde eum non secum admittit Iesus, sed rejicit ostendens illi quantum distat à veritate, opponēs illi suam paupertatem, gratia miraculorum non compatitur quæstu lucrandi, sed spiritu paupertatis, ac humilitatis. D. Basilius Seleuc. orat. 28. air: *Qui miraculorum fingis desiderium, cum pecuniarum te vincat amor? quid ob quæstum divitiarum paupertatis adisti legislatorem? pecuniæ miraculis non æstimantur. Inspice me, qui ex authoritate patro miracula volucribus pauperiorem, non è miraculis aurum legitur.* 104. Matth. 8. *Divinæ non sunt ad lucrum.* D. Basil. Seleuc.

Actor. 8. num. 21. Non est tibi pars, neque sors in sermone isto: cor enim tuum non est rectum coram Deo.

Num. 22. Pœnitentiam age ab hac nequitia tua: & roga Deum, si forte remittatur tibi hæc cogitatio cordis tui.

Num 23. In felle amaritudinis, & obligatione iniquitatis video te esse.

Num. 24 Respondens autē Simō dixit: Precamini vos pro me ad Dominū, ut nihil veniat super me horum, quæ dixistis.

N. 25. Et illi quidē testificati, & loquuti Verbū Domini redibāt Ierosolymā, & multis regionibus Samaritanorū evāgelizabāt.

Verſiones,

CVM EXPOSITIONE VI.

Verſ. 21. *NOn eſt tibi pars.* Arabicus: *Hæreditas, neque ſors in ſermone iſto.* Syrus, & Clemens Roman. *In fide iſta.* Tigurina: *In hoc negotio.* D. Iſidorus: *In ratione hac*: D. Chryſoſt. *In verbo hoc*, nempe in receptione, ac collatione Spiritus ſancti, illiuſque donorum, quia ex tua malitia utriuſque valde indignus es. *Pars, & ſors*, ait Apoſtolus, & in utroque idem ſignificari, ait Turrianus lib. 1. pro Canone Apocal. cap. 11. ſimiliter, & communiter Recentiores; tamen diſtinguendum eſt cum Caietano, *non eſt tibi pars inter* fideles per baptiſmum, ut exponit D. Dionyſius de Cœleſti Hierarch. cap. de Baptiſmo, per quod conſtituimur hæredes vitæ æternæ, & Arabicus pro parte legit *Hæreditas*. Per ſortem intelligit D. Auguſt. in Pſalm. 30. concion. 2. dona Dei, ſeu gratiæ, ut in D. Matthia, & ait Paulus ad Colloſſenſes 1. n. 12. *Qui dignos nos fecit in partem ſortis ſanctorum in lumine*, ut ſit ſenſus non eſt tibi pars, ſeu hæreditas inter fideles, nec ſors inter participes cœleſtium donorum; & ex hoc loco D. Ambroſ. D. Clemens, D. Auguſt. ſentiunt Simonem fulmine hujus ſententiæ fuiſſe excommunicatum, & expulſum ab Eccleſia à Divo Petro.

105. Syriac. Clemens Tigurin. D. Iſid. D. Chryſoſt. Turrian. Caietan. D. Dion. Arabic. D. Aug. Ad Coloſſ. 1. D. Ambr. D. Clem. D. Aug.

106. *Cor enim tuum non eſt rectum coram Deo*, fictum eſt, quo per hypochriſim recepiſti Baptiſmũ, & valde depravatum avaritia ac ambitione, & Deo revelante cognovit D. Petrus intima cordis Simonis, & cognovit Apoſtolus, ut ait D. Ambroſ. lib. 2. de Pœnit. cap. 5. quod puram conſcientiam non habuerit.

D. Ambr.

107. Syrus. Arabic. Oecum. D. Chryſoſt. D. Ambr

Verſ. 22. *Pœnitentiam itaque age ab hac nequitia.* Syrus: *De iſta malitia.* Arabicus: *Pœnitentiam age hujus abominationis.* Oecumenius: *Ab hoc vitio.* D. Chryſoſt. Æthiopicus: *Reſipiſce à malitia tua.* Petrus, ut magnus Paſtor eum exhortatur ad pœnitentiam, quæ eſt ſecunda tabula poſt naufragium, & ut docet D. Ambroſ. lib. 2. de pœnit. cap. 4. & 5. nullum eſt peccatum etiam graviſſimum, quod per pœnitentiã non poſſit deleri, quod multis cõfirmat exemplis.

108. Græcus Arabic. Theoph.

Si forte remittatur tibi. Græcus: *Si utique.* Arabicus: *Si forte condonet tibi ſententiam*; Illud forte, ut bene cum Lyrano advertunt communiter Expoſitores, ſignificat dubium eventum, & effectum remiſſionis ex dubia cauſa. Quamvis certiſſimum eſſet, quod ſi Simon egiſſet veram pœnitentiam haberet remiſſionem, & quia valde dubium erat, an ipſe ageret talem pœnitentiam, ita etiam dubium erat, an haberet remiſſionem; Theophylactus ait: Præviderat Petrus non reſipiſcendum iri, atque idcirco ait: *Si remittatur tibi*, & ſubdit Textus: *Cogitatio cordis tui.* Syrus: *Dolus*, Græcus *Conſilium & machinatio.* Æthiopic. *Cordis tui mali.*

Syrus. Græcus Æthiop.

109. Syriac. Æthiop. Arabic. Deut. 28 Deut 32.

Verſ. 23. *In felle amaritudinis.* Syrus *In hepate amaritudinis.* Æthiopicus: *manes in felle.* Arabicus: *Ego te video imbutum felle*, ac ſi dicat video te plenum amaritudine, ac veneno hypochriſis, ambitionis, avaritiæ, ac malitiæ omnium peccatorum, quæ per fel ſignificantur in Scriptura, Deuteron. 28. numer. 18. *Ne forte ſit inter vos radix germinans fel, & amaritudinem.* Deut. 32. n. 32. *Fel draconum vinum eorum*; nam fel colore ſimile eſt melli, ſapore valde diſſimile, multum amarum, & acerbum, ſic & peccatum in apparentia videtur habere quandam ſpeciem dulcedinis, intus omne amarũ, & acerbum, virtus è contra, etſi in aſpectu videatur aſpera, intus verò, & guſtatu valde dulcis, & ſuavis.

110. Syrus. Arabicus

In obligatione iniquitatis video te eſſe. Syriacus: *In vinculis iniquitatis*, Arabicus: *In vinculo impietatis* D. Chryſoſtom. *In colligatione injuſtitiæ*, tamquam ſi dicat, video te multis peccatis, tamquam funibus, ac catenis undique colligatum, & adſtrictum, ſic ait Iſaias 5. n. 18. *Væ qui trahitis iniquitatem in funiculis, & quaſi vinculum plauſtri peccatum*, ſunt enim multi ita in peccatis immerſi, ac illis colligati, ut valde difficiliter ab eis ſe valeant expediri. Ioãnes Maria per *fel*, & *obligationem iniquitatis* intelligit magnam pœnam eminentem ejus peccati, ut ſæpe accipitur in Scriptura, ac ſi dicat, magnis pœnis te video adſtrictum, & obligatum. Iſai. 5.

111. Verſ. 24. *Precamini vos pro me.* Hæc dixit, non amore juſtitiæ, ſed timore, ne morte periret, ſicut Ananias, & Saphira, & poſtulat, precamini pro me, non ut culpa mihi remittatur, ſed ut nihil iſtarum pœnarum, quas dixiſtis veniat ſuper me. Poſt diſceſſum Apoſtolorum ipſe Simon multos Samaritanos ſeduxit, & à fide Chriſti avertit, ut indicat D. Irenæus lib. 1. cap. 20. & Clemens lib. 6. conſtit. cap. 7. D. Iren. Clemens

112. Syriac. Arabic. Verſ. 25. *Et illi quidem teſtificati, & locuti verbum Dei.* Syriacus: *Simon, & Ioannes, cum teſtificati eſſent, eoſque docuiſſent ſermonem Dei.* Arabicus: *Cumque eos hortati eſſent*, ac confirmaſſent Petrus, & Ioannes omnia, quæ dicta erant à Philippo de myſteriis Chriſti, non ſolum ut teſtes auditu, ſed oculati, *quæ viderant, & manibus ſuis contrectaverant de verbo vitæ*, ut ait Ioannes. 1. Ioan. 1.

113. Syriac. Arabic. *In multis regionibus Samaritanorum.* Syriacus: *In plagis multis.* Arabicus: *Annuntiaverunt oppidis multis*, ne reditus ſuo fructu careret. Apoſtoli per omnem locum, quo ibant, & pertranſibant, ſive civitate, ſive villa, oppido, & caſtello, docebant, & Chriſtum evangelizabant.

QUÆSTIO XIV.

Quare Ananias, & Saphira ſtatim rigida mortis ſententia à D. Petro puniuntur, non ſic Simon Magus, cùm gravius deliquiſſet?

114. Act. 5. ANanias vendidit agrum ſuum, & fraudavit de pretio conſcia uxore ſua, & partem pretii poſuit ad pedes Apoſtolorum Actor. 5. numer. 1. & 2. & partem pretii ipſe, & uxor abſconderunt, ob quod inflicta mortis pœna à Petro ſtatim ibi ceciderunt, & tamen eorum peccatum fuit veniale, ut ex communi ſententia Patrum, ac Recentiorum dixi citato cap. 5. quæſtione 9. quia dum hoc eſſet in principio Eccleſiæ militantis, & homines adhuc rudes in doctrina Apoſtolica poterant ex aliqua ignorantia facile exiſtimare, aliquid ſibi eſſe licitum reſervare ad communes uſus, ac proinde ejus peccatum extitit multo levius peccato Simonis, & non iſte, ſed illi ſtatim in pœnam mortis inciderunt. *Difficultas quæſtionis.*

115. Apoc. 3. Ad quæſtionem reſpondeo primo ex his, quæ dicũtur in Apoc. 3. n. 19. *Ego, quos amo, arguo, & caſtigo*: Aretas *Arguo, & erudio etiam.* E contra vero, ut ait Ierem. 12. n. 2. *Quare via impiorum proſperatur, bene eſt omnibus, qui prævaricantur, & iniquè agunt*, ut ait Ansbertus ad citatum locum Apocalypſis: *Quia electi per præſentes tribulationes ad hæreditatem paternam, & reprobi ſine temporali flagello ad mendicitatem perveniunt æternam.* Et magis explico. Ansbert. *Expurgantur electi ab erroribus*

116. Actor. 5. Secundo Deus omnia diſponit ſuprema, & alta ſapientia, Ananias & Saphira ſtatim mortui ſunt ob ſupremos, & altos fines, & ob exemplum aliorum Chriſtianorum ad excitandum in eis grande pauperiatis ſtudium, ad majorẽ Apoſtolorũ authoritatem, quod nemo eos fallere poterat, ac eis mentiri, & ad majorem utilitatem ipſius Ananiæ, & Saphiræ; quia audita rigida Petri increpatione poterant magno dolore compungi ad ſalutem, ut dixi citata q. 9. n. 58.

At

117. At Simon magus veniens in Italiam disputans cum D. Petro, ejus maledictione volans per aera, deinde dejectus cadit in saxum miserrime fractis cruribus, multis doloribus acerrime torquetur, indeque in Infernum cecidit, ut testatur D. Epiphanius hæresi 22.

D.Epip.

118. Tertiò, & maxime ad quæstionem Oecumenius in præsenti sic ait: *Considera verò, & hoc quomodo familiares vehementer afficiantur. Etenim nolunt eos, qui spiritualem gratiam adepti sunt ac suam conversionem fures ac sacrilegos esse. In extraneis autem non sunt usi supplicio.* Ananias, & Saphira ante Apostoli pedes morte percutiuntur; at Simon nulla affectus plaga, sed tantum de pœnitentia admonitus à conspectu Apostoli recedit. Ecce qualiter se habent, qui Spiritu Dei aguntur; In domesticos, ac familiares Divina gratia plenos duriter, & acerrime insurgunt, cum eos in omni perfectionis apice desiderent expolire; at erga extraneos etsi multis criminibus illaqueatos, valde benigne patientes se exhibent.

Oecum.

Defectus in viris magnis durè puniuntur non sic in peccatoribus.

Cum Moyses obediens Dei mandato pergeret in Ægyptum, cùm esset in itinere, in diversorio occurrit ei Dominus: *Et volebat occidere eum.* Exod. 4. num. 23. Valde magna indagine dignum est, cur Angelus voluerit occidere Moysen virum præclarissimum, cui Deus se exhibuit in rubo multis, & magnis mysteriis, quem constituit Principem, & ducem sui populi, & quem Deus destinaverat ad multa, & magna mirabilia agenda, indeque multo magis mirabile, quia volebat eum occidere, quia filium suum secundum Eliezer, non circunciderat, quod ideo fecit; quia cum puer esset recens natus, laborem itineris timuit Moyses, hacque de causa distulit circunciſionem, donec veniret in Ægyptum, sicut & Israelitæ nati in itinere quadraginta annorum non sunt circuncisi, & quod Moyses circuncisionem pueri distulerit, indigne tulit Deus, ut notant ibi Lyranus, Abulensis, & alii: sed Deus, qui est valde longanimis, & patiens in multa misericordia erga grandes peccatores, cur sic iratscitur in Moysen sibi valde charum, ob culpam, quæ multam habet excusationem; quia Moyses ipsi Deo erat valde gratus & magnus, ideo ejus moras non sustinet, & valde durum erga eum se exhibet. D. August. tom. 4. q. 16. veteris testamenti, sic ait: *Ideo sic infestum Angelum vidit Moyses, & paratum ad vindictam; quia viri sublimis culpa grave peccatum est*: quanto enim persona ejus sublimis est, tanto magis grave delictum ejus.

119. Exod. 4.

Lyran. Abulens.

Levis culpa infestum Angelū habet.

D.Aug.

120. Cum Dominus accepisset rationem à servis suis de talentis, accessit ille, qui debebat decem millia talenta, & omnia dissipavit, destruxit, ac perdidit; tamen Dominus ex sua benignitate, *misertus servi illius dimisit eum, & omne debitum dimisit ei.* Matth. 18. n. 27. Aliter tamen factum vidimus cum eo, qui unum talentum acceperat, & totū integrum absque ulla diminutione servavit, hoc Dominus ægrè ferens valde dure & rigide in eum invehitur, ac increpans dixit: *Serve nequam quare non dedisti pecuniam meam ad mensam?* Luc. 19. n. 22. Cur justus Dominus, tam lenis, ac suavis in eum, qui tantam auri copiam devoravit, & tam durus, ac rigidus in eum, qui ex aliqua negligentia nihil negotiavit? Etsi in peccatoribus grandia crimina patienter sustineat, tamen in perfectis viris levem errorem non dissimulat, eosque manu forti expurgare vult. D. Chrysostomus homil. 5. de Pœnit. ait: *Decem millium talentorum universa dimisit, à justis verò, & usuras repetere promittit: quibusdam quidem multa dimittit peccata, quasi inimicis, quibusdam verò ut nimis exacta de minimis etiam quærit, nihil his ad perfectionem desiderare volens.* Expende *Quibusdam multa dimittit peccata quasi inimicis*, & subdit: *Quibusdam nimis exacta: nihil his ad perfectionem deficere volens.*

Math. 18

Luc. 19.

Levis culpa increpatur ut iustus sit in perfectione.

D Chrysost.

QUÆSTIO XV.

Quare Simon postulat ab Apostolis orationem, quam Rex Ninive non petivit à Iona Propheta?

121. CUm Petrus dixisset: *Pœnitentiam age; & roga Deum si forte remittatur tibi hac cogitatio cordis; Respondens autem Simon, dixit Precamini vos pro me.* Cum audisset Simon ab ore Apostoli negationem, tunc ipse non ex intimo cordis affectu, de proposito, sed tamquam inconsulto obiter, ac casu postulat ab Apostolis orationem, ut notavit D. Chrysost. homil. 18. in Acta, & ait: *Oportebat illum toto corde pœnitentiam agere, oportebat orare: Ille autem obiter hoc faciebat*, quæ ad salutem spectant non casu, & fortuito sunt agenda, sed multo maturo, forti, ac constanti animo.

Sæpe obiter homines agunt de sua salute.

D. Chrysost.

122. Quæstio præsens est: Postulat Simon ab Apostolis orationem pro se: *Precamini vos pro me.* Intrat Ionas in civitatem Ninive clamans: *Adhuc quadraginta dies, & Ninive subvertetur*, Quæ vox insonuit per totam civitatem. *Et pervenit verbum ad Regem Ninive, & surrexit de solio suo & abjecit vestimentum à se, & indutus est sacco; & sedit in cinere.* Ion. 3. nu. 6. Et tamen nullam legimus feciſſe orationem, aut deprecationem pro se, aut civitate sua ad Ionam. Sciebat bene optimus Rex. quod infructifera, & supervacanea sit oratio, si non procedat, ac concomitetur cum lachrymis, pœnitentia, ac mortificatione, & ideo sapiens prius injicit manum, seque totum ad pœnitentiam convertit in sacco, & cinere, & postea se totū in orationibus profudit D. Maximus homil. in Litaniis sic loquitur: *Oblivisciturse esse Regem, dum projicit purpuram, dum diadema deponit, cilicio autem vestitur, & sacco, & jeiuniis perseverat, orationibus immoratur*; præmisit pœnitentiam in sacco, ciliciis, ac jejuniis, & tandem ultimo loco ad orationes, ac ad obsecrationes confugit.

Ion. 3.

D.Max.

123. Hac doctrina bene instructus Divinus Sponsus dicebat Cantic. 4. numer. 6. *Vadam ad montem myrrhæ, & ad collem thuris*, prius apud se statuit amplecti mortificationem, ac austeritatem myrrhæ, deinde ascendere ad orationem thuris ad illiusque sanctam, & odoriferam exhalationem D. Gregorius Magnus ibi ait: *Ad montem ergo myrrhæ, & ad collem thuris sponsus vadit, quia eos familiariter visitat, quos per mortificationem vitiorum ad alta proficere, & per humiles, & mundas orationes.* Prius Divinus Sponsus suos familiares exhortatur ad mortificationem vitiorum, deinde ad humiles, ac devotas orationes.

Cant. 4.

Prius mortificatio, deinde oratio.

D. Greg.

124. Negat Petrus suum Divinum Magistrum: *Et conversus Dominus respexit Petrum, & egressus foras flevit amare*, Luc. 21. numer. 61. & 62. Si Petrus peccat, & Dominus ad eum conversus in eum defigit oculos, qui suo aspectu eum veluti invitabat ad veniam, cur flexis genibus ad eum non accedit postulans indulgentiam, sed *egressus flevit amare*? Bene agnoverat Princeps Apostolicus, quod intempestiva sit veniæ petitio, quæ à lachrymis, ac animi afflictione non procedit, ideoque prius in lachrymas prorumpit, & inde de venia cogitat. D. Ambrosius ad citatum locum Lucæ ait: *Cur tacuit Petrus, ne tam citò veniæ petitio plus offenderet; ante flendum, & sic precandum.* Dolor præmissus, veniæ

Luc 21.

Mortificatio, ac dolor veniæ apparatus.

D. Ambr.

apparatus, nam sine illo potius sollicitatur ira, quam clementiæ benignitas.

125. Hanc efficaciam cum lachrymis bene agnoverat David, dicens Psalm. 38. numer. 13. *Exaudi orationem meam, Domine, & deprecationem meam: auribus percipe lachrymas meas.* Non nudam orationem, sed lachrymis exornatam offert, ut exaudiatur. Petrus Damian. opusc. 13. cap. 12. ait: *Lachrymæ magnas habent voces in auribus Creatoris, quas voces ille ad Deum frequenter emiserat, quid ad obtinendum possent subtiliter noverat, qui dicebat*: Exaudi orationem meam, auribus percipe lachrymas meas, *lachrymæ nempe in conspectu pii judicis supplicant, & nihil hæsitant, sed sic misericordiam, tamquam rem quamlibet proprij juris sibi vendicant.* Adverte quod ait: *Auribus percipe lachrymas meas.* Lachrymæ videntur, & non exaudiuntur, ut innuatur, quod oratio sine lachrymis non auditur, sed cum illis tamquam *res proprij juris*, auribus percipitur, lachrymæ dant jus orationi, ut postulata valeat impetrare, sic misericordiam tamquam rem quamlibet proprii juris sibimet vendicant.

Psal. 38. *Lachrymæ dant velut jus ad obtinendum.* Damian.

Actor. 8. *num.* 26. Angelus autem Domini locutus est ad Philippum, dicens: Surge, & vade contra Meridianum ad viam, quæ descendit ab Ierusalem in Gazam, hæc est deserta.

Num. 27. Exurgēs abiit: Et ecce vir Æthiops Eunuchus potens Candacis Reginæ Æthiopum, qui erat super omnes gazas ejus, & venerat adorare in Ierusalem.

Num. 28. Et revertebatur sedens super currum suū, legensque Isaïam Prophetam.

Num. 29. Dixit autem Spiritus Philippo: Accede, & adjunge te ad currum istum.

Num. 30. Accurrens autē Philippus audivit eum legentem Isaïam Prophetam, & dixit: Putasne intelligis, quæ legis?

Versiones,

CVM EXPOSITIONE VII.

126. Michael. Vers. 26. *Angelus autem Domini*, ut multis placet, scilicet Michael, utpote tutelaris Ecclesiæ, & ipse Angelus per se visibiliter in corpore aëreo apparuit, quia res valde difficilis mandabatur, ad quam multum urget authoritas, & majestas imperantis: *Locutus est ad Philippum*, non Apostolum, ut vult Albertus Magnus in cap. 12. Joan. Sed Diaconum, ut tenent omnes Patres D. Chrysostomus, Oecumenius, D. Augustinus, & sequuntur Expositores, expleta prædicatione in Samaria ad alias gentes vult Deus splendescere lumen Evangelicum: *Surge* juxta loquendi modum scripturæ, id est perge, age velociter, celeriter *contra Meridianum.* Pagninus, Tigurina, *Versus Meridianum* Samaria unde veniebat Philippus erat ad Septentrionem.

Albert. Magn. D. Chrysost. Oecum. D. Aug. Pagnin. Tigurin.

Quæ ducit ab Ierusalem in Gazam; nam Jerusalem erat in altiori loco; quam Gaza. Duplex fuit Civitas dicta Gaza; Altera antiqua in terra Phylisthinorum, ad quam captivus eruris oculis ductus est Samson Judic. 16. numer. 21. & concussis columnis tria millia Phylisthinorum occidit. Ibidem. numer. 29. & hanc Gazam post bimestrem obsidionem occupans Alexander Magnus destruxit, ac solo æquavit teste Curtio lib. 4. Altera Civitas Gaza, quæ Hebraïcè idem est, ac fortis, adificata fuit in Persida tempore Machabæorum, ut testantur Divus Hieronymus, ac Joseph, & fuit valde celebris non longe ab antiqua Gaza, & per hanc antiquam destructam, ac devastatam transeundum est ad novam Gazam, & ideo dicitur in Textu *Via deserta* ut notarunt Lyra, Cajetan. Hugo, & alii.

127. *Quota-plex Gaza, Civitas.* Judic. 16. Curtius. Lyranus. Caiet. Hugo.

Vers. 27. *Et surgens abiit*, faciens sibi mandata: *Ecce vir Æthiops Eunuchus.* Ex Græco *Potens*, præfectus; Gente Abyssinus, & alienigena religione Judæus proselyta, de quo multa quæstione sequenti *Reginæ Candacis*: Candacis proprium nomen Reginarum Æthiopiæ, ut testantur Plinius lib. 6. cap. 29. Strabo lib. 17. Eusebius lib. 2. Historiar. cap. 1. sicut & commune nomen Regum Ægypti Pharao, & postea Ptolomeus, Regum Syriæ Antiochus, Imperatorum Romanorum Cæsar, traduntque Æthiopes hanc Reginam suo peculiari nomine appellari Indich. *Qui erat super omnes gazas ejus.* Syriacus: *Qui præerat universis opibus ejus.* Arabicus: *Quippe præfectus erat ærario ejusdem Reginæ*, & id autem, quod dicitur *adorare in Ierusalem* quæstione sequenti dicam.

128. Græcus. Plinius. Euseb. *Quid Candacis.* Syriac. Arabic.

Vers. 28. *Revertebatur super currum suum legens Isaïam Prophetam.* Divus Chrysostomus maximè laudat diligentiam hujus, quod nec in curru, nec in itinere erat otiosus, sed lectioni deditus, de eoque sic scribit Divus Hieronymus epist. 103. ad Paulinum, & ait: *Reliquit autem regiam, & totus amator legis, Divinæque scientiæ fuit, ut etiam in vehiculo sacras literas legeret.* Glossa, & Hugo existimant, quod tamquam Proselytus sciret Hebraïcam linguam, Lyranus ait, quod eo modo legebat Isaïam, quo solent multi laïci ex devotione recitare horas Canonicas latino idiomate, quamvis non intelligant, aptius tamen potest dici quod legebat græco idiomate juxta lectionem septuaginta, quæ tunc erat in magna æstimatione.

129. D. Chrysost. D. Hier. Glossa Hugo. Lyran.

Legens Isaïam Prophetam, disponebat eum Deus ad fidem, & Religionem Catholicam amplectendam, quia ut recte ait Glossa ordinaria ubicumque in novo testamento salutis narratur principium ab Isaïa sumitur testimonium.

130. Glossa.

Vers. 29. *Dixit autem Spiritus Philippo.* De Spiritu Sancto per internam inspirationem intelligunt Beda, Carthusianus, Hugo cum Divo Cyrillo Jerosolymit. Cateches. 17. at Idacius lib. controv. D. Nissen. lib. de Baptism. cap. 18. Caietanus, Lorinus, Cornelius, Tyrinus de Angelo exponunt, quæ interpretatio videtur aptior; nam Angelus infra numero 39. vocatur *Spiritus Domini*, & Angelus hic dirigebat, ac gubernabat Philippum: *Adjunge te ad currum istum.* Divus Chrysostomus: *Adhære currui huic.* Arias: *Adglutinare*, quæ denotant intimam appropinquationem.

131. Beda. Carthus. Hugo D. Cyrill. Jerosolymit. Idacius. D. Nisse. Caietan. Lorin. Cornel. Tyrin. D. Chrys. Arias.

Vers. 30. *Accurrens autem Philippus.* Græcus *Præcurrens*, Syriacus, *Cum accessisset*, ad illum nempe, *audivit legentem*, ex quo patet, quod Eunuchus alta voce legebat ex intimo animi affectu ad percipiendum: Et dixit; *Putas ne intelligis, quæ legis.* Syriacus: *An intelligis?* Æthiopicus: *An intelligis librum istum?* Multum laudat Divus Chrysostomus prudentiam Philippi; non arguit Eunuchum; quia hoc sæpe homini est durum, tamquam si diceret, quid legis, si non intelligis, sed per interrogationem: Putas ne intelligis, ut ipse suam insipientiam fateatur, & doceri postulet.

132. Græcus. Syriac. Syriac. Æthiop. D. Chrysost.

QUÆSTIO XVI.

Quare Æthiops Eunuchus venit adorare in Ierusalem, & quisnam esset?

133. Æthiopia unde dicta. Plinius.

PRimo iste dicitur Æthiops ex Æthiopia, quæ regio ita dicitur à nomine Hebraico Cham filio Noe, ut multi volunt, vel Author est Plinius lib. 6. cap. 30. Ab Æthiope Vulcani filio, quod nomen juxta radicem græcam idem valet, ac *ardeo*, *uro*, *cremor*, nam facies illorum incolarum ardore solis nigrescunt, ex hac regione, ubi nunc regnat Preto Ioannes, erat iste.

134. Eunuch. Græcus. Syriac. Euthym.

Eunuchus ex Syriaco idem est, ac *præpositus*, ex græco idem valet, ac *Princeps præfectus*, proindeque hoc nomen *Eunuchus* non solum significat spadonem ex sectis, sed etiam regium ministrum; nam hi quamvis secti non essent, Eunuchi dicebantur; at hunc Eunuchum post reginam fuisse primum in regno tenet Euthymius in Psalm. 167. nam Reges Persarum, Medorum, Chaldæorum propter multitudinem fœminarum, quas habebant, Eunuchorum ministerio utebantur ad Gynæceorum custodiam. Inde emanavit, quod quilibet Regius minister Eunuchus diceretur. An vero iste foret ex sectis, aliqui recentiores tenent, probabilius negat Lyranus quia dicitur Vir Æthiops, quod nomen importat virum virilem.

135. Religione gentilis. Beda. Hugo. Caiet.

Venerat in Ierusalem adorare, ex quo oritur difficultas; cujusnam religionis esset iste? Gentilem fuisse tenent Beda, Hugo Caiet. Lorin. Sanches; nam communiter dicitur, quod primus, qui ex gentilitate credidit, Cornelius extitit, cui D. Petrus prædicavit Evangelium Act. 10.

136. Verior sententia. D. Iren. Bellarm. Carthus. Cornel. Estius. Baron.

Contraria sententia mihi videtur probabilior, quod erat Proselyta, & religione Iudæus. Ita Divus Irenæus lib. 4. cap. 40. Bellarminus lib. 1. de Romano Pontifice cap. 22. & hic Carthusianus, Cornelius, Estius, Monach. Baron. anno Christi 36. & dicit esse communem Patrum; quia iste venit in Ierusalem adorare in templo tempore Paschali, ut tenebantur omnes Iudæi. Secundo iste venit in Ierusalem elapso uno anno à morte Christi, & proculdubio audivit multa de mirabilibus operibus Christi, ejusque miraculis, & qui ab Apostolis prædicabatur verum esse Messiam promissum in Prophetis, maximè Isaïa, & ideo ipse ibat præ cæteris legens Isaïam.

137. Strabus. Iosephus

Deinde inter Æthiopes, & Iudæos magna erat familiaritas, ac cohærentia in religione, ut testatur Strabus lib. 17. & circuncidebantur sicut Iudæi, ut Author est Iosephus lib. 8. cap. 4. cum se maxime iactarent esse progenitos à Salomone ex Regina Saba.

138. Matth. 15. Matth. 8.

Nec illud, quod dicitur de Cornelio vim aliquam habet, prius enim conversa fuit Chananæa ex finibus Tyri, & Sydonis Matth. 15. n. 22. & Centurio Romanus, cujus puerum Christus sanavit Matth. 8. n. 8. Deinde Eunuchus iste conversus est ex Iudaismo, non ex gentilitate; ut Cornelius.

139. Eunuch. martyr. D. Iren. Euseb. Cyril. Ieroſoly. Baron.

Iste autem Eunuchus valde illustrissimus fuit in fide Christi; nam postquam pervenit ad Æthiopiam Christum Iesum palam prædicavit, ut ex Divo Irenæo, Eusebio, Cyrillo Ierosolymitano, Divo Hieronymo refert Baronius citatus, sicut ex Dorotheo in Synopsi, quod in Arabia Felici, & in Insula Taprobana, in universaque Erythrea Evangelium prædicavit, tandemque glorioſa martyrii palma coronatus est, & ad eius sepulchrum multa facta sunt miracula.

140. Ætiopia præveniet manus eius Deo. Psal. 67.

In conversione istius Eunuchi adimpletum est, id, quod ait David Psalm. 67. numer. 32. *Æthiopia præveniet manus eius Deo.* Nota illud *præveniet*, prima faciet manus ejus cum Deo: In Scripiura *manus dare*, significat facere amicitiam, ac confœderationem Threno. 5. numer. 6. *Ægypto dedimus manum*, fecimus amicitiam cum Ægypto. *Æthyopia præveniet manus eius Deo*, seu, ut legit Divus Hieronymus, *Festinet dare manus*, seu ut habent alii Codices: *Accelerabit, celeriter pertendet manus*, facere nempe amicitiam, ac obedientiam cum Deo, etsi de omni gente Æthyopica locum exponant D. Chrysologus serm. 169. D. Augustinus Cassiodorus, Noster Incognitus; tamen D. Hilarius in præsenti exponit de vehementi desiderio Baptismi, quo flagravit iste Eunuchus instructus à Philippo. Thren. 5. D. Hier. Æthiops prima in fide recipienda. D. Chrysolog. D. Aug. Incogn. D. Hilar.

Ait idem Regius Vates Psalm. 71. numer. 9. *Coram illo procident Æthiopes, Reges Tharsis, & Insulæ munera afferent, & adorabunt eum omnes reges terræ, omnes gentes servient ei.* Communis vox Patrum, ac Doctorum est, quod in præsenti fit sermo de communi adoratione exhibita Christo Domino à toto Orbe; nempe quod ipsum magna adorationis veneratione colent Æthyopes, Reges Tharsis, & Insulæ, reges universæ terræ, & omnes gentes; tamen in capite omnium ponuntur Æthiopes. Lorynus ait: *Primitias quasdam ex Gentibus in Ecclesia Æthyopiam fuisse, quando Æthyopum regina Eunuchum Philippus Diaconus baptizavit.* Nota quod dicitur *Æthyopes procident*; corpore nempe projecto in terram: At reges adorabũt, & gentes servient erecto capite, ac cervice; At Æthyopes procident toto pectore prostrati, ac procumbentes in humo in signum summæ humilitatis, reverentiæ, & abiectionis coram Christo exhibitæ. 141. Psal. 71. *Æthiopia prima Christũ adorat magno cultu.* Lorin.

Actor. 8. num. 31. Qui ait: Et quomodo possum, si non aliquis ostenderit mihi? Rogavit Philippum, ut ascenderet, & sederet secum.

Nu. 32. Locus autem scripturæ, quam legebat erat hic: Tamquã ovis ad occisionem ductus est, & sicut agnus coram tondente sine voce, sic non aperuit os suum.

Num. 33. In humilitate iudiciũ eius sublatum est; generationem eius quis enarrabit, quoniam tolletur de terra vita ejus.

Num. 34. Respondens autẽ Eunuchus Philippo dixit: Obsecro te de quo Propheta dicit hoc? de se, an de alio aliquo?

Nu. 35. Aperiens autem Philippus os suum, & incipiens à scriptura ista, evangelizavit illi Iesum.

Versiones,

CUM EXPOSITIONE VIII.

Vers. 31. QUi ait: *Quomodo possum, si non aliquis ostenderit mihi?* Syriacus: *Si non aliquis mihi fuerit dux viæ*, Arabicus: *Quomodo hoc mihi possibile, nemine me dirigente.* Oecumenius: *Me manu duxerit.* Eunuchus intelligebat linguam, non tamen sensum verborum: Unde D. Chrysost. tam hic, quam homil. 3. de Lazaro, agnoscit in hoc Eunucho magnum desiderium intelligendi, & ingenuam suæ ignorantiæ professionem. Glossa Ordinaria ait: *Arguit Eunuchus illorum audaciam, qui existimant sine doctore se Scripturam divinam posse intelligere*, de quo plura dicam quæstione sequenti. 142. Syriac. Arabic. Oecum. D. Chrysost. Glossa

Rogavit Philippum, ut ascenderet, nempe in currum, nam Philippus pedibus erat. *Sederet secum.* Æthiop. 143. Æthiop.

D.Chryſoſt. *Magiſter honorandus.*

Sederet pariter cum eo. Notat D. Chryſoſtomus urbanitatem Eunuchi; licet enim videret Philippum in habitu humili, tamen ex dignitate oris, gravitate aſpectus, morum compoſitione eum valde magnum virum judicavit. Deinde dicam, cum Eunuchus elegerit Philippum, ut Magiſtrum ad explicandam Scripturam, inde eum maxime in multa veneratione habuit.

144. Syriac. 1.D.Petri 2.

Verſ. 32. *Locus autem Scripturæ*; Syriacus: *Lectio Scripturæ, tamquam ovis ad mactationem.* Qui locus ad literam intelligitur de Chriſto Domino, ubi maxime ejus patientia commendatur, ut ait D. Petrus epiſtol. 1. cap. 2. num. 23. *Qui cum malediceretur, non maledicebat; cum pateretur non comminabatur; tradebat autem judicanti ſe injuſtè.* Et de hoc late infra q. 18. agendum eſt.

145. Syriac. *Duplex expoſitio.*

Verſ. 33. *In humilitate ſublatum eſt judicium ejus.* Syriacus: *De clauſtro, & judicio ſublatus*, de ſua nempe humilitate, qua ut reus judicari voluit, ſublatum eſt judicium ejus, quo judicatus eſt ad mortem Crucis, vel ut alii exponunt, quo judicatus eſt ab Æterno Patre, ut victor aſcenderet, qui tantus, & tantus eſt, ut ejus generatio, ſive divina, ſive humana ſit inenarrabilis de quo infra q. 19.

146. Arabic.

Verſ. 34. *Reſpondens Eunuchus; Rogo te.* Arabic. *Reſpondit miniſter*: & ait, &c. *Rogo, ut mihi indices, de quo Propheta hunc dicit ſermonem*: ex his liquet, quod Eunuchus incidit in hunc locum Iſaiæ, non ex induſtria, ac ſtudio, ſed caſu, tamen multa, quæ nobis fortuito videntur ex alta Dei Providentia ſunt ordinata, ut in præſenti notat D. Chryſoſt. quod ex præſentibus patet, quod Eunuchus neſciebat, an Prophetæ loquerentur de ſuis propriis perſonis, an de aliis.

D.Chryſoſt.

147. Ezec. 29. Beda. Aratar.

Verſ. 35. *Aperiens Philippus os ſuum.* Pleonaſmus eſt Sacræ Scripturæ ad ſignificandum principium dicendi, largo ſermone in re gravi, multa præmeditatione, clara, & aperta voce Ezechiel. 29. num. 21. & 2. Corinth. 6. nu. 11. Matth. 5. num. 1. Et apte convenit cum Philippo: *Aperient os ſuum*; nam Philippus Hebraïce, idem eſt, ac *os lampadis*, ut notavit Beda, & ante eum Arator: *Impone Philippo os lampadis.*

148. Baptiſm. Rom. 13.

Evangelizavit illi Jeſum. Et eſt Catechiſmus præcedens Baptiſmum in adultorum, eoſque præluſtrat ante illius ſuceptionem; Baptiſmus enim dicitur Sacramentum illuminationis, faciens nos filios lucis, ac lucem in Domino arma lucis Roman. 13. numer. 12.

QUÆSTIO XXVII.

Quare Eunuchus cùm eſſet valde magnus tam avide poſtulat à Philippo illuſtrari, ac doceri?

159. *Dicunt potentes ſuam ignorantiam fateri, ut doceant.* D.Chryſoſt.

IBat Eunuchus, ut valde potens in magno curru, multo famulorum apparatu; è contra verò Philippus ſolus, humili veſtitu, pedibuſque incedens, ab ipſo tamen poſtulat Eunuchus illuminari, ac doceri, ut eleganter expendit Divus Chryſoſtom. homil. 35. in Geneſ. & ait: *Non ægre tulit Eunuchus, nec indignatus eſt, neque ſe contumelia affici exiſtimavit, quod pleriſque inſulſis accidit, quos pudet ignorantiam ſuam confiteri, & ab eis diſcere, qui docere valeant, & frequenter malunt in perpetua verſari ignorantia*; non ſic verò iſte Eunuchus; *Curru vectus eum, qui vilis videbatur, & ex veſtitu facile contemptibilis rogavit*, &c. Tam vehementi ſtudio diſcendi æſtuabat. Hoc exemplum proponit Divus Hieronymus epiſtol. 103. exhortans ſapientes, & ait: *Nec ſanctior ſum hoc Eunucho, nec ſtudioſior, &c. Ignorabat eum, quem in libro neſciens venerabatur. Venit Philippus oſtendit ei Jeſum, qui clauſus latebat in litera, & ut intelligas te in Scripturis Sanctis ſine prævio, & monſtrante ſemitam non poſſe ingredi.*

150. Quis potentior, ac ſapientior Salomone, & tamen Deo dicebat 3. Reg. 3. num. 9. *Dabis ſervo tuo cor docile* Septuaginta, *Cor ad audiendum.* Arias, *cor audiens* ad excipiendam doctrinam, & quæ expediunt ſcire, & neceſſaria ſunt. Unde ipſe ait Proverb. 1. numer. 5. *Audiens ſapiens ſapientior erit.* Rabbi Levi: *Cumulabitur ſapientia*, quia, ut rectè ait noſter Divus Cyrillus, Alexandrinus lib. 1. Apol. Moral. cap. 1. cujus titulus eſt: *Semper diſce*, ubi inter multa de hac re, ſic habet. *Frater mi: Scriptum eſt à Salomone; Audiens ſapiens ſapientior erit, & quare hoc dixit, niſi quod ſapientiæ non eſt numerus*, ex quo infert: *Unde ſemper oportet addiſcere, & in extremis horis ſtudium ſapientiæ deſiderabilius indagare.*

151. D.Aug. *Fatetur neſcire, & velle emendari.*

Exquirit Divus Auguſtinus epiſtol. 119. cap. 11. *In ipſis ſanctis Scripturis multo neſcio plura, quam ſcio*, & epiſtol. 28. ad Hieronymum ait: *Quamquam te multo, quam ego ſum ætate majorem, tamen ipſe etiam jam ſenex conſulo, ſed ad diſcendum, quod opus eſt, nulla mihi ætas ſera videri poteſt; quia etſi ſenes magis decet docere, quam diſcere, magis tamen diſcere, quam quid doceant ignorare.* Unde monet Seneca epiſtol. 77. & ait: *Tandiu audiendum, & diſcendum eſt, quandiu neſcias, & proverbio credimus, quandiu vivas.* Seneca.

152. 2. Tim. 2.

Ex hoc maxime neceſſarium eſt illis, qui præſunt, & ſunt in alto culmine. Ait Apoſtolus 2. Timoth. 2. numer. 24. *Oportet Epiſcopum docilem eſſe*, hoc eſt, ut quod ſinat, & patiatur ab alio doceri, & inſtrui; atqui ipſe Apoſtolus ait. 1. Timoth. 3. numer. 2. *Oportet Epiſcopum doctorum eſſe*, ſi doctor, quomodo docibilis, ut explicat Divus Anſelmus facilis ut doceatur, quod eſt diſcipuli, & non doctoris, ſi ipſe fuerit bonus, & facilis, ut doceatur, erit bonus, & optimus Magiſter, ut doceat. Divus Cyprianus epiſtol. ad Stephanum Pontificem: *Oportet*, ait, *Epiſcopum non tantum docere, quam diſcere, quia ille melius docet, qui quotidie proficit, & creſcit diſcendo meliora.*

1. Tim. 3. D.Anſel. *Doctor etiam diſcat.* D.Cypr.

153. Galat. 1.

Ait Apoſtolus Paulus ad Galat. 1. numer. 18. *Veni Jeroſolymam videre Petrum, & manſi apud eum diebus quindecim*, Sacri Apoſtoli nihil faciebant ſuper filium otioſum, ac ex curioſitate, ad quid venit Paulus videre Petrum, & apud eum per quindecim dies immoratur, ut ab eo inſtrueretur inquiunt Eraſmus, & Vatablus, quod intellige, non in doctrina Evangelica; quia ut ipſe Apoſtolus ait: *Evangelium ego ab homine non accepi*, tamen cum Petrus eſſet magnum miraculum totius Orbis, & ipſe Paulus Doctor Gentium venit videre Petrum, ut ab eo in moralibus inſtrueretur in modo vivendi, agendi, gubernandi, in omnibus operationibus, ac actionibus ſuis. D. Hieronym. epiſt 103. ad Paulinum ait: *Hoc enim myſterio hebdomadis, & ogdoadis futurus gentium prædicator inſtruendus erat.* Hebdomada, & ogdoadis, id eſt ſpatium ſeptem, vel octo dierum.

Eraſmus Vatabl. *Doctor gentium ſe diſcipulum exhibebat* D.Hier.

QUÆSTIO XVIII.

Quare Chriſtus Dominus dicitur ſicut ovis ad occiſionem, & quaſi agnus coram tondente?

154. Iſaiæ. 53.

LOcus deſumptus eſt ex Iſaïa 53. num. 7. ſermo ad literam eſt de Chriſto D. in ſua gloriosa paſſione, qui nec gemuit, nec conqueſtus eſt, nec reſtitit, nec

Summa, & admirabilis Christi D. patientia.

nec obluctavit, sed summma, & admirabili patientia sustinuit illam carnificum crudelissimam tonsionem, qua non lanam, aut vestem forcipibus, sed pellem, carnem, omnemque sanguinem, ac vitam rigidis flagellis, spinis, malleis, clavis, lanceaque detraxerunt, & ad hoc facit Ioannes Baptista clamans, *Ecce Agnus Dei* immolandus pro totius mundi redemptione; Agnus frequenter prædictus ab Isaia, & Ieremia, ac ab aliis Prophetis, Agnus præfiguratus sacrificio Abelis, Isaac, & Agni Paschalis, & etiam jugis oblationis matutinæ, & vespertinæ, multis sacrificatis Agnis in quolibet festo præscripto in lege, qui offerendi erant, ut observant communiter Patres D. Cyrill. Ambros. August. Hieronym. & ad hoc alludit Ioannes Evangelista in sua Apocalypsi, ubi ferè per triginta vices nomen Agni Christo D. tribuit, & inde 6. Synodus in Trullo canon. 82. laudat consuetudinem depingendi Christum sub figura Agni, ut perpetuo sit in nostra memoria passio Christi, & hinc deducta est anitquissima consuetudo Ecclesiæ Romanæ in Octava Paschatis figura Agni impressa in Cera cum multis Reliquiis dari populo, de cujus origine, ac multis miraculis editis latè dixi tom. 1. in Apocalyps. cap. 5. quæst. 15. num. 131. 132. & deinceps.

D. Cyril. D. Ambr. D. Aug. D Hier. Apoc. 5 Sexta Synod.

155. Circa quæ aliqua sunt notanda. Primo dicitur Christus ovis, cum ipse sit Pastor: *Ego sum Pastor bonus*, Pulchrè D. Basil Seleuc. orat. 26. ait: *Pastor pro ovibus, tamquam ovis jugulum præbet.* Præclarum magni Pastoris insigne est, ut pro jugulandis ovibus ipse tamquam ovis jugulandus sit, in nullo discrimine, in nulla actione suos videt quod ipse in se dissimulet, & in se non assumat. De se judice ait Christus D. Matth. 26. n. 64. *Videbitis filium hominis venientem in nubibus Cœli.* Et cur modo in extremo judicio in nubibus se exhibet? Ait Paulus 1. Thes. 4. n. 16. *Deinde nos, qui vivimus, qui residui sumus, rapiemur cum illis in nubibus obviam Christo in aëra.* Ipse pro sua majestate venit in nubibus etiam in simili præeminentia, ac honore suos secum vult habere. Origen. homil. 30. in Matth. ait: *Si Beati homines in nubibus rapientur in aërem, quid mirum est in nubibus Filium Dei venire cum virtute, & gloria multa?* Perfecti, ac magni Pastoris est ovium suarũ statum, ac conditionem non refugere, sed eos similes secum habere.

155. D. Baul. Seleuc. *Bonus Pastor, suorum discrimẽ non refugit.* Math. 26

Bonus Pastor suorum statum non refugit Origen.

156. Secundo: Cur dicitur Ovis, & Agnus? D. Leo serm. 7. de Epiphania ait: *Dispositos dies sub persecutione inchoavit, & sub persecutione finivit, nec puero tolerantia passionis, nec passuro defuit mansuetudo puerilis.* Agnus est in tenera ætate, ovis jam in majori, ac veluti grandæva; dicitur Agnus, & ovis Christus, quia patientia, qua in pueritia sustinuit multas persecutiones, ac contrarietates, eandem retinuit ultimo tempore vitæ suæ in passione: *In laboribus à juventute mea.*

156. D. Leo *Eadem virtus in pueritia, ac juvẽtute.*

157. Tertio: *Sicut agnus coram tondente se obmutuit.* Totus meus Iesus addictus fuit sub crudeli flagello, sub pœnis, clavis, & cruce, quid habet hoc cum levi tonsoris manu; quid tonsura cum immani carnificia? quid tonsoris manus cum sacrilegis carnificibus? Tonsura ad levamen, & ornatum fit, illa vero carnificia tota fiebat ad exitium, ac tormentum. D. Chrysost. serm. de negat. Petri habito tom. 6. ait: *Vt enim in nostra hac vita, qui tondetur homo, & nullo dolore afficitur, & forma speciosus apparet: ita quando vulnus Christus accipiens quasi tonsuram sustinuit, nec dolorem ullum perpessus est, & resurrectionis pulchritudinem indicavit.* Ille totus cruciatus, cum à Deo esset ordinatus ad Christi resurgentis gloriam, non dolores, & vulnera, sed tonsura ad levamen, & ornatum reputabantur, cum ex eis tantæ splendoris majestas proveniret; non enim reputatur malum, quod ingens parturit bonum.

157. D. Chrysost. *Non judicatur malum quod magnum partu it bonum.*

Ait Iob. 30. n. 12. *Ad dexteram Orientis calamitates meæ illico surrexerunt.* Cur à dextris, non à sinistris? quia insufflarunt in eum magnum meritorum cumulum, & gloriæ augmentum. Gillibertus Abbas serm. 38. in Cantic. ait: *Iure ventum illum dextrum vocavit, qui nihil illi quivit sinistrum inferre: qui etiam coronæ gloriæ viro justo comportavit augmentum.* 158. Iob. 30. Gillib.

Quarto: Duo proponuntur ovis occisio, & agni tonsio, sed quid agni tonsio cum mactatione ovis; In ove perditur vita, in agno absque ullo corpored vulnere externum ornamentum componitur; & tamen major patientia visitur in agno, quam in ove; ovis enim cum sit grandis valet resistere, & reluctare, quod minimè præstat agnus ob sui teneritudinem. In occisione ovis adumbratur Christi mors, in tonsione verò quãdo ablata debita reverentia passus est Christus opprobria, ac injurias apud Herodem cum exercitu suo. Tertullian. lib. 6. de Carnis resurrect. ait: *Tamquam ovis ad jugulationem adductus est, & tamquam Agnus ante tondentem, scilicet Herodem sine voce, sic non aperuit os suum.* In agno major patientia demonstratur in tonsione; de eo enim dicitur non aperuit os suum, quod non dicitur in occisione ovis; quia maior patiẽtia exoptatur in viro magno, ac illustri dum tondetur, ac læditur in fama, at honore, quàm dum crudeli vulnere vita aufertur. 158. 159. Tertull. *Contumelia viro ingenuo devitè morte.*

Fortissimus Samson capitur à Philisthæis, ac ab eis obcœcatus multis opprobriis, injuriis, ac ignominiis afficitur, quorum ferè tria millia in quadam domo erant lætantes, & exultantes de suo comprehenso inimico, quæ tota domus nitebatur in duabus columnis, inter quas illusus Samson versabatur, qui accedens ad illas ait: *Moriatur anima mea cum Philisthim, concussisque fortiter columnis cecidit domus super omnes*, Iudic. 16. n. 30. Voluit potius vir magnus forti animo mortem eligere, quam vitam cum convitiis, ac ignominiis ducere D. Ambros. epist. 70 ait: *Vivere, & mori naturæ functio, ludibrio esse opprobrium ducitur, cupiens igitur tantam contumeliam morte in reliquum prævertere, puposcit à puero, ut admoveret eum ad columnas*, &c. Vide in omnibus libris verbo *Injuria.* Cur autem Christus dicatur agnus multas dedi rationes tom. 1. lib. 3. cap. 5. q. 2. per totum, & cap. 5. in Apoc. q. 15. 160. Iudic. 16. *Samson elegit mortem, ne in contumeliis viveret.* D. Ambr.

QVÆSTIO XIX.

Quare cum Propheta testatur, quod Christus D. de angustia judicii sublatus sit, statim adjungit generationem eius esse inenarrabilem?

Ait Isaias citato cap. 53 n. 8. *De angustia, & judicio sublatus est: generationem illius quis enarrabit.* Quod vaticinium duas habet partes; Prima *de angustia judicij sublatus est*, & dupliciter explicatur, primo D. Cyrill. Alexandr. Hieron. Procopius ad citatum locum Isaiæ, Tertullian. lib. contra Iudæos, D. Chrysost. orat. 3. contra Iudæos, & hic Vatablus, Leo à Castro cum Origenes, & Sanchez, Cornel. Ipse nempe Christus verus Filius Dei de angustia, ac iudicio Pilati, ac Pontificum sublatus est ad Crucem, cum esset tam sublimis divinus Vir, ut eius generatio sit ab homine inenarrabilis. 161. D. Cyril. D. Hier. Procop. Tertull. D. Chrysost. *Prima expositio.*

Secunda est eiusdem D. Hieronymi, Ruperti, Carthusiani, Cardinal. Hugonis; Ipse de iudicio Pilati, ac Pontificum, ac ignominia Crucis sublatus est, ut victor ascenderet ad dexteram Patris, ut debebatur eius celsitudini, cuius generatio est inenarrabilis. 162. D. Hier. Rupert. Carthus. Hugo.

Utraque expositio est probabilis, prima communior, & probabilior, quia Propheta immediatè adiungit; *Generationem ejus quis enarrabit, quia abscissus est de terra viventium, propter scelus populi mei percussi eum*, non propter aliquod ipsius delictum, sed propter scelus populi mei, ut ipse in se expiet, & absolvat, ubi cum ad literam sit sermo,

163. *Exprobratio Iudæorũ.* *Generationem ejus quis enarrabit*, hoc dicit Propheta tamquam exprobrando Iudæos, ac si dicat: O Iudæi in tantam amentiam, ac nequitiam incidistis odio, ac invidia frenetici, ut vir tam illustrissimus ac divinus, cuius generatio est inenarrabilis, à vobis sublatus sit ad Crucem, & mortem de terra viventium.

164. *Generationem eius quis enarrabit*; Nam si consideretur divina generatio à Patre, ei consubstantialis est, ejusdem cum illo naturæ, potentiæ, gloriæ, majestatis ab æterno. Si humana ejus generatio consideretur præcellit omnes homines, ut Dominus totius universi, Princeps Angelorum verbum Dei humanitati hypostaticè unitum non confusione naturæ sed in unitate personæ. De hac re latius egi tom. 1. Evang. lib. 1. cap. 2. quæst. 3.

165 Generatio eius dicitur *inenarrabilis*, id est valde occulta, & abscondita disputanti, ac curiosè inquirenti, non verò amanti, ac fervida charitate contemplanti; ad hoc advoco, id quod dicebat Euxenius in Panegyrico ad Constant. *A primo igitur incipiam originis tuæ nomine, quod plerique adhuc fortasse nesciunt, sed qui te amant plurimum sciunt.* Inde suum Imperatorem maximè commendabat, quod ejus progenies occulta esset sapientibus, manifesta verò ipsum amantibus; sic de Filii Dei origine, ac processu plus sapiunt ipsum fervida charitate diligentes, quam curiosè disputantes. Ita dicebat Christus D. ad Patrem suum, Matth. 11. n. 25. *Confiteor tibi Pater Domine Cœli, & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus, & revelasti ea parvulis*; nempe diligentibus.

Fidei mysteria, potius amoris affectu, quàm studio comparantur.

Matth. 11.

166. Ait David Psalm. 138. n. 11. *Et nox illuminatio mea in deliciis meis:* Cum se videt inter caliginosas hujus mundi tenebras se dicit David illuminatum, ut verum solem agnoscat; & unde illi tanta lux, an à sua sapientia, cum ipse inter cæteros esset sapientissimus, ut dicitur 2 Reg cap. 23. n. 8. Minime; sed *in deliciis meis*, in suis nempe amoribus, ac affectuosis contemplationibus cum Deo, ibi tantam lucem, ac splendorem invenit: Gillibertus Abbas serm. 5. in Cantic. ait: *In deliciis, non in scientiis, ita & tu noctem, si non potes scientiis, pertenta illuminare delitiis, quidquid hic videmus per speculum in ænigmate, totum in nocte est, & in hac nocte potest Iesus meus magis dulci quodam affectu suaviter sentiri, quam sciri ad purum.* Nota, ac expende ultima verba. De hac re multa dixi tom. 3. in Evangelia cap. 20. quæst. 6. 7. & 8.

Psal. 138

2. Reg. 23

Gillib. *Plus de Deo agnoscitur contemplando, quam sciendo.*

Actor. 8. *n.* 36. Et dum irent per viam venerũt ad quandam aquam, & ait Eunuchus: Ecce aqua, quid prohibet me baptizari? *Num.* 37. Dixit autem Philippus: Si credis ex toto corde licet: Et respondens ait: Credo Filium Dei esse Iesum Christum. *Num.* 38. Et jussit stare currum, & descẽderunt uterque in aquam Philippus, & Eunuchus, & baptizavit eum. *Num.* 39. Cum autem ascendissent de aqua, Spiritus Domini rapuit Philippum, & amplius non vidit eum. *N.* 40. Philippus autẽ inventus est in Azoto & pertransiens evangelizabat in Civitatibus cunctis donec veniret Cæsaream.

Versiones,

CVM EXPOSITIONE IV.

167. D. Hier. Adrich. Verſ. 36. *Venerunt ad quandam aquam.* Syriac. *Ad locum quendam in quo erant aquæ.* D. Hieronym. de locis Hebraïcis, & Adrichomius testantur in descriptionibus tribus Dan: *Fons Æthiopis est in medio itinere, quo itur ab Ierusalem in Gazam contra Bethsuram, vigesimo ab Vrbe lapide ad radices montis ebulliens, & eadem, qua gignitur sorbetur humo in quo Philippus Eunuchum baptizavit.*

168. Græcus. *Quid prohibet me baptizari.* Aliqui ex Græco legunt; *Quis prohibet*, melius tamen nostra vulgata in neutro *quid*, id est nullum est obstaculum, nullum impedimentum; notat D. Chrysost. modestiam qua petit Baptismum, non ait: Baptiza me, sed tantum suum exponit desiderium, & præ humilitate non audet petere, & ut ait Glossa interlinealis: *Fides plena est, aqua prope, baptizator præsens*, D. Hilarius in Psalm. 67. ait: *Sacramentum Baptismi adeo impatienter postulavit, ut à Diacono ministerium Apostolici officii, salutis suæ cupidus exigeret, arripuit aquæ opportunitatem Eunuchus cujus erat in via raritas per desertum*, & præsentem, & aptam occasionem noluit omittere.

D. Chrysost. Interlin. D. Hilar. *Bona occasio non omittenda.*

169. Arabic. Beda. Verſ. 37. *Si credis ex toto corde licet.* Arabicus; *Si credis sicut oportet.* Beda testatur, quod aliqui addunt: *Si credis ex toto corde salvus eris*, cum dicit *ex toto corde*, id est puriè, sincerè, & non fictè, qui dixit: *Credo Iesum Christum Filium Dei.* Ex his patet Eunuchum instructum fuisse à Philippo Christum esse Filium Dei, incarnatum, passum, mortuum, redivivum ad dexteram Patris, verumque Messiam promissum in lege, ac etiam de cæteris mysteriis ad salutem necessariis, & etiam Philippus exhortatus est Eunuchum ad pœnitentiam ante Baptismum juxta doctrinam D. Petri prædicantis ad populum, dicentis: *Pœnitentiam agite, & baptizetur unusquisque vestrum*, Act. 2. n. 38. Nam in adulto ad recipiendum Baptismum cum fructu necessarius est dolor de iniquè antea factis, ut est definitum in Concilio Tridentino sess. 6. can. 7. Carthag. can. 83. & latè Theologi cum D. Thoma 3. p. q. 68. art. 4.

Actor. 2. Trident. Carthag. D. Tho.

170. Syriac. D. Chrysost. Verſ. 38. *Iussit stare currum.* Syriacus: *Præcepit stare.* Dubitat Cardinalis Hugo, quisnam præcepit, Philippus, an Eunuchus? D. Chrysost. tenet quod Eunuchus, quod cohærentius videtur in lectione Syriaca *præcipit*, quod indicat dominium præcipiẽtis, quod Eunuchus habebat in curru. *Descenderunt uterque in aquam Philippus, & Eunuchus.* Poterat fieri Baptismus in curru aspersione aquæ, sicut in die Pentecostes prædicante Petro tria millia baptizati sunt, Actor. 2. n. 41. & postea quinque millia hominum, Actor. 4. n. 4. & ibi dixi, tamen Eunuchus voluit de curru descendere ad aquam, tum ob eximium magnumque affectum ad Baptismum, tum ob magnam erga Sacramentum reverentiam.

Actor. 2. Act. 4.

171. Carthus. *Qui Deũ timet nihil aliud veretur.* Imo quamvis Eunuchus esset magnus Princeps non veretur se corã servis suis denudare, ut Baptismũ susciperet: Carthus. ait: *Eunuchus magnã familiã habebat, nec tamen coram illis se nudare, ac lavare erubuit, dum coram Deo de propriis verecundabatur peccatis.* Ubi cœpit coram Deo de suis peccatis verecundare, ac divinam iram timere, cum tantum de suis peccatis concepit horrorem, ac timorem, de quocumque alio deposuit horrorem, ac timorem.

172. Interlin. Verſ. 39. *Spiritus Domini rapuit Philippum.* Glossa Interlinealis intelligit Spiritum sanctum, alii, quibus

D.Hier. bus favet D.Hieronymus, Angelum qui supra locutus est Philippo, *rapuit Philippum*; ut inde cognosceret Eunuchus Philippum esse virum magnum, ac peculiariter ei missum à Deo, de quo infra quæst. 21. Eunuchus autem *ibat per viam suam gaudens*. Arabicus: *Perrexit viam suam lætus*. De tanto dono gratiæ in Baptismo sibi dato; gaudium autem est fructus divini Spiritus, ut ait Paulus ad Galat. 5.n.22. de hoc Eunucho, ejusque martyrio dixi supra q.16.

Arabic.

Galat. 5.

173. Pagnin. Vatabl. Syrus. Arabic. Vers. 40. *Philippus autem inventus est in Azoto.* Pagninus: *Repertus est.* Vatablus: *Comparuit.* Azotus Civitas est Palestinæ valde celebris de qua q.21. in limine: *Et pertransiens evangelizabat.* Syrus: *Et inde peragrabat.* Arabicus: *Et abeundo annuntiabat*, Arias, *Prætereiens* evangelizabat per cunctas Civitates, donec veniret Cæsaream civitatem valde illustrem juxta oram maris.

QUÆSTIO XX.

Quare non visis miraculis, nec portentis, Eunuchus tam citò credidit, & tam firma fide susceperit Baptismum?

174. Lectio Scriptura mirac. operatur. CRediderunt Magi Christum verum Deum, viderunt novam stellam in Oriente, credidit Latro pendens in cruce videns multa portenta fieri in toto Orbe; at iste Eunuchus nihil eorum est intuitus, & tamen prompta fide credidit; unde hoc? Erat totus intentus legens sacram Scripturam, & quod multa miracula præstant, hoc una Sacræ Scripturæ lectio exhibet, & adimplet. D.Chrysost. homil.19. in Acta ait: *Dignum profecto mirari Eunuchum illum, non viderat Iesum Christum, non viderat signum. Ultra videbat quis status Ierosolymis, & credidit Philippo. Vnde igitur talis factus? Soluta erat anima illius attendere Scripturis, vacari lectionibus: Cum Latro viderit signa, & Magi viderint stellam; hic tale nihil viderat, & credidit: tanta res est, ac tam utilis Scripturarum lectio.*

D.Chrysost.

175. D.Hier. Lectio sacra impossibilia vincit. Cum volumus significare aliquid impossibile, dicimus Æthiopem dealbare, D. Hieronym. in epitaphio Paulæ ait: *Æthiops Eunuchus mutavit pellem suam, dum vetus relegit instrumentum, & fontem reperit Evangelij.* Unde Æthiops iste potuit tam facile dealbari, dum lectioni Scripturæ instat, invenit condignum salutis indumentum, ac pellem valde dealbatam.

176. Venit mulier Samaritana multis peccatis, ac luxuriis deturpata, ac denigrata ad colloquium cum Christo Iesu, & inde rediit mundata, & dealbata divina gratia, & unde tantam puritatem, ac munditiem est assecuta, dum Christum agnovit ex doctrina legis, ac Prophetarum contenta in Scriptura, dixit enim: *Scio enim, quia Messias venit, qui dicitur Christus, cum ergo venerit, ille nobis annuntiabit omnia*, Ioan.4.n.25. ad quæ verba præclarè D. Chrysost. tract. 2. de Samaritana habito tom.6. ait: *O meretricem de spiritualibus philosophantem! O meretricem Scripturas sacras in ore habentem; & si enim corpore scortationibus cooperta est, animo tamen sacrarum literarum pronuntiatione purgata est.* Mulier multis scortationibus fœdata erat, tamen notitia sacrarum literarum legis, & Prophetarum inservivit ei, tamquam purissima aqua, ut eam ab omni inquinamento ablueret, omnemque illius maculam bstergeret: *Etsi corpore scortationibus cooperta est, animo tamen sacrarum literarum pronuntiatione purgata est.*

Ioan. 4 D Chrysost. Notitia sacra Scriptura efficax ad salutem.

177. D.Chrysost. Unde optimè ait D.Chrysost. homil. 2. de verbis Isaiæ: *Scripturarum lectio cœlorum est reseratio.* Ait suis Apostolis Christus D. *vobis datum est nosse mysterium regni Dei*, Luc.8.n.10. seu ut scribit D.Matth. 13. n. 11. *Vobis datum est nosse mysteria regni Cœlorum*, & quodnam est hoc regnum Dei, seu regnum Cœlorum? Explicat ibi Abulensis: *Sacra nempe Scriptura.* Ipsa nempe sacra Scriptura nobis aperit & patefacit ipsum Regnum Dei, ac januam Cœlorum.

Luc. 8. Math. 13 Sacra Scriptura clavis Cœlorum.

Hinc maximè extollit Cassianus collat. 14. c. 10. Magistros, & Doctores sacræ Scripturæ, qui maximè inserviunt sua doctrina ad animam excolendam in omni virtute, dirigendam ad salutem, & expugnabili munimine custodiam ab omni adversariorum machinatione. Petrus Damianus lib.6. epist. 29. ait: *Mens tua divinis se voluminibus occupet. His intenta pervigili semper instantia perseveret. His antiquus insidiator, cum te viderit intentum velut hostem fugit armatum, & timet cominus aggredi.*

178. Cassian. Scriptura armamur contra inimicum. Damian.

In illa magna, ac mysteriosa fabrica Templi Salomon *posuit Cherubim in medio Templi interioris: extendebat autem alas suas Cherubim, & tangebat ala una parietem, & ala Cherub secundi tangebat parietem alterum*, 3. Reg.6.n.27. Medio posici Cherubini alis suis attingebant utrumque templi interioris parietem habentes sub alis Oraculum, & arcam, nempe ad ipsam custodiendam, ac defendendam, & ad hoc solum Cherubini eliguntur; cur non potius ex aliis Angelorum choris, ex Potestatibus, ex Principatibus, ex Dominationibus? D.Brunus de laudibus Ecclesiæ cap. 3. ait: *Bene autem sub alis Cherubim Arca testamenti stare dicitur, quia nihil est, quod sic Ecclesiam Dei defendat, & muniat, sicut sermo divinus, & scientia Scripturarum.* In Cherubinis significata scientia Scripturarum magis tuetur, ac protegit Ecclesiam, ac omnem sanctitatem, quam omnes Principatus, Potestates, ac Dominationes.

179.

3. Reg. 6

D. Brun. Scientia Scripturarum defendit, & custodit Ecclesiam.

QUÆSTIO XXI.

Explicatur quænam Civitates sint Azotus & Cæsarea, de quibus agitur in præsenti.

ANgelus transtulit Philippum in Azotum, quæ est una ex quinque principalibus Civitatibus Palestinorum, & valde celebris, in ea captiva extitit Arca Domini, 1.Reg.5.n.1. distat à Gaza quadraginta circiter milliaria, & ex hac Civitate per alias Civitates pertransiens Philippus evangelizabat Christum Iesum verum Deum.

180. Azotus.

1. Reg. 5.

Donec veniret in Cæsaream. Ortelius hujus nominis in thesauro geographiæ numerat octo, vel novem Civitates, hæc de qua hic agitur juxta mare Mediterraneum sita inter Doram, & Ioppen prius Turris Stratonis dicta. Ab Herode tamen Ascalonita, dicta est Cæsarea ob honorem Augusti Cæsaris cui eam dicavit, & diversa est à Cæsarea Philippi, quam Philippus Herodis filius ædificavit ad radices Libani, in honorem Neronis Cæsaris, unde dicta fuit Cæsarea, & etiam Neronias.

181. Cæsarea. Ortelius *Varia nomina.*

In hac nostra Cæsarea iste Philippus Diaconus habuit suam domum, & simul in ea quatuor filias Prophetissas, Actor. 21. Ibi Herodes Agrippa quia acclamabatur *vox Dei* ab Angelo percussus interficitur, Actor. 12. In ea Cornelius Centurio baptizatur à D. Petro, qui primus illius Apostolus est dictus, Actor. 10. & hic Agabus prophetizavit Paulo illius vincula, ubi Apostolus carcere detentus causam suã pertractavit coram Rege Agrippa, & Felice Præside, & vinculis incarceratus à Festo Cæsarem appellavit, Actor. 25.

182. *Multa, quæ in illa contigerunt.* Actor. 12 Actor. 10 Act. 23.

QUÆSTIO

QUÆSTIO XXII.

Quare tam citò Angelus rapuit Philippum à præſentia Eunuchi?

183. Dani. Ezech 8. ARripuit Angelus, ſicut tranſtulit Prophetam Habacuc in Babyloniam, Daniel. 14. n. 35. & ſicut apprehendit Ezechielem 8. n. 3. Sed cur tam ſubitò, expleto Baptiſmo?

184. D. Chryſoſt. Lyran. Reſpondet D. Chryſoſt. ut Philippus *eſſet in admiratione, tamquam vir non vulgaris, ſed divinus, ac Prophetis non inferior*, & deinde ejus doctrina eſſet in multa æſtimatione. Secundo Lyranus, *Ut Eunuchus intelligeret Philippum à Deo* ſpecialiter fuiſſe miſſum ad eum informandum *de fide, & baptizandum.* Ut inde multas gratias Deo exhiberet pro tam peculiari beneficio ſibi dato. Tertio Oecumenius ait: *Quoniam voluiſſet Eunuchus adhuc congredi, & Philippus abnuens, ac denegans, cum nondum tempus eſſet, ipſum utique contriſtaſſet;* Quia Eunuchus vellet Philippum apud ſe detineri, quem Deus volebat aliis gentibus prædicare; dona enim Dei non in uno coarctantur, ſed in multos exundant.

Oecum.

185. Tertull. Quarto Tertullianus lib. de Baptiſmo ait: *Cui ultro Deus Apoſtolum miſerat, ad quem rurſus Spiritus, ut ſe curriculo adjungeret, juſſerat, Scriptura ipſius fidei occurrit, in tempore exhortatus adſumitur, Dominus oſtenditur, fides non moratur, aqua non expectatur, Apoſtolus perfecto negotio eripitur.* Conceditur, ut Æthiopi Eunucho Philippus præſens adſit, quandiu Salvator negotium exigit, ut Scripturam exponat, fidei myſteria explicet, & in neceſſariis inſtruat, ac baptiſmali aqua mundet, quo abſoluto munere, amplius Philippus non immoratur, ſed ſtatim eripitur ab Angelo, & recedit: *Apoſtolus perfecto negotio eripitur.*

Expleto officio miniſter abeat.

186. Ioan. 19. *Chriſtus expleto Redemptoris officio expiravit.* Scribit D. Ioan. 19. n. 23. *Quod cum accepiſſet Ieſus acetum, dixit: Conſummatum eſt, & inclinato capite tradidit Spiritum.* Ad quid meus Ieſus cum expiraſſet proclamat alta voce omnia eſſe conſummata, quæ de eo erant prædicta, & prophetizata? Chriſtus, ut ſupremus Dominus habebat in ſua poteſtate vitam, & mortem, & dum ea, quæ ad Redemptoris munus ſibi à Patre commiſſa fuerant, implerentur, voluit in hoc ſæculo retineri; at ſua delegatione & Redemptoris officio adimpleto, omnibuſque, ad quæ miſſus fuerat, perfectis, & abſolutis, iã non erat immorandũ, ideoque expiravit: D. Chryſoſt. homil. 84. ait: *Vbique demonſtrare adnititur novam hanc mortem fuiſſe, ſiquidem in poteſtate morientis erat, ne priuſquam ipſe vellet, & omnia impleta eſſent, moreretur.* Similiter Theophylactus, ait: *Non prius mors corpus ejus invaſit, quam ipſe voluit, voluit autem cum compleret omnia.*

D. Chryſoſt. Theoph.

187. Luc. 1. Cum accepiſſet Sanctiſſima Maria Virgo cognatam ſuam eſſe prægnatam Elizabeth profecta eſt ad eam viſitandam, & ut notat D. Lucas 1. n. 56. ibi: *Manſit autem Maria menſibus tribus, & reverſa eſt in domum ſuam.* Cur Virgo ſanctiſſima per tres menſes ibi immoratur, & illis tranſactis propriam domum repetit? Profecta eſt Maria Sanctiſſima, ut parienti Elizabeth debitum officium ſedula ſua charitate miniſtraret, & ibi per tres detinetur menſes; poſtquam autem partus eſt editus, ſuumque Virgo exhibuit miniſterium, & expleto debito officio parienti, nulla jam aderat cauſa ibi permanendi, & idcirco ultra non detinetur, ſed ad propriam domum revertitur. D. Ambroſ. lib. 2. in Lucam, ait: *Maria in domo ſera, feſtina in publico manſit apud cognatam ſuam tribus menſibus; Etenim, quæ propter officium venerat, inhærebat officio,* ut illud impleret, quo abſoluto jam amplius non erat ibi immorandum.

D. Ambr.

CAPUT IX.

1. *Saulus autem adhuc ſpirans minarum, & cædis in diſcipulos Domini acceſſit ad Principem Sacerdotum,*
2. *Et petiit ab eo epiſtolas in Damaſcum ad Synagogas, ut ſi quos inveniſſet hujus viæ viros, ac mulieres vinctos perduceret in Ieruſalem.*
3. *Et cum iter faceret, contigit, ut appropinquaret Damaſco: & ſubito circumfulſit eum lux de Cœlo.*
4. *Et cadens in terram audivit vocem dicentem ſibi: Saule, Saule, quid me perſequeris?*
5. *Qui dixit: Quis es Domine. Et ille: ego ſum Ieſus, quem tu perſequeris; durum eſt tibi contra ſtimulum calcitrare.*
6. *Et tremens, ac ſtupens dixit: Domine, quid me vis facere.*
7. *Et Dominus ad eum: Surge, & ingredere Civitatem, & ibi dicetur tibi, quid te oporteat facere. Viri autem illi, qui comitabantur cum eo, ſtabant ſtupefacti, audientes quidem vocem, neminem autem videntes.*
8. *Surrexit autem Saulus de terra, apertiſque oculis nihil videbat. Ad manus autem illum trahentes introduxerunt Damaſcum.*
9. *Et erat ibi tribus diebus non videns, & non manducavit, neque bibit.*
10. *Erat autem quidam diſcipulus Damaſci, nomine Ananias; & dixit ad illum in viſu Dominus. Anania. At ille ait: Ecce ego Domine.*
11. *Et Dominus ad eum: Surge, & vade in vicum, qui vocatur rectus, & quære in domo Iudæ Saulum nomine Tarſenſem: ecce enim orat.*
12. *(Et vidit virum Ananiam nomine introeuntem, & imponentem ſibi manus, ut viſum recipiat.*
13. *Reſpondit autem Ananias: Domine, audivi à multis de viro hoc quanta mala fecerit Sanctis tuis in Ieruſalem.*
14. *Et hic habet poteſtatem à Principibus Sacerdotum alligandi omnes, qui invocant nomen tuum.*
15. *Dixit autem ad eum Dominus; Vade, quoniam vas electionis eſt mihi iſte, ut portet nomen meum coram gentibus, & regibus, & filiis Iſrael.*
16. *Ego enim oſtendam illi quanta oporteat eum pro nomine meo pati.*
17. *Et abiit Ananias, & introivit in domum, & imponens ei manus, dixit: Saule frater, Dominus miſit me Ieſus, qui apparuit tibi in via, qua veniebas, ut videas, & implearis Spiritu ſancto.*
18. *Et confeſtim ceciderunt ab oculis ejus tamquam ſquamæ, & viſum recepit, & ſurgens baptizatus eſt.*
19. *Et cum accepiſſet cibum, confortatus eſt: Fuit autem cum diſcipulis, qui erant Damaſci per dies aliquot.*
20. *Et continuo in Synagogis prædicabat Ieſum, quoniam hic eſt Filius Dei.*
21. *Stupebant autem omnes, qui audiebant, & dicebant: Nonne hic eſt, qui expugnabat in Ieruſalem eos, qui invocabant nomen iſtud: & huc ad hoc venit, ut vinctos illos duceret ad Principes Sacerdotum.*
22. *Saulus autem multo magis convaleſcebat, & confundebat*

fundebat Iudæos, qui habitabant Damasci, affirmans, quoniam hic est Christus.

23. *Cum autem implerentur dies multi Concilium fecerunt in unum Iudæi, ut eum interficerent.*

24. *Notæ autem factæ sunt Saulo insidiæ eorum: Custodiebant autem & portas die, ac nocte, ut eum interficerent.*

25. *Accipientes autem eum discipuli nocte, per murum dimiserunt eum, submittentes in sporta.*

26. *Cum autem venisset in Ierusalem tentabat se jungere discipulis, & omnes timebant eum non credentes quod esset discipulus.*

27. *Barnabas autem apprehensum illum duxit ad Apostolos, & narravit illis, quomodo in via vidisset Dominum, & quia locutus est ei, & quomodo in Damasco fiducialiter egerit in nomine Iesu.*

28. *Et erat cum illis intrans, & exiens in Ierusalem, & fiducialiter agens in nomine Domini.*

29. *Loquebatur quoque gentibus, & disputabat cum Græcis; illi autem quærebant occidere eum.*

30. *Quod cum cognovissent fratres deduxerunt eum Cæsaream, & dimiserunt Tarsum.*

31. *Ecclesia quidem per totam Iudæam, & Galilæam, & Samariam, habebat pacem, & ædificabatur ambulans in timore Domini, & consolatione sancti Spiritus replebatur.*

32. *Factum est autem, ut Petrus dum pertransiret universos, deveniret ad Sanctos, qui habitabant Lyddæ.*

33. *Invenit autem ibi hominem quendam nomine Æneam, ab annis octo jacentem in grabato, qui erat paralyticus.*

34. *Et ait illi Petrus: Æneæ, sanat te Dominus Iesus Christus: Surge, & sterne tibi; Et continuo surrexit.*

35. *Et viderunt eum omnes, qui habitabant Lyddæ, & Saronæ, qui conversi sunt ad Dominum.*

36. *In Ioppe autem fuit quædam discipula nomine Tabitha, quæ interpretata dicitur Dorcas: Hæc erat plena operibus bonis, & eleemosynis, quas faciebat.*

37. *Factum est autem in diebus illis, ut infirmata moreretur. Quam cum lavissent posuerunt eam in Cœnaculo.*

38. *Cum autem prope esset Lydda ad Ioppen, discipuli audientes, quia Petrus esset in ea, miserunt duos viros ad eum, rogantes: Ne pigriteris venire usque ad nos.*

39. *Exurgens autem Petrus venit cum illis. Et cum advenisset duxerunt illum in Cœnaculum, & circumsteterunt illum omnes viduæ flentes, & ostendentes ei tunicas, & vestes, quas faciebat illis Dorcas.*

40. *Ejectis autem omnibus foras, Petrus ponens genua oravit, & conversus ad corpus, dixit: Tabitha surge. At illa aperuit oculos suos, & viso Petro resedit.*

41. *Dans autem illi manum, erexit eam. Et cum vocasset Sanctos, & viduas, assignavit eam vivam.*

42. *Notum autem factum est per universam Ioppen, & crediderunt multi in Domino.*

43. *Factum est autem, ut dies multos moraretur in Ioppe apud Simonem quendam Coriarium.*

ARGUMENTUM.

TRia proponuntur in hoc Capite, Admirabilis Pauli conversio, Æneæ paralytici curatio, Tabithæ, seu Dorcas suscitatio.

Actor. 9. n. 1. Saulus adhuc spirans minarum, & cædis in discipulos Domini, accessit ad Principem Sacerdotum.

Num. 2. Et petiit ab eo epistolas in Damascum ad Synagogas, ut si quos inveniset hujus viæ viros, ac mulieres vinctos perduceret in Ierusalem.

Versiones,

CVM EXPOSITIONE I.

1. Syriac. Arabic. Æthiop. Vers. 1. *Saulus adhuc spirans minarum.* Syriac. *Adhuc erat plenus minis, furoreque cædis.* Arabicus: *Cæterum Saulus spirans erat minas, & necem.* Æthiopicus: *Sauli cum processisset ira, multiplicavit flatum.* Nota illud *Adhuc*, ac si dicat, crudelitatem, aviditatem, ac sitim suam sanguinis Christianorum, non explevit Saulus nece Stephani, ac Actor. 8. multorum Christianorum ferè duorum millium, ut vidimus cap. 8. n. 2.

2. Syriac. *Spirans minarum, & cædis.* Syriacus: *Plenus minis, furore,* tamquam rabidi, ac furentis Leonis fumantem ignem spirabat, corporis gestu, & actionibus, & verbis jactantibus crudelissimas, ac lethiferas minas, ut omnes Christianos eradicaret, & extingueret; totum hoc significat illud *spirans*: sic de 2 Mac. 9. Antiocho Rege scribitur Machabæor. 2. cap. 9. n. 7. *Ignem spirans animo in Iudæos. Ad Principem Sacerdotum,* qui tunc erat Annas, vel aliquis ex Annæ filiis, ut vidimus supra cap. 4. n. 6. 3.

Petiit ab eo epistolas. Syriacus: *Poposcit epistolam à Summo Pontifice sibi dari,* non mandatus, nec rogatus, sed ipse se obtulit. Tantus erat furor Pauli, ut non solum persequeretur Christianos in Iudæa, sed etiam in aliis locis, & Civitatibus, ut ipse de se fatetur in cap. 26. n. 11. dicens: *Et amplius insaniens in eos persequebar usque in exteras Civitates, in quibus dum irem Damascum.* Damascus caput Syriæ distans à Ierusalem 50. leucis ad latus Libani sita, suum Regem habebat Aretam, 2. Cor. 11. n. 31. & quia in persecutione Stephani multi Christiani confugerũt in Damascũ, Iudæi impetrarunt à Rege Areta, ut Christiani existentes in Damascoibi comprehenderentur, ut constat ex citato loco 2. Cor. 11. & ibi notant Expositores, & ideo Saulus peculiariter postulavit epistolas in Damascum. Actor. 26. Damasc. 2. Cor. 11.

A Summo Pontifice, ait Syriacus, ut notat Lyranus, *ut ex ejus authoritate magis posset fidelibus nocere.* Et dicitur in Textu: *Ad Synagogas*, quas olim Rex Benadad concesserat Iudæos habere in Damasco, 3. Reg. 20. n. 34. & sic legit Arabicus: *Ad Synagogas ibi commorantes.* In Damasco nempe: *Si quos inveniset hujus viæ viros.* Syriacus: *Si quos eruditos in hac via inveniret.* Æthiopic. *Sequentes hanc viam,* scilicet Christi sectatores. 4. Lyran. 3 Reg. 20. Syriac. Æthiop. 5. Arabic.

Vinctos perduceret in Ierusalem. Arabicus: *Vinctos adduceret,* ex quo patet, quod Saulus non ibat solus, sed alii cum eo, quorum ipse dux erat, ut Christianos

Chriſtianos vinctos traherent, & quando Chriſtus infra loquens ei apparuit, ait Textus verſ. 7. *Illi, qui comitabantur cum eo ſtabant obſtupefacti, audientes vocem, neminem videntes,* & ut bene notant D. Chryſoſt. Oecumenius: *Non petiit poteſtatem eos ſibi puniendi, ſed adducendi Ieroſolymam, quod hæc majori authoritate fieri vellet,* vel fortè Saulus ſecum habuit hanc prudentiam, cum ſe videret multum iracundũ à judicando ſe abſtinuit, ne aliquid inordinatum committeret.

D. Chryſoſt. Oecum. *Iracundus abſtineat ſe à judicando*

QUÆSTIO I.

Quare iſte illuſtriſſimus dictus eſt Saulus, & poſtea Paulus?

6. *Ætas Sauli.* Marty rolog. Baron.

HÆc admirabilis converſio contigit anno ſecundo ab Aſcenſione Chriſti, ut habet Martyrologium Romanum die 24. triginta diebus à nece D. Stephani, cum eſſet Saulus triginta quatuor annorum ætatis ſuæ, ut tenet Baronius anno Chriſti 3. Epitome Spondani n. 5.

7. *Quare dictus eſt Paulus* D Ambr. D. Aug. D. Chryſoſt.

Circa nomen Pauli larga tractant Expoſitores ad initium epiſtol. ad Romanos D. Ambroſ. ſerm. 31. & D. Auguſt. ſerm. de D. Paulo, dicunt hoc nomen ſibi aſſumpſiſſe ex humilitate D. Chryſo. homil. de converſione Pauli ait, hoc nomen ei datum fuiſſe à Deo, ut nomen dedit multis Patriarchis, & Apoſtolis tanquam ex pabulo, & alimento, quod dedit Eccleſiæ. Alii, & communiter Recentiores Paulum dictum exiſtimant à Sergio Paulo Proconſule, qui fuit primus, quem ipſe convertit in Inſula Cypro, Actor. 13. n. 7. & grandis conjectura eſt, quia ante huius converſionem ſemper nominatur Saulus, & poſt etiam Baptiſmum nunquam dicitur Saulus, ab eo ergo nomen accepit ob illius amicitiam, & ut ſe magis inſinuaret, & tamquam à primo converſo, ac trophæo ſuæ prædicationis nomen habuit Paulus.

Act 13.

8. D Aug. Græcus. Syriac.

Saulus, ut notat D. Auguſt. ſerm. 14. de Sanctis dictus eſt à Saul, unde Græca, & Syriaca exemplaria pro Saule, Saule habent Saul, Saul; Et recte convenit nomen; nam ſicut Saul, ut ait D. Auguſtinus perſequebatur innocentem Davidem, *Inde iſte Saulus ducto ſecum tramite ſæviendi perſequebatur Chriſtianos, & cum eſſet ex Tribu Benjamin in eis eſt impleta illa prophetia Iacobi,* Geneſ. 49. n. 27. *Benjamin lupus rapax mane comedet prædam, & veſperè dividet ſpolia.* Quod dictum eſt Benjamin deſignans Paulum ab eo origine trahentem, ut notant D. Chryſoſtom. D. Hieronymus, D. Auguſt. & D. Ambroſ.

Gen. 49. D Chryſoſt. D Hier. D. Aug. D. Ambr

9. Gen 43. *Paulus in multis ad umbratur in Beniamin.* Gen 31.

Et ſicut Benjamin fuit ultimus, & minimus, ſic & & Paulus extitit ultimus inter cæteros Apoſtolos: & ſicut Benjamin à Ioſeph multis prærogativis nobilitatus eſt, Geneſ. 43. n. 34. ſic & Paulus multis privilegiis præ cæteris Apoſtolis dotatus fuit à Chriſto, & ſicut Beniamin naſcens ob mortem matris dictus eſt Benoni, filius doloris, Geneſ. 31. n. 18. at poſtea ob multa amoris patris ſigna appellatus eſt Benjamin, id eſt filius dexteræ, ibidem n. 19. ſic & Saulus ob multam Chriſtianorum mortem filius doloris Eccleſiæ erat, tamen poſtea magna Dei gratia ſuperveniente mutatus eſt Paulus, & dictus filius dexteræ ob multa mirabilia.

10. Damian. *Cur Paulus dupingatur ad dexteram Chriſti.*

Magno ingenio notavit, & quærit Petrus Damianus opuſcul. 55. cap. 1. *Cur in imaginibus ac tiquis picturarum per univerſas adjacentes Romæ Provincias, Petrus, qui primus eſt ad ſiniſtram, Coapoſtolus autem ejus Paulus conſtituntur ad dexteram; cum juxta vulgarem ſenſum hoc rerum ordo depoſcat, ut Petrus, qui Senatus Apoſtolici Princeps eſt dexterum latus Domini, Paulus verò qui junior eſt, ſiniſtrum iure poſſideat.* Quæ omnia alta providentia, & magno conſilio diſpoſita, ac ordinata ſunt à S. Sylveſtro Papa, Conſtantino Magno, ac cæteris, qui inde ſubſecuti ſunt, & Paulus ſit ad dexteram Salvatoris, Petrus verò ad ſiniſtram? Ad quæſtionem

11. Damian.

Reſpondet ipſe Damianus: *Non ergo immeritò filius dexteræ Paulus vocatur, per quem omnis gentium multitudo, quæ ad dexteram Dei ponenda eſt, ad fidei Sacramenta colligitur.* Petrus paucam doctrinam nobis dedit, duas tantum epiſtolas ſcripſit, at Paulus multas magnâ, altaque ſapientiâ plenas, quas mirificè laudat D. Petrus 2. epiſt. 3. n. 15. In eis nobis Paulus magnam dat fidei doctrinam, magna, & alta nobis aperit myſteria, explicatque; multa, & ſublimia præbet documenta ad ſuſtentandam, ac defendendam Eccleſiam, & ad converſionem, & vocationem gentium, quæ ſpectant ad dexteram Dei; Paulus doctrina ſua convocat gentes, quæ conſtituendæ ſunt ad dexteram Dei, indeque optimo jure ipſe ad dexteram collocatur. Unde concludit Damianus. *Rectè igitur Paulus dexteram iuxta Redemptorem lateris obtinet dignitatem, qui divinæ dexteræ non ambitur exercere virtutem.*

2. Petr. 3.

Paulus dicitur filius dexteræ.

QUÆSTIO II.

Quare Saulus à Summo Pontifice non poſtulat mandata, ſed epiſtolas?

12. *Deus contraria arma vertit in ſalutem.*

NOn poſtulat Saulus à Principe Sacerdotum decreta, mandata, proviſiones, ſed epiſtolas: Maximè conſideranda eſt altitudo, & profunditas Divinæ Sapientiæ: ipſe totus furibundus, & anhelans quærit, & poſtulat ad Dei Eccleſiam deſtruendam, deturpandam, obſcurandam, ac extinguendam; ordinat Deus ut ipſe ſcribat, & nobis det epiſtolas divina Sapientia plenas, ad fundandam, extruendam, ac illuſtrandam Eccleſiam: O mutatio dexteræ excelſi! qui ſic rerum ordinem, ac ſtylum immutat, quic ſic convertit hoſtilia arma in ſalutare fomentum, ac patrocinium, & ſic manus obarmata cum epiſtolis ad expugnandam Eccleſiam, ſit manus armata cum epiſtolis ad fortiter pugnandum pro defenſione ipſius Eccleſiæ.

13. Iſaiæ 2.

Ait Iſaias 2. n. 5. *Conflabunt gladios ſuos in vomeres, & lanceas ſuas in falces.* Et quando hoc factum eſt, ut gladii, qui ſunt ad perdendam vitam, convertantur in aratrum, & inſtrumentum alendæ vitæ; & lanceæ, quæ ſunt ad deſtruendum, ſint pro metendis alimentis? Hoc totum in Paulo videmus impletum, ait Tertulliã. lib. adverſus Gnoſtic. c. 13. & ait: *Paulus Apoſtolus de perſequutore, qui prius Eccleſiæ ſanguinem fudit, poſtea gladium ſtylo mutans, & convertens machæram in aratrum, lupus rapax Beniamin, deinde afferens ipſe eſcam.* Paulus totus furibundus gladios, & lanceas ſpirans ad perdendos Chriſtianos, & totos eos tamquam lupus rapax ibat ad devorandos, ſed Deus mutat ſtylum, ut gladii vertantur in epiſtolas reipublicæ Chriſtianæ fundatrices; & tota illa machæra mille mortes ſpirans, tota verſa eſt in aratrum Cœleſtis doctrinæ ad mirificè excolendum Eccleſiæ agrum, & qui erat lupus voraciſſimus, cœleſtis alimenti diſpenſator factus eſt.

Tertull. *Inſtrumenta mortis mutavit Deus in epiſtolas ſalutis*

14. Pſal. 47.

Ait Regius Vates Pſalm 47. n. 1. *Magnus Dominus, & laudabilis nimis in Civitate Dei noſtri in monte Sancto eius Fundatur exultatione univerſæ terræ mons Sion. Latera Aquilonis Civitas Regis magni.* Mirifice laudat Propheta Dei maieſtatem, & excellentiam *in Civitate Dei noſtri*, in ſua nempe Eccleſia, in qua mirificè glorificatur à ſuis fidelibus, & cum ſummo gaudio, & lætitia univerſi orbis fundatur ſuper

per montem Sion. & ſuper latera Aquilonis: *Fundatur cum exultatione univerſæ terræ mons Sion latera quilonis.* Quomodo Eccleſia habet pro ſuo fundamento Sion, & Aquilonis latera? Pro Paulo explicat ibi D.Ambroſ.& ait: *Vide Paulum cùm perſequitur Eccleſiam Dei, latus Aquilonis fuiſſe, vide nunc cum legitur in Eccleſia montem eſſe ſpeculatorium, per quem gloriam Chriſti cognoſcimus, & videmus.* Dominus Deus noſter magnus Dominus, & laudabilis nimis, ſuam magnitudinem oſtendit in Paulo, pro quo maximè extollendus, latera Aquilonis Paulus eſt cum D. Ambroſ. interpretatur etiam Rupertus Aquilo ventus fortis, & rigidus omnia conterens, & ideo Lucifer dicebat: *Sedebo in lateribus Aquilonis*, Iſai. 14.n.14. Sic Saulus cum iret ſpirans vuluti conterens omnes Chriſtianos: at verò poſtea Dei gratia factus eſt mons Sion *montem ſpeculatorium*, creatus eſt altiſſimus mons acutiſſima perſpicacia, & ſpeculatione ſublimium myſteriorum Dei, quorum notitia totam Eccleſiam illuſtravit, ac illuminavit aperiens arcana abſcondita à ſæculo: *Montem eſſe ſpeculatorium, per quem gloriam Chriſti cognoſcimus, & videmus*, & ideo pro tanto magiſtro conceſſo: *fundatur cum exultatione univerſæ terræ.*

D.Ambr.

Ruperr. *Deus magnus ex Paulo perſecutore fit illuminator Eccleſiæ.* Iſai. 14.

QUÆSTIO III.

Quare Paulum tam crudeliter ſævientem Deus vocat ad lumen ſuæ Eccleſiæ?

15. *Ingenium vitioſum bene excultum ſit virtute magnum.*

PEtit epiſtolas in Damaſcum ejus veliemens zelus, inde oſtenditur quod ad exteras nationes cum impellebat. Sic ait D. Chryſoſt. in præſenti: *Quod ex Zelo faciebat; manifeſtum ex eo, quòd in exteras civitates abibat.* Illa Pauli diſpoſitio, conditio, ac ingenium ad valde magna aptum erat, ſed multum incultum, tamquam ager fertilis inutilibus herbis repletus, qui bene excultus uberes fructus parturiet. Ita D.Auguſt. lib.22. contra Fauſtum cap. 70. ait: *Illa namque Pauli ſævitia putans officium Deo facere, tamquam Sylveſtre erat vitium, ſed magnæ fertilitatis indicium.*

D.Ang.

16. Exod.2. *Ingenium feroximature ſcit in virtute.*

Quod confirmat optimè exemplo Moyſis, qui cum vidiſſet Ægyptium quendam percutientem Hebræum, defenſo Hebræo interfecit Ægyptium. *Percuſſum Ægyptium abſcondit ſabulo*, Exod.2.n.12. In quo facto licet alias vitioſo Moyſen tamquam virum magni animi Deus deſtinavit, ac elegit in ducem, ac Principem ſui populi, ſic ait citatus D.Auguſt. *Sicut Agricolæ, quam terram viderint*, quamvis inutiles, tamen ingentes herbas porrigere frumentis aptam eſſe pronuntiant: ſic ille animi motus, quo Moyſes fratrem inultum eſſe non pertulit: non virtutum fructibus inutilis erat, ſed adhuc incultus, vitioſa quidem, ſed magnæ fertilitatis ſigna fundebat.

17. Matth.9.

Vidit Deus hominem ſedentem in telonio Matthæum nomine, & ait illi; ſequere me, Matth.9. n.9. Vocat Chriſtus Dominus Matthæum è telonio, cur non potius, quando erat in Templo ad orationes, quæ ibi fiebant, vel quando erat degens, vel ambulans, ſed è telonio vocat eum ad Apoſtolum, ac Evangeliſtam? D.Paſchaſius: *Erat in telonio fervido zelo numerans pecunias, & non minori cuncta ſcribens.* Actiones defectuoſæ, ſed bene excultæ, multum proficuæ ad Apoſtolicam prædicationem, & ad ſolertè nobis Evangelium literis commendandam.

D.Paſch.

Actor.9.n.3. Et cum iter faceret, contigit, ut appropinquaret Damaſco, & ſubito circumfulſit eum lux de Cœlo.

Num.4. Et cadens in terram audivit vocem dicentem ſibi: Saule, Saule quid me perſequeris?

Verſiones,

CUM EXPOSITIONE II.

Verſ.3. *Cùm iter faceret.* Syriacus: *Cumque proficiſceretur, inciperetque appropinquare.* Alii: Cumque iens, & inciperet *pervenire* medio ab urbe milliari *ſubito.* Syriacus: *De repente.* Ait Lyranus. Ut ſolet fieri in coruſcatione, & fulgore, ſemper Deus in modo operandi, quantum fieri poteſt ſe accommodat rebus naturalibus, & divina quando minus cogitantur, adſunt. 18. Syriac. Syriac.

Circumfulſit eum lux de Cœlo. Syriacus: *Affulgens circa eum fuit lux.* Arabicus: *Effulſit ſuper eum lumen de Cœlis.* Æthiopicus: *Fuit meridiana, & magna lux*, & cum eſſet meridianum tempus, illa lux ſuperavit ſolis ſplendorem: & non ſolius Pauli, ſed omnium comitum ejus oculos perſtrinxit, & omnes humi ſe ſe proſtraverunt. 19. Syriac. Arabic. Æthiop.

Verſ.4. *Cadens in terram* præ ſtupore, ac admiratione: *Audivit vocem* auditu corporis, & mentis, quæ vox prolata fuit Hebraïca lingua, ut ipſe infra teſtatur, quam vocem ſolus ipſe intelligens audivit, & intellexit; nam comites audierunt vocem confuſam non eam intelligentes: *Saule, Saule,* Hebraïcè *Saul, Saul*, hæc repentinò fit ad majorem efficaciam, & ad magis excitandam attentionem. *Quid me perſequeris?* Meum nempe corpus myſticum, meam nempe Eccleſiam, ejuſque membra, nempe illius fideles. 20. Hebraïc

QUÆSTIO IV.

Quare Chriſtus D. tot, & tanta interpoſuit ad converſionem Pauli?

AIt Regius Vates Pſalm. 105. n.2. *Quis loquetur potentias Domini, auditas faciet omnes laudationes eius.* Quod de Dei magnificentia erga Paulum expendit Chryſoſtom. ſerm.4. in epiſtol. ad Philipp. ubi ſic ait: *Quis loquetur potentias tuas Domine, quod Paulum non es paſſus deliteſcere, ſed Orbi univerſo virum hunc in lucem exhibuiſti; Laudarunt te ſimul omnes Angeli cum aſtra creares, & Solem, verumtamen non ita quemadmodum cum Paulum nobis toto Orbi conſpicuum faceres.* Te, Domine, laudarunt omnes Angeli, cum tua infinita potentia aſtra creaſti, & Solem nitentes in Orbe, & multo magis te laudabunt cum nobis dediſti Paulum ſua doctrina ſplendidiorem lucem ſuper Solem, & Aſtra. 21. Pſal.105 D.Chryſoſt. *Maximè reſplendet Dei potentia in Paulo.*

Quæſtio præſens eſt cur Deus tot, & tanta exhibeat, ut ad ſe advocet, & trahat Paulum. Vt tota Ninivitarum Civitas converteretur ſufficiens fuit una Prophetæ vox; ut David à ſuo adulterio exurgeret, una Nathan Prophetæ admonitio præſtitit. At ut Saulus convertatur lux fulget de Cœlo, Filius Dei de dextera Patris deſcendit, ipſe cadit in terram, vox tamquam tonitrui magni ſonat, & ipſe Saulus proprio nomine bis vocatur: *Saule, Saule*, deinde ipſius crimen ei obiicitur: *Cur me perſequeris?* 22. Ionæ.3. 2.Reg.12 *Difficultas quæſtionis.*

Reſpondeo, ut tota Civitas à ſua prævaricatione emẽdaretur, & ut Rex à ſuo adulterio deſiſteret, extitit 23.

abundans una Prophetæ vox, at in conversione Pauli, non solum res erat, ut ipse crederet, sed etiam ut Judaïsmi zelum deponeret, quo contra Christum fervebat, & disputationes, prædicationes, quas pro suo errore confecerat, tunc retractaret, ac damnaret, & pro ejus refutatione multa diceret faceret, ac prædicaret, & quod homo ingenuus suam retractat sententiam, ac revocet, seque erasse fateatur, res magni negotii est, & multum per omnem modum exquiritur, ut lux de Cœlo fulgeat, Filius Dei adveniat, vox ut tonitrui resonet, homo prostratus cadat, & multipliciter suo nomine vocetur. D. Chrysost. ad hunc locum Actor. ait: *Continuo in Synagogis prædicabat, non erubescebat mutationem, neque formidabat destruere ea, in quibus antea glorificabatur*, de hoc alibi.

Mirabilia requiruntur, ut vir magnus sententiam mutet.

D. Chrysost.

Secundo, ut satis notum experientia est, ad magnum ædificium constituendum ac erigendum, multa, & magna sunt interponenda. Uno verbo creavit, Deus lucem, uno verbo Solem, Lunam, at vero cum ad hominis creationem devenitur, ait Deus *Faciamus hominem ad similitudinem nostram*, Genes. 1. n. 20. Et iterum: *Formavit Deus hominem de limo terræ, & inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ*, Genes. 2. n. 7. Quod ponderans Richardus lib. de Emmanuele, ait: *Opifex Deus fecit creaturam rationalem ad imaginem, & similitudinem suam tamquam magno consilio facto, & opere magno impenso, ut supremum Dei opificium.* Cæteri Apostoli vocantur à Christo uno verbo: *Venite post me*, Matth. 4. n. 19. Matthæus altero verbo: *Sequere me*, Matth. 9. At cum vocatur Paulus multa, & magna convocantur, lux de Cœlo fulget, aer tonittu resonat, Filius Dei à throno suæ majestatis descendit, & repetito verbo proclamatur. *Saule, Saule*, quasi ad supremum Apostolici muneris apicem, *tamquam magno consilio facto, & opere magno impenso, ut supremum Dei opificium*:

24. *Ad magna facienda multa requiruntur.* Gen. 1. Gen. 2. Richard. Matth. 4. Matth. 9. *Ad vocationem Pauli ut ad magnum opificium multa.*

Ab ipsa creatione mundi non discedamus; creavit Deus lucem, Solem, Lunam, animantia terræ volatilia Cœli, pisces maris, & ultimo loco creatur homo, Genes. 1. n. 29. quod præclarè notat D. Ambros. epist. 38. ubi sic ait; *Rectè novissimus creatus est homo, quasi totius summa operis.* At in homine cætera omnia recapitulantur, Alto, & supremo mysterio Paulus inter cæteros Apostolos novissimus vocatur, *tamquam totius summa operis.* In quo cæteri recapitulantur. D. Chrysost. homil. 8. de laudibus Pauli de ipso ait: *Est arca, in qua virtutes omnium Sanctorum cumulatissimè sunt recondita.*

25. Gen. 1. D. Ambr. *Paulus totius Apostolici ordinis summa*

Ait ipse Apostolus de se 1. Corinth. 4. n. 9. *Spectaculum facti sumus mundo, Angelis, & hominibus*: Græcus *Theatrum* omnium mirabilium in doctrina sermone, opere, ac in omni virtute, *qua cæteris proderat*, ut ait D. Hieronymus, quod multis elogiis explicant Sancti Patres, à D. Chrysost. serm. in commemorat. Sancti Pauli dicitur *Pater totius Orbis*, à S. Dionysio Areopagita de divinis nominibus cap. 7. *Sol mundi*, à D. Thoma opusc. 1. cap. 26. *Angelorum Magister*: à D. Bernardo serm. 12. in Cantica *Mater membrorum Christi*, sive fidelium; à D. Ambrosio serm. 18. *Nutritor Ecclesiæ*: ab Oecumenio 2. Corinth. n. 5. ad illa verba: *Pro Christo legatione fungimur* nuncupatur: *Os Christi.* A D. Ambrosio serm. 68. *Interpres Christi*, & à Glossa Ordinaria ad caput 3. Isaiæ dicitur *Architectus Ecclesiæ*, id est illius fundator, ac fabricator: à D. Chrysostom. homil. 22. ad populum nuncupatur: *Angelus terrestris, homo cœlestis.*

26. *Pauli elogia.* 1. Cor. 4 D. Chrysost. D. Dion. D. Tho. D. Bern. D. Ambr. Oecum. D. Ambr. Glossa D. Chrysost.

Pro quo subiicio præclaram ponderationem Petri Damiani opusc. 55. cap. ultimo, ubi sic ait: *Unum verò in Beato Paulo videtur egregium, quia cum omnes Apostoli distributi terrarum regionibus, proprias obtineant cathedras, ipse dum nullam specialiter teneat, videtur aliquatenus communiter omnibus præsidere. Plane, quia ipse toto terrarum Orbe universam fundavit Ecclesiam, dignum est, ut sicut in omnibus fidei semen sparsit, sic etiam in omnibus jus teneat præsidentis*: Unde ipse ait: *Plus omnibus laboratur*, 1. Cor. 15. n. 10. Et iterum cum ait: *Instantia mea, quotidiana sollicitudo omnium Ecclesiarum*, 2. Corinth. 11. n. 28.

27. Damian. *Apostoli pro particularibus Provinciis.* 1. Cor. 15 2. Cor. 11

QUÆSTIO V.

Quare hæc illustrissima Pauli conversio non contigit, nec in via, nec in Damasco, sed in propinquo ad Civitatem.

28. *Locus conversionis Pauli.*

DE Ierusalem, ex qua profectus est Paulus usque ad Damascum computantur 50 leucæ, locus, in quo casus iste contigit, distat à Damasco ferè medium milliare, & ob tam illustre factum semper fuit in multa veneratione, & in memoriam hujus conversionis, ac honorem S. Pauli erexerunt ibi Christiani nobile Templū, in eoque sepeliri consueverunt.

29. *Deus omnia disponit suaviter.*

Quæstio est: Cur Dominus non vocat Paulum in via, sed prope Damascum? Respondeo primo: Deus sua infinita sapientia cuncta disponit, ut fiant levi, & suavi modo, Paulus cum vocaretur erat obcœcandus ut necesse fuerit trahi aliorum manibus; si hoc ei cōtigisset viginti, vel triginta leucis ante Damascū, valde difficile erat hoc obsequium ei præstare, contingat ergo juxta Civitatem, ut suaviter in eam ingrediatur, & inde in domum Ananiæ, à quo baptizandus est, indeque cæteri Christiani videntes tam admirabile Dei opus firmentur, ac corroborentur in fide.

30. Oecum. *Res visa ex aliorū relationibus nō est cadē.*

Secundo Oecumenius sic ait ad hunc locum: *In Civitate verò non accidit, sed in via per quietem, ne aliis liceret alio modo narrare, quod circa eum contigisset, sed ipse fide dignus esset ad referendum qui visionem vidisset.* Non in Urbe, ac frequentia hominum hic casus contigit: *Ne aliis liceret alio modo narrare*; nam si multi cum Paulo vidissent, quilibet visionem pro suo genio, negligentia, vel affectu, hoc, vel illo modo narrasset; res enim à pluribus visa ex aliorum relatu frequenter adulteratur; & in multas ambagines partitur. Trucidato capite Holofernis, *obtulit illius Conopæum in anathema oblivioni* Judith. 16 n. 33. quod varias, & diversas haberet expositiones *in anathema oblivionis*, ne quisquam pro suo ingenio auderet illud illustre facinus repetere, quo, fieri poterat (ut solet) addendo, vel subtrahendo, tam nobile factum deturparetur.

Iudith. 16

31. Num. 22 Deus *suos custodit ab omni offensa, & terrore.*

Tertio in via antequam Paulus accedat ad Civitatem; Deus vocat Paulum, ne suo ingressu perturbaret, & affligeret electos, quorum tantam ipse habet curam, ut non solum eos custodiat ab universo malo, sed etiam ab omni terrore, ac conturbatione, Psal. 90. n. 10. *Non accedet ad te malum, & flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo.* Sanctuario tuo, sanctis tuis. Cum Arioli Balaam progrederetur ad maledicendum populum Dei: *Angelus ad locum angustum transiens, ubi neque ad dexteram, neque ad sinistram poterat deviare, obvius stetit? Cumque vidisset asina stantem Angelū concidit sub pedibus sedentis.* Num. 22. 26. maledictio Arioli erat inefficax, nullumque nocumētū poterat populo infligere, ad quid igitur Deus tantis intendit cursum eius impedire, & ab itinere divertere? Et si non valet nocere, ramen non permittitur ei, ut suo adventu terreat, & Psal. 90.

Theod. & conturbet populum Dei. Theodoret. quæst. 42. *Perterret illum tam asini voce præter naturam missa, quàm Angeli visione, ut connoscas quantam populi curam Deus gerat.*

32. D. Chrysost. Quarto D. Chrysostom. *Cum iter faceret, ut appropinquaret Damasco, ut ostenderet Deus potentiam suam vincens, & superans persecutorem in media insania.* Quanto magis Saulus appropinquabat Damasco, tanto magis ejus furor, ac ira ascendebatur, ut jam in proximo optatis frueretur, ut omnes Christianos interficeret, ac dilaceraret, quanto ergo ejus furor magis erat inflammatus: *Tunc Deus ut ostenderet potentiam suam vincens persecutorem in media insania.* Ipsum vocat.

Quando Saulus magis furiis æstuabat, à Deo vocatur.

33. Iob. 39. D. Greg. Magn. Ait Iob. 39. n. 9. *Nunquid volet Rhinoceros servire tibi, aut morabitur ad præsepe tuum? Nunquid alligabis Rhinacerota ad arandum loco tuo?* Quem locum de S. Paulo explicat D. Gregorius Magn. lib. 31. Moral. cap. 10. & maximè expendit Sanctus Doctor illud verbum *volet præ sævitia, & iracundia non ibat, sed volabat* & sic ait: *Rhinoceros iste Paulus est, cuius fortitudinem omnis venator extimuit. Qui ad Dei præsepe moratus, quia ruminare verba Evangelii dignatus non est. Loris quoque Dei non tantum à feritate restringitur, sed quod magis est mirabile ad arandum ligatur: ut non solum homines crudelitatis cornu non impetat, sed eorum etiam refectionis serviens, aratrum prædicationis erabat.* Rhinoceros, Auctore Piero Valeri. lib. 2. Hieroglyph. ad finem, animal est aspectu horribilis, & tremendus, & ob sui ferocitatem minimè domari valet, nec loris, ac funibus restringi; talis erat Paulus ob sui sævitiam, ac furorē cunctis Christianis terribilis, à cuius conspectu omnes fugiebant, nec domari poterat, ut veniens ad Domini præsepe verba Evangelica ruminaret: *Sed loris Dei non tantum à feritate restringitur, sed, quod magis est mirabile ad arandum ligatur.* Non solum Deus sua gratia eum cohibet, & reprimit à sua fremescente sævitia, ac amentia, sed etiam ad arandum, ac seminandum triticum Evangelicum in toto Orbe impellit.

Deus non solum vocat, ut à ferocitate desistat, sed ut seminet.

QUÆSTIO VI.

Quare lux de Cœlo circumfulsit Paulum in sua vocatione.

34. Act. 22. Act. 26. Lyran. *Lux ad modum fulguris.* LAte hunc casum refert ipsemet Apostolus, Actor. 22. n. 6. & ait: *Appropinquante me Damasco media die, subito de Cœlo circumfulsit lux copiosa.* Et latius Actor. 26. n. 13. ubi sic ait: *Die media in via vidi, Rex, de Cœlo supra splendorem solis circumfulsisse me lumen, & eos, qui mecum simul erant*, & ut ait Lyranus, *fuit lux, sicut Apostolis in Pentecoste ignis, quæ lux erat instar fulguris.* Super totum Collegium Apostolorum venit Spiritus sanctus in igne resplendescente; super unum Paulum venit Christus cum luce fulgurante, & inflammante, quæ lux manabat à corpore Christi glorioso, qui maximè appropinquavit ad Paulum, nam Paulus audivit vocem Christi, & Christus visus est à Paulo, sic ait Ananias infra; *Saule, frater, Dominus qui apparuit tibi in via.*

35. Lux autem hæc fuit valde magna, ut ipse ait *copiosa*, & cum hoc contigisset meridiano tempore, quanto Sol magis splendet, tamen lux superabat Solem, & hæc lux erat ignita per modum globi, ait Textus, *circumfulsit*, & non solum erat lux, ut luceret, sed tamquam ignita inflammaret cor, inde ipse statim dixit: *Domine quid me vis facere*, & lux hæc dicitur de Cœlo, unde ait D. Maximus homil. 1. in Natali Petri, & Pauli post dicta verba, subdit: *Vide unde te, vel quadis appello*, de Cœlo nempe, de Cœli aspectu nil potest homo timere, sed omnia bona sperare, post multas passas calamitates: *Igitur post finem dierum ego Nabuchodonosor oculos meos ad Cœlum levavi, & sensus meus redditus est mihi*, Daniel. 4. n. 31. D. Hieronym. ibi: *Nisi oculos levasset ad Cœlum sensum pristinum non recepisset.*

D. Max. Ex cœli aspectu multa bona. Dan. 4. D. Hier.

Ad quæstionem cur lucet, respondet primo D. Chrysostom. homilia de ferendis reprehen. *Ut ita compresso furore ipsius, mentique serenata vocem attentius perciperet.* Ut quieto animo majori attentione audiret. Secundo D. Ambros. lib. de benedict. Patriarch. cap. ultimo: *Tamquam lupum nocturnis tenebris oberrantem effusa luce cœcatum.* Ut tamquam lupus oberrans obcæcaretur à suis erroribus, lucemque, & veritatem agnosceret. Tertio Hugo, ut lux externa indicaret interiorem lucem mentis. Quarto ut lux exterior excitaret potentias internas, easque illustraret ad veritatem cognoscendam. Quinto: Ut cognosceret, quod ille, qui loquebatur ei erat lux mundi. Sexto erat lux, quia veniebat, ut Paulum illuminaret, & ideo in hac luce tria consido.

36. *Cur lux.* D. Chrysost. D. Ambr. Hugo Ioan. 8.

Primo ista lux circumfulsit, & totum circumdedit Paulum; venit enim ad modum globi rotundi tamquam denotantis totum Orbem, qui in conversione Pauli ad Dominum convertebatur. D. Bernard. serm. de conversione Pauli, ait: *Merito conversio Doctoris gentium ab universitate gentium, festivis gaudiis celebratur. Conversus Paulus conversionis minister factus est universi mundi.*

37. *In conversione Pauli conversio mundi.* D. Bern.

Quando Summus Pontifex ingrediebatur Sancta Sanctorum: *In veste ponderis, quam habebat, totus erat Orbis terrarum.* Sapient. 18. n. 24. veluti depictus, & insculptus, Philo Iudæus ait: *In hunc modum Pontifex ad sacra peragenda mittitur, ut quoties ritu patrio vota facturus esset, sub figuris, quas gestabat, totum mundum secum introduceret.* Dum Paulus convertitur, lux venit in modum Orbis, ut sub figuris, quas gestabat, totum mundum secum introduceret.

38. Sap. 18. Philo. *Totus Orbis in Paulo.*

Secundo, cum esset lux erat lucens, fulgens, & resplendens; quia non solum illuminabat Paulum, sed cum ejus luce totus mundus erat illuminandus. D. Chrysostom. serm. in convers. D. Pauli, ait, quod ipse sit *Lampas accensa totius Orbis.* Scribitur Genes. 2. n. 10. *Fluvius egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum Paradisum, qui inde dividitur in quatuor capita.* In hoc fluvio ait D. Isidor. lib. 1. repræsentatur D. Paulus, qui in suo raptu fuit fluvius altissimæ sapientiæ, ac cognitionis divinæ ad irrigandam universam Ecclesiam, quæ dividitur in qnatuor Orbis partes.

39. D. Chrysost. Gen. 2. D. Isidor. *Paulus sua doctrina irrigans, & illuminans mundū*

Ait D. Chrysost. homil. 32. super epist. ad Roman. *Si quis Paulum totius Orbis cor dixerit, & elementum primarium salutis nostræ non errabit.* Cor est primum elementum, & prima pars corporis humani, ipsumque cor totum corpus humanum vivificat, ac vegetat; merito ergo D. Paulus appellatur primum elementum, ac cor salutis nostræ, & Ecclesiæ, quæ Pauli doctrina est ædificata, ipsaque doctrina sustentatur, ac alimentatur, ac vegetatur.

40. D. Chrysost. *Paulus cor Ecclesiæ.*

Tertio *lux circumfulsit eum*, ipsumque ambivit, ac undique circuivit. In die Pentecostes veniens divinus Spiritus in figura ignis: *Apparuerunt illis dispertitæ linguæ tamquam ignis, seditque super singulos eorum.* Actor. 2. n. 3. Lux venit in eos in una tantum corporis parte, v. g. in capite, ut habet communis

41. Act. 2. *Lux sic per Paulum valet de specie.*

munis pictura: At Chriſtus venit in Paulum, totum ipſum ſua ampliſſima, & *copioſa luce*, ut ipſe ſupra citatus ait, circundans, & ſplendeſcere faciens.

42. *Totus Paulus reſplenduit.* D. Aug. D. Chryſoſt. Splenduit Paulus ore, & lingua, in qua Chriſtus loquebatur, 1. Corinth. 1. manibus, quæ epiſtolas ſcripſe unt, quibus illuſtravit, ac illuminavit Eccleſiam magno numero, & altiſſima doctrina, non ſolus vivus, ſed etiam poſt mortem, ut notarunt D. Chryſoſtom. homil. 22. ad Populum, & D. Auguſt. lib. 1. Confeſſion. ſplenduit mente, & oculis gerentibus ſollicitudinem omnium Eccleſiarum, 2. Cor. 11 2. Corinth. 11. n. 28. Splenduit auribus audiens in ſuo raptu *arcana Dei*: ſplenduit toto ſuo corpore. Ipſe ait ad Philippenſ. 1. n. 20. *Magnificabitur Chriſtus in corpore meo* per modeſtiam, non ait magnifico, ſed magnificabitur, magnus, & excelſus manifeſtabitur, ut explicat Anſelm. ſive in vita mea, ſive morte, laboribus, perſecutionibus, flagellis, vinculis, ac carceribus, in quibus, ut ipſe ait: *Abundantius omnibus laboravi*, 1. Cor. 15. n. 0. 1. Cor. 15.

QVÆSTIO VII.

Quare Saulus fulgente ſplendida luce cadit in terram?

43. *An Paulus iter faceret in equo.* D. Aug. Deut. 17. IBat Paulus iter faciens, an pedeſtris vel equeſtris dubitatur; Prima opinio tenet eum feciſſe viam pedibus, ei favere videtur divus Auguſtinus, quia nullius equi, vel equitis fit mentio, & quia Paulus erat ex Phariſæis, qui utpote religioſores raro ſolebant incedere in equo, ut colligitur ex Deuteronom. 17. n. 16 & Et hæc ſententia eſt probabilis. Probabilius mihi videtur, quod in equo pergebat Paulus, ſic tenet univerſalis pictura totius Eccleſiæ etiam antiquiſſima: Deinde iter erat longum à Ieruſalem uſque in Damaſcum computantur 50. leucæ, & vir nobilis valde difficiliter poterat pedibus tantum iter conficere, & præcipuè cum ipſe pergeret tamquam dux, & primus eorum, qui eum comitabantur ad adducendos Chriſtianos vinctos in Ieruſalem, qui comites ipſa luce percuſſi cecidetunt in terram, ut ipſe ait Actor. 26. num. 14. Pro hac ſententia ſtant Lorinus, Sanchez. Lorin. Sanch.

44. *An ceciderit in faciem.* D. Greg. Quomodo Saulus cecidit, an in faciem, vel retrorſum. Textus non explicat. D. Gregor. homil. 8. in Ezechielem exiſtimat in faciem cecidiſſe; quia pœnitentes, ac juſtificandi per humilitatem, ac pœnitentiam in faciem cadunt tamquam ſe reputantes indignos Cœlum videndi, & inde modo erigendi ſunt per ſuam pœnitentiam: Impii verò retrorſum prolabuntur tamquam nunquam inde erigendi, & inde Iudas, & Iudæi comprehendentes Ieſum *ceciderunt retrorſum*, Ioan. 18. n. 6. Hæc doctrina, quamvis communiter ſit vera, tamen non in omni caſu; nam Goliath infidelis in faciem ſuam corruit, 1. Reg. 17. n. 49. Ioan. 18. 1. Reg. 17.

45. D. Ambr. *Ex Deo venit quod homo ex peccato ad virtutes erigatur.* D. Zeno. Cur ergo Paulus cadit? D. Ambroſius ſerm. 27. ait: *In tantum profuit iſta Domini percuſſio, ut de Iudæo Chriſtianus, de blaſphemo Apoſtolus, de Saulo Paulus exiſteret, & eo uſque mutavit veterem cum moribus hominem, ut mutaret & nomen.* Percutit manus Domini, ut erigatur, & errorum cœcitas in fidei lumen muterur, & vitiorum vincula in virtutum decorem. Dicitur. 1. Reg. 2. n. 6. *Dominus mortificat, & vivificat.* Quod expendens D. Zeno lib. 3. ſerm. 24. ait: *O magna poteſtas, magna peritia, magna pietas judicis noſtri: deſcendit quippe gladius pius in viſcera peccatoris & uno, eodemque ictu incolumi corporis manente materia, interficit hominem veterem, & creat novum.* Expende illud *Gladius pius* & ad hoc pertinet id, quod dicitur Deut. 32. n. 39. *Videte quod ego ſim ſolus, & non ſit alius Deus præter me; ego occidam, & ego vivere faciam, percutiam, & ego ſanabo.* Deut. 32

46. Secundo Matthæus in telonio, & in peccatis erat, cum vocatur, & tamen non cadit in terram; Paulus ſolus, & in ſua vocatione cadit alta diſpoſitione divina; quia ex ipſa profundiſſima humilitate ad altiſſimum faſtigium ſuper cæteros erat ſublevandus; Saulus erat ex Tribu Benjamin, in quo præfigurabatur, & cum Benjamin tamquam ſervus reputaretur in Ægypto, ipſi, ac cæteris fratribus paret Ioſeph convivium, in quo *Major pars venit Beniamin, ita ut quinque partibus excederet*, Geneſ. 43. n. 34. In convivio ſuorum cœleſtium donorum, quod Chriſtus verus Ioſeph facit ſuis electis, quinquies major pars ſuper cæteros venit Paulo filio Benjamin D. Ambroſ. lib. de Ioſeph Patriarch. cap. 10. & ait *Lavit faciem ſuam Chriſtus, ubi baptizatus eſt Paulus, per quem à pluribus videretur, ideo in convivio pars eius quintupliciter major effecta eſt, quod haberet ſuperioribus anteferri, non ſolum mentis prudentia, ſed militia corporis, & gratia caſtitatis.* Tamquam ſi dicat, quandiu Saulus erat in ſua obſtinatione veluti ad noſtrum modum dicendi triſtabatur Chriſtus, at dum ipſe convertitur, omni triſtitia depoſita, ejus aſpectus maximè iucundus, & lætus apparet, cum per Paulum quamplurimi ſunt convertendi, & ideo ei quintupliciter maior pars ſuper cæteros datur. Gen. 43. D. Ambr. *Paulo datur quinta pars maior aliis.*

47. Prima pars, & valde ſingularis raptus eſt ad tertium Cœlum, nempe ad cœlum Empyreum: *Audivit verba arcana Dei*, 2. Corinth. 12. num. 3. multa, & alta ſublimia de divina natura, de Proceſſionibus, ac divinis Attributis, ac de gloria; & maieſtate Chriſti, tamquam Secretarius totius Trinitatis. Secunda pars, & valde particularis, quod in ſuo raptu vidit Eſſentiam divinam, ut docent D. Auguſt. epiſtol. 12 ad 2. Scotus in 4 diſtinct. 49. quæſt. 12. & ad locum Pauli Lyranus, D. Anſelm. & alii. Nec obſtat quod dicatur in Textu: *Audivi arcana*: nam in Hebræo, ut notat ibi Theodoretus, idem eſt audire, ac videre, & hoc factum eſt cum Paulo conceſſa diſpenſatione ab illa communi lege: *Deum nemo vidit unquam*, Ioan. 1. num. 18. 2. Cor. 12. *Paulus Secretarius Trinitatis.* *Vidit Eſſentiam divinã.* D. Aug. D. Tho. Scotus. Ioan. 1.

48. Tertia pars, & ſingulariſſima extitit admirabilis eius converſio, ut unigenitus filius Dei à Cœleſti gloria, ac throno Patris deſcenderit, eique ſecum gloria ſua manifeſtaverit, eumque ex ore ſuo, ſuaque voce proprio nomine dupliciter vocaverit *Saule, Saule*, eiuſque cor ſua efficaci gratia ſtatim mutavit, quod fuit magnum opus divinæ Omnipotentiæ, ut dicam verſu ſequenti. *Eius cõuerſio mirabilis.*

49. Quarta pars peculiariter data eſt ei, ut portaret nomen IESUS, ut ſingulariter eſſet Doctor gentium, & Eccleſiæ Dei illuminator, altiſſima & ſublimi doctrina aperiens myſteria abſcodita à ſæculis, & loquens de Chriſti doctrina ait ad Coloſſenſ. 1. n. 25. *Cuius factus ſum ego miniſter, ſecundum diſpenſationem Dei, quæ data eſt mihi in vos, & impleam Verbum Dei.* Vatablus: *Declarem ſi monenem.* & non ſolum hoc præſtitit in vita, ſed etiam poſt mortem ſuis epiſtolis, ad hoc pertinent elogia adducta ſupra q. 4. ad finem. *Doctor gentium.* Ad Coloſſ. 1. Vatabl. *Doctor gentium in vita, & poſt mortem.*

50. Quinta pars admirabilis Charitas ſuper omnem modum extitit, qua ita æſtuabat, ut diceret: *Optabam* ego

Rom. 9. D. Chryſoſt. D. Aug. Theod. D. Anſel. *ego ipſe anathema eſſe à Chriſto pro fratribus meis*, Roman. 9. num. 3. Hoc eſt, ut explicant Chryſoſtom. D. Auguſt. Theodoret. Anſelm. Si Deus ita ordinaret, optarem æternam ſeparationem ab ipſo, dummodo alii ſalvi fierent.

51. Ad Eph. 4. Valde ſuperabundans extitit iſta Charitas: De Chriſto Domino ait Paulus ad Epheſ. 4. num. 19. *Qui deſcendit ipſe eſt, & qui aſcendit ſuper omnes Cœlos, ut impleret omnia.* Chriſtus Dominus ob ſuam immenſam charitatem deſcendit de Cœlo, ut terram juſtitiâ, ac charitate impleret, & aſcendit in Cœlum, ut impleret ruinas, ſicque omnia per eum repleta ſunt, & cum Chriſti charitas ſit infinita excedit omnem comparationem; Tamen per exaggerationem ſic loquitur de Paulo D. Chryſoſt. lib. 2. de compunctione cordis, & ait: *Repletis omnibus Cœlis, Paulus uſque ad ipſa pervenit Cœli faſtigia, ſed inde ſuperans omnia, etiam illum, qui ſuper Cœlum eſt, aërem tranſcendit, atque ubi, & quæ ibi ſunt ſpatia complevit.* Tam ampla, & lata extitit Pauli charitas, quæ cum impleret Cœlum, & terram, toto ipſo mundo non potuit terminari, ac concludi, ſed veluti ſupra ipſum ad ſpatium imaginarium ſe extendit; *Etiam illum, qui ſupra Cœlum eſt, aërem tranſcendit, & quæ ibi ſunt ſpatia complevit.*

D. Chryſoſt. *Charitatem Pauli nõ potuit capere mundus.*

QUÆSTIO VIII.

Quare cum Saulus adhuc eſſet peccator Chriſtus D. eum proprio nomine vocat?

52. Actor. 22 Actor. 26 AIt Textus: *Audivit vocem dicentem, Saule, Saule quid me perſequeris*, quæ vox Hebraïca lingua facta eſt, ut ipſe teſtatur Actor. 22. num. 9. & Actor. 26. n. 14. & ut ibi teſtatur, ipſe ſolus vocem audivit, non vero comites, licet viderit; facile enim fieri potuit, ut corpus glorioſum ita ſuam vocem ederet, & temperaret, ut, ab uno, & non ab aliis audiretur.

53. Primo expendo ſeriem, ac diſpoſitionem rerum; primo circumfulſit lux cœleſtis, & cadit, & tunc increpationis vox, *Saule Saule*, antequam caderet, erat obſtinatus, & exaſperans in ſua ſuperbia, at vero proſtratus, jam erat humiliatus, & dejectus in terram, erat jam diſpoſitus, & præparatus, ad correctionem, & emendationem, & luce divina percuſſus, quam Deus infuderat in cor, & tunc emittitur correctionis vox; *Saule quid me perſequeris*? Superbia iracundus increpationis incapax, illius maximè capax humiliatus, & dejectus. Franconius Abbas tom. 12. de gratia ait: *Nec prius divinæ correctionis vocem audire meruit, quam ſupplantato pede ſuperbiæ, protinus in terram corruit.* Vide tom. 3. cap. 16. n. 93.

Roprehẽſio data ſubiecto capaci.

54. Secundo: Ibant multi comites cum Saulo omnes ſævientes, ac ſitientes Chriſtianorum ſanguinem, & tamen ſolus Paulus cadit in terram, ſolus increpatur; *Saule, Saule*, & ſolus cœcitate percutitur: Ratio à priori eſt, divina electio, quæ eum vocare deſtinabat, Moralis verò, quia ipſe erat auctor, inſtigator, ac inductor aliorum, D. Bernard. in Allegor. Tilman ad hunc locum ait: *Tibi videatur ab eo graviorem ſuſtinere perſecutionem, qui ſuggeſtione malevola exemplo pernicioſo, ſcandali occaſione; avertit ab eo animas, quas redemerat*, ideo tota criminis pœna in auctorem retorquetur; Ex mandato Dei percuſſit Saul Amalec, impoſito divino Præcepto, ut nihil eorum parceret; tamen pepercit Saul, *& populus Agag, & optimis gregibus ovium, & armentorum*, 1. Reg. 15. n. 9. Et cum Samuel ingrederetur ad Saulem, & audiret ovium balatus, pro inobedientia facta, ait Sauli: *Abjecit te Dominus ne ſis Rex.* Si populus cum Rege fuerunt in crimine, cum ſolum tota pœna in Regem & non in populum extorquetur; extitit enim auctor, & prætor. D. Gregor. ibi ait: Quia dum paſtores currunt *ad præcipitium ſubjecti commuantur*, & inde dura caſtigatio Regi infligitur.

D. Bern. Tota pœna criminis in auctorẽ vertitur. 1 Reg. 15.

D. Greg. reg. 55.

Tertio vocavit Chriſtus proprio ore ſuo Paulum, non per aliquem miniſtrum, ut ex rubo Moyſen vocavit, Exod. 3. qui juxta communem ſententiam erat Angelus in perſona Dei: tamen Chriſtus D. perſe ipſum Saulum inclamat, & quid magis eſt, cum ipſe adhuc eſſet in peccatis, & Deus non ſolet peccatoris nomen in ore habere, nec dicere. Poſtquam Adamus peccavit refertur, Geneſ. 3. n. 9. Venit deambulans: *Vocavit Dominus Deus Adam, & dixit ei, Vbi es?* Scriptor Canonicus narrat, quod Deus vocaverit Adam; At Deus ipſum nomen *Adam* non pronuntiavit ore ſuo, ſed tantum dixit: *Vbi es?* Cum ipſe eſſet adhuc peccator, cujus nomen alienum eſt ab ore Dei.

Ex od. 3. *Peccatoris nom. nõ habet Deus in ore.* Gen. 4.

56. At erga Saulum, tanta reſplenduit Chriſti clementia, quod quamvis eſſet adhuc in peccatis, ejus nomen non faſtidit, ſed dupliciter ore tractat *Saule, Saule* declarans erga eum ſuam infinitam miſericordiam, & patientiam, cujus ſuperabundantem pietatem meditatus admiratur Paulus dicens: *Ieſus venit in hunc mundum peccatores ſalvos facere, quorum primus ego ſum, ſed ideo miſericordiam conſecutus ſum, ut in me primo oſtenderet Chriſtus Ieſus omnem patientiam*, 1. Timoth. 1. n. 15. Et quando Chriſtus oſtendit in eo omnem patientiam, omnemque miſericordiam, quando ipſum nempe vocavi *Saule, Saule*, D. Chryſoſtom. ibi ait: *Quomodo miſericordiam conſecutus eſt? dicendo*, Saule, Saule, *quid me perſequeris? O ineffabilis miſericordia Dei, quousque deſcendit!*

1. Tim. 1. *Summa pietas Dei vocãs Saulum.* D. Chryſoſt.

57. Deut. 33 Deinde tot, ac tantis circunſtantiis ob eximium amorem erga Paulum, Benedicens Moyſes Benjamin ait Deuteronom. 33. num. 11. *Beniamin amantiſſimus Domini, habitabit confidenter in eo, quaſi in thalamo tota die morabitur.* Quæ verba ſpiritu Prophetico dicta ſunt propter Paulum ex Tribu Beniamin: Ita Rupertus, D. Ambroſius lib. de benedict. Patriarch. cap. 12. & ait: *Paulus dilectus à Domino, qui etiam vas electionis eſt factus, neque enim aliter, niſi Domini eſt miſeratione, & amore converſus. Habitavit fidens in domo, quam antea devaſtabat, & Deus obumbravit ſuper eum: quando viſus eſt ei Chriſtus.* Alii dicuntur dilecti: *Dilecti mei me cum ſunt.* Joannes Evangeliſta dilectus diſcipulus: *Diligebat Ieſus*; At Paulus dicitur *amantiſſimus*, & inde talis, quia in eo habitat confidenter; quia ut ipſe dicebat *nulla creatura nos poterit ſeparare à charitate Dei; In eo quaſi in thalamo morabitur.* In thalamo tamquam in accubitu ſuæ iucunditatis. In Paulo adeſt reclinatorium ſuæ delectationis, ac thronus ſuæ maieſtatis, ac poteſtatis, cum tantum, ac talem ſervum creaverit, ac formaverit ad ſui gloriam.

D. Ambr. *Paulus Dei dilectiſſimus, in quo requieſcit.*

58. D. Ambroſius citatus illa ultima verba *Quaſi in thalamo morabitur*, ſic legit: *Deus obumbravit ſuper eum, quando viſus eſt ei Chriſtus.* Quando divinum verbum deſcendit in uterum Virginis Mariæ, ut ibi tamquam in iucundiſſimo thalamo habitaret, ait ei Angelus: *Virtus Altiſſimi obumbrabit tibi*, Luc. 1. n. 35. Te, nempe, proteget, ac defendet ab omni libidinis æſtu, & ſua umbra rorabit in te omnium cœleſtium donorum plenitudinem: Ad huius rei aliqualem umbram, ac veſtigium cum Chriſtus venit in Paulum, ut in eo

D. Amar. Luc. 1. *Deus requieſcit in Paulo, ut in thalamo gratiſſimo.*

tamquam ſuo gratiſſimo thalamo habitet : *Deus obumbravit ſuper eum*, ipſum Protegens, ac defendens ab innumerabilibus periculis, in mari, & in falſis fratribus, & rorans in eum plenitudinem gratiæ, ut ei infra dixit Ananias : *Dominus miſit me ad te, ut implearis Spiritu ſancto.*

QUÆSTIO IX.

Quare non dixit Chriſtus : Quid meos perſequeris, ſed me perſequeris ?

59. *Quomodo Chriſtus apparuit Paulo,*

APparuit hîc Chriſtus Saulo, ut ipſe teſtatur citatis Actorum locis ſuperiori quæſtionis, & dixit Ananias infra : *Dominus Ieſus, qui apparuit tibi in via.* Deſcendit ergo Chriſtus de Cœlo, eo tamen non relicto ad aërem proximum Paulo, ut ipſe Paulus poſſet clarè, & diſtinctè ejus vocem audire, & tanta luce diffuſa, ut ipſum cæcaret, ac comites, ut docent D.Ambroſ. de benedictione. Patriarch. cap. 12. D.Thomas 3.part.q.57.art.6. ad 3. D.Chryſoſt.Beda, & alii hic, ex quo deducitur quod corpus Chriſti Domini, tunc extitit duobus in locis, Cœlo nempe, & aëre.

D.Ambr. Theo. D.Chryſoſt.

60. *Iniuria facta cõtra Dei ſervos, fit cõtra Chriſtũ.*

Ait Chriſtus Dominus : *Quid me perſequeris ?* Cum ipſe ſit caput noſtrum injuriam illatam ſuo corpori myſtico, Eccleſiæ nempe, ſibi irrogatam reputat. D.Auguſt. tract.28. in Ioan. ait : Noluit dicere ſervos meos, ſanctos meos, poſtremo honorabilius fratres meos, ſed me, hoc eſt membra mea, quibus ego ſum caput.

61. Drogo D.Ephr. D.Aug. D Proſp. D.Greg.

Quod probant Sancti Patres Drogo tract. de Paſſion. D.Ephrem tom. 3. D.Auguſt. lib. 17. de Civit. Dei cap. 9. D.Proſper in Pſalm. 108. D.Gregor. 3. Moral. cap. 11. quia cum Petrus aliquando ab Urbe Romana fugeret, ut mortem declinaret, & ſibi occurrentem Chriſtum nactus eſſet, ab eo quæſivit : *Domine quo vadis ?* reſpondit Chriſtus, *venio Romam iterum crucifigi*, crucifixionem Petri ſuam apellat Chriſtus.

62. Iſai. 61. *Sub eo nomine Chriſtus, & Eccleſia.*

Ait Iſaias 61. n. 10. *Gaudens gaudebo in Domino, & exultabit anima mea in Deo meo, indumento juſtitiæ circumdedit, & quaſi ſponſum decoratum corona, & quaſi ſponſam ornatam monilibus ſuis.* Ubi Chriſtus D. ſibi attribuit nomen Sponſi, & Sponſæ, ut notarunt D.Auguſt lib. 3. de doctrina Chriſti c. 31. D.Iſidorus de ſũmo bono cap. 25. Sponſus eſt Chriſtus, Sponſa Eccleſia, quæ tam unita eſt Chriſto, ut membra capiti, ut nomen proprium Eccleſiæ tribuatur Chriſto, ut non ſolum dicatur ſponſus, ſed etiam ſponſa, quæ eſt Eccleſia.

63. Zach. 2.

Ait Zacharias Propheta 2. n. 8. *Hæc dicit Dominus exercituum : Poſt gloriam miſit me ad gentes quæ ſpoliaverunt vos ; qui enim tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei.* Juxta ſenſum literalem Chriſtus eſt, qui loquitur. D.Hieronymus ait : *Vox Salvatoris loquentis inducitur, qui omnipotens Deus à Patre omnipotente miſſum ſe eſſe dicit*, & ait *poſt gloriam meam*, meæ nempe humanitatis in mundo apparentis, *miſit me ad gentes* : quomodo hoc poteſt ſtare, cùm Chriſtus de ſe dicat : *Non ſum miſſus, niſi ad oves, quæ perierunt domũs Iſrael*, Matth. 15. num. 24. Miſſus ad gentes per Apoſtolos, ac Prædicatores ; D.Hieron. Haymo, Theodoret. Lyra, Vatabl. & id, quod ipſi tamquam membra Chriſti præſtiterunt, ipſi Chriſto, ut capiti tribuitur, & ideo ipſe de ſe ait : *Miſit me ad gentes.*

D. Hier.

Matth. 15. *Chriſtus idem cũ ſuis miniſtris.*

64. Chald.

Subdit, *Qui tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei.* Chaldæus vertit : *Qui enim detrimentum infert vobis, proinde, ac ſi manum ſuam extendat, & tangat pupillam oculi mei.* Quæ verba refero ad prædicatores, ac ſervos Dei miſſos ad gentes, de quibus immediatè ante loquitur, qui in tanta æſtimatione ſunt apud Deum, tamquam lumen oculorum, & qui iniuriam, ac detrimentum eis infert, pupillam eius oculi offendit, ubi maximè exaggeratur, quam gravis ſit talis iniuria, & offenſa apud Deum. Noſter D.Cyrillus Alexandrinus ibi ait : *Tangit igitur ſe, qui eorum animabus inſidiatur, hoc igitur per Pſalmiſtam dicitur : Nolite tangere Chriſtos meos, & in Prophetis meis nolite malignari : Si enim ſumus corpus Chriſti, & membra de membro, quomodo corpus ſuum peccatoribus obiecit, aut quomodo membra ſua malis cumulari ſuſtinebit ? Imo quomodo non ultima luant ſupplicia, qui ſervis ſuis ſceleratè inſidias moliuntur.*

Qui prædicatores offendit graviter Deum ſentit. D.Cyril. Alexãd.

65. D.Bern.

Maximè Chriſtus Dominus nobilitat, ac condecorat Paulum in ſua converſione, dum ad eum deſcendit ſua præſentia, & voce, quod rectè ponderat D.Bernard. ſerm. 1. in converſione D.Pauli : ubi ſic ait : *Lux, & vox facta eſt, lucis, & vocis teſtimonia credibilia facta ſunt nimis, nec dubitare eſt de veritate, quæ ſe ingerit per utraſque oculorum ſcilicet, auriumque feneſtras, ſic nimirum, in Iordane quoque ſupra caput Domini, & Columba apparuit, & vox ſonuit.* Æternus Pater volens altiſſimè exaltare filium ſuum Jeſum Chriſtum in Jordane apparet ſuper caput eius Spiritus ſanctus in ſpecie Columbæ, & vox Patris auditur : *Hic eſt Filius meus*, Matth. 3. num. 17. Ut ita teſtimonium eſſet maximè credibile, *quæ ſe ingerit per utroſque oculorum ſcilicet, auriumque feneſtras ſimili ſuo modo : Sic nimirum in Iordane* : Diſponens Chriſtus mirificè condecorare, ac illuſtrare Paulum, ut de tanto honore nullus poſſet dubitare, teſtimonium præbet ; *per utraſque oculorum ſcilicet, auriumque feneſtras* : Oculis, dum lux de Cœlo fulget, & Chriſtus D. apparet ; auribus dum ipſum proprio nomine vocat, quod eſt ſignum eximiæ benevolentiæ, & amoris. Ait Deus : *Vocavit te nomine tuo meus es tu*, Iſai. 43. n. 1.

Mirificè Deus cõdecorat Paulum.

Matth. 3.

Iſaias 43

Actor. 9. n. 5. Qui dixit, quis es Domine ? & ille : Ego ſum Ieſus, quem tu perſequeris : durum eſt tibi contra ſtimulum calcitrare.

Num. 6. Et tremens, ac ſtupens, dixit : Domine quid me vis facere ?

Verſiones,

CVM EXPOSITIONE IV.

66. Æthiop.

Verſ. 5. *QVi dixit.* Æthiopic. *Cecidit proſtratus, & dixit*, & tunc ex humo loquitur, & licet videret Chriſtum, hoc erat valde confusè, & indiſtinctè, & ait. *Quis es Domine ?* Et quamvis eum non agnoſceret, ex lucis maieſtate reverenter loquitur, ut ait Interlinealis, & ut notat Chryſoſt. infra ad cap. 22. n. 8. verba ſunt non obluctantis, nec contendentis, ſed agnoſcentis divinam virtutem, ac promptè obedientis, & ait : *Ego ſum Ieſus*, Actor. 22. n. 8. additur, ſicut in Syriaco, ac Æthiopic. *Nazarænus.* Id eſt Ego ſum Jeſus Nazarænus.

Interlin. D.Chryſoſt. Act. 22.

Syriac. Arabic.

Durum eſt tibi contra ſtimulum calcitrare. Syriac. *Durum eſt tibi calcitrare ad ſtimulum.* Arabic. *Durum eſt tibi reſiſtere ſtimulo*, ſumpta eſt metaphora à bobus cervicoſis, qui contra ſtimulum, quo pungũtur, damno ſuo calcitrant, ut magis pungantur, & ſtimuli acrius infigantur, tamquam ſi dicat, Chriſtus ; te ô Saule multis excitavi ſtimulis, nempe prædicationibus, verbis meorum Apoſtolorum Stephani, ac Barnabæ, multis miraculis, ac prodigiis, atque inſpirationibus, & conſcientiæ

Metaph.

conscientiæ remorsibus, & si in terra dejectus, adhuc resistis, neque verum Deum non agnoscis, duriores in te parabo stimulos, & durius, ac asperius te pungam.

67. D. Hilar. Arabic. Vers. 6. *Et tremens, ac stupens.* D. Hilarius: *Et pavens in eo, quod sibi acciderat.* Arabicus: *Cum tremeret miratur*, ex tanta luce, majestate, potentia, ac voce increpante, ex quibus se dejectum in terra videbat: *Domine quid me vis facere?* Sunt verba animi intimè, ac plenissimè compuncti, ac se totum devoventis, resignantis, ac subjicientis Divinæ voluntati, ac imperio: *Ad quæcumque sibi mandata*, quod totum factum est à divina gratia absque libertatis læsione, ut definitum est in Concilio Tridentino, de quo infra.

QVÆSTIO X.

Quare Christus Dominus non ait: Ego sum Deus, vel Filius Dei, sed Iesus tantum?

68. APparet vocans Paulum Christus, & ait: *Ego sum Iesus* tantummodo, at in Cruce alta Dei ordinatione, ut ex nostro D. Cyrillo, D. August. D. Chrysost. notavi suo in loco, multi tituli apponuntur: *Iesus Nazarenus Rex Iudæorum* Ioan. 19. at vero vocans Paulum se dicit tantum *Iesum*. In præsenti occasione erat Christus in gloria ad dexteram Patris, at in Cruce in summa abjectionis humilitate, ut se à Patre derelictum conclamaret; dum ergo in sublimi gloriæ splendore fulget, ad suam majestatem indicandam una vox sufficit: *Ego sum Iesus*: At quando in Cruce est in extrema humilitate, ibi abscondita eius fortitudo, ut eius sublimitas agnosceretur, multæ voces, multa signa, in Cœlo, & in terra, multi tituli, multæ insculptiones, & variis linguis patenter in omnium conspectu fuere requisitæ. Ad hoc tendit D. Chrysost. homil. 44. in Ioan. cum ait: *Ut calumniantium os obstrueret*, scilicet Pilatus, *& in regem suum insurrexisse denuntiat, & tamquam prophæo cuipiam literas insculpsit, clara voce, & victoriam, & regnum profitentes: nec hoc una lingua, sed tribus demonstravit.* Expende *tamquam triumpho cuipiam literas insculpsit.*

Ioan. 19.

Multum ad humilis laudes, non sic ad excelsi celebrandas. D. Chrysost.

69. Beda. *Humilitate devincitur superbia.* Ad quæstionem respondet primo Beda: *Non Deum, vel Dei Filium se vocat, sed humilitatis meæ infirma suscipe, & superbiæ squamas depone.* Non se dicit Deum, vel Dei Filium; quia Saulus non negabat Deum, sed Iesum Christum esse Deum Incarnatum, & ideo se ostentat Iesum in gloria Divinitatis. Deinde humilitatē ei obiicit, quam repræsentabat nomen Iesu, qui Crucis abiectionem elegit, ut redimeret, ut ipsa visa, & considerata Saulus suam superbiam deponeret.

70. Petrus Blesens. *Suavitate devincitur.* Secundo Petrus Blesens. serm. de Convers. S. Pauli ait: *Poterat expressisse quis esset majestaticis, & terribilibus verbis, ut diceret: Ego sum Deus ultionum.* Psalm. 93. numer. 1. *Dominus qui respicio terram, & facio eam tremere: tango montes, & fumigant.* His noluit uti, sed lenitate, ac mansuetudine eum suaviter allicit ad fidem, & excitat ad spem proposito nomine Iesu, qui est mitis, & humilis corde.

71. D. Chrysost. D. Greg. *Valde durum in benefactorem* Tertio D. Chrysost. homil. de Convers. D. Pauli ait: *Quare non dixit: Ego sum Iesus, qui resurrexit, ego sum Iesus, qui sedet à dextris Dei; sed Ego sum Iesus, quem tu persequeris, ut perstringeret eius mentem, & compungeret eius animam.* Similiter D. Gregorius lib. 23. Moral. cap. 24. alias 32. se dicit Iesus Salvator, & Redemptor, ut ira eius mentem convinceret, & eius animam pungeret, magnoque dolore stimularet, cum persequeretur suum Redemptorem, ac Salvatorem, qui eum plusquam suam vitam dilexit, qui & posuit animam suam, ut ipse salvus viveret. *insurgere.*

72. D. Bern. *Plus Christus gloriatur de nomine Salvatoris quam Dei.* Quarto. Non ait: *Ego sum Deus*, sed *Ego sum Iesus*. D. Bernardus serm. 1. in Conversione D. Pauli, ait: *Ego sum Iesus, Ego sum Salvator, quem tu persequendo petis.* Non se dicit Deum, sed Iesum, tamquam si amplior, & augustior sit Salvatoris nomenclatura, quam Dei, & ideo sub Salvatoris nomine vult maximè cognosci, ac manifestari; nam Dei nomine significatur eius majestas, qua nos creavit; Salvatoris vero, eius beneficentia, & pietas, qua nos redemit, ac salvavit, & plus est suscitare mortuum ad vitam, quam vivum generare.

73. *Iesu nomen allicit, & devincit.* Quinto *Ego sum Iesus.* Ad Pauli ferocitatem, ac sævitiam subiiciendam, & trahendam, ei obiicitur sanctissimum nomen Iesu; nihil hoc divinissimo nomine efficacius, ac fortius ad obstinatos animos devincendos, ac trahendos, ubi hoc salutiferum nomen sonat, omnia hostilia adversa dant manus, ac prosternuntur. In nomine Domini ultus sum in eos, devincens ac prosternens eos.

74. Iob. 39. *Iesu nomine hostes prosternuntur.* Depingit Iob. 39. numer. 21. fortissimum equum, & ait: *Exultat audacter, in occursum pergit armatis, contemnit pavorem, nec cedit gladio, & super caput eius sonabit pharetra.* Unde iste equus, seu ascensor tantam habebat generositatem, ut exercitui armato exeat in occursum omne illius robur contemnens, nullum illius hostilitatis pavorem concipiens, & tamquam instrumenta bellica pede conculcans. D. Bernardin. tom. 1. serm. 49. ait esse D. Paulum inter innumera pericula in mari, terra, latronibus, ac insidiatoribus, quæ omnia glorioſe superavit; sed unde illi tanta generositas, tamque felicissima victoria? Ait Iob *super se ipsum sonabit pharetra*, unde tota victoria? *Pharetra ista sonans* est fortissimum nomen Iesu, quod cum sonat omnium corda penetrat, dat vires, animum, ac fortitudinem ingerit, hostilia destruit, & de omnibus magnifice triumphat; sic ait citatus D. Bernardinus de sancto Paulo: *Hic est equus, qui exultat audacter in occursum pergit armatis, contemnit pavorem, non metuit vulnera, nec discrimina, neque sanguinem, neque mortem, alacri, ac securo corde, pericula superat armatus nomine Iesu Christi.* D. Bern.

75. Exod. 17. Philo. *Totius victoriæ auspicatissimum Iesu nomen.* Oroſius. Itineranti Populo Israelitico obviam venit Amalech cum exercitu armato, ut pugnaret contra populum, quod videns Moyses ait Iosue Exod. 17. n. 9. *Eligeti bi viros, & egressus pugna contra Amalech.* Magna mihi est difficultas, cur ad hoc tantum negotium Moyses ex toto populo in ducem, & Principem elegerit Iosue. Respondeo cum Philo lib. 1. de vita Moysis: *Imperatorem his Iesum præficiens unum ex minoribus ducibus.* Valde mirum est, quod Moyses vir prudentissimus & in regimine sagacissimus ad tantum bellū perficiendū non elegerit ducē ex maioribus. Alii digniores, & præstantiores erant, quibus omnibus prætermissis unum Iosue constituit; quia prærogativa sui nominis debellato hoste victoria certa, magnificus triumphus designabatur. Huc advoco id, quod dicit Orosius libro septimo capite quarto de quodam victorioso duce debellato tyranno: *Huius loco Constantinus ex infima militia propter solam spem nominis sine merito eligitur.*

QUÆSTIO XI.

Quare ad visionem, ac vocem Christi Paulus factus est stupens, ac tremens?

76. QUid mirum, quod ex visione Christi in sua claritate, & audita ejus voce Paulus extiterit tremens, & stupens, cum ex viso Angelo dicat Daniel. 10. numer. 16. *Domine in visione tua dissolutæ sunt compages meæ, nihil in me remansit virium*, & Manue Samsonis Pater dixit præ timore ad uxorem suam: *Moriemur, quia vidimus Deum*, scilicet Angelum in Dei persona loquentem Iudic. 13. numer. 22.

Dan. 10.

Iudic. 13.

77. Hic timor licet naturaliter evenire poterat ex tam subitanea, ac insperata voce: *Cur me persequeris*; tamen ex alta Dei Providentia in peccatore timor pœnarum, ac gehennæ excitantur ad suorum peccatorum detestationem ex misericordia Dei ad spem venire, ac ad amorem, & ad obediendum omnibus Dei mandatis, quorum omnium est initium sapientiæ timor Domini Psalm. 110. n. 10.

Psal. 110.

78. Unde à D. Augustino tract. 9. in Epistol in Ioan. dicitur *est veluti actus, vel seta, quæ filium introducit.* A Clemente Alexandr. lib. 2. strom. cap. 4. appellatur *Pedagogus legis, ac Ecclesiæ*; quia *sua alta sapientia legem explicavit, ac declaravit, Ecclesiamque sua magna eruditione nutrivit, ac formavit.* A D. Basilio in cap. 1. Proverb. *Clavi, qui nos fixos in officio continent.* A D. Chrysostomo homil. 15. ad populum: *Miles armatus, excubans ad fores conscientiæ.* Iterum à D. August. in Psalm. 57. *Veluti servus præparans habitaculum Domino suo.*

Clemens Alexand.

D. Basil.

D. Chrysost.

D. Aug.

Timor disponit ad salutem.

79. Scribitur Exod. 19. num. 17. Cum populus perveniſſet ad radices montis Sina, cumque eduxiſſet eos Moyses in occursum Dei de loco castrorum, ut populus perveniret in occursum Dei, quis poterit dubitare, quod multa dispositio, ac præparatio à Moyse præmittenda erat in populo forsitam extitit longa, ac fervida oratio, vel austera pœnitentia in lachrymis, & jeiuniis, vel multorum votorum multiplicatio serviendi Deo, ædificandi templum, multum eorum præmittitur ad recipiendum Deum, sed tantum eius timor. Dicitur immediate antea antecedenti versu 16. *Timuit populus, qui erat in Castris.* Nulla efficacior præparatio ad Deum excipiendum, quam eius timor: Ipse timor secum importat obedientiam, obsequium, summumque amorem, & charitatem erga Deum, indeque timoris partus, salus vitæ æternæ: Ita Theodorus Veraclensis in Catena Græca in Isaï. ad illa verba Isaiæ 26. num. 17. *Sicut quæ concipit cum appropinquaverit ad partum dolens clamat in doloribus, sic facti sumus à facie tua Domine, concepimus, & quasi parturivimus, & peperimus spiritum.* Græci legunt: *Timorem tuum Domine in utero concepimus, & parturivimus spiritum salutis.* Tunc sic ait citatus Author: *Ostendit utilitatem, quæ ex minis Dei percipitur, accipientes timorem tuum, velut bonum semen in utero gestantes, opportuno tempore salutem reportabimus.*

Exod. 19.

Timor præparat ad Deum excipiendum.

Isai. 26.

Græcus.

Timor bonum semen ad salutem.

Theod.

80. Postquam perfectum, & consummatum extitit opus tabernaculi ait Textus Exod. 40. *Operuit nubes Tabernaculum testimonii, & gloria Domini implevit illud, & non poterat Moyses ingredi tectum fœderis.* Præ reverentia, ac timore, ut explicat D. Anto. Olysslipponens. in expositione mystica, cur Moyses non ingreditur, ut optata Dei visione fruatur, quam vehementer concupiverat? Quanto magis ipse non audebat appropinquare, tanto magis appropinquabat, & inde meruit, ut esset cum Domino in monte per quadraginta dies eius colloquio gaudens.

Exod. 40.

D. Ant. Olysslipp.

Ut Moyses timet Deo appropinquare.

tum appropinquat.

QUÆSTIO XII.

Quare D. Paulus tam alto, ac sublimi verbo respondet? Domine, quid me vis facere?

81. VErba sunt hæc liberè, ac spontaneè suam voluntatem Deo offerentis, quod turpiter negant Lutherus, & Calvinus, qui impie dicunt, hominis arbitrium non esse liberum, sed servum, & captivum, & gratiam datam Paulo fuisse, ut eum violenter, ac coacte ad Christum raperet, sicut fures, homicidæ à Prætore vi, ac violentia trahuntur ad carcerem.

Luther. Calvin.

82. Quæ execrabilis hæresis, ac blasphemia sanctissimo, ac optimo iure damnantur à Concilio Tridentino sess. 6. Can. 4. 5. & 6. nam illa hæresis est contra veritatem Sacræ Scripturæ Ecclesiast. 15. numer. 14. *Deus ab initio constituit hominem, & reliquit illum in manu Consilij sui.* Et iterum ibidem numer. 16. *Si volueris mandata mea servare conservabunt te.* Et iterum ibidem numer. 17. *Appositit tibi aquam, & ignem, ad quod volueris porrige manum tuam.* Deinde illa execrabilis hæresis negat supremum Dei dominium in creaturas, cum non habeat, in voluntate humana, ut huc, & illuc liberè vertat, & negat Dei potentiam, & scientiam, cum non habeat, neç sciat modum, quo voluntas ad hanc, & illam partem veniat, & tandem privat sanctos suis meritis in obediendo, & exequendo Dei mandata.

Inspirationi Dei libere homo consentit. Trident. Eccles. 14. 16. & 17.

83. Expendamus verba Pauli, cuius proloquio resplenduerunt omnes virtutes in summa perfectione. In hoc suæ conversionis instanti tam liberali manu divina gratia eum implevit, tantaque luce illustravit ait D. Bernard. serm. 1. in Conversione Pauli: *O verbum breve, sed plenum, vivum, & omni acceptione dignum. Primo* enituit fides, dum Dominum dicit, ac profitetur. *Secundo* enituit altissima pœnitentia, compunctio, ac contritio de anteactis, quod magna sævitia Dominum suũ persequutus esset, ideoque tamquam servus ab eo misericordiam postulat. *Tertio* cultus, ac reverentia, cum Christum statim in primo verbo Dominum appellat. *Quarto* profundissima humilitas, non ait, Domine mi, sed tantum Domine, præ humilitate non audet eum Dominum suum dicere, cum se illius indignum servũ reputaret.

Respondent omnes virtutes in Paulo. D. Bern.

84. *Quinto* eximia conformitas cum voluntate Divina: *Quid me vis facere* verba sunt animi resignati, ac tradentis, & dantis se totum Deo, sic ipse dicebat ad Galatas 2. numer. 20. *Vivo ego iam non ego, vivit vero in me Christus*, ut explicant D. Chrysostomus, D. August. non vivebat, ut suam voluntatem faceret, sed ut Christi beneplacitum adimpleret. De anima sancta dicitur Cantic. 2. num. 7. *Ne suscitetis, neque evigilare faciatis dilectam quo ad usque ipsa velit.* Origenes homil. 3. D. Nissen. homil. 4. Theodoret. & alii legunt: *Quoad usque ipse velit.* Quomodo hæc Deo possunt stare, ipsa est sponsa, scilicet anima sancta, ipse est sponsus, nempe Christus Dominus, & ideo optime cohærent, tam uniformiter se habent anima sancta cum Christo, & Christus cum illa, ut in eis sit una tantum voluntas, & idem est, quod ipsa vult, ac quod ipse vult.

Galat. 2.

Uniformitas cũ deo.

Cant. 2. Origen. Nissen. Theod.

85. *Sexto* maxime elucet, ac resplendet Pauli magnanimitas dum se offert ad omnes labores, persecutiones, vexationes, ac cruciatus pro Deo sustinendos: Unde ipse dicebat Rom. 8. num. 15. *Nulla creatura*

Rom. 8.

nos

nos poterit ſeparare à Charitate Dei. Ita erat Deo unitus, ut cætera omnia ut herbam putridam reputaret. *Septimo* Charitas fervida præclariſſimè enituit; non enim dixit: *Domine quid vis me tibi facere*, ſed abſolutè *quid me vis facere*; ſcilicet tam tibi, quam tuis membris, perfectiſſima charitas, quæ in Deum, ac proximum ſe extendebat ait ipſe, 1. Timoth 2. num. 10. *Omnia ſuſtineo propter electos, ut ipſi ſalvi fiant.* 1. Tim. 2

86. *Octavo:* In hoc multum radiavit ſapientia Pauli: Pauca verba protulit, & tot ampla comprehendit, & uno, vel altero verbo tot, & tanta protulit. Cum ſacratiſſima Virgo Maria ad altiſſimum Incarnationis myſterium præberet conſenſum Angelo nuntianti dixit: *Ecce Ancilla Domini fiat mihi ſecundum verbum tuum* Luc. 1. num. 38. D. Ildephonſ. lib. 2. de virgine ait: *Paucis verbis multa dixit*, quam prudentiam Paulus eſt comitatus.

Multa brevi er.

Luc. 1.

Ildeph.

87. *Nono:* Valde prompta obedientia, quæ ſe præparat, ad in omnibus obediendum. *Quid vis ut faciam.* D. Auguſt. ſerm. 14. de ſanct. ait: *Iam parat ſe ad obediendum, qui prius ſæviebat ad perſequendum. Iam formatur ex perſecutore prædicator, ex lupo ovis, ex hoſte miles, ovis audeat quid facere debeat.*

D. Aug.

88. Pro hac obedientia expendamus verba: *Domine quid vis, ut faciam*; non dixit: Impera quid faciam, ſed *quid vis.* Hæc eſt perfectiſſima, & ſublimis obedientia, quæ ante Domini mandatum jam exequitur eius voluntatem, antequam Dominus imperet iam voluntas eſt in promptu, & præparata ad obediendum: Paulus ait: *Domine quid vis, ut faciam*, & Dominus ad eum: *Ingredere civitatem, & ibi dicetur tibi, quid te oporteat facere.* Ante datum mandatum iam voluntas erat illud adimplendi, voluntas exequendi præcellit Domini imperium.

Perfecta obedientia non expectat in mandatis

89. De illis Cœleſtibus, ac divinis Spiritibus decantat Regius Vates Pſalm. 102. num. 20. *Angeli eius potentes virtute, facientes verbum illius ad audiendam vocem ſermonum eius.* Debitus rerum ordo totus videtur inverſus; prius eſt enim verbum auribus percipere, deinde illud opere implere, proindeque dicendum videbatur: *Audientis vocem ſermonum eius ad faciendum verbum illius*: At de divinis Angelis aliter proclamatur: *Facientes verbum illius ad audiendam vocem ſermonum eius.* In hoc eminet, ac reſplendet celſitudo virtutum Angelicarum, quod prius ſe præparant, ac pergunt ad Dei imperia perficienda, quam Dei jubentes voce declaretur, eiſque exponatur: Ad hunc modum Cœleſtium virtutum Paulus exiſtens in terra prius extendit manus ad opus: *Domine quid me vis facere*, quam divinum mandatum audeat.

Pſal. 102

Ante mandatum voluntas exequitur.

Actor. 9. num. 7. Et Dominus ad eum: Surge, & ingredere civitatem, & ibi dicetur tibi, quid te oporteat facere. Viri autem illi, qui comitabantur cum eo ſtabāt ſtupefacti, audientes quidem vocem, neminem videntes.

Num. 8. Surrexit autem Saulus de terra, apertis oculis nihil videbat, ad manus autem illum trahentes introduxerunt Damaſcum.

Num. 9. Erat autem ibi tribus diebus non videns, & non manducavit, neque bibit.

Verſiones,

CVM EXPOSITIONE IV.

Verſ. 7. *ET Dominus ad eum ſurge.* Ecce iam apparet perfectiſſima Pauli obedientia, ut notavit Caietanus, ipſe proſtratus erat in terra, & tamen non audet ſurgere, niſi juſſus à Domino. *Et ingredere civitatem.* Tertullianus: *Exurge, & abi in Damaſcum*, quæ erat civitas, ad quam tendebat. *Ibi dicetur tibi quid te oporteat facere.* Syriacus: *Ibi tecum habebitur ſermo de eo, quod te oporteat agere.* Dicitur in Textu facere, & non audire, ſuſcipiens nempe Sacramentum Baptiſmi, Confirmationis, & forte etiam Euchariſtiæ, de quo infra verſ. 19. 90. Caiet. Syriac.

Stabant ſtupefacti. Arabicus: *Manebant attoniti, mansérunt ſilentes.* Æthiopicus: *Admirantes*, alii legunt *muti.* Quomodo dicitur *ſtabant*, cum Paulus dicat Actor. 26. num. 16. quod fuerint proſtrati, & ita re vera contigit, ſtabant tamquam fixi in ſuo loco abſque eo quod pedem moverent ſtupefacti, & attoniti ex luce viſa, voce audita, & præſenti Pauli caſu. 91. Arabic. Æthiop. Act. 26.

Audientes vocem, neminem autem videntes. Æthiopicus: *Viderunt lucem, vocem prolatam non audierunt*; noſtra tamen vulgata, cæterique Codices habent *audierunt*, ſed quomodo hoc cohæret cum eo quod Paulus ipſe ait Actor. 22. numer. 9. *Lumen quidem viderunt, vocem autem non audierunt.* Intelligitur vocem Chriſti: *Quid me perſequeris? Hanc comites non audierunt, cum autem dicitur eſt in præſenti: Audientes vocem*, ſcilicet ipſius Pauli: *Quid me vis facere?* Ita exponunt Divus Auguſtinus in Pſalm. 67. Lyranus, Gloſſa Ordinaria, Hugo, Carthuſianus Caietanus. Alia eſt etiam expoſitio *vocem audientes*, ſcilicet Chriſti confuſè, & indiſtinctè ita ut ejus intelligentiam non perciperent. Prima tamen interpretatio eſt aptior. 92. Æthi. Pe. Actor. 22. D. Aug. Lyran. Gloſſa Hugo. Carthuſ. Caiet.

Verſ. 8. *Surrexit autem Saulus de terra.* Æthiopicus: *Reſurrexit à caſu.* Cum perfecta obedientia iuxta Chriſti præcipientis mandatum *Surge* ſurrexit; *Aperti, oculis nihil videbat.* Syriacus: *Nihil ei apparuit*, Cum eſſent oculi ejus aperti. Divus Chryſoſtomus: *Nihil videbat.* Oculi ejus erant obturati, ita ut videre non poſſet, ideoque dicitur infra: *Ceciderunt ab oculis ejus tamquam ſquama.* Lux divina magis feriit oculos Pauli quam, comitum, ita ut comites ut notarunt D. Chryſoſtomus & Oecumenius poſſent eum ducere in civitatem: *Ad manus autem illum trahentes.* Syriacus: *Dum comprehendiſſent manum ejus.* Ad manus illum trahebant, ut ſolent cæci, vel ut ait D. Chryſoſtomus; ducitur per manus tamquam Chriſti captivus, qui modo ſervos Chriſti tamquam captivos ducebat in carceres. 93.

Verſ. 9. *Et erat ibi tribus diebus non videns.* Syriacus: *Neque viſum eſt ei quidpiam*, non videns viſu corporali, maxime vero mentali; nam in hoc triduo, juxta multos Doctores habuit illum admirabilem raptum uſque ad tertium Cœlum, in quo audivit arcana Dei. 2. Corinth. 12. numer. 2. non manducans, neque bibens. 94. Syriac. 2 Cor. 12

QVÆSTIO XIII.

Quare Dominus mittit Paulum ad Ananiam?

95. DIxerat Paulus: *Domine quid me vis facere?* Eum docet Christus quid ei faciendum sit: *Ingredere civitatem*, scilicet Damascum, *Ibi dicetur tibi quid tibi oporteat facere*, scilicet suscipere Baptismum, Confirmationem, & ut in rebus fidei maxime instrueretur. Neque cum hoc obstat, quod Christus Actor. 26 dixit Paulo infra cap. 26. num. 18. *Ad hoc enim apparui tibi, ut constituam te testem, & ministrum eorum, quæ vidisti*, sicut & illud, quod ipse de suo Galat. 1. Evangelio prædicato: *Ego ab homine non accepi illud, sed per revelationem Iesu Christi*: ad Galatas 1. num. 12. nempe in suo raptu, multa altissima, & principalia, ac majora cognovi de mysteriis Divinitatis, ac etiam de vita Christi; hoc tamen non obstat, quod aliquas circunstantias de vita Christi acceperit ab Apostolis, qui ab initio ipsas viderunt.

96. Abbas Moyses Secundo Moyses Abbas apud Cassianum collatione 2. cap. 14. ait: *Mittis Paulum ad seniorem, eumque illius potius doctrina, quam sua censet instrui, ne scilicet quod rectè gestum fuisset in Paulo posteris malum præsumptionis præberet exemplum, dum unusquisque sibimet persuaderet simili modo se quoque debere Dei solius magisterio, atque doctrina potius, quam seniorum institutione servari.* Deus de Cœlo vocavit Paulum, tamen ut informetur de rebus agendis non per se illum instruit, sed ad Ananiam, ut doceatur, remisit, ut inde quilibet habeat exemplum, ut seniorum Concilia requirat, & ne tantum de se præsumat, quod à solo Deo sit ministrandum.

Deus vocat, & per seniores erudit.

97. 1. Reg. 3. Vocat Deus Samuelem, *Et cucurrit ad Heli, & dixit: Ecce ego; vocasti enim me.* 1. Reg. 3. num. 5. Ad quid Deus vocat Samuelem simili voce Heli, & cur non aperit ei ad quid vocetur, sed ordinat, ut prius tendat ad Heli? Alto concilio, ut puer instrueretur à seniore qualiter se debebat præparare, ac disponere ad Dei mandatum accipiendum, & mente tenendum D. Gregor. Magnus in comment. ait: *Vocavit Deus puerum, sed voce magistro simili, causam vocationis tacuit, ut electus puer, quæ humilitate obedientiæ esset sublimis ostenderet. In re ad præceptorem pertulit, ut devotionis suæ munus offerret.*

A senioribus doctrina requirenda.

98. D. Bern. *Majorũ doctrina requirenda.* Tertio D. Bernard. serm. 1. de conversione Pauli ait: *O sapientia suaviter vera, universa disponens: eum, cui tu loqueris eruditurum de voluntate tua, mittis ad hominem?* Quisquis in se vult habere Dei dona, firma, ac tuta, requirat majorum doctrinam, ac disciplinam, ne de se multum præsumat, ut aliorum culturam respuat, ac contemnat.

99. Exod. 32 Accepit Moyses duas tabulas legis ex utraque parte scriptas, & *factas opere Domini*, seu ut alii legunt *Digito Dei* Exod. 32. num. 16. Cum ergo vidisset populum idolatrantem, iratus Moyses proiecit tabulas, & confregit ad radices montis numer. 19. Postea Deus misericordia motus mandat Moysi; *Præcide tibi duas tabulas lapideas instar priorum, & scribe tibi verba hæc.* Exod. 34. num 27. maxima indagine dignum, ut advertit D. August. citandus: Tabulæ scriptæ digito Dei confringuntur, & peteunt, exaratæ vero manu hominis durant, & perseverant, Dei dona tunc durant, & conservantur cum hominis habent cooperatores. D. August. q. 165. in Exod. ait: Priores tabulæ scriptæ digito Dei non perseverant: *Posteriores tabulæ tamdiu mansuræ, ac in Tabernaculo, ac Templo Dei futuræ jubente quidem Deo tam ab homine scissæ sint, quam ab homine scriptæ; forte in illis prioribus gratia Dei significabatur, non hominis opus*: Inde agnoscat homo, quod ut Dei dona perseverent requiritur hominis cooperatio, & illius diligentia, aliter facile prolabuntur.

Exod. 34 D. Aug. *Vt dona Dei firmentur requiritur nostra cooperatio, ac diligentia.*

100. Quarto: Quamvis superiora moraliter sint dicta, tamen quoad literam. Non dicitur Paulo te oportet audire, sed facere, scilicet suscipere Sacramenta Baptismi, Confirmationis, &c. nam plenissimè instructus in mysteriis Divinitatis, ac vitæ, & doctrinæ Christi hoc, ut ipse citato loco ad Galatas, non habuit principaliter ab homine, sed per revelationem Iesu Christi, quod postquam Christus Cœlos ascendit, nulli hominum, nisi tantummodo Paulo edocuit, ut in præsenti notat Theophilactus, & latius Petrus Damianus opuscul 35. cap. 3. ubi sic ait: *Postquam illa beata, atque Divina Redemptoris humanitas ad paternæ majestatis est evecta confessum, ut non jam hominibus temporaliter interesset, sed Cœli potius virtutibus præsideret, non per magistrum, sed specialiter per se ipsum, sic illum efficaciter docuit, omniumque sibi gestorum suorum mysteria delegavit, ut non modo prædecessorum suorum magisterio nullatenus indigeret, sed eos insuper omnes Cœlestis sapientiæ profunditate præcelleret.* Expende ultima verba pro eximio Christi amore erga Paulum. Quem tanta sapientia exornavit, ut cæteros antecelleret.

Theoph. Paulus præcellit alios sapientia. Damian.

QVÆSTIO XIV.

Quare Paulus obcæcatur tanta luce circumfusus?

101. VErè Paulus obcæcatus est, ut nec jam Christum, nec circunstantes, nec viam itineris videret, ut patet ex Textu: *Nihil videbat.* Deinde manibus trahentium ducebatur, ut communiter cæcis contingit: Illa autem lux Divina non sic perstrinxit oculos comitum, ut Pauli, ut ait Chrysostomus, ut comites possent ducere Paulum, & quia Deus disponebat alta, & sublimia agere cum Paulo, & non cum illis: Quæstio est cur tanta Paulo cæcitas evenerit?

Lux divina perstrinxit oculos Pauli non comitum. Chrysost.

102. D. Bern. *Mundatur oculi Pauli.* Primò D. Bernard. serm. de Conversione Pauli, ait: *O felix cæcitas, quæ male quondam illuminasti in prævaricatione, tandem in conversione oculi salubriter execrantur.* Cum Saulus esset in sua sævitia, ac furore ejus oculi erant multa turpitudine fœdati, cum verò in sua conversione exurgit novus homo, novi etiam sint oculi, purificati ab antiqua nequitia, & inde ab oculis eius ceciderunt tamquã squamæ, ut novum visum reciperet.

103. D. Ambr. *Excæcatur Paulus à terrenis, ut videat Cœlestia.* Secundò D. Ambrosius lib. 2. de Abrahamo cap. 9. ait: *In actibus Apostolorum legimus, quia circunfulsit lux Saulum de Coelo, & cecidit; horrore animi turbatus est, & audivit vocem de Coelo dicẽtẽ: Saule, Saule quid me persequeris? Desinit enim videre sæcularia, qui incipit audire divina.* Toto animo, ac totis viribus Paulus Divinæ voluntati se subjiciebat, se se omni conatu Deo tradebat, inde consquens erat, ut omne terrenum despiceret, & ad illud cæcus esset, ut ad Deum ferretur, illumque suspiceret solum.

104. Ioan. 9. D. Paul. *Excæcãdi oculi à terrenis.* Ait Christus Dominus Iudæis Ioan. 9. numer. 4. *Si cæci essetis non haberetis peccatum*, ut sint liberi, ac immunes à peccato hoc unum illis optat Christus Dominus ut oculos habeant clausos, & cæcos terrenis, ac temporalibus, ut justitiam, veritatem, ac Cœlestia aspiciant. D. Paulinus epist. 4. ait: *Dominus Iudæorum oculis cæcitatem præferens dicit; si cæci essetis non haberetis peccatum: Reminiscamur qua pernicie illis in paradyso oculi sunt aperti, quos tamdiu habuerunt illuminatos, quamdiu clausos habuere peccato:*

105. D. Naza. Tertio D. Nazarius orat. in sancta lumina ait: *Verendum*

Verendum ne oculorum sensu orbemur, quemadmodum Paulo accidit, cum priusquam à persecutionibus expiatus esset colloquium cum eo, quem persequebatur miscuisset monet? Ut unusquisque prius se purget, & mundet, quam ad sublimia, & altissima evolet, & cum summa puritate habeat colloquium, ideoque Paulus obcæcatur cùm sua sævitia esset valde immundus ad altissima evehitur, cum prius esset transeundum per Baptismi aquam, ac pœnitentiæ lavacrum.

Ad suprema non statim, sed per media trànseundum.

106. Ex idololatriæ tenebris veniunt Magi adorare Dominum: *Vidimus stellam ejus in Oriente, & venimus cum muneribus adorare eum.* Matth. 2. num. 5. Vocantur ad Christum Dominum adorandum, cur statim non veniunt ad illum, sed mediante stella? Ne tanto majestatis lumine offenderentur per stellam ducuntur, ut inde securius, & facilius ad verum solem perveniant D. Chrysostom. serm. 87. ait: *Hinc est, quod & magos adhuc noctis incolas, & totis obstupescentes oculis, tenuiter micans stella assuefacit ad lucem, & gradatim pertrahit ad ipsum fontem luminis, & diei.*

Matth. 2.

Gradatim ad magna eundum. D. Chrysost.

107. Honor. Quarto: Venatius Honoratus Pictavensis homil. de orat. Dominicæ sic scribit: *Beatus Paulus populum Christianum devastabat, sed quando Redemptor dignatus est in persecutore suo magis pius esse, quam justus, ut ad meliora accederet, eum per cæcitatis amaritudinem castigavit, & corporale lumen obduxit, ut ei spirituales oculos aperiret.* Furore, & ira fervebat Paulus contra Christianos; At cum clementissimus Iesus ex persecutore amicum, ex Saulo Paulum, ex irato mitem, ex perfido fidelem, ex devastatore eximium Evangelii seminatorem, cæcitatis amaritudine, ac angustia percutit. Tam fortis, ac efficax est calamitatis vexatio, ut inflammatam persecutoris iram in magistri lenitatem, convertat.

Vexatio, ac pressura dat intellectum.

108. Ex delegatione Dei Moyses, & Aaron denuntiant Pharaoni, quod Dominus præcipit, ut Populus pergat in solitudinem ad ei sacrificandum, quibus Pharao respondit: *Quis est Dominus; ut audiam vocem ejus, & dimittam Israel? Nescio Dominum & Israel non dimittam.* Exod. 5. num. 2. Tamen postea ipse plagis vexatus aquæ, quæ sunt conversæ in sanguinem, paludes innumerabiles ranas emittunt operientes totam Ægyptum. Tunc ipse vocat Moysen, & Aaron, & dixit eis: *Orate Dominum, ut auferat ranas à me, & à populo meo, & dimittam populum, ut sacrificet Domino.* Exod. 8. num. 8. Antea Dominum ignorabat, & veluti contemnebat, dicens: *Quis est Dominus*, jam vero per intercessores postulat indulgentiam ab eo, totum hoc plagarum calamitas effecit. Origenes homil. 3. in Exod. ait: *Ecce Pharao durissimus, proficit verberatus, ante verbera Dominum nescit, verberatus supplicari pro se Dominum rogat;* est profectus in pœnis.

Exod. 5.

Exod. 8.

Castigatione proficit rigidos. Origen.

QUÆSTIO XV.

Quare D. Paulus per triduum neque manducavit neque bibit?

109. PRimo aliqui hoc referunt ad altissimam meditationem, & contemplationem Pauli cum Deo, ut ab omnibus temporalibus esset alienatus, illorũque oblitus, sicut Moyses per quadraginta dies stetit in monte cum Deo, & maxime quia, Glossa ordinaria Beda, Hugo, & Historia Ecclesiastica existimant in hoc triduo Paulum raptum fuisse ad Cœlum ubi audivit arcana Dei, & didicit Evangelium de quo ipse testatur non esse acceptum ab homine, sed per revelationem Iesu Christi. Deinde ex colloquio, quod habuit cum Christo in sua conversione maxime accensus est in eius amore, ad quod pertinet illud Psalmi 104. num. 10. *Eloquium Domini inflammavit eum.*

Glossa Beda. Hugo. Hist. Ecclesiast.

Psal. 104.

110. Secundo per triduum nec manducavit, neque bibit ob austeram pœnitentiam D. Chrysostomus in præsenti ait: *Compungebat se propter ea, quæ fecerat, confitebatur, precabatur, orabat Deum, & se ipsum mirum in modum pœna dignum judicabat.* Oecumenius ait: *Ob Ecclesiæ persecutionem, tristisque Deum deprecabatur, ut sibi remitteret:* Et tam rigida, & austera hæc extitit pœnitentia Pauli, cum tam vehementi ieiunio, ut dicat D. Basilius orat. 2. *Paulum jejunum, quod in suarum angustiarum prædicatione commemorat in Coelum provexit.* Tridui autem abstinentia à cibo absque miraculo facile dari potest, & tanta est jejunii virtus, ut in Cœlum elevaret.

D. Chrysost. *Pœnitentia in triduo.* Oecum.

D. Basil. *Ieiunii virtus.*

111. Hanc autem rigidam, & severam pœnitentiam, quam Paulus in sua conversione initiavit, per totam vitam retinuit, & continuavit: hinc ipse ait: 1. Corinth. 9. num. 27. *Castigo corpus meum, & in servitutem redigo.* Illud verbum *castigo* juxta Clementem Alexandr. 3. strom. Nazianz. orat. 1. ex radice græca idem valet, ac *affligo, vexo, ac verbero,* quod per totam vitam sedulo observavit, ut notat D. Hieronymus ex illo 2. Corynth. 2. *In jejuniis multis, in vigiliis, in fame, siti, frigore, & nuditate, in laboribus, carceribus.*

1. Cor. 9. *Per totã vitam.* Clemens Alexand. 2. Cor. 2.

112. *In servitutem redigo*, nempe Spiritus, ut explicant ibi D. Hieronymus, D. Ambrosius, ita tamen D. Chrysostomus, Origenes, Theodoretus, hoc referunt ad Deum, ac in servitutem Dei, ut quamvis in terra degeret, nihil carnis in eo apparebat, sed tamquam Archangelus Cœlestis totus erat destinatus, ac missus in ministerium, ac servitutem Dei, Unde ipse dicebat: *Vivo ego, jam non ego, vivit vero in me Christus.* Ac si diceret, quod ita vivebat, ac si non viveret vita sua, sed Christi, in quem totus erat transformatus.

Paulus veluti Archangelus, & in Christũ trãsformatus.

Tandem pro hac eximia Pauli pœnitentia declaranda accipe D. Chrysostomum homil. 2. de laudibus Pauli, & ait: *Sic despiciebat universa, quæ cernimus, ut solet herba jam putrida contemni: tyrannos verò ipsos, ac populos spirantes furorem, vel esse quosdam culices existimabat; mortem vero, & cruciatus, & mille suplicia, quasi ludum putabat esse puerorum, dummodo pro Christo aliquid sustineret... Tunc enim, & tunc amplectebatur libenter, & decorabatur vinctus catena magis, quam diademate coronatus.* Nota sequentia: *Etenim coactus carcere habitabat Coelum, & libentius verba accipiebat, & vulnera, quã alii bravia diripiunt.*

113. D. Chrysost. *Gaudiũ Pauli in cruciatibus, ac laboribus.*

114. Hic tamen considera cum Eusebio Emisseno homi. 1. in initio quadragesimæ: Ecce Paulus iam Christi habitaculum, iam vas electionis effectus intelligit sibi non sufficere solam gratiam, nisi gratiæ adiungat solitudinem vigiliæ, & laboris industriam.

Eusseb. Emissen.

QVÆSTIO XVI.

Quare Paulus in sua conversione omnibus facultatibus corporalibus privatur?

115. IN tanta multitudine sanctorum, quos Deus ad Ecclesiam suam vocavit, quid simile factum est, ut ab omni terrenorum cogitatione, ab omnibusque corporis functionibus esset absolutus. Ipse ut cæcus non videbat, nec audiebat, ut multis placet, nec

Status quæstionis.

nec loquebatur, nec comedebat, nec bibebat, nec ambulabat, neque unum pedem movere poterat.

116. *Ratio literalis.* Ratio literalis huius rei pendet ex dictis quæſtione ſuperiori in limine, vel enim in hoc triduo, ut multis placet, raptus eſt in Cœlum, & inde ex tam alta cognitione ab omnibus humanis abſortus, vel etiam tam vehementi dolore compunctus eſt de anteactis, tantoque affectu rapiebatur in Deum poſtulans ejus miſericordiam, ut ab omnibus terrenis eſſet ſequeſtratus, ut præter Deum ad nihil aliud adverteret, nec attenderet.

117. *Diſponebatur Paulus ad ſupremum ſapientiæ apicem.* Secundo, & moraliter: Ex omnibus, qui ad Eccleſiam vocantur unus ſolus Paulus in ſua converſione excæcatur, & ab omnibus terrentis abſolvitur. Diſponebatur ipſe à Deo, ut altiſſima ſapientia, & illuſtriſſima virtute, ac terrenorum contemptu, ut dixi in fine ſuperioris quæſtionis, ſuper omnes ſublimaretur ad ædificandam Eccleſiam Dei puram, & ſanctam, ideo ipſe exuitur ab omni carnali commercio, ab omnibuſque humanis facultatibus, ut induatur ſuperna virtute ex alto in ſapientia, juſtitia, ac architectura ad ædificandam Eccleſiam Dei.

118. Ait ipſe 1. Corinth. 3. num. 10. *Secundum gratiam, quæ data eſt mihi, ut ſapiens Architectus fundamenta poſui.* Quomodo ait quod poſuerit Eccleſiæ fundamenta, cùm ipſe Apoſtolus ſtatim ibidem fateatur: *Fundamentum aliud nemo poteſt ponere, præter id, quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus Ieſus.* Si Chriſtus Dominus eſt fundamentum Eccleſiæ, quod ſapiens Architectus illud poſuerit, ac ſi Eccleſiæ fundamenta ab Æterno Parente commiſſa ſint Chriſto, & Paulo; Chriſto Domino ut principaliſſimo Auctori, qui illam pretioſo ſanguine comparavit, ac acquiſivit; Paulo vero, ut principali miniſtro, ac delegato, qui eam ſua altiſſima ſapientia aſportavit, ac in toto mundo plantavit, & ædificavit, & ut notant D. Chryſoſt. Theophylact. Theodoretus; Paulus cum ſit valde humilis de ſe ait: *Vt ſapiens Architectus*, non, ut ſe iactet, ſed gratulabundus gratiam Deo exhibet pro tanta ſapientia ei data ad omnium ſalutem.

Chriſtus fundavit Eccleſiã, Paulus plãtavit

D. Chryſoſt. Theoph. Theod.

119. Iſai. 3. Aquila Citato loco alludit Apoſtolus ad illud Iſaïæ cap. 3 num. 3. *Ecce Dominator Dominus exercituum auferet à Ieruſalem, & Iuda ſapientem de architectis*, tranſtulie Aquila, *ſapientiſſimum artificium.* Minatur Deus ad Ieruſalem, & Iudam ſe velle auferre ſuam fidem, proindeque Architectos, qui fuerunt Prophetæ, qui illum populum divina fide illuſtrarunt, ut Deus unum populum, & unam Iudææ gentem ſua fide illuminaret, multi Architecti, multi Prophetæ miſſi ſunt, ut Deus ſuam ſanctam, & Catholicam fidem in toto Orbe, in omnibus regnis provinciis, ac nationibus plantaret; Vnus Paulus pro multis, ac omnibus ſufficiens pleniſſime eſt: *Vt ſapiens Architectus fundamenta poſui*; Ipſe enim prima elementa fidei Chriſtianæ poſuit; Ad hoc tendit Tertullianus lib. 5. contra Marcion. cap. 6. ubi ſic ait: *Quod Architectum prudentem affirmat Paulus, hoc invenimus ſignificari de palatinorum diſciplina Divina à Creatore per Iſaïam, Auferam, inquit, à Iudæa. &c.*

Vnus Paulus pro omnibus.

Tertull.

120. D. Aug. *Paulus pro omnibus laboravit.* Huc advoco id quod ſapienter dixit D. Auguſtinus ſermon. 29. de ſanctis: *Petrus Eccleſiam, Vbi iam fuerat, reparat, Paulus ubi non fuerat, Petrus in Iudæis terram male fœcundam excolit, Paulus verò in gentibus nondum cultam fœcundat.* In converſione gentium magnus labor imponitur Petro, & Paulo; nam Petro in Iudæis committitur vinea iam plantata per Chriſtum malitia inhabitantium ſterilis, ut eam poliat, & fœcundet; *Petrus in Iudæis terram male fœcundam excolit*; At Paulo totum pondus imponitur, ut in aggreſti, rudi, ac tenebroſa gentiũ ſylva, Eccleſiam plantet, ædificet, ac maximè fertilizet, ut ubertimos, ac præclariſſimos fructus parturiat: *Paulus in gentibus nondum cultam fœcundat.*

Actor. 9. num. 10. Erat autem quidam diſcipulus Damaſci nomine Ananias, & dixit ad illum in viſu Dominus: Anania: & ille ait: Ecce ego Domine.

Num. 11. Et Dominus ad eum: Surge, & vade in vicum, qui vocatur Rectus, & quære in domo Iudæ Saulum nomine Tarſenſem: Ecce enim orat.

Num. 12. Et vidit virum Ananiàm nomine introeuntem, & imponẽtem ſibi manus, ut viſum recipiat.

Verſiones,

CVM EXPOSITIONE V.

Verſ. 10. *Erat autem quidam diſcipulus Damaſci Ananias*: Valde inſignis inter Domini diſcipulos, inquit D. Chryſoſt. de quo quæſtione ſequenti: *Et dixit ad illum in viſu.* Syriac. *Dixit per viſionem.* Arabicus: *Noctu. Ecce me Domine.* Verba ſunt promptè obedientis ad omnia, ſic Samuel 1. Reg. 3. num. 4. & 6. & Iſaï 1. numer. 8. Baruch. 3. num. 35.

121. D. Chryſoſt. Syriac. 1 Reg. 3.

Verſ. 11. *Surge vade.* Pagninus: *Cum ſurrexeris vade.* Ecce imperium Domini: *In vicum, qui dicitur Rectus.* Arabicus: *Qui appellatur via recta.* In Platea, nempe, quæ nuncupatur via longa, & directa, cæteris erat via longior, & rectior: *Et quære in domo Iudæ Saulum.* Arabicus: *Pete in domicilio Iudæ.* Erat quidam homo, qui hoſpes erat Sauli, ut tenent Lyranus, Carthuſianus, Lorinus, quod eſt probabilius quam id, quod dicunt Gloſſa, Interlin. & Hiſtoria Eccleſiaſtica, quod erat domus in platea aſſignata Iudæis tamquam ſi Damaſceni determinaſſent locum pro Iudæis habitandis.

122. Pagnin. Arabi. Lyran. Carthuſ. Lorin. Gloſſa

Saulum nomine Tarſenſem, Peoprium nomen Saulus, cognomen Tarſenſis, tamquam originem habens à Tharſo Ciliciæ Metropoli: Illuc enim Pater Pauli tranſlatus fuerat de Iudæa, & ibi multum creverat fama, & poteſtate, ut ait Lyranus: *Ecce enim orat.* Hoc dicitur Ananiæ, ut non timeat illum perſecutorem, iam enim orat ut ad meliorem vitam, & per Baptiſmum converſus, ut notant D. Chryſoſt. Oecumen. Carthuſ. & Hugo.

123. Lyran. D. Chryſoſt. Carthuſ. Hugo.

Verſ. 12. *Et vidit virum.* Syriac. *Et ecce enim ut ille precatur.* Arabicus: *Aſpexit per viſionem*; Hæc verba legenda ſunt per parentheſim, non enim ſunt verba Chriſti loquentis cum Anania, ſed Lucæ Hiſtoriam referentis, de viſione, quæ accidit in illo temporis articulo, quo Paulus orabat, & Chriſtus loquebatur cum Anania. Per viſionem manifeſtatum eſt, ut quando Ananias veniret ad eum, ut ex præſentia, & voce ipſum cognoſceret, & veneraretur tamquam legatum miſſum à Deo, & recognoſceretur erga eum Dei beneficentia, à quo talis, & tantus vir mittebatur, ut ab eo Sacramenta reciperet.

124. Arabicus.

QVÆSTIO XVII.

Quiſnam eſſet Ananias?

VIr magnus, ac inſignis extitit, ut ait D. Chryſoſt. de eo magnum, ac præclarum præbet teſtimonium, noſter Paulus Apoſtolus infra Actor. 22. num. 12,

125. Act. 22.

num. 12. *Ananias autem quidam vir timoratus ſecundum legem, teſtimonium habens ab omnibus habitantibus Iudæam.* Et cum Apoſtolus eum dicit timoratum, denotat eum eſſe juſtum, ſanctum, ac pium, ut ibi dicetur.

126. *Nominis interpretatio, D. Hier. D. Aug. Gloſſa.* Et ab ejus nomine incipiamus; idem enim valet Ananias, ac *Ovis*, teſte D. Hieron. epiſt. 3. & D. Aug. infra citando. Gloſſa Interlin. idem valet: ac *Gratia Dei.* Alii interpretantur *ac nubes Domini*, quæ omnia optime cohærent; nam in nube Domini ipſe per viſionem apparuit Paulo, ut patet ſupra ex verſ. 12. & per ipſum gratia Domini delata eſt Paulo, dum ei Sacramenta miniſtrat; quod autem dicatur ovis magnum myſterium habet, ut explicabo ad quæſtionis finem.

127. *Patria dignitas, martyrium. Ganeus. Doroth. Oecum. De Nat. Martyr.* Ipſe erat ex Tribu Iuda, ut tradit Ganæus, & unus ex 72. Domini diſcipulis, ut tenent Oecumenius, & D. Dorotheus in Synopſi, Petrus de Natalib. lib. 3. cap. 21. cum dicit diſcipulum Apoſtolorum, cum baptizavit Paulum, Oecumenius dicit eſſe tantum Diaconum. D. Auguſt. lib. 2. quæſt. Evang. q. 47. Presbiterum, Dorotheus citatus, & alij dicunt eum fuiſſe Epiſcopum Damaſci, & tandem illuſtriſſimo martyrio eſt condecoratus, ut habet Martyrologium Romanum die 25. Ianuarii: *Apud Damaſcum natalis Sancti Ananiæ, qui eundem Apoſtolum baptizavit. Hic cum Damaſci, & Eleutheropoli, alibique Evangelium prædicaſſet ſub Licino Iudice nervis cæſus, laniatus, demũ lapidibus oppreſſus, martyrium conſummavit.*

128. *Gen. 49.* Paulus ex Benjamin lupus rapax Geneſ. 49. Ananias ovis ex ſuo ſignificato, ecce miraculum magnum divinæ omnipotentiæ; lupus rapax ſubiicitur ovi, & ei obedit, ut ab ipſa dirigatur, ac regatur. D. Auguſt. ſerm. 14. de ſanctis ait: *Lupus adductus ad Ananiã, qui interpretatur ovis, ecce lupus rapax adducitur ad ovem ſequendam, non rapiendam; & ne rapientem ovis expaveſceret lupum, ipſe Paſtor de Cœlo, qui omnia faciebat, nuntiavit ovi venturum lupum, ſed non ſæviturum: & tamen tam immanis fama illum lupum præceſſerat, ut non poſſet ovis audito ejus nomine non conturbari.* Et mox ſubdit: *Lupo ſævitia interdicitur; lupus ad ovem captivus ducitur, ut ab agno pro ovibus mortuo fit ovis ſecura de lupo.*

D. Aug. Miraculum, lupus ſubiicitur ovi.

QVÆSTIO XVIII.

Quare Ananias admonetur in vigilia, Paulus autem in ſomnis?

129. APparet Dominus Ananiæ per viſum cùm eſſet in vigilia, cum autẽ dormiret Paulus, viſio pernoctem ei oſtenſa eſt: *Vir Macedo quidam erat ſtans deprecens eum, & dicens: Tranſiens in Macedoniam adjuva nos.* Actor. 16. n. 9. Ananiæ vigilanti, apertiſque oculis ſe Chriſtus manifeſtat; at vero Paulo ſomno indulgenti, negotiante divino Spiritu ſe per viſum oſtentat Vir Macedo pro ſuorum ſalute agens, & cur Paulus non prius à ſomno excitatur, & tunc vir ille ſuam expoſtulationem exponit, ſed ipſo dormiente.

Actor 16. Difficultas quæſtionis.

130. *D. Cyrill. Alexand.* Reſpondet noſter D. Cyrillus Alexandr. in cap. 2. Ioelis, ubi ſic ait: *Audis, ut in viſu alloquitur Ananiam: Erat, ut puto, fide fortis, habitu ſtrenuus, animo ad virtutem excitato, ſpirituali robore infractus: Inſomnis autem Macedo Paulum rogare videtur; erat enim Paulus mente ſenex, animo grandævus, & cœleſti ſapientia plenus.* Ananias Vir magnus, & virtute præclarus, tamen in vigilia erat admonendus: At Paulus in altiori conſtitutus erat, ita ut fervore in virtute, ut ſenex inveteratus erat, & ita in illa excreverat, ut in omni perfectione eſſet grandævus, & præclara, & ubi tanta probitas radicata, ac ſugillata erat, minimè à ſomno impediebatur, ut divina monita exciperet, & quamvis ipſe oculis clauſis videretur dormire, tamen ejus obedientia ſic animo erat, ut ſemper eſſet in vigilia, ut cœleſtibus mandatis obtemperaret. Ad Ananiam cùm eſſet in vigilia venit ipſe Chriſtus; ad Paulum vir quidam ejus ſubſidium poſtulans: tam prompta erat ejus obedientia, ut etiam in ſomnis quælibet levis inſinuatio abundans foret.

Tanta erat ſolertia Pauli, ut dormiẽs obediret.

131. *Cantic. 5.* Ait Anima Sancta: *Ego dormio, & cor meum vigilat.* Cantic. 5. num. 22. Ait Chriſoſtomus, ut Paulo contigit. In extaſi, qualis fit tamquam ſonus, ut Adamo Geneſ. 2. num. 21. Extatici ſopitis ſenſibus quaſi videntur dormire, & tamen tota mente rapiuntur ad contemplanda divina; ſic præfatum canticorum locum explicant D. Bernard. ſerm. 52. Noſter Ioannes Carmelita Soto major, & alii, pro quo audiendus D. Gregor. lib. 5. Moral. cap. 22. *Ego dormio,* inquit, *cor meum vigilat, quia videlicet ſancta mens, quæ ſe à ſtrepitu temporalis concupiſcentiæ comprimit, eo verius interna cognoſcit, & tanto alacrius ad intima vigilat, quanto ſe ab exteriori inquietudine occultabat; quod bene per Iacob in itinere dormientem figuratur, qui caput ad lapidem poſuit, & obdormivit: à terra Scalam Cœlo inhærentem, innixum Scale Deum, aſcendentes quoque, & deſcendentes Angelos vidit.*

D. Bern. Ioan Carm. D. Greg. Anima ſancta Dei contẽplatur

132. Iacob dum conſideratione reclinatus in lapide Chriſto vidit Cœlos apertos, & Angelos per Scalam aſcendentes, & deſcendentes, & Dominum innixum Scalæ Geneſ. 27. num. 12. Paulus in ſua extaſi totus abſorptus in Chriſto, non vidit Angelos aſcendentes, & deſcendentes, ſed ipſemet aſcendit, nec vidit Dominum innixum Scalæ, ſed ad ipſum Dominum rapitur uſque ad tertium Cœlum, ad Tribunal uſque ipſius Sanctiſſimæ Trinitatis, ubi vidit, & audivit abſcondita myſteria Dei.

Gen. 27. Illuſtris viſio Pauli.

133. *Pſal 67. D. Anſel. D. Hier. Rupert. D. Hilar. Enthym. Deus magnis, & multis donis ſuam ditavit Eccleſiam.* Ait Regius Vates Pſalm. 67. num. 27. *In Eccleſiis benedicite Deo Domino de fontibus Iſrael, ibi Beniamin adoleſcentulus in mentis exceſſu.* D. Auguſtinus legit *Extaſi*, Concors eſt Sanctorum Patrum Auguſtinus, Hieronymus, Rupertus, Hilarius, Euthymius, quod Propheta loquitur de Paulo ex Tribu Benjamin, & ubi nos habemus *Adoleſcentulus*, ex Hebræo legitur *Minimus*; Paulus enim de ſe dicebat *Ego ſum minimus Apoſtolorum.* Invitat nos David, ut Deum laudemus, ac glorificemur de ingenii magnificentia, ac liberalitate, qua ſuam Eccleſiam locupletavit *de fontibus Iſrael* tot, & tantis donis, gratiis, ac prærogativis Patriarcharum, Prophetarum, Apoſtolorum, Evangeliſtarum, Doctorum, ac Martyrum, quibus irrigans fœcundavit ſuam Eccleſiam, *Iſrael*, id eſt fortis, qui in tanta donorum abundantia oſtendit ſuam fortitudinem, ac magnificentiam.

134. *Inter omnes ſanctos Paulus inſignitur, & condecoratur.* *Ibi Benjamin adoleſcentulus*, ſeu ut legit D. Hieronymus *Iunior* in mentis exceſſu, *in Extaſi.* Sed cur ex tot millibus millium ſanctorum, quos Deus ſuis tantis donis adimplevit, cur unus Paulus nominatur? Quia inter omnes, quos Deus fontibus ſuarum gratiarum, donorum, ac prærogativarum Patriarcharum, Prophetarum, Apoſtolorum, &c. fertilizavit, inſigniter, ac valde ſubliniter impinguatus Paulus condecoratus apparet, ut tot, & tantis donis illuſtratus in ſua extaſi refulget; Unde optime D. Chryſoſtomus ſupra datus eum appellat: *Arcam Cœleſtium gratiarum, ac donorum.*

QUÆSTIO XIX.

Quare ad Paulum futurum Eccleſiæ Doctorem inſtruendum non deſtinatur aliquis ex magnis Apoſtolis, ſed Ananias?

135. DEus conſulens Paulo ait Ananiæ, ut in platea, quæ dicitur Rectus, *Quære in domo Iudæ Saulum nomine Tharſenſem: ecce enim orat.* D. Chryſoſtomus homil. 20. in Acta ait: *Iam hoc loco metum Ananiæ minuit dicendo: ecce enim orat, quaſi hoc dicit, eatus eſt.* Cæcitatem cum oratione conjunxit, Illa eſt cum Deo perfectiſſima collocutio, & tranquilla meditatio, quæ compreſſo, & alligato ſenſu à tumultu, & evagatione habetur.

D Chryſoſt. *Oratio ab animo ſeparato à tumultu*

136. *Difficultas quæſtionis.*

Ad quæſtionem merito addubitat Oecumenius cur de Saulo Paulum futurum Eccleſiæ Principem, & Doctorem non mittitur aliquis ex Apoſtolis, ut eum in rebus fidei illuminet, ſicut miſſus fuit Philippus, ut inſtrueret Æthyopem Reginæ Candacis ſupra Actor. 8. num. 26. ſed Ananiæ ex diſcipulorum numero tantum munus committitur.

Actor. 8.

137. Oecum. *Optimũ ingeniũ multum iuvat ad magna opera.*

Dubium à ſe propoſitum ita ſolvit Oecumenius: *Quoniam*, ait, *per homines inducturus Saulus non erat, ſed per Ieſum Chriſtum; ſiquidem Ananias nihil eum docuit, ſed tantum baptizavit: ſimul enim, ut illuminatus eſt, magnam ſpiritus gratiam, à zelo, animique promptitudine attracturus erat.* Tamquam ſi dicat per idoneum Pauli ingenium, & ad ſumma quæque perampla capacitas, & fugaci ingenio, & à bona, & acri indole ſingulariter impreſſa, tamquam apto inſtrumento afflãte divina gratia magna myſteria perciperet, quæ intelligenda ruminaret magnam ſpiritus gratiam à zelo, animique promptitudine attractuturus erat.

138. Sapien. 6

Phitius.

Cœleſtis gloria multa cum iucũditate Paulum ambit.

De altiſſima Divina Sapientia, ac providentia dicitur Sapient. 6. num. 17. *Quoniam dignos ſe ipſa circuit, quæretis, & in viis oſtendit ſe illis hilariter, & in omni providentia occurrit illis.* Quem locum Phitius apud Oecumenium de Paulo explicat, & denotatur altiſſima benignitas divinæ ſapientiæ, quæ rejectaneos, & inidoneos negligens, ſolerter inquirat, & circumquaque perveſtiget dignos, & Reipublicæ muneribus idoneos. Divina Sapientia prævidebat Paulum peridoneum miniſtrum novi teſtamenti, ait Phitius citatus: *Ambibat Paulum præveniens gratiam Cœleſtis gloria.* Chriſtus Dominus contemplabatur altiſſimam Pauli indolem, acre ingenium, fervidam naturram ad Evangelium latè propagandum gratia divina operante, ac Cœleſti luce præveniente, ac illuminante: *Tunc eum circuivit quærens & cœleſtis gloria præveniens gratiam Paulum ambit*, Ut divina gratia fulgentiſſimum Eccleſiæ miniſtrum: *Et in viis ejus* operationibus, prædicationibus ſe oſtendit Deus hilariter multum delectans, & occurrit cum nova gratia ad majora opera edenda: Vide quæ dixi ſupra quæſtione 3. ex D. Auguſtino.

Actor. 9. n. 13. Reſpondit autem Ananias: Domine audivi à multis de viro, hoc quãta mala fecerit ſanctis tuis in Ieruſalem, *Num. 14.* Et hic habet poteſtatem à Principibus Sacerdotum alligandi omnes, qui invocant nomen tuum.

Verſiones,

CUM EXPOSITIONE VI.

Verſ. 13. *Domine audivi, à multis*; hic Ananias, ut ait Lyranus ſe excuſat à miſſione. D. Chryſoſt. *Tamquam ſi dicat, quid me proiicis in os Leonis? Cur me huic prodis*; Tam famoſus Chriſtianorum perſecutor erat Saulus, tamque nota erat in omnium ore ejus ſævitia: *Audivi à multis de viro.* Dicitur vir hic, quia vere vir erat triginta quinque annorum, cum tamen ſupra cap. 7. n. 57. in lapidatione Stephani dicatur adoleſcentulus ut ex illa lubrica ætate, ut ait D. Ambroſ. lib. de Io. ſeph: *Vt qui vocabatur ad gratiam excuſaretur à culpa*: & ſubdit Textus, *Quanta mala*, Syriacus, Æthiopicus: *Quot mala.* Arabicus, *Quantus ſit numerus malorum quæ perpetravit adverſus ſanctos ſuos.* Ita probe omnes vivebant juxta legem Dei, ut vita dicerentur Sancti.

139. Lyra. D. Chryſoſt.

D. Ambr. *Excuſatur Pauli à culpa.* Syriac. Æthiop. Arabic.

Verſ. 14. *Et hic habet poteſtatem à principibus Sacerdotum* D. Chryſoſtomus. *A ſummis Sacerdotibus.* verſ. 1. dicitur quod Saulus petiit epiſtolas à Principe Sacerdotum, ſub quo intelliguntur minores Sacerdotes, & hac de cauſa Ananias loquitur in præſenti in plurali, vel quia Ananias cum eſſet metu correptus, metus ſemper adauget, ut unum multa videantur: *Alligandi omnes* Syriacus, *Vincendi illos omnes* Arabicus: *Stringendi omnes, qui vocantur nomine tuo.* Æthiopicus: *vocantes nomen tuum.*

140. D. Chryſoſt. *Metus augetur.* Syriac. Arabic, Æthiop.

QUÆSTIO XX.

Quare Ananias cum audiat à Chriſto Paulum orare, & eſſe iam converſum, ipſe tamen eum reputat adhuc infidelem, ac perſecutorem?

141. DIxit Dominus Ananiæ de Paulo ipſe orat, in quo manifeſtavit iam Paulum eſſe converſum à ſua perverſitate. Tunc Ananias ait: *Domine Audivi de viro quanta mala fecerit ſanctis*, quæ verba non fuerunt dicta ab Anania tamquam hæſitante de verbis Domini, aliàs eſſet reprehenſus, ut factum legimus cum Zacharia Patre Joannis Baptiſtæ Luc. 1. numero 20. & cum Nicodemo Joan. 3. numero decimo, ac cum Capharnaitis Joan. 6. numero 6. Sed extitit quædam interrogatio cupientis ſcire modum tantæ mutationis, ac converſionis, quod abſque ulla culpa fieri potuit, ſic & Abrahamus audiens magnificam, & amplam Dei promiſſionem ait: *Vnde ſcire poſſum, quod poſſeſſurus ſim terram hanc?* Geneſ. 25. numero octavo quod ſtatim ei Angelus aperuit. Imo, & Sanctiſſima Virgo Maria abſque ulla dubitationis umbra ab Angelo quæſivit volens ſcire modum myſterii, ut maxime conformaretur cum divina voluntate. *Quomodo fiet iſtud?* Luc. 1. & Angelus declaravit, ut norant omnes Patres D. Auguſtin. D. Ambroſ. Cyrill. Ieroſolymit. Bernard. Theodoret. & alii, quos citato loco adduxi.

Luc. 1. Joan. 3. Joan. 6.

Ananias non dubitat ſed vult ſcire modũ. Gen. 15. Luc. 1. D. Aug. D. Ambr. D. Bern.

142. Tamẽ ſi dicas, ut multis placet, quod Ananias dubitaverit de Converſione Pauli, merito inquires, quomodo dubitat, cùm ipſe habuerit divinũ præceptũ, ut Paulũ adiret: *Surge vade.* Deinde de eius divina fide ſuſcepta audit divinum teſtimonium: *Ecce enim orat*, quæ dicta ſũt, ut Ananias, nec timeret, nec dubitaret de Paulo iam converſo, ut ſupra dixi D. Chryſoſt. Gloſſa Interli. Lyran. Carth. Quomodo ergo Ananias adhuc dubitat, adhuc recuſat Paulum adire, ut dicat Chryſoſt.

D Chryſoſt. Gloſſa. Interlin. Lyran. Carthuſ.

Chryſoſtomus ſupra datus in ejus nomine: *Timeo ne forte me ut Ieruſalem ducat quid me projicis in os Leonis?* Iam Paulus totus erat mutatus in fidem, ac amorem Dei? quia tamen agnitus fuerat, ut famoſus credentium perſecutor, & quam de ejus meliori ſtatu adſtipularetur divinum teſtimonium, adhuc Ananias, non ex his, quæ in præſentiarum erant, ſed ex antiqua opinione male de Paulo ſentiebat, ut homo ſuum proximum corrodat non appendit præſentia, ſed ad præterita oculos coniicit.

Vt homo corrodat non penſitat præſentia, ſed præterita.

144. Cum Chriſtus recubuiſſet in domo Phariſæi, ingreditur Magdalena, & ſtans retro ſecus pedes ejus lachrymis cœpit rigare pedes ejus, *& capillis capitis ſui tergebat, & oſculabatur pedes ejus & unguento ungebat.* Luc. 7. numero 38. Quæ nulla majora præſentiæ contritionis ſigna conſiderari poſſunt, omnia peccati inſtrumenta in Dei obſequium converuntur, & tamen Phariſæus videns ait: *Si hic eſſet Propheta, ſciret qualis eſt mulier, quæ tangit eam, quia peccatrix eſt*, numero 39. Quomodo Phariſæe eam dicis peccatricem, cum videas pœnitentem tot, & tantis demonſtrationibus? O miſeram hominum conditionem! quæ ut proximum valeat vellicare non cogitat de his, quæ videt de præſenti, ſed de illis, quæ audivit de præterito. In præſentiarum videt pœnitentem, auribus audivit tempore jam elapſo peccatricem; Unde Phæriſæus meritò reprehenditur à Chriſto, quia mulierem peccatricem agnoſcit, cum videat eam lachrymis perfuſam. Divus Laurentius Novar. homilia de pœnitent. ait: *Indignum judicas, O Phariſæe me ſuſcipere mulierem fornicariam, lachrymarum fontibus inundantem?* Vide multa tomo tertio in Evangel. cap. 15. quæſtione decima-ſeptima numero 140. 141. & 142.

Luc. 7.

Phariſæus non iudicat de his quæ videt ſed audivit.

Actor. 9. num 15. Dixit autem ad eum Dominus, vade quoniam vas electionis eſt mihi iſte, ut portet nomen meum coram gentibus, & Regibus, & filiis Iſrael.

Num. 16. Ego enim oſtendam illi, quanta oporteat eum pro nomine meo pati.

Verſiones,

CVM EXPOSITIONE VII.

144. Verſ. 15. *Vade, quoniam vas electionis eſt mihi iſte.* Syriacus: *Surge, proficiſcere, quando quidem vas eſt mihi electum.* Varablus: *Organum electum.* Æthiopicus: *Vas electum conſtitui mihi ipſum*, & dicitur Ananiæ juxta Syriacum: *Surge profiſciſcere!* In ſuis miniſtris vult Deus diligentiam. *Quoniam vas electionis*, juxtà phraſim Hebraïcam quodlibet inſtrumentum dicitur vas, ſic vaſa Cantici ſunt inſtrumenta muſica Amos 6. numero quinto *Vaſa Cantici*; arma, quibus præliatur, *Vaſa belli* Geneſ. 49. numero quinto: Gladii, & lanceæ, quibus infertur mors dicuntur *Vaſa mortis.* Pſalm. 7. numero 14. Paulus autem dicitur vas electionis, utpote aptiſſimum, & præclariſſimum inſtrumentum omni virtute exornatum ad ſeminandum Dei Evangelium.

144. Syriac. Vatabl. Æthiop. *Vas inſtrumentum.* Amos 6. Gen. 49. Pſal. 7.

145. *Coram gentibus*: Ut perfectiſſimum munus exequatur Præconis, Legati, Prophetæ, Apoſtoli: Doctoris, Ducis, ac vexilliferi, non tantum corde, ore, & calamo, ſed continuis, ac perpetuis laboribus, de quibus dicebat: *Omnia ſuſtineo propter electos, ut ipſi ſalvi fiant.* 1. Timoth. 2. numero decimo, & in ultimo loco ponit: *Et filius Iſrael*; quia ipſe Paulus primario, & principaliter conſtitutus eſt Doctor, ac Magiſter gentium, hacque de cauſa in epiſtola ad Hebræos ait Theodoretus in ejus commentario, in ea non ſe dicit Apoſtolum; aliam rationem aſſignat quidam Preſbiter apud Euſebium libro ſexto Hiſtoriar. capite undecimo, quem ipſe appellat *Beatum*; quia Chriſtus Dominus extitit Apoſtolus Æterni Patris, miſſus ad Hebræos Paulus gentium, & ipſe præ humilitate non ſe dicit Hebræorum Apoſtolum.

1. Tim. 2. *Cur non dicitur Apoſtolus in epiſtola ad Hebræos.* Theod. Euſeb.

Verſ. 16. *Ego oſtendam illi*, Syriacus: *Quanta paſſurus ſit propter nomen meum.* Arabicus; *Quanta oportet, ut accidant ei.* Æthiopicus: *Ego cuſtodiam eum in omni tempore.* Quanta paſſurus erat Paulus ei manifeſtavit Dominus per revelationem. Unde ipſe dixit infra cap. 20. numero 23. *Spiritus Sanctus proteſtatur, quod vincula, & tribulationes Ieroſolymis me manent.* Vel per Agabum cap. 21. numero undecimo, vel etiam ipſa experientia, & recte, ut ipſe ait de ſe in laboribus, ac tribulationibus in multa patientia.

146 Syriac. Arabic. Æthiop. Act. 20.

QUÆSTIO XXI.

Quare Chriſtus Dominus ait de Paulo: Vas electionis eſt mihi?

147. NOn ait Chriſtus Dominus de Paulo: *Vas electionis eſt*, ſed ad mihi, quod valde emphaticum eſt illud *mihi*, tamquam ſi eſſet in ejus utilitatem, ſic dicitur: *Segregate mihi Saulum, & Barnabam.* Actor. 13. numero ſecundo. *Populus, quem elegit in hæreditatem ſibi.* Pſal. 32. numero 12. *Salvavit ſibi dextera ejus.* Pſalm. 97. n. 1. *Formans me ex utero ſervum ſibi.* Iſai. 49. num. 5. *Salvavit ſibi brachium ſuum.* Iſai. 59. n. 16 & aliis in locis, ut Deus dicitur ſibi facere, quod in noſtram utilitatem operatur; tamquam ſi ipſe magnam de noſtra utilitate utilitatem caperet, ut optime expendit D. Baſil. ad illa citata verba Pſalm. 97. *Salvavit ſibi dextera ejus*, ubi ſic habet: *Non dixit. ſalvavit eos, ſed ſalvavit ſibi, immenſa enim benignitate uſus mortalium vitam ſuum dicit eſſe emolumentum.*

Act. 13. Pſal 32. Pſal. 97. Iſai. 49. Iſai 59. *Deus noſtram utilitatem ſuam reputat.* D. Baſil.

148. Quæſtio principaliter inquirit: Cur Paulus dicatur *Vas electionis*, ſeu *Vas electum*, de quo multa dicunt Sancti Patres, qui verbis videntur differre, & in eundem ſenſum recidunt. Primo *Vas electionis* ratione divinæ prædeſtinationis, ſeu ordinationis ad magnam gratiam, & gloriam iuxta illud ad Galat. 1. numero 15. *Cum autem placuit ei, qui me ſegregavit ab utero matris meæ; & vocavit per gratiam ſuam.* Et ait D. Hieronymus, & in hoc ſenſu ipſe Paulus vocat electos vaſa in honorem, reprobos vero vaſa in contumeliam. 2. Timoth 2. n. 20.

Vas electionis ratione divinæ prædeſtinationis. Galat. 1.

149. Secundo Divus Chryſoſtomus, Oecumenius tamquam ad eius indolem reſpicientes vas electionis, ut idoneum, & aptum inſtrumentum ad magna, & alta efficienda in prædicatione Evangelica, & ut ait D. Chryſoſtomus qui totus erat fervidus ad errores tuendos inhiens Chriſtianorum cædes, totus converteretur, ac mutaretur ad veritatem tuendam, & ad errores Iudæorum, ac gentium devaſtandos.

D. Chryſoſt. Oecum. *Converſio eius indolis.*

150. Tertio Divus Gaudentius tractatu octavo quia Divus Paulus ſuam puritatem, ac virginitatem,

D. Gaud.

Virgineumque animum in ſuo illibato, ac puro corpore tamquam in vaſe electo à Domino ſervavit. Quarto Divus Hieronymus in cap. 8. Oſeæ ait: *Paulus eſt vas electionis, quia eſt vas legis, & Sacrarum Scripturarum armamentarium.* Ut noſter D. Anton. Olyſiponenſis vocatus eſt à Summo Pontifice Gregorio IX, *Arca Teſtamenti.*

Paulus armamētariū ſcripturarum.

151. Quinto Origenes lib. 3. Periarchon, & Divus Ambroſius ſermon. 11. de S. Petro, & Paulo dicunt ipſum vocari vas electum; quia plenus fuit ſcientia, ſapientia, ac gratia, de cujus plenitudine omnes gentes biberunt juxta illud, quod ait ſapiens: Proverb. 20. numero decimo-quinto: *Eſt aurum, & multitudo gemmarum, & vas pretioſum labia ſcientiæ*, id eſt, ſcientis, ſeu diſtillantis.

Origen. D. Ambr *Vas ſapientiæ.*

Prov. 20

152. Sexto Divus Proſper de Promiſſio. & prædict. Prophet. p. 1. cap. 34. ait, quod ut Deus liberaret populum ſuum de Ægypto dedit Moyſen mediatorem, præcipiens ei, *Vt ſibi ſociaret fratrem ſuum Aaron.* Exod. 4. numero 14. qui loqueretur ad Pharaonem, & populum, ſic Æternus Pater, ut mundū ſalvaret dedit nobis mediatorem Chriſtum Jeſum Filium ejus unigenitum, & ei aſſociavit Paulum vas electum, ut ipſum annuntiaret, & loqueretur ad Reges, & populos.

D. Proſp.

Exod 4.

Paulus veluti Chriſti ſocius.

153. Septimo Sanctus Thomas in præfatione epiſtolæ Pauli multus eſt in explicando pro præſenti inſtituto illud Eccleſiaſtici 50. numero decimo, quod dictum eſt de Simone Pontifice magno: *Quaſi vas auri ornatum omni lapide pretioſo*: Tunc ſubdit Sanctus Doctor: *Paulus fuit vas auri ob ſapientiam, ſolidum ob charitatem, ornatum cæteris omnibus virtutibus.* Vel aliter explicat ipſe D. Thomas, *ornatum vulneribus, ac perſecutionibus*, & ideo ſubditur: *Ego oſtendam illi quanta oportet pati pro nomine meo.* Ait Sanctus Doctor? Portavit Paulus nomen Jeſu in corpore, contumelias & paſſionem ejus imitando.

D. Tho. Eccle 50.

Paulus vas pretioſum omni virtute, ac labore ornatum.

154. Octavo Caietanus: Quare vas nuncupatur: *Hebræo more loquitur; ſicut enim dicunt filium mortis dignum morte, & filios nuptiarum vacantes nuptiis, ita vas electionis dicunt omne quodcumque electum, in quo locandæ ſunt omnes gratiæ, imo ſummæ gratiæ:* Dicitur vas electionis, quia fuit inter omnes Paulus deſtinatus, ut ad ſummum verticem gratiarum, ac donorum perveniret, ut illis omnibus tamquam vas pretioſum adimpleretur.

Caietan.

Paulus vas omnium gratiarum.

155. Nono dicam etiam, quod mihi videtur: Paulus dicitur *vas electionis*, ſumpta metaphora à quotidiano vaſis uſu: Vas ad hoc aſſumitur, ut in eo effundatur aliquis liquor, aqua v. g. vel vinum, non ut in ipſo vaſe perpetuo maneat, ac contineatur, ſed ut convenienti tempore effundatur, ac aſpergatur: Ideo Paulus dicitur *vas electionis*, quia Deus ipſum elegit, ut in eo infunderet tantam virtutem, ſapientiam, ac ſcientiam, non ut in eo incluſa clauderetur, ſed ut tempore opportuno eam diffunderet, ac redundaret, docendo, illuminando, atque illuſtrando omnes gentes: Ubi noſtra vulgata habet *vas electionis*, Vatablus, & Tigurina legunt: *Organum electis.* Per Paulum tamquam per organum Deus nobis loquitur.

Deus in Paulo, ut in vaſe effudit omnes virtutes, ut in alios refunderet.

Vatabl. Tigurin.

156. Dicitur Eccleſiaſtici 43. numero ſecundo: *Sol vas admirabile opus excelſi*: Tigurina *Machina admiranda, opus Altiſſimi.* Dicitur *opus Excelſi*; & *Altiſſimi*; quia inter omnes res creatas in Solis fabrica maxime reſplendet Divina Omnipotentia, & ipſam Divinitatem repræſentat, ut notavit Divus Dionyſius de divinis nominibus capite quarto. Sol vas eſt totum lucidum, ac reſplendens plenum multa virtute, ac fœcunditate naturali, hæc non ſe claudit, ſed diffunditur: Illuminat totum terrarum orbem, & eius abditos receptaculos, ut advertit Divus Ambroſius 4. Hexamer. capite quinto. Deinde Sol ſua virtute omnibus dat vitam, vigorem, motum, & conſervationem; unde eſt illud Ariſtotelis. *Sol, & homo generant hominem*; ſic & Paulus vas admirabile, *opus Excelſi*, & *Altiſſimi*, in quo Deus mirifice oſtendit magnitudinem ſuæ omnipotentiæ infundens in illum tantam ſapientiam, lucem, ac virtutem, non ut eam in ſe contineret, ſed ut in alios diffunderet, ut ſapientia illuminaret, virtute, & charitate foveret, aleret, & nutriret: *Vt portet nomen meum coram gentibus, regibus, ac filiis Iſrael.*

Eccle. 43

D. Dion.

D. Ambr.

Ariſtot.

Paulus ſua ſapientia creat, ac nutrit

157. Cum ex mandato Joſeph eius ſcyphus repoſitus eſſet in ſacco Beniamin, & famulus Joſeph ipſum requiſiſſet, dicens quod furati eſtis ſcyphum, *In quo dominus meus bibit, & in quo augurari ſolet.* Geneſ. 44. numero quinto: Videntes Ægyptii tam altam ſapientiam exiſtimabant, quod per ſcyphum hauriebat, & forte arte Dæmonum. Lyranus, Abulenſis, Hugo, Lahai, conquiſitus ſcyphus inventus eſt in ſacco Beniamin, de cuius ſemine erat Paulus, quod exponit Divus Ambroſius libro de Joſeph Patriarcha capite undecimo & ait: *In corpore Pauli iam doctrinæ cœleſtis eloquium fulgebat, cum eſſet eruditus in lege, ſed quia adhuc juſtitiæ Dei ſubiectus non erat, inter ſaccum erat ſcyphus, doctrina inter legem. Miſſus tamen Ananias, qui benedictionem daret, manuum impoſitione ſaccum ſolveret, & decidentibus ſquamis, velut quibuſdam ſæculi vinculis ſtatim vidit.* Paulus erat in lege doctiſſimus, ſed tota ipſa legis doctrina erat incluſa in ſacculo, cum Chriſto non obtemperaret, venit famulus veri Joſeph Ananias, & manuum impoſitione à vinculis ſolvit ſacculum, & ceciderunt ab oculis eius tamquam ſquamæ, & inventus eſt ſcyphus, ſeu vas electionis non ſolum ad lucem, & directionem Ægypti, ſed etiam univerſi, & in hoc figuratum excedit figuram.

Gen. 44.

Lyran. Abulenſ. Hugo. Lahai. D. Ambr

Sapientia Pauli ad totius orbis ſalutem.

QVÆSTIO XXII.

Quare inter tot millia millium Sanctorum unus Paulus dicitur inſigniter deſignatus, ut ſit vas electionis?

158. AD quæſtionem reſpondet Divus Chryſoſtomus qui totus eſt Encomiaſtes Pauli homilia octava de eius laudibus, quod ipſe præcellit merito, & gratia non ſolum Patriarchis, Prophetis, Apoſtolis, & Sanctis omnibus, ſed etiam Angelis, Cherubinis, & Seraphinis, & libro primo de Providentia ait: *Nullus Paulo maior eſt, aut etiam æqualis*: & homilia decima-octava in caput undecimum ad Roman. ait: *Aſtra quidem cum fierent, admirabantur Angeli; Hunc vero Deus ipſe admiratus eſt dicens, vas electionis iſte mihi eſt*, tamquam ſi in externa apparentia Chriſtus Dominus videretur oſtendere admirationem, quod ab Æterno Parente tantum vas plenum gratia, & meritis conſtitueretur, indeque tamquam admirationem oſtendens ait: *Vas electionis eſt mihi*, ideoque inter cæteros inſigniter dicitur vas electionis.

D. Chryſoſt.

Nullus Paulo maior aut etiā æqualis

159. Quod primo confirmo: Ait ipſe Paulus 1. Corinth. 15. n. 10. *Abundantius illis omnibus laboravi.* Syriac. *Pluſquam*

Arabic.

Pluſquam omnes. Ex quo conficio hoc argumentum: Meritum deſumitur ex laboribus, operibus, ac factis pro Deo; atqui Paulus plus laborans operatus eſt pluſquam omnes: ergo ejus meritum ma-
D.Hier. jus cæteris omnibus eſt. Pulchre Divus Hieronymus epiſtol. ad Paulinum ubi ait: *Subitus calor longum vincit torporem, Paulus de perſecutore mutatus, noviſſimus in ordine, primus in meritis eſt; quia licet extremus, plus omnibus laboravit:* Expen. de illud *primus in meritis eſt.*

160. Idem confirmatur ex intima unione cum Chri-
Galat. 2. ſto: Ait Paulus ad Galatas 2. numero decimo-nono: *Chriſto crucifixus ſum Cruci, vivo autem jam non ego, vivit verò in me Chriſtus*, denotat intimam ſui uninionem cum Chriſto, ita ut Paulus non ſit qui operatur, ſed Chriſtus totum in ipſo agit, ipſe in illo docet, concionatur, ac patitur; nam;
D.Dion. ut ait Divus Dionyſius ſtatim citandus: *Amor eſt*
Paulus transformatus in Chriſtū. *virtus faciens unionem*, & tam intima erat inter Chriſtum, & Paulum, ita ut Paulus non haberet propriam, ſed viveret vita Chriſti ab eo peculiariter impertita inſpiratus, ut Paulus jam non eſſet Paulus, ſed totus erat transformatus in Chriſtum,
D.Dion. & viciſſim Chriſtus in Paulum. Divus Dionyſius de Divinis nominibus cap. 4. ait: *Facit Divinus amor amatores à ſuo ſtatu dimovere, & ſui juris eſſe non ſinit, ſed in ea, quæ amat, penitus transfert. Idcirco & Paulus ille magnus, cum divino amore flagraret, exceſſive illius virtutis particeps factus, vivo, inquit, jam non ego, vivit vero in me Chriſtus, tamquam verus amator mentis exceſſum patiens.* Præ amore in Chriſtum ſic à ſe alienatus erat, tamquam ſi eſſet in extaſi, ac alienatus à ſe in mentis exceſſu.

161. Quod iterum confirmo ex his, quæ ait: Divus
D.Chryſoſt. Chryſoſtomus homil. 23. in epiſtol. ad Roman. *Cor itaque Chriſti erat cor Pauli, tabulaque Spiritus Sancti, atque charitatis volumen.* Ita erat Paulus Chriſto unitus, ut nihil cogitaret, menteque
Chriſti cor tabula depicta ab Spiritu Sancto. conciperet, niſi quod Chriſtus, ac ſi utriuſque unum eſſet cor: *Cor itaque Chriſti erat cor Pauli:* & ita Paulus à ſe erat alienatus, ut eſſet *tabula Spiritus Sancti*, ejus anima eſſet tamquam tabula raſa, in qua nihil eſt depictum, niſi calamo, ac dictami, ne Spiritus Sancti, & quod Charitas Divina in hoc volumine compoſuerit.

Et ait: *Chriſto crucifixus ſum Cruci.* Paulus non
162. eſt mortuus crucifixus, ſed gladio ejus caput fuit
Paulus crucifixus cum Chriſto. amputatum, Petrus mortuus crufixus eſt, ſed in ultimo vitæ periodo, at Paulus per totam viram crucifixus eſt, ita enim Chriſto erat unitus, ut cum ipſo crucifixo crucifixus eſſet, laboribus, præſſuris, macerationibus, afflictionibus, interD.Hier. nis doloribus, & anguſtiis paſſionis, ut cum ipſo ſimul videretur crucifixus, ut explicat Divus Hieronymus ad illa verba: *Ego ſtigmata Domini Ieſu in corpore meo porto* ad Galat. 6. n. 17.

163. Hoc poſito: Meritum noſtrum juxta Theologo-
Præ cæteris maximè unitus cū Deo. rum placitum deſumitur ex intima unione cū Deo, quæ fit per charitatem, quæ eſt nexus amoris: atqui Paulus fuit intime unitus cum Deo præ cæteris; nam ipſe præ amore plus omnibus in obſequio laboravit, de quo alio ſancto dicitur. *Non vivo ego, ſed vivit in me Chriſtus.* De quo alio dicitur quod cor ejus ſit cor Chriſti, & quod ſit tabula, in qua nihil eſt depictum, niſi quod Spiritus Sanctus, & charitas depinxerunt, & de quo dicatur per totam ſuam vitam eſſe cum Chriſto crucifixum ergo tam ſingularia merita ſingulariter fuerunt ſublimanda, ut inſigniter dicatur: Vas electionis.

164. Unde pro celebrando Divo Paulo, clamabimus, quod ipſe fuerit. Prodigium naturæ, portentum uni-
Alia elogia Pauli. verſi miraculum gratiæ, opus omnipotentiæ, manifeſtatio Sapientiæ Dei, benignitas miſericordiarum, cor transformatum, Scripturarum Armarium, Iudæorum terror, gentium Doctor, Vas electionis, Chriſti Apoſtolus Dei ſervus electus, & dilectus, Iudex hominum, ac Angelorum 1. Corinth. 6.

QVÆSTIO XXIII.

Quare inſigniter, ac peculiariter datum eſt Paulo portare nomen Ieſu.

AD portandum nomen Domini ſumma putitas; 164.
vitæ integritas omni cum probitate morum ob *Multa requiruntur ad Ieſu nomen portandum.*
illius ſupremam ſanctitatem requiritur, ut notat Divus Iſidorus, Puleus lib. 8. epiſtol. 8. unde exprobrando ait Deus per David Pſalm. 49. numero decimo-ſexto: *Peccatori autem dixit Deus: quare tu enarras juſtitias, & aſſumis teſtamentum per os tuum?* Ex Hebræo legitur: *Quid tibi cum enarrandis juſtitiis meis?* tamquam ſi dicat; nullum eſt commercium, nulla eſt convenientia, ut explicat noſter Incognitus.

Et hæc cum ita ſint inſigniter datum eſt Paulo 165
inter omnes portare nomen Domini, ut ipſe ait, *Quomodo Paulus portavit nomen Dei.*
oſtendantur divitiæ miſericordiæ Dei, quod ex peccatore, & perſecutore fecit vas pretioſiſſimum in ſua Eccleſia ornatum omni lapide pretioſo omnium virtutum ad portandum ſuum nomen per totum mundum. Primo ut illius Preco; Secundo ut Legatus ipſius Regis; Tertio ut Doctor gentium; Quanto, ut primus miles ferens vexillum Domini ſui, ait ipſe: *Stigmata Domini Ieſu in corpore meo* Galat. 6.
porto. Galat. 6. numero decimo-ſeptimo. Stigmata, D.Chryſoſt.
ut explicant D. Chryſoſtomus, D. Hieronymus, & D.Hier.
Theodoretus, ac cæteri Patres, ac moderni, eſt quæ- Theod.
dam nota facta ferro candenti in fronte, vel facie, ut ſolent fieri in captivis, ut cognoſcantur; hanc ſecum Paulus aſportabat in fronte, ut agnoſceretur Chriſti ſervus, quod de nullo alio legimus in illa primitiva Eccleſia, & ita aſportabat nomen Domini in corde ferventiſſimo amore, ore efficaciſſimis verbis, & opere per continuos labores, carceres, & afflictiones, in quibus omnibus præclariſſime ſe oſtendebat vas electionis ad portandum nomen Domini.

De ſe ait ipſe 1. Corinth. 10. numero 33. *Ego* 166.
per omnia omnibus placeo non quærens, quod mihi 1. Co. 10
utile eſt, ſed quod multis, ut ſalvi fiant. Hic electus Princeps inde recta ſua legatione fungebatur, quia ſui oblitus in aliorum utilitatem erat impenſus, quoad munus ſibi commiſſum, & inde oſtendebat probitatem, ac præſtantiam ſuæ electionis D.Iſidor. D.Iſidor.
Peluſiot. lib. 3. ep-ſt. 25. ait: *Generoſus ille Paulus,* Peluſiot.
præſtantiſſimus, inquam, ille dux qui Regis electioni minimè dedecori fuit, atque nihil omnino aliud, quam Eccleſiæ utilitatem ob oculos propoſitam habens, privata commoda negligebat, omnia ad Ecclеſiæ ædificationem fieri oportere clamabat. Ex- *Ex bono miniſtro honoratur electio.*
pende illa verba: *Regis electioni minimè dedecori fuit.* Ille eſt optimus miniſter electus à magno Principe, qui non ſua, ſed commune bonum intendit, de eoque ſollicitus eſt, & in hoc maxime nobilitatur, ac comprobatur principalis electio, quod tantum, ac talem miniſtrum ſibi aſſumpſerit.

QUÆSTIO XXIV.

Quare cum Paulus dicatur Vas electionis, non dicitur tamen plenus?

167. De aliquibus Vaſibus fit mentio in Scriptura, ut
4. Reg. 4. de muliere Sunamitide apud Eliſæum 4. Reg. 4.
n. 6. *Cum plena fuiſſent vaſa.* Sic de menſura data juſto dicitur. *Bona conferta, & ſupereffluens.* Luc. 6. n.
Luc. 6. 38. Cur ergo cum Paulus nuncupatur, non dicitur
D. Tho. etiam plenus? Hoc dubium excitat D. Thomas in proœmio ad Epiſtolam Pauli.

168. Reſpondet Angelicus Doctor, & ait: *Hoc autem vas plenum fuit pretioſo liquore, ſcilicet nomine Chriſti, de quo dicitur* Cantic. 1. *Oleum effuſum nomen tuum. Vnde dicitur, ut portet nomen meum; totus enim videtur fuiſſe hoc nomine plenus.* Maximè denotatur vas plenum, cum ei datur ut portet nomen meum, hoc Sanctiſſimo nomine Jeſu cuncta feliciſſimè impugnantur, cum ſecum importet omnem abundantiam divinarum gratiarum, ac donorum, & bonorum Cœleſtium.

Cantic. 1. *Ieſu nomen omnia bona importat.*

169 Quod confirmat Sanctus Doctor citatus, quod illa Columba miſſa à Noe poſt diluvium, *venit ad eum ad veſperam, portans ramum olivæ virentibus foliis in ore ſuo.* Geneſ. 8. numer. 11. Tunc ſic ait:
Gen. 8. D. Tho. Angelicus Doctor citat. *Quia enim oliva miſericordiam ſignificat, congruè per ramum olivæ accipitur nomen Ieſus, quod etiam miſericordiam ſignificat. Hunc autem ramum virentibus foliis detulit ad Arcam, ſcilicet Eccleſiam, quando ejus virtutem expreſſit, & miſericordiam oſtendit.* Cum oliva ſit Symbolum miſericordiæ recte nomen Jeſu denotat, quod eſt fons, & origo totius miſericordiæ, tunc venit ad Arcam, ſcilicet Eccleſiam aſportans ſecum omnem plenitudinem miſericordiarum.

Nomen Ieſu ſecum importat omnem gratiam, ac miſericordiã

170. Joſue, ut refertur cap. 2. numer. 1. *Miſit igitur Joſue filius Nun de Setim duos viros exploratores in abſcondito, & dixit eis: ite conſiderate terram, urbemque Iericho; qui pergentes ingreſſi ſunt domum*
Ioſue. 2 *mulieris meretricis nomine Raab*: qui ei multa bona polliciti ſunt, quod nempe ipſa, ejuſque familia, & inſuper domus patris ejus ibidem numer. 14. eſſent cuſtodita, & libera à communi incendio, ac devaſtatione: Unde una meretrix potuit tot, & tanta bona impetrare? recepit in domo ſua homines deferentes umbram nominis Ieſu, à quo miſſi fuerant, indeque conſequens erat, ut omnem donorum affluentiam exundaret. Divus Chryſoſtomus ſermon. in peccatricem habito inter Divi Ephræi opera tom. 3. ait: *Nihil mihi deſperandum eſt: Novi Raab meretricem in porta civitatis miſericordiam ſui peccati obtinuiſſe. Quis enim ſervavit illam? Ieſus filius Nave, qui figuram veri Ieſu referebat, bona meretrici pro opere bono donans, & retribuens. Sic igitur tunc nomen Ieſu ſalutem, & remiſſionem præbuit.*: Qui Ieſum nominat, nil timeat.

Ieſu nomen auſpicatiſſimũ omnium bonorum.

D. Chryſoſt.

171. Sæviente tempeſtate mittit Jonas in pelagum cap. 2. numer. 1. *Præparavit Dominus piſcem grandem, ut deglutiret Jonam*: & vivum conſervavit in utero per tres dies, & poſtea ſalvum, integrumque in litore evomit. Unde tantum beneficium habuit, ita ut quid ſimile non legatur! Origenes lib. 1. in cap. 1. Iob. ait: *Hoc nomen Ieſu cœtus cum videret in Iona obſtupuit, atque illæſum eum, quem de navi ſuſceperat, reddit, incontaminatum remiſit, quem vivum ſuſcepit.* Ferox bellua marina totam ſuam ferocitatem, ac furorem continuit, cum agnoviſſet in Iona unam literam nominis Ieſu, eadem enim eſt prima litera nominis Ieſu, ac Jonæ, indeque unam Ieſu umbram ita venerata eſt bellua, ut incolumem, ac integrum cuſtodierit, ac tamquã navigio evectum in litore evomuerit: Hoc nomen Ieſu cætus cum videret in Iona obſtupuit.

Ionæ. 2. Origen. *A conſpectu nominis Ieſu indomita re frenantur.*

QVÆSTIO XXV.

Quando committitur Divo Paulo deferre nomen Domini inter denſas gentium, regum, ac filiorum Iſrael tenebras?

172. Asportabat Paulus ſecum Sanctiſſimum Ieſu nomen, quod eſt fulgentiſſima Lampas illuminans, quæ totum mundum illuſtrabat, cuius radiis reſplenduit Paulus, veluti magnum Orbis luminare Divo Bernardino ſermon. 18. in Cantic. D. Bern. ait: *Hoc denique nomen coram regibus, & filiis Iſrael portare juſſus eſt Paulus, & portabat nomen tamquam lumen, & illuminabat patriam, & clamabat: Nox præceſſit, dies autem appropinquavit, abiiciamus ergo opera tenebrarum, & induamur arma lucis, & monſtrabat omnibus lucernam ſuper candelabrum annuntians in omni loco Ieſum, & hunc crucifixum.* Totus erat Paulus ſplendens omneſque tenebras diſſipans, non de ſuo nominis ſplendore, ſed de fulgentiſſimo Ieſu nomine prædicato, ac exaltato, quod cum ſit oleum effuſum Cantic. 1. omnium lampades accendit, omnes tenebras depellit, omneſque labores minuit, ac extinguit.

Ieſu nomen omnes tenebras ſugat, ac depellit.

Cant. 1.

173. Ait Iſaïas 10. numero decimo-ſeptimo de Chriſto Ieſu loquens: *Computreſcet jugum à facie olei.* Unde oleum habet tantam vim, ac efficaciam, ut ad ejus præſentiam omnis ſervitus, & captivitas pereat, ac deſtruatur: Oleum eſt Sanctiſſimum nomen Ieſu: *Oleum effuſum nomen tuum*, & ad odorem huius divini nominis omne malum, ac infelicitas abiicitur, & ſumma omnium bonorum confluit copia. Gillibertus Abbas ſermon. 26. in Cantic. ait: *Computreſcet jugum à facie olei, ex quo accepimus nomine alio vocari, & invocatum eſt ſuper nos nomen ſecundi Adami cuius oleum effuſum nomen ejus.* Cum invocatur nomen primi Adam non rumpebatur, nec computreſcebat iugum, maximè verò deſtruitur, cum invocamus ſuper nos nomen ſecundi Adam Chriſti Ieſu.

Iſai. 10. Gillibert.

Nomen Ieſu deſtruit omne malum.

174. Datur Paulo, ut nomen Ieſu portet coram gentibus, Regibus, ac filiis Iſrael, ut omnium captivitatis iugum diſſolvat, cunctiſque vitam, ſalutem, lucemque proferat. Ait Amos capite quinto numero octavo de Deo loquens: *Qui vocat aquas maris, & effundit eas ſuper faciem terræ Dominus nomen eſt ejus.* Mare horrendum, & terribile tumeſcentibus fluctibus cunctis terrorem incutit: tamen Deus alta ſua providentia per occultos terræ meatus aquas eius ducens, dulceſcunt, & fœcundant terram, ut uberes fructus producat, in quo viſitur: *Dominus nomen ejus.* De quo mari loquitur Amos? non de hoc mare materiali, ſed de alio ſpirituali, nempe Paulo: D. Hier. ita ibi Divus Hieronymus & ait: *Paulus Apoſtolus, quaſi turbo violentus, & ſæva tempeſtas tumeſcentes maris gurgites perſequebatur, & ſubvertere nitebatur Eccleſiam Dei; Qui vocatus à Domino effuſus eſt ſuper faciem univerſæ terræ, ut prædicaret Evangelium de Ieroſolymis uſque ad Illirium, uſque ad Hiſpanias tenderet, & à mari rubro,*

Paulus fœtũdat totũ orbem, qui anguſtus ei erat.

rubro, imo ab Oceano, uſque ad Oceanum curreret, & antea ei terra deficeret, quàm ſtudium prædicandi. Paulus veluti mare tempeſtuoſum ſuis ferveſcentibus fluctibus nitebatur ſubvertere Eccleſiam, tamen à Deo per internas inſpirationes vocatus, ut prædicaret Evangelium, ac ſanctum nomen Dei totum peregrinavit Orbem: *Et antea ei terra deficeret, quam ſtudium prædicandi.* Magnus Pauli ſpiritus non poterat cohiberi in toto orbe, ſed illum tranſcendebat ac tranſgrediebatur, defecerunt Regna, & Provinciæ, non tamen defecit Pauli ſpiritus ad prædicandum. Vide multa in Sybillario de nomine IESUS.

Actor. 9. n. 17. Et abiit Ananias, & introivit in domum, & imponẽs ei manus dixit: Saule frater, Dominus miſit me Ieſus, qui apparuit tibi in via, qua veniebas, ut videas, & implearis Spiritu ſancto.

Num. 18. Et confeſtim ceciderunt ab oculis eius tamquam ſquamæ, & viſum accepit & ſurgens baptizatus eſt.

Num. 19 Et cum accepiſſet cibum confortatus eſt, fuit autem cum diſcipulis, qui erant Damaſci per dies aliquot.

Num. 20. Et continuo in Synagogis prædicabat Ieſum, quoniam hic eſt Filius Dei.

Num. 21. Stupebant autem omnes, qui audiebãt, & dicebant; nonne hic eſt qui expugnabat in Ieruſalem eos, qui invocabant nomẽ iſtud, & huc ad hoc venit, ut vinctos illos ad Principes Sacerdotũ.

Verſiones,

CVM EXPOSITIONE VIII.

175. Verſ. 17. *Abiit Ananias.* Ad Domini mandatũ non reſpondit Ananias, ſed perfecta obedientia illud exequitur. *Imponens ei manus.* Arabic. Arabicus: *Manus ſuas.* Hic autem manus impoſitione non dedit ei ſacramentum Confirmationis, ut perperàm ait Calvinus, ſed ut Paulo daret ſuum viſum, ut dicitur ſupra verſ. 12. *Vidit virum introeuntem, &* Marc. 16 *ponentem ſibi manus, ut viſum recipiat.* De hac manuum impoſitione loquitur Chriſtus, Marc. 16. n. 18 *Super ægros manus imponent, & bene habebunt.*

176. *Saule frater.* Olim omnes Chriſtiani ſic inter ſe loquebantur ob mutuam charitatem & quia omnes erant uno ſpiritu ſub uno ſpiritu, ut filii unius matris Eccleſiæ; *Dominus Ieſus*, hoc ſanctum nomen interponit, ut denotaret, quod illius virtute ſanitas conferebatur. *Qui apparuit tibi in via.* Beneficiũ collatum ei proponit, ut ad maiora ſe diſponeret, *Ut videas, & implearis Spiritu ſancto.* Per Baptiſmum: Ananias ad duo miſſus eſt ad Paulum, unum, ut manuum impoſitione viſum reciperet, alterum, ut per Baptiſmum impleretur gratia Spiritus ſancti, de minori proceditur ad maius, de viſione corporali ad communicationem Cœleſtium donorum.

Ad duo mittitur Ananias.

177 Verſ. 18. *Et confeſtim ceciderunt ab oculis eius tamquam ſquamæ.* Syriacus: *Eoque momento cecidit.* Arabicus: *Et illico decidit quiddam, &c. ſimile corticibus.* Æthiopic. *Remota fuit ſquama.* In eoque momento, in quo Ananias manus ſuper Paulum impoſuit, ab eius oculis ceciderunt quædam pelliculæ, ſeu minutiſſimæ pelliculæ, quæ ſquamarum ſimilitudinem referebant, de quo in quæſtionibus. *Et viſum recepit.* Syriacus: *Reſtitutus eſt viſus eius*, & ſubdit Textus, *Et baptizatus eſt.* Nam licet, quando eum Chriſtus vocavit, & ipſe reſpondit: *Domine quid me vis facere?* per intimam contritionem condonata fuerint eius peccata, hoc tamen includebat votum ſuſcipiendi Baptiſmum. Ita dum hæc Pauli hiſtoria refertur infra Actor. 22. ei dictum eſt: *Exurge, baptizare, & ablue peccata tua.* Actor. 22

Verſ. 19. *Cum accepiſſet cibum, confortatus eſt.* 178. Arabic. Arabicus. *Et cepit illico cibum, & vires.* D. Chryſoſt. D. Chryſoſt. *Sumpto cibo convaluit.* Æthiopicus: *Comedit cibum confortantem.* Nam, ut ait Chryſoſt. *Debilitatus erat* Æthiop. *ex itinere ex metu, & ex jeiunio, ac triſtitia.* Intimo nempe animi dolore, ac compunctione; & dicitur confortatus eſt, quod intelligo tam de cibo corporali, ad reficiendas vires naturales, quam de cibo ſpirituali, ſcilicet ſacroſancto Euchariſtiæ Sacramento ad corroborandas facultates omnes ſpirituales ad tot, & tantas diſputationes cum Judæis, & ad tot, & tantos labores ſuſtinendos. Ita legit Æthiopicus: *Comedit cibum confortantem*, qui per antonomaſiam eſt ſola ſacra Euchariſtia. *Gibus Euchariſticus.* 179.

Verſ. 20. *Et continuo prædicabat Ieſum.* Ex quo patet, quod ipſe non habuit Evangelium ab homine, ſed per revelationem Ieſu Chriſti, ut ipſe ait ad Galat. 2. Galat. 2. In illo triduo, quo Paulus extitit cœcus accepit ſcientiam in fuſam, & intelligentiam omnium Scripturarum, ac Myſteriorum Chriſti. 180.

Verſ. 21. Stupebant autem omnes ex tam ſubita, & repentina mutatione, & ipſe Paulus, ut ait Chryſoſt. *Non erubeſcebat mutationem, neque formidabat deſtruere ea, in quibus antea clareſcebat.* Et dicebant: *Nonne hic eſt, qui expugnabat in Ieruſalem?* Syriac: *Qui perſequebatur eos omnes.* Arabicus: *Qui perdidit in Ieruſalem*, Græcus: *Qui graſſabatur, devaſtabat*; Quæ omnia indicant acerbum furorem, & ſævitiam Pauli contra Chriſtianos, non ſolum in Ieruſalem, ſed etiam in Damaſcum. *Et ad hoc venit.* Æthiop. Æthiopic. *Et propter hunc ſermonem venit huc.* D. Chryſoſt. Syriac. Arabic. Græcus.

QVÆSTIO XXVI.

Quare ut Paulus viſum recipiat, ei Ananias manus imponit?

HAc cæremonia manuum impoſitionis ad ſanandos infirmos uſus eſt Chriſtus D. Luc. 4. n. 40. eamque dedit ſuis Apoſtolis, ut ægros curarent, Marc. 16. n. 18. & hac utitur Ananias, ut Paulo viſum reſtituat, cur non potius inſufflavit, ut Parens meus Elias ad vitam puero dandam, vel cur non adhibuit baculum, palliumve ſuum extendit, ut Eliſæus pallium Eliæ; Cur ſolum manus impoſuit? 181. Luc. 4. 182.

Reſpondet Germanus Ieroſolymitanus Epiſcopus oratione in Crucis adoratione apud Geſerthorum tom. 2. ubi ſic ait: *Oculis privatus Paulus, qui recta non intuerentur, ſed ſolum daſtorta, obliqua, & reflexa diligerent; nam ſquamæ, quæ de oculis eius deciderant, ſerpentinæ ſquamæ eſſe videbantur, & totum Chriſtum in ſe recepit, & ſimul cum Cruce levatur.* Impoſuit Ananias manus ſuas in Paulo ſigno Crucis adhibito, ut maximè utile, ac efficaciſſimum remedium ad infelicitatis caliginem propulſandam, & ad lucem, & ſupernorum myſteriorum agnitionem infundendam, Crucis ſignaculo ad altiſſimam, & ſupernaturalem cognitionem elevatur. German. *Signo Crucis Paulo reſtituitur viſus.*

Ait Marachias 4. n. 2. *Orietur vobis timentibus nomen meum Sol juſtitiæ, & ſanitas in pennis eius.* Quiſnam eſt iſte Sol juſtitiæ tot, & tanta mirabilia operans? D. Chryſoſt. homil. 3. de Cruce, & Latrone ait: *Sola Chriſti crux eſt, quæ diſſolvit tenebras, & regnum Dæmonum diſſipavit, & omnes terrores malignantium abſtulit, Crux nobis Sol juſtitiæ facta eſt, ut illum nati miſericordia eius glorificemus Patrem,* 183. Malac. 4. D. Chryſoſt. *Crux cuncta illuminat.*

trem, & Filium. Crux ſancta eſt Sol juſtitiæ totum illuminans mundum, deſtruens Dæmonum imperia, & abeorum terroribus, ac machinationibus cuſtodiens iuſtos,& ſanctos,velociſſimè tamquam in pennis,& alis dans ſanitatem,& ſalutem,ut per tot,tantaque beneficia per Crucem Patrem, & Filium glorificemus.

184. Pſal. 17. Ait Regius Vates Pſalm.17.n.35. *Poſuiſti, ut arcum æreum brachia mea.* In perſona Chriſti loquitur, tamquam ſi dicat, cum, æterne Parens, extendiſti brachia mea in Cruce, fuerunt,ut ænea, & ni fallor, nullo alio loco dicuntur Chriſti brachia ænea, niſi in præſenti; nam etſi ſemper habuiſſent omnem fortitudinem ſecum,ex divinitate tamen pro exaltanda, & nobilitanda ſua Cruce, hic voluit inſigniter, & ſingulariter oſtendere in tormentis ſufferendis, opprobriis ſuſtinendis, & tamquam in arcu forti Dæmones ſuperando, & tamquam arcu extenſo totum mundum ſibi alliciendo, & amplectendo *Ego ſi exaltatus fuero omnia traham ad me ipſum.* D. Bernard.tom.2.ſerm.56. ait: *Arcus Crux Chriſti eſt ad mortem Chriſti à Diabolo multipliciter extenſus, cuius ſagittæ fuerunt omnes Chriſto inflicta contumeliæ, deriſiones, blaſphemiæ, flagella, & pœnæ, quæ omnia Chriſtus confregit in Cruce.* Expende ultima verba. Vide quæ ſupra dixit cap.8.q.9. & 10. per totas.

Cruce Chriſtus Diabolũ deſtruxit, & mundum ad ſe evocavit.

D. Bern.

QUÆSTIO XXVII.

Quare Ananias non dixit Paulo, Dominus qui te obcæcavit, ſed qui tibi apparuit?

185. *Difficultas quæſtionis* INgreſſus Ananias dixit: *Saule frater, Dominus Ieſus, qui tibi apparuit in via.* Ex his patet, quod tota hiſtoria converſionis Pauli bene nota erat Ananiæ, ac proinde valde congruè poterat dicere, Dominus,qui te obcæcavit, deiecit,ſed ait,qui tibi apparuit, beneficium proponit,ut magis alliciat.

186. Oecum. D. Chryſoſt. *Cum deſtinato Principe honorificè agitur.* Aliter reſpondit Oecumenius in præſenti, & ait: *Dominus, qui tibi apparuit, non dixit, qui te excæcavit, improperium declinans, ſed qui tibi apparuit.* D.Chryſoſt.homil.20.in Acta: *Non dixit qui te excæcavit, ſed qui apparuit: ita ſolebat modeſte, & inſolentius loqui.* Deſtinaverat Deus Paulum futurum ſuæ Eccleſiæ Principem, ideo cum eo honorificè eſſe agendum ordinat; nam quæ præ ſe ferebant, ac denotabant defectum, qualis erat cæcitatis ſqualor,occultat; honorificum autem, & illuſtre, nempe Filii Dei ab æthere deſcẽſum,ut ei appareret,hoc in prima fronte proponit, & evulgat: dedecora occultavit, dedecora propalavit, ac revelavit.

187. *Cæcitas in Paulo abſconditur, oratio manifeſtatur.* Quod confirmo ex eodem contextu: Ait Dominus ſupra ad Ananiam: *Quare in domo Iudæ Saulum nomine Tarſenſẽ, ecce enumerat.* Non dixit ecce cæcus eſt,ecce ſenſibus deſtitutus, ſed erat:honeſto orationis vocabulo,& decoro uſus eſt Dominus,ne cæcitatẽ Sauli exprimeret, quem ad clavum ſuæ Eccleſiæ volebat ſublimare,& ideo quod in honoris erat, texit, devitavitque;quod autem virtutis,ac ſãctitatis, nempe orationis ſplendorem denotabat, hoc publicat, & exprimit. D. Chryſoſtomus ſupra datus: *Iam autem hoc loco metum Ananiæ minuit, dicendo: ecce enim orat, quaſi hoc diceret, cæcus eſt, & tu metuis* Cæcus id eſt orans, orationem vocat cæcitatem quia orans ita debet eſſe à terrenis ſeparatus, ut ſolum Deum videat, ac contempletur.

D.Chryſoſt.

188. Cum Petrus vidiſſet fulgentem illam Chriſti gloriam ſuper Thaboris iuga, ait ad Chriſtum Redemptorem: *Domine bonum eſt nos hìc eſſe, ſi vis faciamus hic tria tabernacula, tibi unum, Moyſi unum, Eliæ unum.* Et immediatè, ut notat Evangeliſta: *Adhuc eo loquente, ecce nubes lucida obumbravit eos,* Matth.17.n.4 & 5. Vix Petrus verba ex ore protulerat, & nubes lucida eos abſcondit, & occultat,& ſermonem Petri interrumpit, ut notat Abulenſis, & ait: *Nubes operiens eos, terruit ipſos, coëgitque ſermone interrumpi.* Quænam fuerunt verba Petri, ut illico fuerit nubes lucida deCœlo miſſa,ut eos involveret, & occultaret? Explicat D.Marc.cap.5.n.9. *Non enim ſciebat quid diceret.* Petrus iam candidatus principatus ipſius verbis ignorantiæ errorem importavit. Chriſtus D. ne tam magnifici Præſulis inſcientia, & erratum evulgaretur,tamquam immiſſo pallio nube lucida contegit, & occultat,& vix Petrus ex ore verba emiſerat, & iam nubes emiſſa erat, ut eos abſconderet, verbaque interrumperet; & hac de cauſa Chriſtus interrogationi Petri reſponſionem ſubtraxit, ut negata reſponſio erratum magis abſconderet, ut notavit D. Leo ſerm. de Transfiguratione,ubi ſic ait: *Huic ſuggeſtioni Dominus non reſpondit, ſignificans inordinatum eſſe, quod cuperat Petrus, adhuc itaque eo loquente Ecce nubes lucida.*

Matth. 17. *Ignorantiam Petri cœlũ occultat.*

Marc. 5.

D.Leo.

189. Iob.4. Arguit Dominus Iob cap. 40. ipſeque de ſe fatetur,quod *inſipienter locutus*,cap.42. & tamen ſtatim n.7. *Loquens ad Eliphar Themanitem: Iratus eſt furor meus in te, & in duos amicos tuos, quoniam non eſtis locuti coram me rectum, ſicut ſervus meus Iob.* Deus loquens cum Iob amicis teſtatur eius verba fuiſſe recta, ac proinde plena prudentiæ, & ſapientiæ, valdeque aliena ab omni ignorantia,& ſtultitia. Cum arguitur Iob à Deo, ipſe Iob ſuam ignorantiam, & inſipientiam profitetur, tamen cum eſſet Princeps, in publico maximè Deus eius rectitudinem commendat, ac nobilitat. Oleaſter ad cap.45. Geneſ.ait: *Cum Dominus voluerit arguere Iob, ſolum eum convenit, quem cum inveniſſet ſeorſum, in publico apud amicos commendavit: Non eſtis, inquit, locuti coram me rectum, ſicut ſervus meus Iob. Mirabilis prudentia Domini, convincerat ipſè Iob, ut fateretur ſe ſtultè locutum fuiſſe, & apud amicos commendat eius locutionis rectitudinem. Sic ergo eum cum argueret Aaron, & Mariam, murmurantes in Moyſen, eos ad fœderis tabernaculum ſeorſum ire præcepit cum fratre.* Numer. 12. n. 1.

Oleaſt. *Iob arguitur in ſecreto, laudatur in publico.*

QUÆSTIO XXVIII.

Quare ab oculis Pauli ceciderunt quædam pelliculæ, ut ſquamæ?

190. Germ. SImiles ſquamæ piſcium Germanus ſupra datus q.26.n.182. exiſtimat fuiſſe ſimiles ſerpentium. Syriacus, & Caietanus exiſtimant cæcitatem Pauli non provenire ab intrinſeco, ſcilicet ſiccato, vel extincto,ſeu impedito chriſtallino homore, ſed totam ab extrinſeco originari; Nam illa magna, & ſubitanea luce, qua Chriſtus apparuit,& ſuo calore humores excitavit, atque ex cerebro humores cecideruntin oculos, ibique coagulati in pelliculas inſtar ſquamarum concreverunt, & oculos obcæcarunt,& hodie in multis,ex pelliculis congelatis cæcitas contingit, quas periti Chirurgi ſua ingenioſa arte auferunt.

Cæcitas Pauli ab extrinſeco.

191. *Viſus miraculoſus.* Drogo. Bleſenſ. Tamen ablatio cæcitatis in Paulo fuit miraculoſa, quia impoſitione manuum Ananiæ ſquamæ ceciderunt illico, & Paulus perfectum viſum recepit. Moraliter hæc exponunt Drogo ſerm.de Paſſione ad finem,Petrus Bleſenſis ſerm. de S. Paulo. De perfidia ſerpentina Iudæorum, ſerpentes habent ſquamas, quas ipſe iam depoſuerat ex corde, ut ſtatim explicabo.

192. D.Greg. D.Gregor.lib.33. Moral.cap. 24. per ſquamas interpretatur

terpretatur volumen tertæ, concupiſcentiæ, ac ſapiétiæ, & ait: *Carnalis tegumenti duria illum* (ſcilicet Saulum) *præceſſerat, & idcirco radios veri luminis non videbat, ſed poſtquam ſuperbæ repugnationes eius victæ ſunt, defenſionum ſquamæ ceciderunt à corpore, ſed ante iam ſub Dominica increpatione ceciderunt ab oculis cordis, cum proſtratus dixit: Domine, quid vis me facere, &c.* Cæcus erat Paulus tegumento concupiſcentiæ terrenarum rerum, quod tegumentum à corde iam abiecerat, quando vocatus dixit: *Domine quid vis me facere?* Nunc ſquamæ removentur à corpore, facto ſigno exteriori, manuum ſcilicet impoſitione, de munditia, quæ erat in corde ſemper interiora redundant in exteriora, removendæ ſunt ſquamæ terrenorum.

Carnalis concupiſcentia, ac ſapientia

193. Ait ſacer Textus: *Sumens Tobias de felle piſcis linivit oculos patris ſui, & ſuſtinuit, quaſi dimidiam ferè horam, & cœpit albugo ex oculis eius, quaſi membrana ovi egredi*, Tobiæ 11. n. 13. Septuaginta, ſeu Græcus legunt: *Deſquamatæ ſunt ab angulis oculorum eius albugines.* Cuiuſnam piſcis erat illud fel, quod tantum medicamen potuit conferre Tobiæ ſeniori, ut tales ſquamas potuerit ab eius oculis eiicere? Graves ſunt Authores, qui dicunt fuiſſe piſcem, qui dictus eſt *Vranoſcopius*, hoc eſt, *ſpector Cœli*; qui, teſte Plinio lib. 7. cap. 32. unum tantum oculum habet in capite, qui etiam ſubmerſus in aquis ſemper Cœlum ſpectat; ſi huius Cœleſtium ſpectatoris medicamen adhibetur, ſtatim ſquamæ temporaliũ decidunt, & apparent ipſa temporalia, ut ſtercora, & nihil boni, ac utile in eis eſſe. D. Chryſoſt. homi 66 in Ioannem ait: *Si quis Cœlum inſpexerit, & quæ ibi præclara ſunt, contemplatus fuerit, ſtatim hæc temporalia contemnet, & nullius pretii ex ſtimabit.*

Tob. 11. Græcus. Septuag. *Cum ſquama temporalium abiicitur cœleſtia apparẽt.* D. Chryſoſt.

194. Dicitur Eccleſiaſtis 2. n. 14. *Sapientis oculi in capite, ſtultus in tenebris ambulat.* Quid peculiare dicitur de ſapiente, quod habeat oculos in capite, hoc eſt commune omni homini; merito tamen de oculis ſapientis fit mentio, quia ipſe ſolus habet oculos ad contemplanda cœleſtia, ut videat, & conſideret ea, ut in ſe ſunt ſumme perfecta. At ſtultus idem eſt, ac ſi non habeat oculos, cum videat res aliter, atque ſunt, & ideo ambulat in tenebris, videt temporalia, tamquam bona, & decora, cum in ſe nil habeant boni, & utilitatis, ſed multum doloris, & afflictionis. D. Baſilius homil. 10. in Hexameron inquit: *Cuiuſnam oculi non ſunt in capite?* Atqui hic in capite, id eſt, ut ea contemplentur, quæ in ſublimi ſunt, nam, qui non ad bona quæ ſublimia ſunt, ſed quæ in terra reſpectat, is utique defigit, detrahitque oculos in terram.

Eccl. 2. *Solum, qui contemplatur cœleſtia habet oculos.* D. Baſil.

Actor. 9. n. 22. Saulus autem multo magis cõvaleſcebat, & confundebat Iudæos, qui habitabant Damaſci, affirmans, quoniã hic eſt Chriſtus.

Num. 23. Cum autem implerentur dies multi, Concilium fecerunt in unum Iudæi, ut eum interficerent.

Num. 24. Notæ factæ ſunt Saulo inſidiæ eorum, cuſtodiebant autem, & portas die, ac nocte, ut eum interficerent.

Num. 25. Accipientes autem eum diſcipuli ejus, nocte per murum dimiſerunt eum ſubmittentes in ſporta.

Num. 26. Cum autem veniſſet in Ieruſalem, tentabat ſẽ jungere diſcipulis, & timebãt eum, non credentes, quod eſſet diſcipulus.

Verſiones,

CVM EXPOSITIONE IX.

Verſ. 22. *Saulus autem multo magis convaleſcebat.* Syriacus: *Multo magis roborabatur.* Æthiopicus: *Invaluit quod fortior factus erat valde, & confundit Iudæos.* Arabic. *Diſceptabat cum Iudæis.* D. Chryſoſt. *convincens Iudæos.* Paulus ſuis argumentis, ac rationibus roborabatur, fortiorque fiebat, maioreſque vires, & animos ſumebat; quia confundebat Iudæos. Syriac. *Turbabat Iudæos illos.* Æthiopic. *Confundit* Iudæos in veritate demonſtrans vi argumentorum, ac teſtimoniis Sacræ Scripturæ, ac Prophetarum, evidenter eos convincens, à quibus rationibus ipſi ſe non poterant expedire, ac reſpondere: Unde perplexi, ac ſtupefacti tacere cogebantur. 195. Syriac. Arabic. Æthiop. D. Chryſoſt. Æthiop.

Affirmans, quoniam hic eſt Chriſtus, quod ſcilicet Ieſus eſt verus Chriſtus, ac Meſſias promiſſus in lege. Oecumenius legit *Confirmabat ex lege:* quia in Ieſu omnia vaticinia Prophetarum conveniebant, circunſtantia temporis indicabat, opera Ieſu manifeſtè demonſtrabant, & etiam, ut ait Oecumenius: *Confirmans hoc cum marſuetudine, docens Ieſum Chriſtum eſſe filium Dei.* Judæi cum ſe convictos animad vertiſſent tanquam rabidi canes in verba injurioſa, atque contumelioſa erũpebant, ut ſolet fieri à convictis, ut dixi cap. 8. q. 12. n. 90. 91. & 92. quæ omnia Paulus multa cum modeſtia, ac manſuetudine tolerabat, ut de perfecto ſapientiæ alumno ait Clemens Alexandr. lib. 2. de Ira cap. 32. *Qui more magnæ feræ latratur minorum canum ſecurus exaudit.* 196. Oecum. Oecum. *Paulus ut magnus cõtinebat iniurias.* Clem. Alexan.

Verſ. 23. *Cum autem complerentur dies multi.* Arabicus: *Cum multorum dierum moram compleſſet.* Scilicet trium annorum ad plenam intelligentiam eorum, quæ dicuntur, Paulus cum baptizatus eſſet Damaſci, non ſtatim venit in Ieruſalem, ſed abiit in Arabiam, & poſtea iterum reverſus eſt Damaſcum; in quo poſitæ ſunt inſidiæ, de quibus hic fit mẽtio, atque in hoc tres conſumpſit annos, ut ipſe ait ad Galat. 1. n. 18. *Poſt tres annos veni Ieruſalem videre Petrum.* Et ideo dicitur in textu poſt multos, ſcilicet tres annos, factæ ſunt inſidiæ, & omnia, quæ hic narrantur. Ita Lyranus, Carthuſ. Caiet. & Hugo. 197. Arabic. Galat. 1. Lyran. Carthuſ. Caiet. Hugo.

Verſ. 24. *Notæ factæ ſunt Saulo.* Syriacus: *Indicatæ ſunt Saulo.* Arabicus: *Sciens fraudem eorum.* Paguinus: *Intellectæ ſunt inſidiæ.* Æthiopic. *Cognovit Saul conſilium eorum.* Omnia fiunt manifeſta, & nota. *Cuſtodiebant portas die, ac nocte.* Iudæi omne malum machinabantur contra Paulum, & inde perſuaſerunt Aretæ Regi, ac Domino Damaſci Paulum eſſe proditorem, ac exploratorem, ut eum traderet in manus ſuorum inimicorum, de quo ipſe Apoſtolus agit, 2: Corinth. 11. n. 32. 198. Syriac. Arabic. Pagnin. Æthiop. Arabicus 2 Cor. 11

Verſ. 25. *Accipientes autem eum diſcipuli.* Syriac. *Tunc impoſuerunt eum ſportæ.* Æthiopic. *Demiſerunt per feneſtram funè, & in ſporta.* Ut ait Lyranus: Paulus tamquam miles ſtrenuus conſenſit, ut ab obſidione eſſet liberatus pro maiori fidei Catholicæ utilitate, ut efficacius curaret, ac prædicaret; & tunc expleto ſuo munere, ac curſu, conſtantiſſimè Romæ ſub Nerone ſuſtinuit Martyrium. fugere autem aliquando magnorum virorum eſt iuxta Domini mandatum; *Cum perſecuti vos fuerint fugite in aliam*, Matthæi 10. n. 23. de quo latè egi tom. 3. in Evangel. cap. 9. q. 6. & 7. 199. Syriac. Æthiop. Math. 10

Submittentes in ſporta. Appenſa duobus funibus, imo ad maiorem ſecuritatem Pauli, ſunt qui exiſtimant, quod Paulus per lumbos accinctus quodam funè fuerit: Sporta autem fit ex juncis marinis, & ex palmis contextis, ut canit Arator, & hoc ait Rupertus 200. *Sportæ quid ſit.* Arator. Rupert.

pertus in cap. 2. Exod. figuratum in fiſcella, in qua Moyſes cuſtoditus fuit, ut legem Dei promulgaret; ſic & Paulus in ſporta liberatur, ut legem Chriſti per totum Orbem evãgelizaret Sporta conficitur ex iuncis marinis, & palmis, in iunco marino denotatur Baptiſmus, in palma victoria denotabatur ibi, quod prædicato Baptiſmo per Paulum in toto mundo Chriſtianæ militiæ trophæus erat erigendus.

Verſ. 26. *Cum autem veniſſet in Ieruſalem, tentabat ſe iungere diſcipulis.* Græcus habet *ſe agglutinare diſcipulis* intimo vinculo Charitatis cum illis uniri, maximè Petro, utpote totius Eccleſiæ capiti, ad hoc venit Ieroſolymam, ut ipſe ait ad Galat. 1. n. 18. *Et omnes timebant eum.* Arabicus: *Pertimeſcebant eum.* D. Chryſoſtom. *Timebant adhærere illi*: Nam eius Baptiſmus in Damaſco fortè non erat omnibus notus, & eſto eſſet notus cum Paulus abiret in Arabiam, dubitabant, an tanto tempore fuiſſet mutatus, & ad vomitum rediret, & maximè cognoſcebant eum eſſe ingenio ſagaci, atque ſolerti, & fieri poterat, ut ſe fingeret fidelem ad explorandos Chriſtianos, ut eos accuſaret. 201. Arabic.

Actor. 9. n. 27. Barnabas autem apprehenſũ illum duxit ad Apoſtolos, & narravit illis, quomodo in via vidiſſet Dominum, & quia locutus eſt ei, & quomodo in Damaſco fiducialiter egerit in nomine Ieſu.

Num. 28. Et erat cum illis intrans, & exiens in Ieruſalem fiducialiter agens in nomine Domini.

Num. 29. Loquebatur quoque gentibus, & diſputabat cum Græcis, illi autem quærebant occidere eum.

Num. 30. Quod cum cognoviſſent fratres, duxerunt eum Cæſaream, & Tharſum.

Verſiones,

CVM EXPOSITIONE X.

202. Verſ. 27. *Barnabas autem apprehenſum illum.* Adducens ſecum Paulum ob intimam familiaritatem cum illo à pueritia, & ut ſuum condiſcipulum ſub Gamaliele Magiſtro, de cujus converſione ſemper fuerat maximè ſollicitus, & eum admonebat. Duxit ad Apoſtolos Petrum, & Jacobum Galat. 1. num. 18. ut notant Beda, Gloſſa, Lyran. & ad alios diſcipulos, ut advertit Chryſoſt. *Et narravit eis* Barnabas, quomodo Saulus *in via vidiſſet Dominum.* Hoc Barnabas accepit à Saulo tamquam intimo familiari ſuo, & quomodo in Damaſco prima, & ſecunda vice *fiducialiter egerit.* Oecumenius *ſtrennè ſe geſſiſſet.* Varablus: *Liberè locutus fuiſſet.* Pagninus: *Fortiter.* Æthiopic. *Docuiſſet in nomine Ieſu.* Arabicus: *Manifeſtaſſet nomen Ieſu*, utpote nomen veri Dei Salvatoris, ac veri Meſſiæ. Beda. Gloſſa Lyran. D. Chryſoſt. Oecum. Varabl. Pagnin. Æthiop. Arabic.

203. Verſ. 28. *Et erat cum illis intrans, & exiens.* Pagninus: *Cum illis verſans.* Græcus *Ingrediens.* Phraſis eſt Hebraïca, id eſt familiariter cum illis agens, ac manens illis, eiſque adhærens, cumque Paulus eſſet tanta ſapientia plenus, eos tamquam Magiſtros ſequebatur. *In Ieruſalem* per quindecim dies, ubi commoratus eſt cum Petro, & Iacobo, ut ipſe ait ad Galat. 1. n. 18. *Fiducialiter agens in nomine Domini.* Æthiopic. *Cum fixo corde, & credendo in nomine Domini.* Pagnin. Galat. 1. Æthiop.

204. Ver. 29. *Loquebatur cum gentibus.* Hæc vox *gentibus* in multis Codicibus non habetur, ut in Græco, Syriaco, & Gothico, tamen noſtra vulgata emendata juſſu Clementis VIII. eam habet, ſic multi alii, *loquebatur cum gentibus*, ut meliores, & lautiores fierent, de quo quæſt. ſequenti, & cum ipſi ſe viderent convicti, & non poſſent reſpondere manibus ſe armabant, ut eum interficerent, ut notat D. Chryſoſtomus. Cle. VIII. D. Chryſoſt.

Verſ. 30. *Duxerunt eum Cæſaream.* Syrus: *Duxerunt nocte*, ut ita ſecurus abiret, quod Paulus Dei mandato fecit; nam nocte Deus illi in templo præcepit apparens, ut exiret de Ieruſalem, infra cap. 22. n. 17. *In Cæſaream*, quæ à Philippo Tetrarcha cognominata eſt Philippi, deinde navigavit Tharſũ, quæ eſt Civitas Ciliciæ Patria Pauli. Vide dicta ſupra Verſ. 11. 205 Syrus. Actor. 22.

QUÆSTIO XXIX.

Quare D. Paulus converſabatur cum gentibus, ac Græcis, qui in eum tot machinabantur inſidias, ob quas in varias terras profugus abiit?

206. TOta difficultas huius quæſtionis eſt, ut videbimus cap. ſequenti. Primus converſus ex Gentilitate extitit Cornelius baptizatus à D. Petro: Unde primo reſpondeo, quod dicitur in textu, quod Paulus converſabatur, & diſputabat, non tamen dicitur, quod eos convertiſſet: & ideo ſecundo Bellarminus lib. 1. de Roman Pontifice cap. 22. ait Saulũ diſputaſſe cum gentibus, non eos ad fidem adducendo, ſed Chriſti fidem defendendo à multorum calumniis. Tertio Sanchez exiſtimat, quod hæc contigerunt poſt converſionem Cornelii, & quod D. Lucas hic adiunxit ea, quæ pertinebant ad Saulum, & hoc multas patitur difficultates. Bellarm. Sancha.

207. Quarto alii, & probabilius cum gentibus, & Græcis, hoc eſt *Græco Zantibus*, hoc eſt cum Iudæis natis in Græcia, quorum Patres ob perſecutionem Antiochi in varias terras diſpeſi ſunt, & ideo in Græcia nati, & educati ſunt, indeque lingua Græca loquebantur. Huic expoſitioni favet Syriacus, qui vertit: *Loquebatur cum Iudæis, qui ſciebant Græcè.* Syriac.

208. Exiſtimo tamen, quod cum dicitur à Petro ex gentilitate fuiſſe primum Cornelium Centuriorem, hoc eſt publicè, ut perſonam magnæ nobilitatis, & nominis: Philippus namque convertit Æthiopem Reginæ Candacis, ut vidimus cap. 8. ad finem, & Paulus poſtquam baptizatus eſt Damaſci, & fugiens per tres annos commoratus eſt in Arabia, non poſſum mihi perſuadere, quod Spiritus Pauli per tantum tempus ibi exiterit otioſus, abſque eo, quod magnum Deo ibi peperiſſet fructum. Actor. 8. *Propria ſeu ædia.*

209. Ideo Gentiles, & Iudæi diſputantes cum Paulo, & ab eo concluſi, atque convicti, ut minimè illi poſſet reſpondere, & etiam, quod eorum aliqui rationibus, documentiſque Pauli perſuaſi ad fidem converterentur, ideoque machinabantur eum occidere, quapropter fugit in Cæſaream, & Tharſum, & peregrinari cœpit per alienas terras, ut inde eius meritum iam multum excreſcere inciperet.

210. Mandat Deus Abrahamo: *Egredere de terra tua, & de cognatione tua, & de domo Patris tui*, Geneſ. 12 n. 1. & ſtatim ſubditur: *Egreſſus eſt itaque Abraham, ſicut præceperat illi Deus*, Et quomodo ſic tam generosè exivit, neſciens ad quam terram abiret, & per quam viam incederet? rectè tamen ſciebat, quod ſi à Patria exularet, apud Deum concivis erat, & cum eo cohabitabat, illiuſque poſſeſſor erat. D. Hieronymus epiſt. 28. ad Lucin. ait: *Reliquit Meſopotamiam, quærit, quod neſcit, ne perdat, quod invenerat. Non enim arbitratus eſt, ſimul ſe habere poſſe patriam,* Gen. 11. D. Hier.

&

Abrahamus peregrinus inde cum Deo habitabat.

& Dominum, sed iam tunc illud Davidis complebat, Advena ego sum apud te, & peregrinus. Ex eo quod erat peregrinus, & advena iam erat apud Deum commorans, & habitans.

211. Exod 3. Hebr 11

Multipliciter, & passim in Veteri Testamento Deus dicitur: *Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Iacob,* Exod. 3. n. 6. Ad quod alludens noster Apostolus Hebræor. 11. n. 13. ait: *Iuxta fidem defuncti sunt omnes isti, acceptis promissionibus, & à longè eas aspicientes, & salutantes, & confitentes, quia peregrini, & hospites sunt super terram, ideo non confunditur Deus vocari Deus eorum.* Non confunditur eorum Deus vocari, ac dici, id est Deus gloriatur, ac se iactat, quod eorum Deus nuncupetur, & quoniam eorum merito? forsitan ob ieiunia, mortificationem, & disciplinas, ac aculeos, & gladios perpessos minimè? *Sed quia peregrini, & hospites super terram.* Tanti meriti, tantique valoris est apud Deum relinquere patriam, ac propriam terram, & peregrinari, ac hospitari per terras alienas in obsequium Dei, ut talium servorum, Deus insigniter, ac peculiariter magnificetur, seque illorum Deus dici velit. D. Chrysost. in Psalm. 113. sic ait: *Ideo non confunditur Deus, propter quam causam? Quoniam confessi sunt esse hospites, & peregrinos, & nihil habere commune cum præsentibus, sed seiuncti ab his, quæ ad hanc vitam pertinent, ita degebant in aliena.* Ita degebant per terras alienas, ut omnino separati à præsentibus rebus sæculi vitã ducerent.

Magnum meritum peregrinari per terras alienas.

D. Chrysost.

Actor. 9. n. 31. Ecclesia quidem per totam Iudæam, & Galilæam, & Samariam habebat pacem, & ædificabatur ambulans in timore Domini, & consolatione sancti Spiritus replebatur.

Num. 32. Factum est autem dum Petrus pertransiret universos deveniret ad sãctos, qui habitabant Lyddæ.

Num. 33. Invenit autem ibi hominẽ quendam nomine Æneam ab annis octo iacentem in grabato, qui erat paralyticus.

Num. 34. Et ait illi Petrus: Sanat te Dominus Iesus Christus, surge, & sterne tibi, & continuo surrexit.

Num. 35. Et viderunt eum omnes, qui habitabant Lyddæ, & Saronæ: Qui conversi sunt ad Dominum.

Versiones,

CVM EXPOSITIONE XI.

212. Græcus. Arabic. D. Chrysost. Æthiop.

Vers. 31. *Ecclesia quidem.* Græcus, Arabicus, D. Chrysost. *Ecclesiæ* in plurali, refertur ad Ecclesias particulares Ierusalem, Galilææ, & Samariæ, quæ omnes faciebant unam Ecclesiam universalem: *Habebat pacem.* Arabicus: *Pacificè erant.* Æthiopic. *Ambulans pacificans.* Cessaverat iam tempestas persecutionis, quæ facta est morte Stephani anno 34. Christi, agebatur modo annus 39. sex annis post Christi Ascensionem.

213. D. Chrysost. Oecum. Lyran.

Evangelista facit hic mentionem huius pacis, ut ait D. Chrysost. & Oecumenius, ut denotaret, quod sacri Apostoli tamquam generosi milites, quamdiu duravit bellum fixo pede steterunt in Ierusalem, at facta pace ad alias Provincias abierunt ad prædicandum Evangelium. Lyranus ait, ut indicaret causam, ob quam Discipuli securè potuerunt Paulum ducere in Cæsaream.

214.

Causa huius pacis extitit Divina Bonitas, nam post tempestatem serenitatem præbet. Tobias 3. n. 22. *Post tempestatem tranquillitatem facis, & post lachrymationem, & fletum exultationem infundis.* Congruentia vero, quia ut refert Tertull. in Apol. cap. 5. Cum audisset Tiberius ea, quæ Christus gesserat in Syria, eum ut Deum habendum, ac venerandum retulit ad Senatum. *Senatus quia non prior probaverat, respuit. Cæsar in sententia mansit comminatus periculum accusatoribus Christianorum.* Idem scribit Eusebius in Chron. anno ultimo Tiberii, & semper Paulus, ac Magnates nutum, & favorem Principis æmulantur.

Tobiæ 3

Tertull.

Populus sequitur nutum Principis. Euseb.

Ædificabatur. Syriac. *Multiplicabatur.* Arabicus: *Constructa erant.* Multum enim numero, & virtute crescebat congregatio fidelium, hi tamquam lapides vivi ædificant domum Dei, quæ est Ecclesia, Eph. 2. n. 2. & rationem tanti augmenti subdit: *Ambulans in timore Domini.* Syriacus: *Pergebat.* Æthiopicus: *Proficiens in timore Dei,* quod includit omnem observantiam legis Dei, & secum adducit omnia bona Ecclesiast. 40. n. 28. *Timor Domini sicut Paradisus benedictionis.*

215. Syriac. Arabic. Eph. 2.

Æthiop.

Eccl 40.

Et consolatione Spiritus sancti. Arabicus: *Gratia Spiritus sancti.* Ideo Spiritus sanctus dicitur paraclitus, Ioan. 14. n. 16. Et quamvis omnes tres Divinæ Personæ sint nostri consolatores, unde Paulus ait: *Benedictus Deus, & Pater Domini nostri Iesu Christi, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra,* 2. Corinth. 1. n. 3. tamen Spiritus sanctus insigniter, ac peculiariter dicitur consolator; quia ipse suis donis nos fovet, lætificat, ac recreat.

216. Arabic.

2 Cor. 1.

Vers. 32. *Factum est autem.* Syriacus: *Cum Petrus perlustraret urbes.* Petrus, ut supremum totius Ecclesiæ caput, & ut optimus Pastor, ut advertit Chrysostomus visitabat fideles, qui erant in variis Iudææ locis, ut eos adiuvaret, firmaret, ac corroboraret in fide, & etiam, si necessarium fuisset, de communibus bonis provideret: Munus superioris est suos visitare, & cum Iacob hoc per se ipsum non potuisset præstare ad hoc destinavit Ioseph, Gen. 37. n. 14. *Vade, & vide si cuncta sint prospera erga fratres tuos, & pecora.*

217. Syriac. *Petrus visitat oves.*

Gen 37.

Deveniret ad Sanctos. Arabicus: *Deveniret ad fratres Sanctos.* Sic in illa primitiva Ecclesia vocabantur fideles, ut patet supra ex vers. 13. *Quanta mala fecit Sanctis tuis;* quia vocati erant ad sanctitatem, ac sanctificationem in Baptismo.

218. Arabic.

219. *Quæ civitas.* D. Hier.

Lydda erat Civitas ad mare inter Ioppen, & Ierusalem, una ex undecim Iudææ toparchiis, id est maioribus, ordine quinta, de ea fit mentio, 1. Machab. 11. tempore D. Hieronym. ut ipse testatur de loc. Hebraic. cap. 17. dicebatur: *Diospolis,* id est Civitas Iovis, nunc vero dicitur S. Gregorii, in ea fuit decollatus, & sepultus, in eiusque honorem templum magnificum extructum est, ut refert Adrichomius in descriptione terræ Sanctæ.

220.

Vers. 33. *Invenit autem ibi hominem,* non casu, sed divina Providentia dispositum, *nomine Æneam.* Alii, ut Syriacus legunt Anas. Æneas vox est Hebraica, & etiam Syriaca significans hominem pauperem, & humilem. Æneas Latinum nomen est. *Ab octo annis iacentem.* In quo numero aliqui Patres varias rationes morales considerant. Glossa Ordinaria mundum iacententem, in quo sunt quatuor plagæ, & totidem temporum plagæ. Arator octavum circuncisionis diem, alii aliàs, quæ non faciunt multum ad rem.

Syriac.

Glossa

221. *Petrus magnus Pastor.* Latina. Græca. Syriaca. D. Greg. Glossa

Vers. 34. *Ait illi Petrus, Ænea.* Unde D. Petrus agnovit eius nomen? Sanè per suam propheticam scientiam, deinde tamquam Optimus Pastor agnovit oves suas, easque nominatim nominat. *Sanat te Dominus Iesus Christus.* Sic legunt Latina, Græca, Syriaca exemplaria, Glossa, D. Gregor. lib. 20. Moral. cap. 13. & alii per modum optativi *sanet te Dominus.*

nus, & in eundem omnia recidunt ſenſum: *Dominus Ieſus Chriſtus*, ut fieret evidens, quod Petrus non ſua virtute, ſed Ieſu Chriſti dicebat: *Surge* à lecto, in quo jacebat, moraliter D. Cyrillus, D. Greg. Beda, quia Chriſtus D. ſuos milites non vult deſides, torpentes, ſed diligentes, ac veloces.

Beda. DCyrill.

222. *Sterne tibi*, non ut ibi permaneat, ſed ut componat, & ſecum aſportet, ut Chriſtus imperavit illi alio Ioan. 5. n. 8. Hic etiam faciebat Chriſtus ad evidentiam miraculi, ut notavit D. Cyrillus, Chryſoſtom. Leont. D. Auguſt. ad citatum locum Ioan. Magnalia coram inimicis, ut credantur, multa cautela neceſſaria erat. *Continuo* Syriacus *eo momento*. Oecum. *Protinus*. Prolatis verbis ſanitas conſecuta eſt.

Ioan. 5. Leont. D. Aug. Syriac. Oecum.

223. Verſ. 35. *Viderunt omnes*. perfectam, & conſummatam ſanitatem ex tam longa infirmitate deſperata ſanitate. *Sarona*, vel *Aſſaron*, ut eſt in Græco Mons eſt, & in monte Urbs egregia, quam Joſue cap. 2. expugnavit, & inde tota Regio Campeſtris à Cæſarea Paleſtinæ uſque ad Ioppen vocatur *Saron*, eſtque valde pinguis, & fertiliſſima, cuius fertilitas denotabat magnam fœcunditatem, uberesque fructus, quos Petrus ſua prædicatione ibi produxit, ac protulit, ut ait D. Hieronymus de locis Hebraicis, & tunc adimpletum eſt illud Iſaiæ 35. n. 21. *Gloria Libani data eſt ei, & decor Carmeli, & Saron, ipſi videbunt gloriam Domini.*

Græcus. Ioſue 12 Iſai. 35.

QVÆSTIO XXX.

Quare D. Petrus non interrogavit hunc Paralyticum Vis ſanus fieri. *Et Chriſtus interrogavit illum alium in piſcina?*

224. QUæſtionem hanc excitant in præſenti D. Chryſoſt. Oecumen. Cur Petrus non interrogaverit hunc Paralyticum *Vis ſanus fieri*, ut Chriſtus D. interrogavit illum alium in piſcina, Ioan 5. n. 6.

D. Chryſoſt. Oecum. Ioan. 5.

225. Reſpondent citati Sancti Patres, quod D. Petrus hoc faciebat miraculum non tantum ob bonum particulare huius hominis, ſed ob bonum commune, ut alii videntes tantum miraculum fieri in nomine Ieſu, eius fidem reciperent, aliique credentes magis in fide firmarentur.

Ad commune bonum.

226. Secundo exiſtimo, quod iſte Æneas erat Chriſtianus, ac fidelis, quapropter tam ingens ſanitatis beneficium promeruit etiam ſine precibus, eius tamen cordis affectus clamavit ad Dominum: *Deſiderium cordis ejus tribuiſti ei, prævenisti eum in benedictionibus dulcedinis*, Pſalm. 20. n. 34.

227. Cum populus Iſraëliticus veniſſet ad littus maris rubri, & vidiſſet poſt ſe venientem Pharaonem cum exercitu copioſo, totus populus vociferans clamavit, & non legitur quod Moyſes clamaverit, & tamen ait illi Deus: *Quid clamas ad me?* Exod. 14. n. 15. Si Moyſes ne verbum quidem protulit, quomodo dicitur clamare? D. Paſchaſius in Thren. ait: *Clamabat Moyſes ardore Charitatis*; ejus charitatis fervor ipſo tacente grandi, altaque voce clamabat.

Exod. 14 *Iuſti deſiderii, ac neceſſitas clamat.* D. Paſch.

228. Prodigus ille filius in ſe reverſus determinat apud ſe venire ad Patrem, multiſque verbis bene compoſitis ab eo miſericordiam expoſtulat: *Cum adhuc longè eſſet vidit illum Pater ipſius, & miſericordia motus eſt, & occurrens cecidit ſuper collum ejus, & oſculatus eſt eum*, Luc. 15. n. 20. Cur tam cito occurrit Pater tot, & tantis benevolentiæ ſignis eum amplectens, & deoſculans, cur non expectat, ut ſuis verbis miſericordiam exoret, ſed abſque ullo eius verbo ſic occurrit? Pallor vultus, faciei macies, ſqualor veſtium, ac propria miſeria magis exorabat, quam clamor, ac gemitus omnium vocum; Guerricus Abbas ſerm. in Sabbathum 2. Quadrageſ. ait: *Sic feſtinabat abſolvere reum à tormento conſcientiæ ſuæ, quaſi plus cruciaret miſericordem compaſſio miſeri, quam ipſum miſerum paſſio ſui.* Sic feſtinabat ſuccurrere miſero, cuius miſeria magis affligebat Patrem, quam miſerum filium.

Miſeria magis exorat, quam clamor. Luc. 15 Guerric.

Actor. 9. n. 36. In Ioppe autem fuit quædã diſcipula nomine Tabitha, quæ interpretata dicitur Dorcas. Hæc erat plena operibus bonis, & eleemoſinis, quas faciebat

Num 37. Factum eſt autem in diebus illis, ut infirmata moreretur. Quam cum laviſſent, poſuerunt eam in Cœnaculo.

Num. 38. Cum autem prope eſſet Lydda ad Ioppen, Diſcipuli audientes, quia Petrus eſſet in ea, miſerũt duos viros ad eũ rogãtes: Ne pigriteris venire uſque ad nos.

Num. 39. Exurgens autem Petrus venit cũ illis, & cum adveniſſet, duxerunt illum in Cœnaculum, & circunſteterunt illũ omnes viduæ flentes, & oſtendentes ei tunicas, & veſtes, quas faciebat illis Dorcas

Verſiones,

CVM EXPOSITIONE XII.

Verſ. 36. *IN Ioppe.* Interpretatur *decor, ac pulchritudo*, Urbs eſt nobiliſſima, ut cum Joſepho teſtantur D. Hieron. Adrichomus de locis Hebraicis, & eſt antiquiſſima, utpote ædificata à Iaphet filio Noë ſita in edito promontorio ad mare, arce, & mœnibus bene munita, de qua ſæpe fit mentio in libris Machabæorum; Hæc ſuo littore excepit Ionam evomitum à bellua marina. In hac Petrus hoſpitatur apud Simonem Coriarium, & inde in honorem D. Petri ſacellum eſt conſtructũ. In hac recipiuntur viri tranſmiſſi de Cæſarea à Cornelio Céturione, in qua noſtra Tabitha reſuſcitatur à Divo Petro, & hodie eſt communis portus tranſeuntiũ ex Venetia ad terram Sanctam.

229. Ioſeph. D. Hier. Adrich. *Magna in hac Civitate.*

Quædam diſcipula. Mulier Chriſtiana, & fidelis, ſic in primitiva Eccleſia vocabantur Chriſtiani diſcipuli, vel diſcipulæ. *Nomine Thabita* Hebræum ex Syro, & idem valet, ac *cerno*, *video*. Quæ dicitur *Dorcas*, & idem valet, ac *Caprea*, vel *Damula*, de quo quæſt. ſequenti. *Plena operibus bonis.* Syriacus *Dives operibus bonis*, prout erat conveniens, & requirebatur in Chriſti diſcipula, unde ille Epiſcopus arguitur Apocalypſ. 13. n. 2. *Non inveniuntur opera tua plena coram Deo.* Nempe correſpondentia tuæ Epiſcopali dignitati.

230. Syriac. Apoc. 13

Verſ. 37. *In diebus illis, ut infirma moreretur.* Syriacus: *Adverſa valetudine laboravit per dies illos.* Arabic. *Fuit in iſtis diebus afflicta, & appropinquavit ad mortem.* Textus: *Quam cum laviſſent.* Gloſſa Interlinealis: *Cum lavaſſent unguentis.* Hæc erat antiqua conſuetudo ad nobilium corpora valde pretioſis unguentis, de quo multa dixi tom. 5. in Evangelia lib. 8 agens de Chriſti ſepultura. *Poſuerunt eam in Cœnaculo*, ut in altiore, & ampliore loco.

231. Syriac. Arabicus Interlin.

Verſ. 38. *Cum autem prope eſſet Lydda, in qua erat Petrus.* Syrus: *Erant Urbs illa ad crepidinem Ioppe*, ac proinde parva diſtantia. *Miſerunt duos viros*, Chriſti exemplum ſecuti, qui ſuos diſcipulos binos mittebat. *Ne pigriteris venire.* Syriacus: *Ne cunctaretur.* Varablus, Pagninus, & Tigurina *Ne graveris.* Æthiopic. *Ne venire cunctaretur.*

232. Syrus. Varabl. Pagnin. Tigurin. Æthiop.

Verſ. 39. *Exurgens Petrus* indilatè, ut ſubveniat ſuis.

233.